CODICIS IURIS CANONICI FONTES

CURA

EMI PETRI CARD. GASPARRI

EDITI

VOLUMEN I

CONCILIA GENERALIA – ROMANI PONTIFICES

USQUE AD ANNUM 1745

N. 1-364

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

PROOEMIUM

Codex Iuris Canonici Pii X iussu digestus, Benedicti XV auctoritate promulgatus, antiquam Ecclesiae disciplinam plerumque retinuit, opportunas licet immutationes attulerit.

Iam vero in can. 6 Codicis edicitur:

« 2° Canones qui ius vetus ex integro referunt, ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, sunt aestimandi;

« 3° Canones qui ex parte tantum cum veteri iure congruunt, qua congruunt, ex iure antiquo aestimandi sunt; qua discrepant, sunt ex sua ipsorum sententia diiudicandi;

« 4° In dubio num aliquod canonum praescriptum cum veteri iure discrepet, a veteri iure non est recedendum; » .....

Ex his apparet quam necessarium sit ad rectam canonum intelligentiam prae manibus fontes habere ex quibus canones hausti sunt: atque huic ipsi necessitati haec collectio occurrit.

Complures leges in notis commemoratae et in hac Collectione exscriptae a canonibus Codicis prorsus discrepant: eas autem hic ponere placuit ad exhibendam iuris historiam, atque etiam, quando agitur de poenis, ut possint Superiori vel Iudici Ecclesiastico praesto esse in iisdem poenis irrogandis.

In hac collectione ex industria praetermissi sunt fontes deprompti e veteri Corpore Iuris Canonici, ex Concilio Tridentino et ex quatuor libris liturgicis (Pontificali Romano, Missali Romano, Caeremoniali Episcoporum, Rituali Romano) quippe quos unumquemque iuris studiosum habere decet. Reliqui autem fontes, prout cum Codice ex toto vel ex parte congruunt, ex integro vel ex parte afferuntur.

In exhibendis vero Sacrarum Congregationum Romanarum decisionibus non opportunum visum est causas cum votis Con-

sultorum integras referre, sed breviter, descripta specie facti, decisiones tantum proponere.

Quod si nonnullis in causis nimis multae decisiones colligi possent, illae tantum in hac collectione adsunt quae canonem melius illustrant et ad rem magis facere videntur. Item si eadem causa pluries in Curia Romana agitata fuit, priores quidem decisiones indicantur, at ultima uberius exponitur.

Dispositio vero fontium haec est:

1. Temporis ordine referuntur leges Conciliorum Generalium, quae in veteri Corpore Iuris Canonici, in actis Romanorum Pontificum, vel in S. Tridentina Synodo non inveniuntur.

2. Eodem ordine exhibentur acta Romanorum Pontificum, quae in antiquo Corpore Iuris Canonici desiderantur, ita tamen ut fontes, qui ab ipso legislatore in paragraphos divisi non sunt, in hac editione utilitatis gratia numeris distinguantur. Pari modo, quotiescumque lex allata ad alias forte provocat leges, nec eas accuratius determinat, istae quoque leges in studiosorum commodum ad calcem paginarum plerumque indicantur.

3. Curiae Romanae acta ita referuntur, ut inter SS. Congregationes, Tribunalia et Officia auctoritatis ordo servetur; eiusdem vero generis acta temporis ordine disposita sint. Quoniam vero his actis duo dies saepe ascribuntur, confectionis scilicet actorum et approbationis Pontificiae, in hac Collectione uterque dies indicatur, dum in Codice unus approbationis dies appositus est, quia istiusmodi acta tum demum vigere incipiunt, cum Pontificia approbatione muniuntur.

4. Singuli autem fontes distinguuntur singulis successive numeris, qui per omnia Collectionis volumina currunt, quo fontium citatio etiam hac ratione facilior ac simplicior evadat.

5. Demum huius Collectionis voluminibus, praesertim postremo, varii indices seu elenchi additi sunt, ut ii, qui iuris canonici studio incumbunt, fontes investigare easque cum Codice comparare facilius et expeditius valeant.

ELENCHUS OPERUM

AD QUAE PRO REPERIENDIS FONTIBUS IN HOC VOLUMINE RELATIS VIRI STUDIOSI REMITTUNTUR.

Acta et Decreta Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani, Romae (1872). Impensis Paulini Lazzarini, Typographi Concilii Vaticani.

CAESARIS S. R. E. Card. BARONII, *Annales Ecclesiastici,* Friburgi Helv. (1887). Ex Typis Operis Sancti Pauli.

Bullarum, Privilegiorum ac Diplomatum Romanorum Pontificum Amplissima Collectio, opera et studio CAROLI COCQUELINES, Romae (1739-1744). Sumptibus Hieronymi Mainardi.

BENEDICTI Papae XIV, *Bullarium,* Romae (1746–1757). Typis S. C. de Propaganda Fide.

Bullarium Ordinis FF. Praedicatorum, Romae (1729-1740). Ex Typographia Hieronymi Mainardi.

A. BIZZARRI, *Collectanea in usum Secretariae S. C. Episcoporum et Regularium,* Romae (1885). Typographia Polyglotta S. C. de Prop. Fide.

Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide, Romae (1907). Typographia Polyglotta S. C. de Prop. Fide.

IOANNES DOMINICUS MANSI, *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima Collectio,* Florentiae (1759, sq.). Expensis Antonii Zatta Veneti.

Concilium Romanum in Sacrosancta Basilica Lateranensi celebratum a. 1725, Romae (1764). Barbiellini.

Decreta Authentica Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, edita iussu et auctoritate SS. D. N. Leonis PP. XIII, Ratisbonae, etc. (1883). Pustet.

VINCENTIUS LUDOVICUS Card. GOTTI, *Veritas Religionis Christianae,* Romae (1735, sq.). Typographia Barnabò.

Ius Pontificium de Propaganda Fide, Romae (1888-1897). Typographia Polyglotta.

DE LAMBERTINIS PROSPER, *De Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione,* Bononiae (1734, sq.). Longhi.

MIGNE J.-P., *Patrologiae Cursus completus.* Series prima Latina, Parisiis (1844, sq.).

INDEX FONTIUM
QUI IN HOC VOLUMINE REFERUNTUR

I. - CONCILIA GENERALIA.

II. - ROMANI PONTIFICES.

I.-CONCILIA GENERALIA.[1]

1.

Concilium Nicaenum I (a. 325).

(sec. Dionysium Exiguum).

Can. 13. - De his qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur; ita ut si quis egreditur e corpore, ultimo et maxime necessario viatico minime privetur. Quod si desperatus, et consecutus communionem, oblationisque particeps factus, iterum convaluerit; sit inter eos qui communionem orationis tantummodo consequuntur. Generaliter autem cuilibet in exitu posito, et poscenti sibi communionis gratiam tribui, episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit.

[Mansi, tom. 2, col. 681. - Cf. ibidem Can. 13 in col. 674, 900; itemque Can. 12 in col. 690 cum C. 9, c. XXVI, q. 6].

2.

Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum (a. 381).

[Missale Romanum. - Cf. Professio Catholicae Fidei initio Codicis Iuris Canonici. - Secundum Dionysium Exiguum vero Mansi, tom. 3, col. 567. - Cf. ibidem col. 566, 574].

3.

Concilium Ephesinum (a. 431).

Anathematismi Cyrilli.

Can. 8. - Si quis audet dicere adsumptum hominem coadorari cum Deo verbo oportere, et communem pari Deum, tanquam alterum cum altero, adiectio enim unius syllabae hoc cogit intelligi, et non magis una reverentia veneratur Emmanuel, unamque ei glorificationem dependit, iuxta quod verbum caro factum est; anathema sit.

[Mansi, tom. 4, col. 1092. - Cf. ibidem col. 1083].

[1] Fontes Codicis Iuris Canonici ex Conciliis Oecumenicis desumpti, qui hic non referuntur, ope Tabellarum in ultimo huius Collectionis volumine positarum reperiri poterunt in antiquo Corpore Iuris Canonici necnon et in constitutionibus Romanorum Pontificum infra descriptis.

4.

Concilium Constantinopolitanum II (a. 553).

Can. 9. - Si quis in duabus naturis adorari dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt, separatim Deo verbo, et separatim homini: vel si quis ad interemptionem vel ad confusionem deitatis et humanitatis, unam naturam sive substantiam eorum quae convenerunt introducens, sic Christum adorat, sed non una adoratione Deum verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio Dei ecclesiae traditum est, talis anathema sit.

[Mansi, tom. 9, col. 382].

5.

Concilium Nicaenum II (a. 787).

Actio VII, definitio de sacris imaginibus.

His ita se habentibus, regiae quasi continuati semitae, sequentesque divinitus inspiratum sanctorum patrum nostrorum magisterium, et catholicae traditionem ecclesiae (nam Spiritus Sancti hanc esse novimus, qui nimirum in ipsa inhabitat) definimus in omni certitudine ac diligentia, sicut figuram pretiosae ac vivificae crucis, ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas, tam quae de coloribus et tessellis, quam quae ex alia materia congruenter in sanctis Dei ecclesiis, et sacris vasis, et vestibus, et in parietibus ac tabulis, domibus et viis: tam videlicet imaginem Domini Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, quam intemeratae dominae nostrae sanctae Dei genitricis, honorabiliumque angelorum, et omnium sanctorum simul et almorum virorum. Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum earum memoriam et desiderium, ad osculum, et ad honorariam his adorationem tribuendam. Non tamen ad veram latriam, quae secundum fidem est, quaeque solam divinam naturam decet, impartiendam: ita ut istis, sicuti figurae pretiosae ac vivificae crucis, et sanctis evangeliis, et reliquis sacris monumentis, incensorum et luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur, quemadmodum et antiquis piae consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum transit: et qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam...

Eos ergo qui audent aliter sapere aut docere, aut secundum scelestos haereticos ecclesiasticas traditiones spernere, et novitatem quamlibet excogitare, vel proiicere aliquid ex his quae sunt ecclesiae deputata, sive evangelium, sive figuram crucis, sive imaginalem picturam, sive sanctas reliquias martyris; aut excogitare prave, aut astute ad subvertendum quidquam ex legitimis traditionibus ecclesiae catholicae; vel etiam quasi communibus uti

sacris vasis, aut venerabilibus monasteriis: si quidem episcopi aut clerici fuerint, deponi praecipimus; monachos autem vel laicos a communione segregari.

Actio VIII, de imaginibus, humanitate Christi, traditione.

Haec est fides apostolorum, haec fides patrum, haec fides orthodoxorum: haec fides orbem terrarum constabilivit. Credentes in unum Deum in Trinitate collaudatum, honorabiles eius imagines salutamus. Qui sic non habent, anathema sint. Qui non ita sentiunt, eiiciantur ab ecclesia. Nos antiquum catholicae ecclesiae institutum sequimur. Nos addentes vel dementes quidquam de catholica ecclesia, anathematizamus. Nos adventitiam novitatem Christianos accusantium anathematizamus. Nos venerandas imagines recipimus. Nos qui non ita sentiunt, anathemati subiicimus. His qui accipiunt sacrae scripturae dicta adversus idola in venerandas imagines, anathema. Ei qui non salutat sanctas imagines, anathema. His qui sacras imagines idola vocant, anathema. His qui dicunt Christianos accedere ad imagines tanquam ad deos, anathema. His qui dicunt per alium nos, quam per Christum Deum nostrum liberatos ab idolis, anathema. His qui dicere audent catholicam ecclesiam idola unquam recepisse, anathema. Omnibus haereticis anathema. Concilio, quod in venerandas infremuit imagines, anathema ...

Si quis evangelicas historias imaginibus expressas non admittit, anathema.

Si quis ipsas non salutat, cum sint in nomine Domini et sanctorum eius, anathema.

Si quis omnem ecclesiasticam traditionem sive scriptam, sive non scriptam reiicit, anathema.

[Mansi, tom. 13, col. 378, 379, 414, 415. - Cf. ibidem col. 730, 739].

6.

Concilium Constantinopolitanum IV (a. 869).

Actio X.

Can. 3. - Sacram imaginem domini nostri Iesu Christi et omnium liberatoris et salvatoris aequo honore cum libro sanctorum evangeliorum adorari decernimus. Sicut enim per syllabarum eloquia, quae in libro feruntur, salutem consequemur omnes; ita per colorum imaginariam operationem, et sapientes et idiotae cuncti, ex eo quod in promptu est, perfruuntur utilitate; quae enim in syllabis sermo, haec et scriptura, quae in coloribus est, praedicat, et commendat; et dignum est, ut secundum congruentiam rationis, et antiquissimam traditionem propter honorem, quia ad principalia ipsa referuntur, etiam derivative iconae honorentur, et adorentur aeque ut sanctorum sacer evangeliorum liber, atque typus pretiosae Crucis. Si quis ergo non adorat iconam salvatoris Christi, non videat formam eius, quando veniet in gloria paterna glorificari et glorificare sanctos suos: sed alienus sit a com-

munione ipsius et claritate: similiter autem et imaginem intemeratae matris eius et Dei genitricis Mariae; insuper et iconas sanctorum angelorum depingimus, quemadmodum eos figurat verbis divina scriptura; sed et laudabilissimorum apostolorum, prophetarum, martyrum, et sanctorum virorum, simul et omnium sanctorum, et honoramus et adoramus. Et qui sic se non habent, anathema sint a Patre, et Filio, et Spiritu sancto.

Can. 12. - Apostolicis et synodicis canonibus, promotiones et consecrationes episcoporum et potentia et praeceptione principum factas penitus interdicentibus, concordantes definimus, et sententiam nos quoque proferimus, ut si quis episcopus per versutiam vel tyrannidem principum huiusmodi dignitatis consecrationem susceperit, deponatur omnimodis, utpote qui non ex voluntate Dei, et ritu ac decreto ecclesiastico, sed ex voluntate carnalis sensus ex hominibus et per homines Dei domum possidere voluit, vel consensit.

Can. 21. - Dominicum sermonem, quem Christus sanctis apostolis et discipulis suis dixit, quia: *Qui vos recipit, me recipit; et qui vos spernit, me spernit,* ad omnes etiam qui post eos secundum ipsos facti sunt summi pontifices et pastorum principes in ecclesia catholica dictum esse credentes, definimus, neminem prorsus mundi potentium, quemquam eorum qui patriarchalibus sedibus praesunt inhonorare, aut movere a proprio throno tentare, sed omni reverentia et honore dignos iudicare; praecipue quidem sanctissimum papam senioris Romae, deinceps autem Constantinopoleos patriarcham, deinde vero Alexandriae, ac Antiochiae, atque Hierosolymorum; sed nec alium quemcumque conscriptiones contra sanctissimum papam senioris Romae, ac verba complicare, et componere sub occasione quasi diffamatorum quorumdam criminum; quod et nuper Photius fecit, et multo ante Dioscorus. Quisquis autem tanta iactantia et audacia usus fuerit, ut secundum Photium, vel Dioscorum, in scriptis, vel sine scriptis iniurias quasdam contra sedem Petri apostolorum principis moveat, aequalem et eamdem quam illi condemnationem recipiat. Si vero quis aliqua saeculi potestate fruens vel potens pellere tentaverit praefatum apostolicae cathedrae papam, aut aliorum patriarcharum quemquam, anathema sit. Porro si synodus universalis fuerit congregata, et facta fuerit etiam de sancta Romanorum ecclesia quaevis ambiguitas et controversia, oportet venerabiliter, et cum convenienti reverentia de proposita quaestione sciscitari, et solutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra summos senioris Romae pontifices.

[Mansi, tom. 16, col. 161, 167, 174. - Cf. ibidem col. 399].

7.

Concilium Lateranense I (a. 1123).

Can. 3. - Presbyteris, diaconibus, vel subdiaconibus, concubinarum et uxorum contubernia penitus interdicimus, et aliarum mulierum cohabitationem, praeter quas synodus Nicaena per solas necessitudinum causas habi-

tare permisit, videlicet matrem, sororem, amitam, vel materteram, aut alias huiusmodi, de quibus nulla valeat iuste suspicio oriri.

Can. 4. - Praeterea iuxta beatissimi Stephani papae sanctionem statuimus, ut laici quamvis religiosi sint, nullam tamen de ecclesiasticis rebus aliquid disponendi habeant facultatem: sed secundum apostolorum canones, omnium negotiorum ecclesiasticorum curam episcopus habeat, et ea velut Deo contemplante dispenset. Si quis ergo principum aut laicorum aliorum, dispensationem vel donationem rerum sive possessionum ecclesiasticarum sibi vendicaverit, ut sacrilegus iudicetur.

[Mansi, tom. 21, col. 282].

8.

Concilium Lateranense II (a. 1139).

Can. 13. - Porro detestabilem et probrosam Divinis et humanis legibus per scripturam in veteri et in novo testamento abdicatam: illam, inquam, insatiabilem foeneratorum rapacitatem damnamus, et ab omni ecclesiastica consolatione sequestramus: praecipientes, ut nullus archiepiscopus, nullus episcopus, vel cuiuslibet ordinis abbas, seu quivis in ordine et clero, nisi cum summa cautela, usurarios recipere praesumat, sed in tota vita infames habeantur: et, nisi resipuerint, Christiana sepultura priventur.

[Mansi, tom. 21, col. 529, 530].

9.

Concilium Basileense (a. 1431).

Sessio XXI.

Cap. 8. - Abusum aliquarum Ecclesiarum, in quibus *Credo in unum Deum*, quod est symbolum et confessio Fidei nostrae, non complete usque ad finem cantatur, aut praefatio seu oratio Dominica omittitur, vel in Ecclesiis cantilenae saeculares voce admiscentur, seu missa etiam privata sine ministro aut per secretas orationes ita submissa voce dicitur, quod a circumstantibus audiri non potest, abolentes, statuimus ut qui in his transgressor inventus fuerit a suo superiore debite castigetur.

[Mansi, tom. 29, col. 107].

10.

Concilium Vaticanum (a. 1870).

Sessio III.

Caput II. - *De revelatione.* — Eadem Sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse; invisibilia enim ipsius, a

creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur:[1] attamen placuisse eius sapientiae et bonitati, alia, eaque supernaturali via, se ipsum ac aeterna voluntatis suae decreta humano generi revelare, dicente Apostolo: *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio.*[2]

Huic divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant; siquidem oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum.[3]

Haec porro supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem a sancta Tridentina Synodo declaratam, continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt.[4] Qui quidem veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem Concilii decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt.

Quoniam vero, quae sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinae Scripturae ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos, idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari.

Caput III. - *De fide.* — Quum homo a Deo tanquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae Veritati penitus subiecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur. Hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius

[1] Rom., I, 20.
[2] Hebr., I, 1-2.
[3] 1 Cor., II, 9.
[4] Conc. Trid., sess. IV. Decr. de can. Script.

Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest. Est enim fides, testante Apostolo, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.[1]

Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata. Quare tum Moyses et Prophetae, tum ipse maxime Christus Dominus multa et manifestissima miracula et prophetias ediderunt; et de Apostolis legimus: *Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.*[2] Et rursum scriptum est: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco.*[3]

Licet autem fidei assensus nequaquam sit motus animi caecus: nemo tamen evangelicae praedicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati.[4] Quare fides ipsa in se, etiamsi per charitatem non operetur, donum Dei est, et actus eius est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gratiae eius, cui resistere posset, consentiendo et cooperando.

Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur.

Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum eius consortium pervenire; ideo nemini unquam sine illa contigit iustificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam aeternam assequetur. Ut autem officio veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.

Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes,[5] et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur. Cui quidem testimonio efficax subsidium accedit ex superna virtute. Etenim benignissimus Dominus et errantes gratia

[1] Hebr., XI, 1.
[2] Marc., XVI, 20.
[3] 2. Petr., I, 19.
[4] Synod. Araus., II, can. 7.
[5] Is., XI, 12.

sua excitat atque adiuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possint; et eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens, nisi deseratur. Quocirca minime par est conditio eorum, qui per caeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis, falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt iustam causam mutandi, aut in dubium fidem eandem revocandi. Quae cum ita sint, gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, tantam ne negligamus salutem, sed aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum, teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem.

Caput IV. - *De fide et ratione.* — Hoc quoque perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed obiecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; obiecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt. Quocirca Apostolus, qui a gentibus Deum per ea, quae facta sunt, cognitum esse testatur, disserens tamen de gratia et veritate, quae per Iesum Christum facta est,[1] pronuntiat: Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum huius saeculi cognovit. Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.[2] Et ipse Unigenitus confitetur Patri, quia abscondit haec a sapientibus, et prudentibus, et revelavit ea parvulis.[3]

Ac ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo; nunquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quae proprium ipsius obiectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, et non per speciem.[4]

Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem huius contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum com-

[1] Ioan., I, 17.
[2] 1. Cor., II, 7-10.
[3] Matth., XI, 25.
[4] 2. Cor., V, 7.

menta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse definimus.[1] Porro Ecclesia, quae una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit, fidei depositum custodiendi, ius etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam, et inanem fallaciam.[2] Quapropter omnes christiani fideles huiusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tanquam legitimas scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem praeseferant, habere tenentur omnino.

Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, eiusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat, ut hanc multis modis iuvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur imo, eas, quemadmodum a Deo, scientiarum Domino, profectae sunt, ita si rite pertractentur, ad Deum, iuvante eius gratia, perducere. Nec sane ipsa vetat, ne huiusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed iustam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae, ea, quae sunt fidei, occupent et perturbent.

Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum Christi Sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit sancta mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu, altioris intelligentiae specie et nomine, recedendum. Crescat igitur et multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia.[3]

Canones.

II. - *De revelatione.* — 4. Si quis sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit; anathema sit.

III. - *De fide.* — 6. Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catho-

[1] Conc. Lat. V, Bulla *Apostolici regiminis.*
[2] Coloss., II, 8.
[3] Vinc. Lir. Common., n. 28.

lici iustam causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiae magisterio iam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint; anathema sit.

IV. - *De fide et ratione.* — 2. Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tanquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint; anathema sit.

3. Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia; anathema sit.

Itaque supremi pastoralis Nostri officii debitum exequentes, omnes Christi fideles, maxime vero eos, qui praesunt vel docendi munere funguntur, per viscera Iesu Christi obtestamur, nec non eiusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate iubemus, ut ad hos errores a sancta Ecclesia arcendos et eliminandos, atque purissimae fidei lucem pandendam studium et operam conferant.

Quoniam vero satis non est, haereticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt; omnes officii monemus, servandi etiam Constitutiones et Decreta, quibus pravae eiusmodi opiniones, quae isthic diserte non enumerantur, ab hac Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt.

Sessio IV.

Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et charitatis vinculo continerentur. Quapropter, priusquam clarificaretur, rogavit Patrem non pro Apostolis tantum, sed et pro eis, qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt. Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit, sicut ipse missus erat a Patre: ita in Ecclesia sua Pastores et Doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum Petrum caeteris Apostolis praeponens in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cuius fortitudinem aeternum extrueretur templum, et Ecclesiae caelo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurgeret.[1] Et quoniam portae inferi ad evertendam, si fieri posset, Ecclesiam contra eius fundamentum divinitus positum maiori in dies odio undique insurgunt; Nos ad catholici gregis custodiam, incolumitatem, augmentum, necessarium esse iudicamus, sacro approbante Concilio, doctrinam de institutione, perpetuitate, ac natura sacri Apostolici primatus, in quo totius

[1] S. Leo M., serm. IV (al. III), cap. 2, in diem Natalis sui.

Ecclesiae vis ac soliditas consistit, cunctis fidelibus credendam et tenendam, secundum antiquam atque constantem universalis Ecclesiae fidem proponere, atque contrarios, dominico gregi adeo perniciosos, errores proscribere et condemnare.

Caput I. - *De Apostoliei primatus in Beato Petro institutione.* — Docemus itaque et declaramus, iuxta Evangelii testimonia primatum iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse. Unum enim Simonem, cui iam pridem dixerat: *Tu vocaberis Cephas,* [1] postquam ille suam edidit confessionem inquiens: *Tu es Christus, Filius Dei vivi,* solemnibus his verbis allocutus est Dominus: *Beatus es Simon Bar Iona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis.* [2] Atque uni Simoni Petro contulit Iesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris iurisdictionem in totum suum ovile, dicens: *Pasce agnos meos: pasce oves meas.* [3] Huic tam manifestae sacrarum Scripturarum doctrinae, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur pravae eorum sententiae, qui constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes negant, solum Petrum prae caeteris Apostolis, sive seorsum singulis sive omnibus simul, vero proprioque iurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum; aut qui affirmant, eundem primatum non immediate, directeque ipsi beato Petro, sed Ecclesiae, et per hanc illi ut ipsius Ecclesiae ministro delatum fuisse.

Si quis igitur dixerit, beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput; vel eundem honoris tantum non autem verae propriaeque iurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Iesu Christo directe et immediate accepisse; anathema sit.

Caput II. - *De perpetuitate primatus Beati Petri in Romanis Pontificibus.* — Quod autem in beato Apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Iesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id, eodem auctore, in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem saeculorum usque firma stabit, iugiter durare necesse est. Nulli sane dubium, imo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino nostro Iesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit: qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, episcopis sanctae Romanae Sedis ab ipso fundatae, eiusque consecratae sanguine, vivit et praesidet et iudicium exercet. [4]

[1] Ioan., I, 42.
[2] Matth., XVI, 16-19.
[3] Ioan., XXI, 15-17.
[4] Cf. Ephesini Concilii Act. III.

Unde quicumque in hac Cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit.[1] Hac de causa ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse semper fuit omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, ut in ea Sede, e qua venerandae communionis iura in omnes dimanant, tamquam membra in capite consociata, in unam corporis compagem coalescerent.[2]

Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu iure divino, et beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem; anathema sit.

CAPUT III. - *De vi et ratione primatus Romani Pontificis.* — Quapropter apertis innixi sacrarum litterarum testimoniis, et inhaerentes tum Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum, tum Conciliorum generalium disertis, perspicuisque decretis, innovamus oecumenici Concilii Florentini definitionem, qua credendum ab omnibus Christi fidelibus est, sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur.

Docemus proinde et declaramus, Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis iurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est, immediatam esse: erga quam cuiuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis, veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis, quam eiusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare, salva fide atque salute, nemo potest.

Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis iurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud sancti Gregorii Magni: *Meus honor est honor universalis Ecclesiae.*

[1] S. Leo M., Serm. III, (al. II), cap. 3.

[2] S. Iren., Adv. haer., l. III, c. 3, et Conc. Aquileien. a. 381, inter epp. S. Ambros., ep. XI

Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tam ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur.[1]

Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam ius eidem esse consequitur, in huius sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eandem reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel eius auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur.

Et quoniam divino Apostoliei primatus iure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praeest, docemus etiam et declaramus, cum esse iudicem supremum fidelium,[2] et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse iudicium recurri;[3] Sedis vero Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio.[4] Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere ab iudiciis Romanorum Pontificum ad oecumenicum Concilium tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare.

Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis; aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.

Caput IV. - *De Romani Pontificis infallibili magisterio.* — Ipso autem Apostolico primatu, quem Romanus Pontifex tamquam Petri principis Apostolorum successor in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendi, haec Sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiae usus comprobat, ipsaque oecumenica Concilia, ea imprimis, in quibus Oriens cum Occidente in fidei charitatisque unionem conveniebat, declaraverunt. Patres enim Concilii Constantinopolitani quarti, maiorum vestigiis inhaerentes, hanc solemnem ediderunt professionem: Prima salus est, rectae fidei regulam custodire. Et quia non potest Domini nostri Iesu Christi praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, haec, quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab huius ergo fide et doctrina separari minime cupientes, speramus ut in una communione, quam Sedes Apostolica praedicat, esse

[1] Ep. ad Eulog. Alexandrin., l. VIII, ep. XXX.

[2] Pii PP. VI, Breve *Super soliditate*, d. 28 nov. 1786.

[3] Concil. Oecum. Lugdun., II.

[4] Ep. S. Nicolai I, ad Michaelem Imperatorem.

mereamur, in qua est integra et vera Christianae raligionis soliditas.[1] Approbante vero Lugdunensi Concilio secundo, Graeci professi sunt: Sanctam Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit; et sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri. Florentinum denique Concilium definivit: Pontificem Romanum, verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem et doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.

Huic pastorali muneri ut satisfacerent, Praedecessores Nostri indefessam semper operam dederunt, ut salutaris Christi doctrina apud omnes terrae populos propagaretur, parique cura vigilarunt, ut, ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur. Quocirca totius orbis Antistites nunc singuli, nunc in Synodis congregati, longam ecclesiarum consuetudinem et antiquae regulae formam sequentes, ea praesertim pericula, quae in negotiis fidei emergebant, ad hanc Sedem Apostolicam retulerunt, ut ibi potissimum resarcirentur damna fidei, ubi fides non potest sentire defectum.[2] Romani autem Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis oecumenicis Conciliis aut explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia, nunc per Synodos particulares, nunc aliis, quae divina suppeditabat providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt, quae sacris Scripturis et apostolicis Traditionibus consentanea, Deo adiutore, cognoverant. Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent. Quorum quidem apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt; plenissime scientes, hanc sancti Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum suorum principi factam: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

Hoc igitur veritatis et fidei numquam deficientis charisma Petro eiusque in hac Cathedra successoribus divinitus collatum est, ut excelso suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus, caelestis doctrinae pabulo nutriretur, ut sublata schismatis occasione Ecclesia tota una conservaretur, atque suo fundamento innixa, firma adversus inferi portas consisteret.

At vero cum hac ipsa aetate, qua salutifera Apostolici muneris efficacia vel maxime requiritur, non pauci inveniantur, qui illius auctoritati obtre-

[1] Ex formula S. Hormisdae Papae, prout ab Hadriano II. Patribus Concilii Oecumenici VIII, Constantinopolitani IV. proposita et ab iisdem subscripta est.
[2] Cf. S. Bern., Epist. CXC.

ctant; necessarium omnino esse censemus, praerogativam, quam unigenitus Dei Filius cum summo pastorali officio coniungere dignatus est, solemniter asserere.

Itaque Nos traditioni a fidei Christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis Catholicae exaltationem et Christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse.

Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit; anathema sit.

[Acta et Decreta Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani, p. 129-140, 164-172].

II. - ROMANI PONTIFICES.[1]

11.

S. Clemens I, ep. *Propter subitas*, a. 90-99 (?)

C. 40. - Cum ergo haec nobis manifesta sint, etiam in divinae cognitionis profunda introspicientes, cuncta ordine debemus facere, quae nos Dominus iussit peragere. Statutis temporibus oblationes et officia perfici, neque temere vel inordinate fieri praecepit, sed praefinitis temporibns et horis, ubi etiam et a quibus celebrari vult, ipse excelsissima sua voluntale definivit: ut religiose omnia secundum beneplacitum facta, accepta essent voluntati eius. Qui ergo assignatis temporibus oblationes suas faciunt, accepti et beati sunt: nam qui legitima Dei sequuntur, non peccant. Summo quippe sacerdoti sua munia tributa sunt: et sacerdotibus locus proprius praestitutus est: Levitis quoque sua ministeria incumbunt: homo laicus praeceptis laicis constringitur.

[Mansi, tom. I, col. 199, 202. - Jaffé, n. 9 (1)].

[1] Fontes Codicis Iuris Canonici ex Romanis Pontificibus desumpti, qui hic non referuntur, ope Tabellarum in ultimo huius Collectionis volumine positarum reperiri poterunt, in antiquo Corpore Iuris Canonici.

12.

S. Cornelius I, ep. *Quantam sollicitudinem*, a. 252, Professio fidei schismaticorum.

... His ita gestis, in presbyterium venerunt Maximus, Urbanus, Sidonius, et Macarius, et plerique fratres, qui se eis adiunxerant, summis precibus desiderantes, ut ea quae ante fuerant gesta, in oblivionem cederent, nullaque eorum mentio haberetur, proinde atque si nihil esset vel commissum vel dictum, invicem omnibus remissis, cor mundum et purum iam Deo exhiberent, sequentes evangelicam vocem, dicentem *beatos esse puros corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Quod erat consequens, omnis hic actus populo fuerat insinuandus, ut et ipsos viderent in ecclesia constitutos, quos errantes et palabundos iamdiu viderant, et dolebant. Quorum voluntate cognita, magnus fraternitatis concursus factus est. Una vox erat omnium, gratias Deo agentium, gaudium pectoris lacrymis exprimentium, complectentium eos, quasi hodie poena carceris fuissent liberati. Et ut ipsorum propria verba designem: *Nos,* inquiunt, *Cornelium episcopum sanctissimae catholicae ecclesiae, electum a Deo omnipotente, et Christo domino nostro, scimus. Nos errorem nostrum confitemur. Nos imposturam passi sumus, circumventi sumus perfidia et loquacitate captiosa. Nam etsi videbamur quasi quamdam communicationem cum schismatico et haeretico homine habuisse, sincera tamen mens nostra semper in ecclesia fuit. Nec enim ignoramus unum Deum esse, et unum Christum esse dominum, quem confessi sumus, unum Spiritum sanctum, unum episcopum in catholica ecclesia esse debere.* Ista eorum professione non moveremur: ut quod apud potestatem saeculi erant confessi, in ecclesia constituti comprobarent? Quapropter Maximum presbyterum locum suum agnoscere iussimus: caeteros cum ingenti populi suffragio recepimus. Omnia autem remisimus Deo omnipotenti, in cuius potestate sunt omnia reservata.

[Mansi, tom. 1, col. 831. - Jaffé, n. 111 (13)].

13.

S. Stephanus I, ep. ad Cyprianum Episcop. Carthaginien., a. 254-257 (fragmentum).

... Si quis ergo a quacumque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in poenitentiam: cum ipsi haeretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum.

[Ex epistola Cypriani ad Pompeium. - Mansi, tom. 1, col. 928. - Jaffé, n. 125 (22)].

14.

S. Damasus I (in Synodo Romana IV), a. 380.

Anathematismus 22. - Si quis non dixerit, Spiritum sanctum adorandum ab omni creatura, sicut et Filium et Patrem, anathema sit.

[Mansi, tom. 3, col. 487. - Cf. ibidem, col. 483. - Jaffé, n. 235 (57)].

15.

S. Siricius, ep. *Directa ad decessorem,* 10 febr. 385.[1]

Directa ad decessorem nostrum sanctae recordationis Damasum fraternitatis tuae relatio, me iam in sede ipsius constitutum (quia sic dominus ordinavit) invenit: quam cum in conventu fratrum solicitus legeremus, tanta invenimus, quae reprehensione et correctione sunt digna, quanta optaremus laudanda cognoscere. Et quia necesse erat, nos in eius laboribus curisque succedere, cui per Dei gratiam successimus in honore, facto, ut oportebat, primitus meae provectionis indicio, ad singula (prout dominus aspirare dignatus est) consultationis tuae responsum competens non negamus: quia pro officii nostri consideratione non est nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus maior cunctis Christianae religionis zelus incumbit. Portamus onera omnium qui gravantur: quinimo haec portat in nobis beatus apostolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suae protegit et tuetur haeredes.

C. 1. - Prima itaque paginae tuae fronte signasti, baptizatos ab impiis Arianis, plurimos ad fidem catholicam festinare, et quosdam de fratribus nostris, eosdem denuo baptizare velle, quod non licet: cum hoc fieri et apostolus vetet, et canones contradicant, et post cassatum Ariminense concilium, missa ad provincias a venerandae memoriae praedecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant, quos nos cum Novatianis, aliisque haereticis, sicut est in synodo constitutum, per invocationem solam septiformis spiritus, episcopalis manus impositione, catholicorum conventui sociamus. Quod etiam totus oriens occidensque custodit: a quo tramite vos quoque posthac minime convenit deviare, si non vultis a nostro collegio synodali separari sententia.

[Mansi, tom. 3, col. 655, 656. - Jaffé, n. 255 (65)].

16.

S. Innocentius I, ep. *Etsi tibi,* 15 febr. 404.[2]

... Haec sunt quae deinceps intuitu divini iudicii omnem catholicum episcopum expedit custodire...

[1] Himerio Tarraconensi episcopo.

[2] Victricio episcopo Rothomagensi.

C. 8. - Ut venientes a Novatianis vel Montensibus, per manus tantum impositionem suscipiantur: quia quamvis ab haereticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati; praeter eos, si qui forte a nobis ad illos transeuntes rebaptizati sunt. Hi si resipiscentes et ruinam suam cogitantes redire voluerint, sub longa poenitentiae satisfactione admittendi sunt.

[Mansi, tom. 3, col. 1033, 1034. - Jaffé, n. 286 (85)].

17.

S. Innocentius I, ep. *Consulenti tibi*, 20 febr. 405.[1]

Consulenti tibi, frater carissime, quid de proposita specie unaquaque sentirem, pro captu intelligentiae meae, quae sunt visa respondi, quid sequendum vel docilis ratio persuaderet, vel auctoritas lectione ostenderet, vel custodita series temporum demonstraret... Proponam igitur singula, subiiciamque responsum...

C. 2. - Et hoc quaesitum est, quid de his observari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiae voluptatibus dediti, in extremo fine vitae suae poenitentiam simul et reconciliationem communionis exposcunt. De his observatio prior durior, posterior interveniente misericordia inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis poenitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebrae persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, negata merito communio est, concessa poenitentia, ne totum penitus negaretur: et duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed posteaquam dominus noster pacem ecclesiis suis reddidit, iam terrore depulso communionem dari abeuntibus placuit, et propter domini misericordiam quasi viaticum profecturis, et ne Novatiani haeretici negantis veniam asperitatem et duritiam sequi videamur. Tribuitur ergo cum poenitentia extrema communio, ut homines huiusmodi, vel in supremis suis poenitentes, miserante salvatore nostro, a perpetuo exitio vindicentur.

C. 7. - Qui vero libri recipiantur in canone sanctarum scripturarum, brevis adnexus ostendit. Haec sunt ergo quae desiderata moneri voce voluisti. Moysis libri 5 id est Genesis, Exodi, Levitici, Numeri, Deuteronomii: et Iesu Nave unus, Iudicum unus. Regnorum libri 4 simul et Ruth. Prophetarum libri 16. Salomonis libri 5. Psalterium. Historiarum, Iob liber unus, Tobiae unus, Esther unus, Iudith unus, Machabaeorum duo, Esdrae duo, Paralipomenon duo. Item novi Testamenti, Evangeliorum libri 4. Apostoli Pauli epistolae 14. Epistolae Ioannis 3. Epistolae Petri duae. Epistola Iudae, Epistola Iacobi, Actus apostolorum, Apocalypsis Ioannis. Cetera autem, quae, vel sub nomine Matthiae, sive Iacobi minoris, vel sub nomine Petri et Ioannis, quae a quodam Leucio scripta sunt, vel sub nomine Andreae, quae a Xenocharide et Leonida philosophis; vel sub nomine Thomae, et si qua sunt alia, non solum repudianda, verum etiam noveris esse damnanda.

[Mansi, tom. 3, col. 1038-1041. - Jaffé, n. 293 (90)].

[1] Exuperio episcopo Tholosano.

18.

S. Innocentius I, ep. *Magna me gratulatio*, 13 dec. 414.[1]

C. 5. - At vero qui a catholica fide ad haeresim transierunt, quos non aliter oportet nisi per poenitentiam suscipi, apud vos non solum poenitentiam non agunt, verum etiam honore cumulantur... Sed canones apud Nicaeam constituti, de Novatianis fieri permiserunt. Prius ille canon, a patribus institutus, ponendus est, ut possimus advertere, vel quid, vel qualiter ab eisdem sensum sit vel praeceptum. De his, inquit, qui nominant seipsos Catharos, id est, mundos et aliquando veniunt ad catholicam ecclesiam, placuit sanctae et magnae synodo, ut accepta manus impositione, sic maneant in clero. Possum vero dicere, de solis hoc Novatianis esse praeceptum, nec ad aliarum haeresum clericos pertinere. Nam si utique de omnibus ita definirent, addidissent, a Novatianis, aliisque haereticis revertentes, debere in suum ordinem recipi. Quod ita esse, etiam illud maxime, quod de Paulianistis dictum est, poterit confirmare, a quibus venientes, etiam baptizari praecipiunt. Numquidnam, cum de Paulianistis iubent, omnes qui ab haereticis revertuntur, erunt hoc exemplo baptizandi? Quod cum nullus audeat facere, de ipsis tantum esse praeceptum, ratio ipsa demonstrat. Denique: baptizatos rite ab evangelista Philippo, Petrus et Ioannes sola manus impositione consummant. Illos vero, quos apostolus Paulus Ioannis baptismate baptizatos reperit, interrogavitque an Spiritum sanctum accepissent, fatentibus se, ne illud quidem nomen audisse, iussit eos baptizari. Videtis ergo, rite baptizatos, illo dono iterari non posse; et aliter, sola aqua lotos, baptizari in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, necessarium pervideri. Ita et de Novatianis tantum iussum esse, lucida manifestatione perlegitur. Quod idcirco distinctum esse ipsis duabus haeresibus, ratio manifesta declarat: quia Paulianistae, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti minime baptizabant, et Novatiani iisdem tremendis venerandisque nominibus baptizant: nec apud istos de unitate potestatis divinae, hoc est, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, quaestio aliquando mota est; et ideo omnibus segregatis, haec sola electa est, cui istud crederent concedendum, quia nihil in Patris, et Filii, et Spiritus sancti sacramento peccarent.

[Mansi, tom. 3, col. 1061. - Jaffé, n. 303 (100)].

19.

S. Innocentius I, ep. *Si instituta ecclesiastica*, 19 mart. 416.[2]

C. 8. - Sane quoniam de hoc, sicut de ceteris, consulere voluit dilectio tua, adiecit etiam filius meus Caelestinus diaconus in epistola sua, esse a tua dilectione positum illud, quod in beati apostoli Iacobi epistola con-

[1] Ad episcopos Macedoniae.

[2] Decentio episcopo Eugubino.

scriptum est: *Si infirmus aliquis in vobis est, vocet presbyteros, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine domini, et oratio fidei salvabit laborantem, et suscitabit illum dominus: et si peccata fecit, remittet ei.* Quod non est dubium, de fidelibus aegrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt: quo ab episcopo confecto, non solum sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua aut suorum necessitate inungendo. Ceterum illud superfluum videmus adiectum, ut de episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco de presbyteris dictum est, quia episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Ceterum, si episcopus aut potest, aut dignum ducit, aliquem a se visitandum, et benedicere et tangere chrismate sine cunctatione potest, cuius est ipsum chrisma conficere. Nam poenitentibus istud infundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?

[Mansi, tom. 3, col. 1030, 1031. - Jaffé, n. 311 (108)].

20.

S. Innocentius I, ep. *In requirendis Dei rebus*, 27 ian. 417.[1]

In requirendis Dei rebus quas omni cum solicitudine decet a sacerdotibus, maxime a vero iustoque et catholico tractari concilio, antiquae traditionis exempla servantes, et ecclesiasticae memores disciplinae, vestrae religionis vigorem non minus nunc in consulendo, quam antea cum pronunciaretis, vera ratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbatis esse iudicium, scientes quid apostolicae sedi (cum omnes, hoc loco positi, ipsum sequi desideremus apostolum) debeatur, a quo ipse episcopatus et tota auctoritas nominis huius emersit. Quem sequentes, tam mala iam damnare novimus, quam probare laudanda: vel id vero, quod patrum instituta sacerdotali officio custodientes, non censetis esse calcanda: quod illi non humana, sed divina decrevere sententia: ut quidquid, quamvis de disiunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad huius sedis notitiam perveniret, ut tota huius auctoritate (iusta quae fuerit) pronunciatio firmaretur: indeque sumerent ceterae ecclesiae (velut de natali suo fonte aquae cunctae procederent, et per diversas totius mundi regiones puri capitis incorruptae manarent) quid praecipere, quos abluere, quos veluti in coeno inemundabili sordidatos, mundis digna corporibus unda vitaret.

[Mansi, tom. 3, col. 1071, 1072. - Jaffé, n. 321 (116)].

21.

S. Zosimus, ep. *Quamvis Patrum traditio*, 21 mart. 418.[2]

Quamvis Patrum traditio apostolicae sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de eius iudicio disceptare nullus auderet, idque per canones semper regulasque servaverit; et currens adhuc suis legibus ecclesiastica disciplina Petri

[1] Episcopis Africanis in Concilio Carthaginen.

[2] Aurelio ac ceteris qui in Concilio Carthaginensi adfuerunt.

nomine, a quo ipsa quoque descendit, reverentiam quam debet, exsolvat: tantam enim huic apostolo canonica antiquitas per sententias omnium voluit esse potentiam, ex ipsa quoque Christi Dei nostri promissione, ut et ligata solveret, et soluta vinciret; par potestatis data conditio in eos qui sedis haereditatem, ipso annuente, meruissent. Habet enim ipse cum omnium ecclesiarum, tum huius maxime, ubi sederat, curam; nec patitur aliquid privilegii aliqua titubare aura sententiae, cui ipsa sui nominis firma, et nullis hebetata motibus constituit fundamenta, et quae sine periculo temere nullus incesset. Cum ergo tantae auctoritatis Petrus caput sit, et sequentia omnium maiorum studia firmaverit, ut tam humanis quam divinis legibus et disciplinis omnibus firmetur Romana ecclesia, cuius locum nos regere, et potestatem nominis obtinere non latet vos, sed nostis, fratres carissimi, et quemadmodum sacerdotes, scire debetis: tamen cum tantum nobis esset auctoritatis, ut nullus de nostra possit retractare sententia: nihil egimus, quod non ad vestram notitiam nostris ultro literis referremus; dantes haec fraternitati, ut in commune consulentes, non quia quid deberet fieri nesciremus, aut faceremus aliquid quod contra utilitatem ecclesiae veniens displiceret, sed pariter vobiscum voluimus habere tractatum de illo qui apud vos (sicut ipsi per literas dicitis) fuerat accusatus, et ad nostram, qui se assereret innocentem, non refugiens iudicium ex appellatione pristina venerit sedem, accusatores suos ultro deposcens, et quae in se crimina per rumorem falso dicebat illata condemnans: omnem eius petitionem prioribus literis, quas vobis misimus putavimus ac novimus explicatam, satisque illis scriptis, quae ad illa rescripseratis, credimus esse responsum.

[Mansi, tom. 4, col. 366, 367. - Jaffé, n. 342 (134)].

22.

S. Bonifacius I, ep. *Retro maioribus tuis*, 11 mart. 422.[1]

... Nullum etenim locum vides a nobis otiosum relictum. Ad Thessalos comminationis et correptionis plenas literas misimus. Ad synodum quae dicitur illicite congreganda de causa fratris nostri et coepiscopi Perigensis, cuius scripsimus statum nulla posse penitus ratione turbari, talia scripta direximus, quibus universi fratres intelligant primo convenire se citra tuam conscientiam minime debuisse; deinde, de nostro non esse iudicio retractandum. Nunquam etenim licuit de eo rursus quod semel statutum est ab apostolica sede, tractari.

[Mansi, tom. 8, col. 754, 755. - Jaffé, n. 363 (146)].

[1] Rufo episc. Thessaliae.

23.

Pelagius II, ep. *Dilectionis vestrae*, c. a. 585.[1]

... Quam igitur ante dominum poteritis habere fiduciam, quando nullum scandalum generari vobis de fidei nostrae integritate cernentes, tantis temporibus per superfluas quaestiones ab ecclesia Dei, quae una est, et a fraterna caritate vos dividi duratis. Ubi namque sit ecclesia constituta, licet ipsius domini voce in sancto evangelio sit apertum, quid tamen beatus Augustinus eiusdem dominicae memor sententiae definierit, audiamus. In his namque, ait, esse Dei ecclesiam constitutam, qui sedibus apostolicis per successionem praesulum praesidere noscuntur. Et quicumque ab earumdem sedium se communione vel auctoritate suspenderit, esse in schismate demonstratur. Et post alia. Positus foris, etiamsi pro Christi nomine mortuus fueris, inter membra Christi non numeraberis. Patere pro Christo, haerens corpori, pugna pro capite. Sed et beatus Cyprianus egregius martyr in libro quem de unitatis nomine titulavit, inter alia sic dicit: Exordium ab unitate proficiscitur: et primatus Petro datur, ut una Christi ecclesia et cathedra monstretur: et pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab apostolis unanimi consensione pascatur. Et post pauca: Hanc ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui cathedram Petri, super quam ecclesia fundata est, deserit, et resistit, in ecclesia se esse confidit? Item post alia: Ad pacis praemium pervenire non possunt, quia pacem domini discordiae furore ruperunt.

Item ex eodem libro sic ait: Ad sacrificium cum dissensione venientes revocat ab altari, et iubet prius concordare cum fratre, tunc cum pace redeuntes domino munus offerre: quia nec ad Cain munera respexit Deus: neque enim habere dominum pacatum poterat, qui cum fratre pacem per zeli discordiam non habebat. Quam sibi igitur pacem promittunt inimici fratrum? Quae sacrificia celebrare se credunt aemuli sacerdotum? Secum esse Christum cum collecti fuerint opinantur, hi qui extra ecclesiam colliguntur? Tales etiam si occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur. Inexpiabilis et gravis culpa discordiae nec passione purgatur. Esse martyr non potest, qui in ecclesia non est: ad regnum pervenire non poterit, qui eam quae regnatura est dereliquit. Et post alia: Cum Deo manere non possunt, qui esse in ecclesia Dei unanimiter noluerunt: ardeant licet flammis et ignibus traditi, vel obiectis bestiis animas suas ponant: non erit illa fidei corona, sed poena perfidiae: nec religiosae virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus: occidi talis potest, coronari non potest.

Item eiusdem: An esse sibi cum Christo videtur, qui adversus sacerdotes Christi facit? qui se a cleri eius et plebis societate secernit? Arma ille contra Deum portat, contra Dei dispositionem repugnat: hostis altaris

[1] Eliae vel aliis episcopis Istriae.

adversus sacrificium Christi rebellis, pro fide perfidus, pro religione sacrilegus, inobsequens servus, filius impius, frater inimicus, contemptis episcopis et Dei sacerdotibus derelictis, constituere audet aliud altare. Item cuius supra: Peius schismatis crimen est, quam quod hi qui sacrificaverunt: qui tamen in poenitentia criminis constituti dominum plebis satisfactionibus deprecantur. Hic ecclesia quaeritur et rogatur, illic ecclesiae repugnatur. Hic potest necessitas fuisse, illic voluntas tenetur in scelere. Hic qui lapsus est, sibi tantum nocuit, illic qui haeresim vel schisma facere conatur, multos secum trahendo decepit. Hic animae unius est damnum, illic periculum plurimorum. Certe se peccasse hic intelligit et plangit, ille tumens in peccato suo, et ipsis sibi delictis placens, a matre filios segregat, oves a pastore solicitat, Dei sacramenta disturbat, et cum lapsus semel peccaverit, ille quotidie peccat. Postremo lapsus martyrium postmodum consecutus potest regni promissa percipere: ille si extra ecclesiam fuerit occisus, ad ecclesiae non potest praemia pervenire.

[Mansi, tom. 9, col. 897-899. - Jaffé, n. 1055 (687)].

24.

Hadrianus I, ep. *Institutio universalis*, a. 785.[1]

... Porro, dilectissimi, diversa capitula quae ex illis audivimus partibus, id est, quod multi dicentes se catholicos esse, communem vitam gerentes cum Iudaeis et non baptizatis paganis, tam in escis quamque in potu et in diversis erroribus nihil pollui se inquiunt: et illud quod inhibitum est, ut nulli liceat iugum ducere cum infidelibus, ipsi enim filias suas cum alio benedicent, et sic populo gentili tradentur, et quod sine examinatione praefati presbyteri ut praesint, ordinantur, et alius quoque immanis invaluit error perniciosus, ut etiam, vivente viro, mulieres sibi in connubio sortiantur ipsi pseudo-sacerdotes, simulque et de libertate arbitrii, et alia multa, sicut de illis audivimus partibus, quae longum est dici.

[Migne, *P. L.*, tom. XCVIII, col. 385. - Cf. etiam Mansi, tom. 12, col. 813. - Jaffé, n. 2479 (1880)].

25.

Nicolaus I, ep. *Proposueramus quidem*, a. 865.[2]

... Quoniam cum secundum canones, ubi est maior auctoritas, iudicium inferiorum sit deferendum, ad dissolvendum scilicet, vel ad roborandum: patet profecto sedis apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus. Iuxta quod et Bonifacius, atque

[1] Episcopis Hispaniae.

[2] Michaeli Imperatori.

Gelasius sanctissimi praesules, non suis adinventionibus, sed Ecclesiae Romanae consuetudinem non ignorantes dicunt: Bonifacius quidem Rufo, et ceteris episcopis per Thessaliam, et alias provincias constitutis scribens: Nemo, ait, unquam apostolico culmini, de cuius iudicio non licet retractare, manus obvias audacter intulit. Nemo in hoc rebellis extitit, nisi qui de se voluit iudicari. Gelasius autem in commonitorio Fausto magistro fungenti legatione Constantinopolim dato: Nobis, inquit, opponunt canones dum nesciunt quid loquantur; contra quos hoc ipso venire se produnt, quod primae sedi sana, rectaque suadenti parere fugiunt. Ipsi sunt canones, qui appellationes totius ecclesiae ad huius sedis examen voluere deferri. Ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota ecclesia iudicare, ipsam ad nullius commeare iudicium. Nec de eius unquam praeceperunt iudicio iudicare, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cuius potius sequenda decreta mandarunt. Ergo de iudicio Romani praesulis non retractando, quia nec mos exigit, quod diximus comprobato: non negamus eiusdem sedis sententiam posse in melius commutari; cum aut sibi subreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione aetatum vel temporum seu gravium necessitatum dispensatorie quiddam ordinare decreverit. Quoniam et egregium apostolum Paulum quaedam fecisse dispensatorie legimus, quae postea reprobasse dignoscitur. Quando tamen illa Romana videlicet ecclesia discretissima consideratione fieri delegerit, non quando ipsa quae pene sunt diffinita retractare voluerit.

[Mansi, tom. 15, col. 209, 210. - Jaffé, n. 2796 (2111)].

26.

S. Leo IX, ep. *Quia Auctore Deo*, a. 1051.

Quia Auctore Deo sic nobis unius Ecclesiae cura specialiter est commissa, ut per dignitatem Apostolicae Sedis etiam caeterarum Ecclesiarum generalis sit provisio delegata, nostro competere videtur officio, non solum quae hactenus adversus easdem Ecclesias temerariis ausibus sunt usurpata, corrigere, sed etiam, ne rursus eadem praesumantur, in posterum providere.

§ 1. Perversam autem, et prorsus execrabilem quarundam plebium consuetudinem fama vulgante cognovimus, ut videlicet suo defuncto Episcopo, domum Episcopi hostiliter irrumpentes invadant, facultates eius praedonum more diripiant, praediorum domos incendant, vites insuper, et arbusta bestiali immaniores feritate succidant.

§ 2. Quod nimirum, nisi Ecclesiastici vigoris fuerit censura correctum, haud dubium quin regionibus illis repentini furoris immineat gladius. Si enim honorare parentes primum dicitur in repromissione mandatum, si maledicens patri vel matri, mulctari morte praecipitur; cuius animadversionis sententia digni sunt, qui non carnales genitores persequi gestiunt, sed ipsam matrem suam Ecclesiam, in qua ex aqua, et Spiritu sancto regenerati sunt, ut viperinum genus dissipare contendunt? Etsi enim Sacerdos quilibet ex debito humanae conditionis obiit, sed Christus, qui animarum nostrarum

Episcopus est, ex virtute divinitatis in aeternum vivit. Sicut enim Paulus dicit: Plures facti sunt Sacerdotes secundum legem, eo quod morte prohiberentur permanere. Iesus autem, eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet Sacerdotium. Deum ergo inhonorare convincitur, qui mortali Episcopo vivente, terrena pressus formidine ab Ecclesiae se laesione cohibuit; defuncto autem eo, ad iniuriam Christi qui immortalis Ecclesiae sponsus est, fel odii, et virus malitiae, quod eatenus occultabat, effundit. Et fortasse Episcopus in vita sua aliquem laesit; sed Christus, qui Ecclesiae custos relictus est, quid peccavit? Si ergo illi, qui nocuit, malum pro malo non redditur; cur aeterno Pontifici qui nobis bona pro malis reddidit, reverentia non habetur? Verumtamen si Ecclesiae praedo, Dei filium immortalem procul dubio Pontificem videret, si eum ubique praesentem omnia nosse, ac posse consideraret, coram eius oculis admittere tam impium tam sacrilegum facinus non auderet. Sed vere in illo completur, quod per Psalmistam dicitur: Dixit insipiens in corde suo: non est Deus. Porro si illi qui bona sua Ecclesiae conferunt, proprii reatus absolutionem felici commercio promerentur: subsequenter autem illi, qui Ecclesiasticas facultates barbarica feritate deripiunt, in aeternae damnationis voraginem cadunt: qui nimirum novo, et incomparabili criminis genere sic iudaicam perfidiam superant, ut non modo gentilium errorem, sed et haereticorum pravitatem detestabiliores excedant; a quibus videlicet Christus iterum crucifigitur, et Corpus eius, quod est Ecclesia, crudeliter laceratur.

§ 3. Deprimatur ergo ausus illicitus, et nefarius diabolicae instigationis cohibeatur excessus, abstineat manus audax ab Ecclesiastico Patrimonio, ne victus pauperum pereat, ne quod ex oblatione fidelium iam Deo factum est Sacrificium, praeda raptorum fiat.

§ 4. Quisquis autem huius nostri decreti improbus temerator extiterit, ex parte Dei omnipotentis et auctoritate beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, anathematizandum esse decernimus, et ut revera putridum membrum excommunicationis ferro a sanctae Ecclesiae corpore detruncamus. Sit igitur, nisi resipiscat, anathema, maranatha, omnesque maledictiones Hebal super caput suum descendisse cognoscat.

§ 5. Observatoribus autem gloriam et honorem et incorruptionem, quaerentibus vitam aeternam. Amen.

[Bull. Rom., tom. 1, p. 378. - Jaffé, n. 4210 (3274)].

27.

S. Leo IX, ep. *In terra pax hominibus*, 2 sept. 1053.[1]

C. 11. - Sic iuxta Sapientem, lapis missus non pergit ad coelum, et maledictum frustra prolatum, revertitur in authorem suum: Sic, iuxta vulgi proverbium, qui supra caput suum spuere conatur, quantocius in faciem illius sputum relabitur. Sic nobis maledictum pro maledicto non reddentibus,

[1] Michaëli Constantinopolitano et Leoni Acridano, episcopis.

sed cum Psalmista adversum nos peccatore consistente, custodiam ori nostro iam diu ponentibus, per tumorem vestrum incurristis, quod dolemus: quia praeiudicium faciendo summae sedi, de qua nec iudicium licet facere cuiquam hominum, anathema accepistis ab universis patribus omnium venerabilium conciliorum.

C. 32. - Nam Romanae ecclesiae fides per Petrum super petram aedificata, nec hactenus deficit, nec deficiet in saecula, Christo eius domino rogante pro ea, ceu testatur sub ipsa passione sua: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quo dicto demonstravit fidem fratrum vario defectu periclitandam, sed inconcussa et indeficiente fide Petri, velut firmae anchorae subsidio figendam, et in fundamento universalis ecclesiae confirmandam. Quod nemo negat, nisi qui evidenter haec ipsa verba veritatis impugnat: quia sicut cardine totum regitur ostium, ita Petro et successoribus eius totius ecclesiae disponitur emolumentum. Et sicut cardo immobilis permanens ducit et reducit ostium, sic Petrus et sui successores liberum de omni ecclesia habent iudicium, cum nemo debeat eorum dimovere statum: quia summa sedes a nemine iudicatur. Unde clerici eius cardinales dicuntur; cardini utique illi, quo cetera moventur, vicinius adhaerentes.

[Mansi, tom. 19, col. 641, 653. - Jaffé, n. 4302 (3286)].

28.

S. Leo IX, ep. *Cum ex venerabilium*, 17 dec. 1053.[1]

§ 1. Cum ex venerabilium Canonum auctoritate recolimus, CCV Episcopos Concilio interfuisse Carthaginensi, et nunc a tua fraternitate audimus quinque vix Episcopos superesse in tota Africa, utique tertia huius corruptibilis mundi parte; compatimur tantae vestrae imminutioni totis visceribus animi. Cum autem ipsas Christianitatis reliquias ediscimus interna et mutua dissensione discindi et dispergi, et adversus se invicem zelo et contentione Principatus inflari, nil aliud nobis primo dicendum occurrit, quam illud S. Amos Vatis: Parce Domine, parce obsecro; quis suscitabit Iacob, quia parvulus est?

§ 2. Sed quamvis in tali tantoque defectu religionis plurimum doleamus, multum tamen gaudemus, quia sanctae Romanae Ecclesiae Matris vestrae sententiam requiritis, et exspectatis super quaestionibus vestris, et quasi rivulis ab uno fonte erumpentibus, et in suo se cursu per diversa spargentibus, ad ipsius fontis primam scaturiginem reverti debere optimum putatis, ut inde resumatis directionis vestigium, unde sumpsistis totius Christianae Religionis exordium.

§ 3. Noveris ergo procul dubio, quia post Romanum Pontificem primus Archiepiscopus, et totius Africae maximus Metropolitanus est Carthaginensis Episcopus; nec quicumque sit ille Gummitanus Episcopus, aliquam licentiam consecrandi Episcopos vel deponendi, seu Provinciale Concilium convocandi

[1] Thomae Confratri carissimo, et Coepiscopo.

habet sine consensu Carthaginen. Archiepiscopi, cuiuslibet dignitatis aut potestatis sit: exceptis his, qui ad propriam Parochiam pertinent, caetera autem, sicut et alii Africani Episcopi, consilio Carthaginensis Archiepiscopi aget. Unde carissimi Confratres nostri et Coepiscopi Petrus et Ioannes recte sentiunt de Carthaginensis Ecclesiae dignitate, nec consentiunt errori Gummitani Ecclesiae.

§ 4. Hoc autem nolo vos lateat, non debere praeter sententiam Romani Pontificis universale Concilium celebrari, aut Episcopos damnari, vel deponi; etsi quia licet vobis aliquos examinare, definitivam tamen sententiam absque consultu Romani Pontificis, ut dictum est, non licet dare, quod in sanctis Canonibus statutum si quaeritis, potestis invenire. Quamvis enim omnibus generaliter Apostolis dictum sit a Domino: Quaecumque ligaveritis in terra, ligata erunt et in Caelo; et quaecumque solveritis in terra, soluta erunt et in Caelo: tamen non sine causa specialiter et nominatim dictum est Beato Apostolorum Principi: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo Claves Regni Caelorum. Et in alio loco: Confirma fratres tuos; scilicet quia omnium Ecclesiarum maiores, et difficiliores causae per sanctam et principalem B. Petri Sedem a successoribus eius sunt definiendae. Iam vero quia ad interrogata etiam Confratrum nostrorum Petri et Ioannis Episcoporum decrevimus respondere, optamus, ut sanctam tuam fraternitatem iugiter invigilantem utilitatibus sanctae Catholicae Ecclesiae, atque devote pro nobis orantem, sancta et individua Trinitas semper conservet, carissime Frater.

[Bull. Rom., tom. 1, p. 385, 386. - Jaffé, n. 4304 (3267)].

29.

Innocentius II, ep. *Testante Apostolo*, 16 iul. 1141.[1]

Capitul. 12, Petri Abaelard. damn. - Quod potestas ligandi, atque solvendi Apostolis tantum data sit, non successoribus.

... Nos itaque qui in cathedra S. Petri, cui a Domino dictum est, *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, licet indigni, residere conspicimur, communicato fratrum nostrorum episcoporum cardinalium consilio, destinata nobis a vestra discretione capitula, et universa ipsius Petri dogmata, sanctorum canonum auctoritate, cum suo auctore damnavimus, eique tamquam haeretico perpetuum silentium imposuimus. Universos quoque erroris sui sectatores et defensores, a fidelium consortio sequestrandos, et excommunicationis vinculo innodandos esse censemus.

[Mansi, tom. 21, col. 565, 569. - Jaffé, n. 8148 (5767)].

[1] Henrico Senonensi, Reinaldo Remensi, archiepiscopis, eorumque suffraganeis et Bernardo Claravallensi abbati.

30.

Innocentius III, ep. *Eius exemplo*, 18 dec. 1208.

Professio fidei Waldensibus praescr. – ... Corde credimus et ore confitemur unam Ecclesiam, non haereticorum, sed sanctam Romanam catholicam et apostolicam, extra quam neminem salvari credimus. Sacramenta quoque quae in ea celebrantur inaestimabili atque invisibili virtute Spiritus sancti cooperante, licet a peccatore sacerdote ministrentur, dum Ecclesia eum recipit, in nullo reprobamus, nec ecclesiasticis officiis vel benedictionibus ab eo celebratis detrahimus, sed benevolo animo tanquam a iustissimo amplectimur; quia non nocet malitia episcopi vel presbyteri neque ad baptismum infantis, neque ad eucharistiam consecrandam, nec ad caetera ecclesiastica officia subditis celebrata. Approbamus ergo baptismum infantium; qui si defuncti fuerint post baptismum antequam peccata committant, fatemur eos salvari et credimus; et in baptismate omnia peccata, tam illud originale peccatum contractum, quam illa quae voluntarie commissa sunt, dimitti credimus. Confirmationem ab episcopo factam, id est impositionem manuum, sanctam et venerande accipiendam esse censemus. Sacrificium, id est panem et vinum, post consecrationem esse verum corpus et verum sanguinem Domini nostri Iesu Christi firmiter et indubitanter corde puro credimus et simpliciter verbis fidelibus affirmamus; in quo nihil a bono maius, nec a malo minus perfici credimus sacerdote; quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris et in virtute Spiritus sancti. Unde firmiter credimus et confitemur quod quantumcunque quilibet honestus religiosus sanctus et prudens sit, non potest nec debet eucharistiam consecrare nec altaris sacrificium conficere nisi sit presbyter a visibili et tangibili episcopo regulariter ordinatus. Ad quod officium tria sunt, ut credimus, necessaria, scilicet certa persona, idem presbyter ab episcopo, ut praediximus, ad illud proprie officium constitutus, et illa solemnia verba quae a sanctis Patribus in canone sunt expressa, et fidelis intentio proferentis. Ideoque firmiter credimus et fatemur quod quicunque sine praecedenti ordinatione episcopali, ut praediximus, credit et contendit se posse sacrificium eucharistiae facere, haereticus est et perditionis Chore et suorum complicum est particeps atque consors et ab omni sancta Romana Ecclesia segregandus. Peccatoribus vere poenitentibus veniam concedi a Deo credimus, et eis libentissime communicamus. Unctionem infirmorum cum oleo consecrato veneramur. Coniugia carnalia esse contrahenda secundum Apostolum non negamus, ordinarie vero contracta disiungere omnino prohibemus. Hominem quoque cum sua coniuge salvari credimus et fatemur; nec etiam secunda et ulteriora matrimonia condemnamus. Carnium perceptionem minime culpamus. Non condemnamus iuramentum, imo credimus puro corde quod cum veritate et iudicio et iustitia licitum sit iurare. De potestate saeculari asserimus quod sine peccato mortali potest iudicium sanguinis exercere, dummodo ad inferendam vindictam, non odio, sed iudicio, non incaute sed consulte procedat.

Praedicationem necessariam valde et laudabilem esse credimus; tamen ex auctoritate vel licentia summi pontificis vel praelatorum permissione illam credimus exercendam. In omnibus vero locis ubi manifesti haeretici manent, et Deum et fidem sanctae Romanae Ecclesiae abdicant et blasphemant, credimus quod disputando et exhortando modis omnihus secundum Deum debeamus illos confundere et eis verbo Dominico, veluti Christi et Ecclesiae adversariis, fronte usque ad mortem libera contraire. Ordines vero ecclesiasticos et omne quod in sancta Romana Ecclesia sancitum legitur aut canitur humiliter collaudamus et fideliter veneramur. Diabolum, non per conditionem, sed per arbitrium, malum esse factum credimus. Corde credimus et ore confitemur huius carnis quam gestamus et non alterius resurrectionem. Iudicium quoque per Iesum Christum esse futurum, et singulos pro iis quae in hac carne gesserunt recepturos vel poenas vel praemia firmiter credimus et affirmamus. Eleemosynas, sacrificium, caeteraque beneficia fidelibus posse prodesse defunctis credimus. Remanentes in saeculo et sua possidentes eleemosynas et caetera ex rebus suis agentes, praecepta Domini servantes salvari fatemur et credimus. Decimas, primitias et oblationes ex praecepto Domini credimus clericis persolvendas.

[Migne, *P. L.*, tom. CCXV, col. 1511, 1512. - Potthast, n. 3571].

31.

Honorius III, const. *Has leges*, a. 1220.

Has Leges a Friderico Romanorum Imperatore filio nostro charissimo pro utilitate omnium Christianorum editas, laudamus, et approbamus tamquam in aeternum valituras.

§ 1. Et si quis ausu temerario, inimico humani generis suadente, quocumque modo has infringere tentaverit, indignationem Dei Omnipotentis, et Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum se noverit incursurum, etc.

Sequitur tenor dictarum Legum Friderici II.

Fridericus Dei gratia ...

§ 3. ... Item statuimus ut nullus Ecclesiasticam personam in criminali quaestione vel civili, trahere ad iudicium saeculare praesumat, contra constitutiones imperiales, et canonicas sanctiones. Quod si fecerit actor a iure suo cadat, et iudicatum non teneat, et Iudex sit ex tunc iudicandi potestate privatus. Statuimus etiam ut si quis Clericis, vel personis Ecclesiasticis iustitiam denegare praesumpserit, tertio requisitus, suam iurisdictionem amittat.

[Bull. Rom., tom. 3, I, p. 217, 218].

32.

Honorius III, ep. *Sedis Apostolicae*, 23 apr. 1221.

Sedis Apostolicae circumspectio, quae circa omnes Ecclesias suae providentiae consuevit adhibere cautelam, illarum indemnitatibus propensiori debet studio praecavere, quae ipsi tamquam membra capiti cohaerentes, specialis sibi necessitudinis vinculo sunt astrictae.

Inde est, quod cum Lateranensis Ecclesia speciale membrum, et Romani Pontificis propria Sedes exsistat; statuimus, et sancimus, ut sicuti contra Romanam Ecclesiam, non, nisi centenaria, currit praescriptio, secundum Constitutiones Canonicas, et legitimas sanctiones, ita quoque ipsi Ecclesiae minoris temporis praescriptio non obsistat. Nulli ergo omnino, etc. Si quis autem etc.

[Bull. Rom., tom. 3, I, p. 221. - Potthast, n. 6627].

33.

Gregorius IX, ep. *Cum, sicut ex*, 8 iul. 1241.[1]

Cum, sicut ex tua relatione didicimus, nonnunquam propter aquae penuriam infantes terrae tuae contingat in cervisia baptizari, tibi tenore praesentium respondemus, quod cum secundum doctrinam Evangelicam oporteat ex aqua et Spiritu sancto renasci, non debent reputari rite baptizati, qui in cervisia baptizantur.

[Baronius, Annales Eccles., tom. 21, p. 241, n. 42. - Potthast, n. 11048].

34.

Innocentius IV, ep. *Sub catholicae*, 6 mart. 1254.[2]

Sub catholicae professione Fidei atque cultu, consistere, ac proficere universos, caeteris nostrae mentis desiderabilibus praeferentes, illud tamquam acceptabilius pleniori desiderio cupimus, et ad hoc velut operativum salutis praecipuum, intimis affectibus anxius aspiramus. Haec inquam unio, sive connexio cordi nostro inaestimabilis gaudii rorem infunderet, si varias gentium nationes, eiusdem observantia fidei in unum acceptabilem Christo populum adunaret. Id utique anxiae nostrae mentis ardorem affluentis laetitiae refrigeraret irriguo, si omnes, quos olim in unum Catholicum gregem ovile collegit Dominus, cum multi ab eo discesserint, in idem individuum Collegium unius Pastoris solidaret magisterium, et custodia communiret. O si Orientalibus Oriens ex alto luceret, et sui luminis illustratione, ipsos ad Catholicam reduceret unitatem, ut cum reliquis orthodoxis in unius aulae collecti gremio, de matris Ecclesiae ubere fluenta doctrinae salutaris haurirent. Tunc ipsi Ecclesiae proveniret magnum, et desiderabile salutare, tunc eius uterus sobole geminata concresceret, tunc Orientalibus oriretur supernae illuminationis Aurora, tunc eis claresceret Lucifer veritatis, tunc per universam Ecclesiam inundantis gaudii erumperet plenitudo, tunc exsultatione nimia claresceret totus orbis, quia valde bonum, et iucundum existeret, fratres simul in domo Domini habitare: tunc eadem Ecclesia, multiplicata laetitia, novae iucunditatis canticum personaret. Verum quia nonnulli Graecorum iamdudum ad devotionem Sedis Apostolicae redeuntes, ei reverenter obediunt, et intendunt, licet et expedit, ut mores, ac ritus eorum, quantum cum Deo pos-

[1] Archiepiscopo Nidrosiensi.

[2] Episcopo Tusculano Apost. Sedis Legato.

sumus, tolerantes, ipsos in Ecclesiae Romanae obedientia praeservemus. Quamquam in his, quae animarum periculum parerent, vel honestati Ecclesiasticae derogarent, nec debeamus illis deferre aliquatenus, nec velimus.

§ 1. Sane inter Venerabilem Fratrem nostrum Archiepiscopum Nicosien., et eius Suffraganeos Latinos ex parte una, et Episcopos Graecos Regni Cypri ex altera, de quibusdam certis articulis, discordiam, et turbationem fore subortam, et eorumdem tenorem articulorum, ac responsiones ipsorum Graecorum ad illos, nobis, ut melius possemus instrui super eis, plene, ac provide per tuas literas intimasti, sollicite requirendo, ut providere super hoc Apostolica diligentia curaremus.

§ 2. Nos autem literis ipsis affectuose receptis, earum seriem, et ipsos articulos, ac responsiones easdem, et caetera, quae continebantur in illis, una cum Fratribus nostris perlegimus, et intelleximus diligenter, prudentiam tuam multipliciter in Domino commendantes, et meditantes, ac deliberantes super his, prout rei qualitas exigebat.

§ 3. Circa haec itaque sic deliberatio nostra resedit, ut:

1. Graeci eiusdem Regni in unctionibus, quae circa baptisma fiunt, morem Ecclesiae Romanae teneant, et observent.

2. Ritus vero seu consuetudo quam habere dicuntur ungendi per totum, Baptizandorum corpora, si tolli sine scandalo, vel removeri non potest, cum, sive fiat, sive non, quantum ad baptismi efficaciam vel effectum, non multum referat, toleretur.

3. Nec refert etiam utrum in frigida, vel calida aqua baptizent, cum parem vim, et effectum in utraque Baptismum habere, asseverare dicantur.

4. Soli autem Episcopi consignent Chrismate in frontibus Baptizatos, quia huius unctio non debet, nisi per Episcopos exhiberi. Quoniam soli Apostoli, quorum vices gerunt Episcopi, per manus impositionem, quam confirmatio, vel frontis Chrismatio repraesentat, Spiritum Sanctum tribuisse leguntur.

5. Singuli quoque Episcopi in suis Ecclesiis, in die Coenae Domini, possunt, secundum formam Ecclesiae, Chrisma conficere, ex balsamo quidem, et oleo olivarum. Nam Spiritus Sancti donum in Chrismatis unctione confertur. Et Columba utique, quae ipsum designat Spiritum, olivae ramum ad arcam legitur retulisse. Sed si suum antiquum Ritum in hoc Graeci potius servare voluerint, videlicet, quod Patriarcha una cum Archiepiscopis, et Episcopis eius suffraganeis, et Archiepiscopi cum suffraganeis suis, simul Chrisma conficiant, in tali eorum consuetudine tolerentur.

6. Nullus autem per Sacerdotes, vel Confessores pro satisfactione poenitentiae, unctione aliqua solummodo inungatur. Infirmis vero iuxta verbum Iacobi Apostoli, unctio exhibeatur extrema.

9. Sed Eucharistiam in die Coenae Domini consecratam, usque ad annum, praetextu infirmorum, ut de illa videlicet ipsos communicent, non reservent. Liceat tamen eis, pro infirmis ipsis, Corpus Christi conficere, ac per quindecim dies, et non longiori temporis spatio, conservare; ne per diutinam ipsius reservationem, alteratis forsitan speciebus, reddatur minus habile ad sumendum: licet veritas, et efficacia semper eadem omnino remaneat, nec ulla umquam diuturnitate, seu volubilitate temporis evanescat.

13. Caeterum unusquisque Sacerdos in aureo, vel argenteo solum, aut saltem stanneo calice sacrificet, habens corporale de lino candidum, et nitidum, et altare mundis vestimentis opertum, vel decentibus paramentis.

14. Mulieres autem servire ad altare non audeant, sed ab illius ministerio repellantur omnino.

20. Quia vero secundum Apostolum, mulier mortuo viro ab ipsius est lege soluta, ut nubendi cui vult in Domino liberam habeat facultatem, secundas, et tertias, ac ulteriores etiam nuptias Graeci non reprehendant aliquatenus, nec condemnent, sed potius illas approbent inter personas, quae alias licite ad invicem matrimonio iungi possunt.

21. Secundo tamen nubentes, Presbyteri nullatenus benedicant.

§ 4. Fraternitatem itaque tuam hortamur attente, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus praemissa omnia Episcopis Graecis praefati Regni, seriatim, et diligenter exponi facias, districte ipsis iniungens, ut ea sollicite attendere, studiose tenere, ac efficaciter observare procurent, et a suis faciant subditis observari. Memoratis autem Archiepiscopo Nicosien., et eius suffraganeis Latinis, firmiter auctoritate nostra praecipias, ut eosdem Graecos super praemissis contra huiusmodi provisionem, et deliberationem nostram, non inquietent aliquatenus, nec molestent. Contradictores, eadem auctoritate, appellatione postposita, compescendo.

§ 5. Non obstantibus si praedictis Archiepiscopo, et suffraganeis, vel quibuscumque a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, plenam et expressam, ac de verbo ad verbum non facientes de indulto huiusmodi mentionem.

[Bull. Rom., tom. 3, I, p. 340-342. - Potthast, n. 15265].

35.

Professio fidei (in Conc. Lugdunen. II) a Michaële Palaeologo Gregorio X oblata a. 1274.

Sanctissimo, et Beatissimo, Primo et Summo Pontifici Apostolicae Sedis venerabili Papae, et communi Patri omnium Christianorum, et Venerabili Patri Imperii nostri, Domino Gregorio, Michaël in Christo Deo fideliter Imperator, et Moderator Romaeorum, Ducas, Angelus, Comnenus, Palaeologus, et spiritualis filius Magnae Sanctitatis Vestrae, convenientem honorem et reverentiam cum sincera, et pura affectione, et orationum postulatione.

Quoniam missi sunt a Magnitudine vestra ad Imperium meum Nuncii Deo placentes, Ordinis fratrum Minorum, Frater Hieronymus de Asculo, Frater Raymundus Berengarii, Frater Bonagratia de S. Ioanne in Persiceto, et Frater Bonaventura de Mugello; et obtulerunt literas Magnae Sanctitatis Vestrae Imperio meo; in quibus inter alia de confessione fidei, quam docet, et praedicat, et confitetur Sancta Romana Ecclesia, continebatur, et oportebat, in his magis responsionem convenientem nos facere, ecce hoc facit Imperium meum. Habet autem professio fidei in dictionibus taliter.

Credimus Sanctam Trinitatem, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, unum Deum omnipotentem ...

Credimus sanctam Catholicam, et Apostolicam unam esse veram Ecclesiam, in qua unum datur sanctum baptisma, et vera omnium remissio peccatorum. Credimus etiam veram resurrectionem huius carnis, quam nunc gestamus, et vitam aeternam. Credimus etiam novi, et veteris testamenti, legis, ac Prophetarum, et Apostolorum unum esse auctorem Deum ac Dominum. Haec est vera fides Catholica, et hanc supradictis articulis tenet, et praedicat Sacrosancta Romana Ecclesia: sed propter diversos errores, a quibusdam ex ignorantia, et ab aliis ex malitia introductos, dicit, et praedicat eos, qui post Baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram poenitentiam suorum consequi veniam peccatorum. Quod si vere poenitentes in caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint, et omissis eorum animas poenis purgatoriis, hoc est catarteriis, sicut nobis Frater Ioannes explanavit, post mortem purgari, et ad poenas huiusmodi relevandas prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, et eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum Ecclesiae instituta. Illorum autem animas, qui post sacrum baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutae, prout superius dictum est, sunt purgatae, mox in Coelum recipi. Illorum autem animas, qui in mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in Infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas. Eadem Sacrosancta Ecclesia Romana firmiter credit, et firmiter asseverat, quod nihilomiuus in die Iudicii, omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de propriis factis rationem. Tenet etiam, et docet eadem Sancta Romana Ecclesia, septem esse Ecclesiastica Sacramenta, unum scilicet Baptisma, de quo dictum est supra; aliud est Sacramentum Confirmationis, quod per manuum impositionem Episcopi conferunt, chrismando renatos; aliud est Poenitentiae; aliud Eucharistiae; aliud sacramentum Ordinis; aliud est Matrimonium; aliud Extrema unctio, quae secundum doctrinam B. Iacobi infirmantibus adhibetur. Sacramentum Eucharistiae ex azymo conficit eadem Romana Ecclesia, tenens et docens, quod in ipso Sacramento panis vere transsubstantiatur in Corpus, et vinum in Sanguinem Domini nostri Iesu Christi. De Matrimonio vero tenet, quod nec unus vir plures uxores simul, nec una mulier permittitur habere plures viros. Soluto vero legitimo matrimonio, per mortem coniugum alterius, secundas, et tertias deinde nuptias successive licitas esse dicit, si impedimentum canonicum aliud ex causa alia non obsistat. Ipsa quoque Sancta Romana Ecclesia summum, et plenum Primatum, et Principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum Principe, sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter cognoscit. Et sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri. Ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad Ecclesiasticum forum pertinentibus appellare; et in omnibus causis ad examen Ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest iudicium recurri, et eidem omnes Ecclesiae sunt

subiectae. Ipsarum Praelati obedientiam, et reverentiam sibi dant. Ad hanc autem sic potestatis plenitudo consistit, quod Ecclesias caeteras ad sollicitudinis partem admittit, quarum multas, et Patriarchales praecipue, diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen observata praerogativa, tum in generalibus Conciliis, tum in aliquibus aliis semper salva. Suprascripta fidei veritate (prout plene lecta est, et fideliter exposita) veram, sanctam, catholicam, et orthodoxam fidem cognoscimus, et acceptamus, et ore ac corde confitemur, quod vere tenet, et fideliter docet, et praedicat Sancta Romana Ecclesia: inviolabiliter observare eamdem professionem, et in ea omni tempore perseverare, nec ullo umquam tempore ab ea discedere quoquo modo, aut deviare, vel discordare promittimus. Primatum quoque eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae, sicut in praemissa serie continetur, ad ipsius Sanctae Ecclesiae obedientiam venientes, confitemur, et recognoscimus, acceptamus, et sponte suscipimus.

Confitentes vero haec, et approbantes, et acceptantes, et promittentes observare, ut superius dictum est, rogamus Magnitudinem vestram, ut Ecclesia nostra dicat sanctum Symbolum, prout dicebat hoc ante schisma, usque in hodiernum diem, et quod permaneamus in ritibus nostris, quibus utebamur ante schisma; qui scilicet ritus non sunt contra supradictam fidem, nec contra divina praecepta, nec contra vetus, et novum testamentum, nec contra doctrinam sanctorum generalium Conciliorum, et sanctorum receptorum per sancta Concilia quae celebrata sunt a spirituali dominatione Ecclesiae Romanae. Hoc igitur non grave est Vestrae Sanctitati, nec inusitatum, et nobis tunc difficile propter infinitam multitudinem populi.

Commisimus autem super his praesentibus Nunciis Imperii nostri, ut dicta per praesentes literas nostras confiteantur, et affirment vice Imperii nostri coram magna Sanctitate vestra. Praesens igitur scriptum de nostra recognitione, susceptione, acceptatione, et professione, propria manu nostra Dei gratia Imperiali subscriptione signavimus, et sigillum nostrae potentiae inferius appendi fecimus, etc.

[Bull. Rom., tom. 3, II, p. 12, 13].

36.

Ioannes XXII, litt. encycl. *Gloriosam Ecclesiam*, 23 ian. 1318.[1]

§ 16. Tertius istorum[2] error in Valdensium errore coniurat, quoniam et ii, et illi in nullum eventum asserunt fore iurandum, dogmatizantes mortalis criminis contagione pollui et poena teneri, quos contigerit iuramenti religione constringi.

[1] Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis, ac dilecti Filiis electis, ad quos literae istae pervenerint.

[2] Bizochorum, Beguinorum, Fraticellorum, Pseudofratrum S. Francisci de Assisio.

§ 19. Quorum blasphemias pietas Christiana condemnans non levitate mota, sed utilitate, aut necessitate coacta, veritatem praeteritorum, atque praesentium, et certitudinem futurorum, iurisiurandi religione confirmat, certissime tenens, quia nullatenus de suo genere potest esse peccatum, quod Christus exercuit, qui peccatum non fecit, sed peccatum omne sua passione damnavit, iuravit etenim Dominus, iuravit et Apostolus Paulus: suae operationis exemplo monstrantes ad hoc tantum iuramentum esse prohibitum, ne iurandi facultas frequentiam, frequentia consuetudinem, consuetudo periurium introducat. Bonum est ergo iuramentum, per quod veritas rerum divino testimonio confirmatur, sed malum est illi, qui eo male utitur, et a malo infirmitatis humanae est, ut aliquis verum proferens iurare cogatur.

§ 24. Multa sunt alia, quae isti praesumptuosi homines contra coniugii venerabile Sacramentum garrire dicuntur. Multaque de cursu temporum, et fine saeculi somniant. Multaque de Antichristi adventu, quem iamiam instare asserunt, flebili vanitate divulgant. Quae omnia, quia partim haeretica, partim insana, partim fabulosa cognoscimus, damnanda potius cum suis auctoribus, quam stilo prosequenda, aut refellenda censemus. Ipsa enim mendosa commenta seipsa destruunt, quia nec ratione vigent, nec auctoritate constant, nec aliqua verisimilitudine fulciuntur. In huiusmodi doctrinis variis et peregrinis saepe nominati homines studia sua conterunt. Ad haec simplicium corda blandis, fictisque sermonibus, et simulatae humilitatis praetextu, attrahere moliuntur.

[Bull. Rom., tom. 3, II, p. 160-165].

37.

Ioannes XXII, const. *Super illius*, a. 1326.

Super illius specula, quamvis immeriti, eius favente clementia, qui primum hominem humani quidem generis protoplasti, terrenis praelatum, divinis virtutibus adornatum, conformem et consimilem imagini suae fecit, revocavit profugum, legem dando; ac demum liberavit captivum, reinvenit perditum, et redemit venditum, merito suae Passionis, ut contemplaremur ex illa super filios hominum, qui christianae religionis cultu Deum intelligunt et requirunt: dolenter advertimus, quod etiam cum nostrorum turbatione viscerum cogitamus, quamplures esse solo nomine christianos, qui relicto primo veritatis lumine, tanta erroris caligine obnubilantur, quod cum morte foedus ineunt, et pactum faciunt cum inferno: daemonibus namque immolant, hos adorant, fabricant ac fabricari procurant imagines, annulum vel speculum, vel phialam, vel rem quamcumque aliam magice ad daemones inibi alligandos, ab his petunt responsa, ab his recipiunt, et pro implendis pravis suis desideriis auxilia postulant, pro re faetidissima faetidam exhibent servitutem: Proh dolor! huiusmodi morbus pestifer, nunc per mundum solito amplius convalescens, successive gravius inficit Christi gregem.

§ 1. Cum igitur ex debito suscepti pastoralis officii, oves oberrantes per devia, teneamur ad caulas Christi reducere, et excludere a grege Domi-

nico morbidas, ne alias corrumpant: hoc edicto in perpetuum valituro, de consilio Fratrum nostrorum, monemus omnes et singulos renatos fonte baptismatis, in virtute sanctae obedientiae, et sub interminatione anathematis, praecipientes eisdem, quod nullus ipsorum, aliquid de perversis dictis dogmatibus docere ac addiscere audeat: vel, quod execrabilius est, quomodolibet alio modo, in aliquo illis uti.

§ 2. Et quia dignum est, quod hi, qui per sua opera perversa spernunt Altissimum, poenis suis pro culpis debitis percellantur: Nos in omnes et singulos, qui contra nostra saluberrima monita et mandata facere de praedictis quicquam praesumpserint, excommunicationis sententiam promulgamus, quam ipsos incurrere volumus ipso facto. Statuentes firmiter, quod praeter poenas praedictas, contra tales, qui admoniti de praedictis seu praedictorum aliquo infra octo dies a monitione computandos praefata, a praefatis non se correxerint, ad infligendas poenas omnes et singulas, praeter bonorum confiscationem dumtaxat, quas de iure merentur haeretici; per suos competentes iudices procedatur.

§ 3. Verum cum sit expediens, quod ad haec tam nefanda omnis via, omnisque occasio praecludantur, de dictorum nostrorum Fratrum consilio, universis praecipimus et mandamus, quod nullus eorum libellos, scripturas quascumque ex praefatis damnatis erroribus quicquam continentes, habere aut tenere, vel in ipsis studere praesumat; quin potius volumus, et in virtute sanctae obedientiae cunctis praecipimus, quod quicumque de scripturis praefatis, vel libellis quicquam habuerint, infra octo dierum spatium ab huiusmodi edicti nostri notitia computandum, totum, et in toto, et in qualibet sui parte abolere, et comburere teneantur: alioquin volumus, quod incurrant sententiam excommunicationis ipso facto, processuri contra contemptores huiusmodi (cum constiterit) ad poenas alias graviores.

[Bull. Rom., tom. 3, II, p. 194, 195].

38.

Ioannes XXII, const. *Licet*, 23 oct. 1327, art. errorum Marsilii Patavini et Ioannis de Janduno damn.

Secundus istorum fuit error, quod B. Petrus Apostolus non plus auctoritatis habuit, quam caeteri Apostoli, nec aliorum Apostolorum fuit Caput. Item quod Christus ascendens in Coelum nullum Caput reliquit Ecclesiae, nec aliquem Vicarium suum fecit.

Tertius error dicebat, quod ad Imperatorem spectat Papam instituere, et destituere, ac punire.

Quarto dicebant, quod omnes Sacerdotes, sive sit Papa, sive Archiepiscopus, sive simplex Sacerdos, sunt ex institutione Christi auctoritatis et iurisdictionis omnino aequalis.

(Hinc evanescit) Quintus ipsorum error, quo docebant, Ecclesiam simul iunctam neminem punire posse punitione coactiva, nisi hoc concedat Imperator.

Ioannes XXII ..... ait: *Praedictos Marsilium et Ioannem haereticos, imo haeresiarchas fore manifestos et notorios sententialiter declaramus. Articulosque ac Librum praedictos, necnon et quamcumque aliam scripturam continentem eosdem; praedictum quoque Marsilium et Ioannem ut haereticos manifestos et notorios, imo ut haeresiarchas potius reprobamus, et sententialiter condemnamus. Si quis enim doctrinam praedictam defendere vel approbare praesumpserit, cuiuscumque dignitatis, Ordinis, conditionis aut status, tanquam haereticus confutetur.*

[Gotti, Veritas Religionis, tom. VII, pars IV, p. 245-249].

39.

Benedictus XII, const. *Benedictus Deus*, 29 ian. 1336.

Benedictus Deus in donis suis, et sanctus in omnibus operibus suis, qui Sacrosanctam Romanam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam, quam ut vineam plantavit dextera sua, quamque ut praecipuam in Ecclesiarum omnium caput erexit ut victricem,[1] dicente Domino ad Petrum: Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, sua miseratione non deserit, sed per Beatos Apostolos suos, praecipue Petrum et Paulum singulares eiusdem Ecclesiae defensores, pia benignitate et continua pietate custodit: quatenus eisdem rectoribus gubernata, in se stabilis maneat, fundata supra firmam petram; omnesque Christianae fidei cultores illi obediant, illi pareant, illi intendant, sub illius magisterio degant, sub eius disciplina et correctione consistant. Non in illa dogmatizetur improvidum, inseratur incautum, in fide temerarium ingeratur: Sicque declinent homines a malo, et faciant bonum, ambulent per vias rectas, et ad meliora per sancta desideria proficiscantur, ut sperent iustorum propinquas aeternae vitae retributiones, timeant malorum inferni calamitates non remotas. Nam scriptum est: Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique iuxta opera sua. Quod si secus a quoquam fuerit attentatum, id protinus sua auctoritate, poenis etiam adiectis, prout expedire viderit, prorsus evellat. Pro qua, ut in seipsa subsistens alios informaret, passionis suae tempore Salvator noster Iesus Christus Patrem exorasse perhibetur dicens: Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

§ 1. Sane dudum tempore fel. rec. Ioannis XXII praedecessoris nostri, inter nonnullos etiam Theologicae facultatis Magistros, super visione animarum iustorum hominum post mortem suam, in quibus nihil erat purgabile, cum de hoc saeculo decesserunt, vel si fuerat, iam purgatum fuerat ex toto, an divinam essentiam videant ante corporum suorum resumptionem, et iudicium generale. Et super nonnullis aliis orta materia quaestionis, ipsorum aliqui negativam, aliqui affirmativam, alii vero secundum suas imagi-

[1] Alias: veritatem.

nationes, de visione divinae essentiae ab animabus huiusmodi, diversa et diversimode ostendere nitebantur, prout ex dictis et scriptis ipsorum noscitur apparere; super reiectis vero suis concertationibus, quas hic causa brevitatis omittimus, quia ita ex nostris determinationibus inter se etiam decidebant.[1] Cumque idem praedecessor noster, ad quem praedictorum determinatio pertinebat, ad decisionem concertationum huiusmodi se pararet in suo consistorio publico, tam fratribus suis S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quam Praelatis et Magistris in Theologia, qui multi aderant praesentes, iniungendo districtius et mandando, ut super materia de visione praedicta, quando requirerentur ab eo, deliberate unusquisque diceret, quod sentiret. Tamen morte praeventus, sicut Domino placuit, perficere illud nequivit.

§ 2. Defuncto itaque praedecessore praefato, nos divina dignatione ad apicem summi Apostolatus assumpti, diligentius attendentes, quanta ex praemissis eorum concertationibus non solutis animarum imminent pericula, quanta exinde possunt scandala suboriri, ut ipsorum varietas pereat, et veritatis soliditas innotescat, habita prius super praedictis sollicita examinatione, et diligenti deliberatione cum Fratribus nostris dictae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, de ipsorum Fratrum consilio, hac in perpetuum valitura constitutione, auctoritate Apostolica definimus.

§ 3. Quod secundum communem Dei ordinationem animae Sanctorum omnium, qui de hoc Mundo ante Domini nostri Iesu Christi passionem decesserunt, necnon Sanctorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, et aliorum fidelium defunctorum, post sacrum ab eis Christi baptisma susceptum, in quibus nihil purgabile fuit, quando decesserunt, nec erit, quando decedent etiam in futurum; vel si tunc fuerit aut erit aliquid purgabile in eisdem, cum post mortem suam fuerint purgatae; ac quod animae puerorum eodem Christi baptismate renatorum, et baptizandorum cum fuerint baptizati, ante usum liberi arbitrii decedentium, post mortem suam, et purgationem praefatam in illis, qui purgatione huiusmodi indigebant, etiam ante resumptionem suorum corporum, et iudicium generale, post Ascensionem Salvatoris Domini nostri Iesu Christi in coelum, fuerunt, sunt, et erunt in coelo, coelorum Regno, et Paradiso coelesti cum Christo, Sanctorum Angelorum consortio aggregatae, ac post Domini Iesu Christi passionem et mortem viderunt et vident Divinam essentiam visione intuitiva, et etiam faciali, nulla mediante creatura, in ratione obiecti visi se habente; sed Divina essentia immediate se nude clare et aperte eis ostendente. Quodque sic videntes eadem divina essentia perfruuntur. Necnon quod ex tali visione et fruitione, eorum animae, qui iam decesserunt, sunt vere beatae, et habent vitam et requiem aeternam, et erunt illorum, qui postea decedent cum eamdem divinam videbunt Essentiam, ipsaque perfruentur ante iudicium generale. Ac quod visio huiusmodi divinae Essentiae, eiusque fruitio, actus fidei et spei in eis evacuant, prout Fides et Spes propriae Theologicae sunt virtutes. Quodque postquam inchoata fuerit, vel erit talis intuitiva ac facialis visio et

[1] Alias dissidebant.

fruitio in eisdem, eadem visio et fruitio sine aliqua intercessione seu evacuatione praedictae visionis et fruitionis continuata extitit, et continuabitur usque ad finale iudicium, et ex tunc usque in sempiternum.

§ 4. Definimus insuper, quod secundum Dei ordinationem communem animae decedentium in actuali peccato mortali, mox post mortem suam ad inferna descendunt, ubi poenis infernalibus cruciantur, ex quod nihilominus in die iudicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.

§ 5. Decernentes praedictas nostras definitiones, seu determinationes et ipsarum singulas, ab omnibus fidelibus esse tenendas. Quicumque autem deinceps praedictarum nostrarum definitionum seu determinationum, ac singularum ipsarum contrarium scienter et pertinaciter tenere, asserere, praedicare, docere, aut defendere, verbo vel scripto praesumpserit, contra eum sicut contra haereticum modo debito procedatur.

§ 6. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, etc. [Bull. Rom., tom. 3, II, p. 213, 214].

40.

Benedictus XII, a. 1341, prop. Armenorum damn.

42. Item, Armeni dicunt et tenent, quod sola Dei passio sine omni alio dono Dei, etiam gratificantis, sufficit ad peccatorum remissionem, nec dicunt, quod ad peccatorum remissionem faciendam requiratur gratia Dei gratificans vel iustificans, nec quod in sacramentis novae legis detur gratia gratificans.

48. Item, Armeni dicunt et tenent, quod si Armeni committunt semel quodcumque crimen, quibusdam exceptis, ecclesia eorum potest absolvere eos tantum ad culpam et poenam de dictis criminibus: sed si aliquis commiserit dicta crimina iterum, absolvi non possunt per eorum ecclesiam.

49. Item, dicunt, quod si aliquis eorum post baptismum acceptat primam et secundam uxorem, absolvi potest per eos; quod si accipiat tertiam et quartam et deinceps, non potest absolvi per eorum ecclesiam, quia dicunt, quod tale matrimonium fornicatio est, et talem habent pro pagano: ita quod nec erit in fine communicandus, neque ducunt de domo sua ad sepeliendum per portam domus; sed frangunt parietes domus, et per foramen parietis educunt corpus eius; nec missam celebrant, nec sepultura ecclesiae eum sepeliunt, sed faciunt de eo, sicut de pagano.

51. Item, quod Armeni dicunt et tenent, quod ista peccata sunt irremissibilia, nec eorum ecclesia potest haec peccata remittere, quia Christus non dedit ecclesiae potestatem, quod talia peccata remittat, scilicet si aliquis peccatum luxuriae committat in ore hominis vel mulieris.

52. Et si quis commisit dicta peccata vel etiam alia pluries, non potest absolvi per ecclesiam, nisi prima vice; et si postquam semel confessus fuerit et absolutus de aliquo peccato, de praedictis iterato committat dictum peccatum, prima absolutio non valet.

58. Item, quod Armeni dicunt et tenent, quod ad hoc quod sit baptizatus verus, ista tria requiruntur, scilicet aqua, chrisma, (quod) modo praedicto factum est, eucharistia: ita quod si aliquis baptizaret in aqua aliquem dicendo: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen, et postea non ungeretur dicto chrismate, non esset baptizatus. Si etiam non daretur ei Eucharistia, sacramentum baptismi ratum non esset.

64. Item, catholicon minoris Armeniae dicit, quod sacramentum confirmationis nihil valet, et si valet aliquid, ipse dedit licentiam presbyteris suis, ut idem sacramentum conferatur.

67. Item, Armeni non dicunt, quod post dicta verba consecrationis panis et vini in verum Corpus et Sanguinem, quod natum fuit de Virgine Maria, et passum et resurrexit. Sed tenent, quod illud sacramentum sit exemplar, aut similitudo, aut figura veri Corporis et Sanguinis Domini ... propter quod sacramentum altaris non vocant Corpus, et Sanguinem Domini, sed hostiam vel sacrificium, vel communionem.

82. Item, quod quando aliqui communicari debent per sacerdotem, fit confessio generalis, dicendo genera peccatorum, non descendendo ad aliquod peccatum singulare, et postea populus reiterat dictam confessionem in secreto, tamen raro vel numquam aliquis Armenus confitetur sacerdoti sua peccata. Et si confitetur, non dicit, quod hoc vel illud singulare peccatum commiserit, sed dicit, quod diabolus dictum peccatum fecit, vel quod ad suggestionem alterius hominis dictum peccatum fecit.

84. Item, Armeni dicunt et tenent, quod catholicon, episcopi et presbyteri Armenorum eamdem et aequalem potestatem habent ligandi vel solvendi, quantam et qualem habuit B. Petrus apostolus.

85. Item, Armeni dicunt et tenent, quod usque ad concilium Nicaenum Romanus pontifex non habuit maiorem potestatem, quam alii patriarchae; sed tunc de voluntate dicti concilii fuit ordinatum, quod dictus Romanus pontifex haberet potestatem super alios patriarchas.

90. Item, quod Armeni dicunt et tenent, quod potestas illa, quam Christus dedit B. Petro dicendo ei: Quodcumque ligaveris super terram, etc., fuit solum data personae Petri, et pro ipso solo: ita quod haec potestas non transivit ad aliquem eius successorem.

100. Item, quod apud Armenos nulla est certa forma verborum exprimens consensum matrimonii inter virum et uxorem; immo multi per parentes et amicos coguntur venire ad ecclesiam, ut matrimonium fiat inter eos; et quamvis unus vel ambo dicant, quod nolunt inter se matrimonialiter copulari, tamen matrimonium fit inter eos in facie ecclesiae.

102. Item, quod apud Armenos, si post matrimonium contractum, et carnali copula subsequuta, et prole suscepta, viro non placeat uxor, vel e converso; ille cui non placet alter coniux vel ambo, si sibi mutuo non placent, vadit vel vadunt ad episcopum seu sacerdotem, et eis data pecunia, secundum quod ad invicem conveniunt, episcopus seu sacerdos separat dictum matrimonium, et dat licentiam alteri nubendi etiam tum altero coniuge invito, et hoc fit multoties apud Armenos.

[Mansi, tom. 25, col. 1226-1265].

41.

Clemens VI, const. *Etsi solertem*, 21 iul. 1346.

Etsi solertem adhibere vigilantiam, ne quarumlibet Ecclesiarum iura depereant, ex debito nostri officii teneamur; in manutenendis tamen, defendendis, recuperandisque occupatis iuribus Ecclesiae Romanae, sponsae nostrae, quae disponente Domino caput omnium et magistra caeteris altiori dignitate praecellens, maioribus est iuvanda praesidiis, et amplioribus honoribus attollenda, esse debemus solliciti, et attenti.

§ 1. Ad obviandum igitur perversis illorum conatibus, qui sibi commoda, non se commodis Patrimonii B. Petri in Tuscia, quod iuris, et proprietatis eiusdem Ecclesiae fore, ac eidem immediate subesse dignoscitur, applicantes temere civitates, castra, et villas eiusdem Patrimonii ad eamdem Ecclesiam pertinentia, eorumque dominium, superioritatem, advocationem, capitaneatum, et iurisdictionem, in ipsius Ecclesiae grave praeiudicium, contra constitutiones et ordinationes olim per fel. rec. Urbanum IV et Ioannem XXII ac diversos alios Romanos Pontifices praedecessores nostros editas, non verentur diversis exquisitis coloribus occupare, et sibi in eisdem dominium, superioritatem, et praeeminentiam vendicare; hac perpetua constitutione sancimus,

§ 2. Ut nulla civitas vel Communitas, nullaque singularis persona, cuiuscumque conditionis vel status existat, deinceps in aliquibus civitatibus, castris, seu villis ipsius Patrimonii ad praedictam Romanam Ecclesiam spectantibus, dominium, superioritatem, capitaneatum, advocationem iurisdictionis, seu aliquam praesidentiam seu praeeminentiam praetextu cuiuscumque venditionis, submissionis, recommendationis, concessionis, recognitionis, et obligationis, contractus, vel pacti, aut cuiusvis alterius commercii absque auctoritate Sedis Apostolicae speciali recipere audeat, vel sibi dominium, praesidentiam, capitaneatum, seu iurisdictionem in praedictis civitatibus, castris, seu villis ex quavis occasione, et causa quomodolibet vendicare: quodque civitates, et singulares personae, submissiones, suppositiones et subiectiones quascumque iam in eas factas, et receptas, seu de facto, cum de iure non teneant, quomodolibet attentatas dimittere teneantur, nec civitates, castra, seu loca alia, quae se eis, ut praemittitur, submiserunt vel quomodolibet subiecerunt, virtute submissionis, et suppositionis alicuius, vel cuiusvis contractus titulo, valeant retinere: nullaque Universitas seu Communitas civitatis, castri seu villae Ecclesiae Romanae subiecta, in terris Patrimonii constituta, alicui Universitati, seu Communitati, vel privatae personae, cuiuscumque conditionis aut status existat, se subiicere, submittere, seu supponere valeat, constituendo, recognoscendo, seu profitendo, se subesse alicui Universitati, vel privatae personae, seu ad eosdem super eos, et in ipsis ac dictis civitatibus, castris, et villis, aliquam iurisdictionem, dominium, capitaneatum seu quamvis aliam praeeminentiam pertinere.

§ 3. Et si quae civitates, castra, vel loca, iam de facto ad submissionem,

et suppositionem aliquibus civitatibus, vel privatis personis de se factam venditionis, donationis, vel cuiusvis alterius contractus colore vel titulo processerunt, illa quamvis de iure valeant, quatenus de facto processerunt realiter et effectualiter studeant revocare, nec illis umquam utantur: nec virtute submissionum huiusmodi vel alias, illis quibus quovis titulo vel colore se submiserint, ullatenus obediant, pareant, vel intendant: contrarium facientes directe, vel indirecte, per se vel alios, tam illi, et eorum singuli, qui in civitatibus, castris, aut villis eiusdem patrimonii, vel eorum aliquo, huiusmodi dominium, superioritatem, capitaneatum, advocationem, iurisdictionem quamcumque, praeeminentiam, seu praesidentiam sine licentia Sedis Apostolicae speciali recipient in futurum, et qui iam ex quocumque contractu, vel obligatione receperunt, seu quavis usurpatione quomodolibet occupaverunt, nisi sic recepta, et occupata infra duorum mensium spatium, postquam praesens constitutio ad eorum notitiam pervenerit, vel per eos steterit, quominus valeat pervenire, dominium seu praesidentiam, superioritatem, capitaneatum, advocationem, iurisdictionem quamcumque, seu praeeminentiam huiusmodi realiter dimiserint cum effectu, illa nullo umquam tempore absque ipsius Sedis licentia resumpturi; quam illi, qui se submiserint, seu subiecerint, ut praefertur simili modo cuiuscumque dignitatis, status, ordinis, vel conditionis existant, singulares personae sententiam excommunicationis incurrant, ac Terrae ipsorum, ubicumque fuerint, Ecclesiastico interdicto subiaceant ipso facto. Civitates autem, castra, et villae, quae in antea se submittent, supponent, seu subiicient, et quae submissionem, suppositionem seu subiectionem huiusmodi recipient, seu quomodolibet occupabunt, civitates quoque, castra, etiam loca quaecumque, quae se iam quovis colore vel titulo ut praemittitur, submiserunt, et subiecerunt, ac civitates, quae submissiones, et subiectiones huiusmodi receperunt, nisi infra praedictum duorum mensium spatium, ab omni effectu dictae submissionis, et subiectionis realiter destiterint ipsis ulterius non usuri, seu contra constitutionem, et inhibitionem nostram venire directe, vel indirecte, per se, vel alium seu alios attentabunt, Ecclesiastico subiacere decernimus interdicto. Et nihilominus omnibus indulgentiis, privilegiis, ac gratiis, necnon feudis, bonis, et honoribus, et iuribus quibuscumque, quae ab eadem Romana, et aliis Ecclesiis obtinent, privamus, et privatos, et privata volumus esse ipso facto: Non obstantibus si eis, vel eorum aliquibus, communiter, vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod excommunicari, ipsorumque Terrae et loca Ecclesiastico interdicto supponi non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de huiusmodi, ac eorum personis, locis, ordinibus, et nominibus propriis mentionem.

§ 4. Nos insuper omnes submissiones, et subiectiones, suppositiones super praedictis factas, et obligationes, pacta, seu conventiones, sub titulo venditionis, vel cuiusvis alterius contractus quomodolibet initas, et habitas, et quascumque poenas adiectas, et iuramenta praestita super illis, sub quibuscumque modis, et forma, vel expressione verborum (praesertim cum in praeiudicium eiusdem Ecclesiae redundent, ac iuramentum vinculum iniquitatis esse non debeat) decernimus fore nulla, vacua, irrita, et inania, et

nullius existere firmitatis, et quatenus ad illa de facto processum extitit, tollimus, et revocamus omnino, et viribus vacuamus.

§ 5. Caeterum cum praefatus Ioannes Papa XXII, Praedecessor noster, dudum universis, et singulis tam Clericis, quam Laicis cuiuscumque status, ordinis, conditionis, praeeminentiae, vel dignitatis existerent, etiamsi Pontificali, vel Imperiali, seu Regali, vel quavis alia dignitate fulgerent, ac omni bus Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, ac Potestatibus, Capitaneis, et aliis Officialibus quibuscumque, Comitibus, et Populis, Civitatum, Terrarum, Castrorum, et aliorum quorumcumque locorum ubicumque consistentium, et omnibus aliis quibuscumque, auctoritate Apostolica, inhibendum per suas literas vim Constitutionis habentes duxerit, et mandandum, ne per se, vel alios, directe, vel indirecte Patrimonii, Romandiolae, Marchiae Anconitanae, Ducatus Spoletani, Campaniae, Maritimaeque, ac Massae Trebariae Provincias, Venaisini, et Urbinatus, olim comitatus, ac Urbinatensis, et Ravennatensis Civitates, et alias terras, civitates, castra, villas, et loca quaecumque ad eamdem Romanam Ecclesiam pertinentes, vel ipsorum, aut alicuius eorum partem occupare, invadere, aut turbare, seu fidelibus eorumdem iniurias, damna, seu violentias irrogare, aut occupantibus, invadentibus, turbantibus, vel iniurias, damna, seu violentias irrogantibus, publice, vel occulte assistere, aut auxilium, consilium, vel favorem, directe, vel indirecte, publice, vel occulte, per se, vel per alium, seu alios praestare praesumerent quoquo modo, in omnes et singulos, contra inhibitionem, et mandatum huiusmodi venire, aut attentare, per se, vel per alios praesumentes, tam Clericos, quam Laicos, etiamsi, ut praedicitur, Pontificali, aut Imperiali, seu Regali, vel alia quavis dignitate fulgerent, de Fratrum suorum consilio, excommunicationis, quam eo ipso incurrerent sententiam promulgavit, ipsorumque terras necnon quaslibet Universitates, Communitates, et populos ipsorum, civitates, terras, castra, villas, et loca in praemissis, vel aliquo praemissorum culpabiles, Ecclesiastico supposuit interdicto, et eos, ac ipsorum quemlibet omnibus privilegiis, indulgentiis, gratiis, et immunitatibus realibus, et personalibus, ab eadem Ecclesia, et Imperio Romano concessis eisdem, omnium etiam feudorum, bonorum, honorum, officiorum, iurium, et iurisdictionum, quae ab Ecclesia, et Imperio praedictis obtinerent, de ipsorum Fratrum consilio, auctoritate privaverit supradicta, ipsos ad illa, et similia, et quaelibet alia, eorumque filios, et nepotes ad quaelibet beneficia Ecclesiastica, dignitates, personatus, et officia, cum cura, vel sine cura, quovis nomine censeantur, auctoritate qualibet obtinenda usque ad tertiam generationem exclusive reddendo inhabiles, et indignos.

§ 6. Nos per praemissa, vel quaecumque alia, inhibitioni, mandato, poenis, et sententiis per ipsum praedecessorem factis et promulgatis, ut superius est expressum, aliisque contentis in literis supradictis, non intendimus in aliquo derogare, sed inhibitionem, mandatum, poenas et sententias, et alia supradicta per praesentem constitutionem nostram roboramus, et in sui vigoris efficacia volumus et decernimus permanere.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae privationis, admonitionis, revocationis, roborationis, voluntatum, et constitutionum

infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

[Bull. Rom., tom. 3, II, p. 302, 303].

42.

Clemens VI, ep. *Super quibusdam*, 29 sept. 1351.[1]

... In primo igitur capitulo responsionis tuae ... quaerimus: Primo, si creditis tu et Ecclesia Armenorum, quae tibi obedit, omnes illos, qui in Baptismo eamdem fidem Catholicam receperunt, et postmodum a communione fidei eiusdem Ecclesiae Romanae, quae una sola Catholica est, recesserunt vel recedent in futurum, esse schismaticos et haereticos, si pertinaciter divisi a fide ipsius Romanae Ecclesiae perseverent. - Secundo petimus, si creditis tu et Armeni tibi obedientes, quod nullus homo viatorum extra fidem ipsius Ecclesiae, et obedientiam Pontificum Romanorum, poterit finaliter salvus esse.

In secundo vero capitulo ... quaerimus: Primo, si credidisti, credis vel credere es paratus cum Ecclesia Armenorum quae tibi obedit, quod beatus Petrus plenissimam potestatem iurisdictionis acceperit super omnes fideles Christianos a Domino Iesu Christo: et quod omnis potestas iurisdictionis, quam in certis terris et provinciis, et diversis partibus orbis specialiter et particulariter habuerunt Iudas Thaddaeus et caeteri Apostoli, subiecta fuerit plenissime auctoritati et potestati, quam super quoscumque in Christum credentes in omnibus partibus orbis beatus Petrus ab ipso Domino Iesu Christo accepit; et quod nullus Apostolus, vel quicumque alius super omnes Christianos, nisi solus Petrus plenissimam potestatem accepit. - Secundo, si credidisti, tenuisti, vel credere ac tenere paratus es cum Armenis tibi subiectis, quod omnes Romani Pontifices, qui beato Petro succedentes canonice intraverunt et canonice intrabunt, ipsi beato Petro Romano Pontifici successerint et succedent in eadem plenitudine, iurisdictione potestatis, quam ipse beatus Petrus accepit a Domino Iesu Christo super totum et universum corpus Ecclesiae militantis. - Tertio, si credidistis et creditis tu et Armeni tibi subiecti, Romanos Pontifices, qui fuerunt, et nos qui sumus Pontifex Romanus, ac illos qui in posterum successive erunt, tanquam legitimos et potestate plenissimos Christi vicarios, omnem potestativam iurisdictionem, quam Christus ut caput conforme in humana vita habuit, immediate ab ipso Christo super totum ac universum corpus militantis Ecclesiae accepisse. - Quarto, si credidisti et credis, quod omnes Romani Pontifices qui fuerunt, nos qui sumus, et alii qui erunt in posterum, ex plenitudine potestatis et auctoritatis praemissae potuerunt, possumus et poterunt immediate per nos et eos de omnibus tanquam de iurisdictioni nostrae ac eorum subditis iudicare, et ad iudicandum quoscumque voluerimus Ecclesiasticos iudices con-

[1] Consolatori, dicto catholicon Armenorum.

stituere et delegare. - Quinto, si credidisti et credis, quod in tantum fuerit, si et erit suprema et praeeminens auctoritas et iuridica potestas Romanorum Pontificum qui fuerunt, nostri qui sumus, et illorum qui in posterum erunt, ut a nemine iudicari potuerint, potuerimus, neque in posterum poterunt; sed soli Deo iudicandi servati fuerint, servemur, et servabuntur: et quod a sententiis et iudiciis nostris non potuerit, neque possit, nec poterit ad aliquem iudicem alium appellari. - Sexto, si credidisti et adhuc credis, plenitudinem potestatis Romani Pontificis se extendere in tantum, quod patriarchas, catholicon, archiepiscopos, episcopos, abbates et quoscumque praelatos alios de dignitatibus, in quibus fuerint constituti, possit ad alias dignitates maioris vel minoris iurisdictionis transferre, vel exigentibus eorum criminibus, ipsos degradare et deponere, excommunicare et Sathanae tradere. - Septimo, si credidisti et adhuc credis, Pontificialem auctoritatem non posse nec debere subiici cuicumque imperiali et regali, aut alteri saeculari potestati, quantum ad institutionem iudicialem, correctionem vel destitutionem. - Decimo, si credidisti et adhuc credis, Romanum Pontificem circa administrationem sacramentorum Ecclesiae, salvis semper illis, quae sunt de integritate et necessitate sacramentorum posse diversos ritus Ecclesiarum Christi tolerare, et etiam concedere, ut serventur. - Tertiodecimo, si credidisti et adhuc credis, solum Romanum Pontificem, dubiis emergentibus circa fidem Catholicam, posse per determinationem authenticam, cui sit inviolabiliter adhaerendum, finem imponere et esse verum et Catholicum quidquid ipse auctoritate clavium sibi traditarum a Christo determinat esse verum: et quod determinat esse falsum et haereticum, sic censendum. - Quartodecimo, si credidisti et credis novum et vetus Testamentum in omnibus libris, quos Romanae Ecclesiae nobis tradidit auctoritas, veritatem indubiam per omnia continere.

... Rursus ... responsiones dedisti, quae nos inducunt, ut a te sequentia requiramus: Primo de consecratione chrismatis, si credis, quod per nullum sacerdotem, qui non est episcopus, chrisma potest rite et debite consecrari. - Secundo, si credis, quod sacramentum Confirmationis per alium quam per episcopum, non potest ex officio ordinarie ministrari. - Tertio, si credis, quod solum per Romanum Pontificem, plenitudinem potestatis habentem, possit dispensatio sacramenti Confirmationis presbyteris, qui non sunt episcopi, committi. - Quarto, si credis, quod chrismati per quoscumque sacerdotes, qui non sunt episcopi, neque a Romano Pontifice super hoc commissionem seu concessionem aliquam receperunt, iterum per episcopum vel episcopos sint chrismandi.

... Post praedicta omnia, mirari cogimur vehementer, quod in quadam Epistola, quae incipit: *Honorabilibus in Christo Patribus*, substrahis de LIII primis capitulis capitula XVI. - Tertium, quod parvuli ex primis parentibus contrahunt originale peccatum. - Duodecimum, quod Baptismus deleat originale et actuale peccatum. - Trigesimum nonum, quod in Ecclesia Catholica baptizati, si efficiantur infideles et postmodum convertantur, non sunt iterum baptizandi. - Quadragesimum, quod parvuli ante octavum diem possunt baptizari, et quod baptismus non potest esse in liquore alio, quam in

vera aqua. - Quadragesimum secundum, quod Corpus Christi post verba consecrationis sit idem numero, quod corpus natum de Virgine et immolatum in cruce. - Quadragesimum quintum, quod nullus, etiam sanctus, Corpus Christi potest conficere, nisi sit sacerdos. - Quadragesimum sextum, quod est de necessitate salutis, confiteri proprio sacerdoti vel de licentia eius, omnia peccata mortalia perfecte et distincte.

... Item in scriptis rogasti archiepiscopum et episcopum antefatos, ut esset inter eos et te verborum finis: et quod amplius non laboraretis in verbis instructionis, ad quem laborem iidem archiepiscopus et episcopus per Romanam Sedem fuerant ad te missi... Adhuc cum canonizationes sanctorum, et promotiones illegitimorum ad sacros ordines sint casus, qui inter alios tantummodo Romano Pontifici reservantur, et ad nullum alium praelatum Ecclesiae pertinentes, nisi ipse Romanus Pontifex specialiter aliquibus duxerit committendos; miramur, quod te dicis praedictos duos casus auctoritate propria velle penes te retinere: quod nullum signum est obedientiae et reverentiae, quas ad Romanum Pontificem in praemissis capitulis te praetendis habere.

[Baronius, Annales Eccles., tom. 25, p. 502, 503, 506-508, n. 3, 12, 15, 16.

43.

Martinus V (in Conc. Constantien.), const. *Inter cunctas*, 22 febr. 1418.

Inter cunctas pastoralis curae sollicitudines, quibus premimur incessanter, illa potissime fortius nos angit, ut haereticis de finibus Christicolarum expulsis, suisque falsis doctrinis et erroribus perversis penitus, quantum nobis ex alto conceditur, extirpatis, orthodoxa et catholica fides integra et illibata permaneat, ac populus Christianus in eiusdem fidei sinceritate, quolibet obscurationis semoto velamine, immobilis et inviolatus persistat.

§ 1. Sane dudum plusquam omnibus retroactis temporibus in nonnullis regionibus et dominiis, praesertim in regno Bohemiae et Marchionatu Moraviae, ac locis et districtibus illis vicinis, adversus fidei catholicae dogmata insurrexerunt quondam haeresiarchae, circuncelliones, schismatici et seditiosi luciferina superbia et rabie lupina evecti, daemoniorum fraudibus illusi, de vanitate in idipsum (licet forent de diversis mundi partibus oriundi) convenientes, et caudas colligatas habentes, damnatae videlicet mem. Ioannes Wicleff de Anglia, Ioannes Husz de Bohemia, et Hieronymus de Praga, qui utinam alios secum ad infidelitatis interitum non traxissent. Nam ubi huiusmodi pestilentes personae perversa dogmata pertinaciter seminabant, in suae doctrinae pestiferae primordio praelati, et alii iudiciariae potestatis regimina exercentes, tamquam canes muti non valentes latrare, nec ulciscentes cum Apostolo in promptu omnem inobedientiam, haeresiarchas ipsos pestiferos et dolosos, eorum lupinam rabiem truculentam statim, ut adstricti fuerant canonice coercere, eosque de domo Domini corporaliter eiicere non curarunt,

sed sacrilegam, falsam, et perniciosam ipsorum doctrinam, per longas moras negligenter convalere permiserunt: populorum multitudo illorum opinionibus falsis decepta pro veris accepit, quae diu mendaciter et perniciose, ac damnabiliter seminaverant, eisque credendo a recta fide cecidit turba multa, et errore devio involvitur, proh dolor, paganorum, adeo quod per diversa illarum, eisdemque convicinarum partium climata, oves Christi catholicas haeresiarchae ipsi successive infecerunt, et in stercore mendaciorum fecerunt putrescere.

§ 2. Quapropter generalis Constantiensis Synodus tantam fidelium, et fidei orthodoxae plagam, et ruinam videns, exclamare compulsa est cum Augustino: Quid faciet Ecclesiae medicina, salutem omnium materna caritate conquirens, tamquam inter phreneticos, et lethargicos aestuans? Numquid contemnere, numquid desistere, vel debet, vel potest? Certe non, secundum eumdem, imo utrisque sit necesse est molesta, quae neutris est inimica. Nam et molestus est medicus furenti phrenetico, et pater indisciplinato filio, ille ligando, iste caedendo, sed ambo diligendo. Si autem negligant, et eos perire permittant, inquit Augustinus, ista mansuetudo potius falsa crudelitas est. Proinde Synodus praefata ad omnipotentis Dei gloriam, ipsiusque catholicae fidei, ac Christianae Religionis conservationem, augmentum, et animarum salutem, et praeservationem, eosdem Ioannem Wicleff, et Ioannem Husz, et Hieronymum, qui inter cetera de sacro Eucharistiae sacramento, et aliis sacramentis Ecclesiae, et articulis fidei, aliter quam sancta Romana Ecclesia credit, et tenet, et praedicat, et docet, quam plurima temere, et damnabiliter credere, ac tenere, praedicare, atque docere pertinaciter attentabant, velut haereticos et pertinaces ac obstinatos iam a communione fidelium separatos, de domo Dei corporaliter eiecit, et spiritualiter eiectos declaravit, et alia nonnulla circa praemissa utilia, et salubria statuit, et decrevit, per quae alii, qui causantibus haeresiarchis eorumque falsis doctrinis huiusmodi spiritualiter de domo Dei exierant, per vias canonicas reducerentur ad semitas veritatis.

§ 3. Et quia sicut dolenter accepimus, non solum in regno Bohemiae, et Marchionatus dominiis, et locis supradictis, verum etiam in quibusdam partibus, et provinciis contiguis, seu vicinis eisdem, etiam nonnulli ex sectatoribus et sequacibus haeresum, ac errorum haeresiarcharum praedictorum, timore divino, et pudore humano prorsus abiectis, nec de ipsorum, et praesertim Ioannis Husz, et Hieronymi interitu miserabili sumentes conversionis, et poenitentiae fructum, sed tamquam in profundum pressi peccatorum, dominum Deum blasphemare non cessant, ducentes in irritum nomen eius, quorum mentes pater mendacii sic damnabiliter excaecavit, ut praedictos libros, codices, et opuscula, haereses, et errores continentes seu continentia, dudum etiam per Synodum praefatam damnatos, et damnata, ac ignibus concremanda deputata, et concremata, legunt, student, ac ex eis in sui et multorum simplicium periculum, nedum contra statuta, decreta et ordinata in Synodo supradicta, sed etiam contra canonicas sanctiones dogmatizare praesumunt in animarum periculum, ac puritatis fidei denigrationem, et scandalum plurimorum.

§ 4. Nos igitur attendentes, quod error, cui non resistitur, approbari videtur, ac malis, et perniciosis erroribus huiusmodi resistere, ac eos de

medio Christi fidelium, et praesertim de supradictis Bohemiae, et Moraviae dominiis, et districtibus ac confinibus, et viciniis eorum, ne amplius, et latius se extendant, funditus evellere cupientes, discretioni vestrae, sacro approbante Concilio Constantiensi, per Apostolica scripta committimus, et mandamus, quatenus vos Archiepiscopi, et Episcopi, ac electi, et quilibet vestrum, per se, seu alium, vel alios, quos graves, et idoneas personas spiritualem iurisdictionem habentes esse volumus, omnes et singulos cuiuscumque dignitatis, officii, praeeminentiae, status, vel conditionis existant, et quibuscumque nominibus censeantur, qui de praeexcelso, salutifero, et supermirabili sacramento Corporis et Sanguinis D. N. Iesu Christi, vel de Baptismate, seu peccatorum confessione, poenitentiae pro peccatis iniunctione, vel reliquis Ecclesiasticis Sacramentis, seu fidei articulis, aliter sentire aut docere, quam Sacrosancta Romana Ecclesia, et universalis docet, praedicat et observat, aut articulos, seu libros, et doctrinas praefatorum haeresiarcharum Ioannis Wicleff, et Ioannis Husz, et Hieronymi, per eamdem Constantiensem Synodum cum suis auctoribus, ut praedicitur, damnatos, et damnatas, tenere, credere, et dogmatizare, ac vitae finem ipsorum haeresiarcharum publice vel occulte pertinaciter quomodolibet laudare, vel approbare praesumpserint, eorumque receptatores, defensores, et fautores quoslibet etiam contemplatione praedictorum errorum, necnon credentes, et adhaerentes eisdem, tamquam haereticos saeculari Curiae relinquatis.

§ 5. Receptatores quoque, fautores, et defensores huiusmodi pestiferarum personarum, quae erroribus ipsis crediderint, nec favore, aut contemplatione errorum ipsorum, sed forte carnalis amoris causa, vel occasione alia huiusmodi personas pestiferas receptaverint, praeter poenas ab utroque iure talibus inflictas, per iudices competentes tanta severitate poenarum in tam enormi scelere ultionem accipiant, quod cedat ceteris crassantibus in exemplum, ut quos Dei timor a malo non revocat, saltem coerceat severitas disciplinae.

§ 6. Cum reliquis vero, huiusmodi secta damnabili quomodolibet infectis, qui post competentem monitionem, ac frequentem exhortationem, qua pie erga eos, spe correctionis, et emendationis, ac ad melioris vitae frugem conversionis, usum est, a praedictis erroribus, et secta noluerint resipiscere, et ad gremium unitatemque sanctae matris Ecclesiae, ac fidem catholicam, quae sola salvare potest, sine qua nulli verae salutis subsidium contingit, plene recognoscere, et confiteri, iustitiae severitas, prout facti poposcerit qualitas dulcore misericordiae temperetur.

§ 7. Et nihilominus omnes Christianae, et Catholicae fidei professores, Imperatorem, reges, duces, principes, marchiones, comites, barones, milites, potestates, rectores, consules, proconsules, scabinos, communitates, et universitates regnorum, provinciarum, civitatum, oppidorum, castrorum, villarum, terrarum, aliorumque locorum huiusmodi, necnon ceteros iurisdictionem temporalem exercentes, iuxta iuris formam, et exigentiam auctoritate Apostolica exhortando moneatis, et requiratis, ut de regnis, provinciis, civitatibus, oppidis, castris, villis, terris, et omnibus aliis locis, ac dominiis supradictis, omnes, et singulos haereticos huiusmodi secundum tenorem Lateranensis Concilii, quod incipit, Sicut ait, ad instar etiam irretitorum cri-

mine usurarum, quos publice, vel manifeste per facti evidentiam cognoverint esse tales, tamquam oves morbidas gregem Domini inficientes expellant, donec, et quousque a nobis seu vobis, vel aliis Iudicibus Ecclesiasticis vel Inquisitoribus, fidem et communionem Romanae Ecclesiae tenentibus, aliud recipiant in mandatis, nec eosdem in suis districtibus praedicare, domicilia tenere, larem fovere, contractus inire, negotiationes, et mercantias quaslibet exercere, aut humanitatis solatia, cum Christi fidelibus habere permittant.

§ 8. Et si tales haeretici publici ac manifesti, licet nondum per Ecclesiam declarati, in hoc tam gravi crimine decesserint, Ecclesiastica careant sepultura, nec oblationes fiant, aut recipiantur pro eisdem, bona tamen ipsorum a tempore commissi criminis secundum canonicas sanctiones, confiscata, non occupentur per illos, ad quos alias pertinerent, donec per huiusmodi Iudices Ecclesiasticos super hoc potestatem habentes, sententia declaratoria super ipso haeresis crimine fuerit promulgata.

§ 9. Qui autem de haeresi per iudicem competentem ecclesiasticum inventi fuerint sola suspicione notati seu suspecti, nisi iuxta considerationem, et exigentiam suspicionis qualitatemque personae, ad arbitrium iudicis huiusmodi propriam innocentiam congrua devotione monstraverint, in purgatione eis canonice indicta deficientes, et se canonice purgare non valentes, aut pro huiusmodi purgatione facienda, obstinatione damnabili iurare renuentes, tamquam haeretici condemnentur. Qui vero dictam innocentiam monstrare ex quadam negligentia seu desidia, et purgationem huiusmodi facere omiserint, anathematis gladio feriantur, et usque ad satisfactionem condignam ab omnibus evitentur; ita quod si per annum in excommunicatione huiusmodi perstiterint, ex tunc velut haeretici condemnentur. Si quis vero super aliquo saepedictae pestiferae doctrinae haeresiarcharum praedictorum, vel aliquibus articulis dumtaxat scandalosis, temerariis, seditiosis, vel piarum aurium offensivis, culpabilis repertus fuerit, canonice puniatur. Si vero propter solam infamiam, aut suspicionem dictorum articulorum, vel alicuius ipsorum, quis repertus fuerit suspectus, et in purgatione canonica propter hoc sibi indicta deficeret, pro convicto habeatur, et tamquam canonice convictus puniatur.

§ 10. Et insuper dispositionem fel. rec. Bonifacii Papae Octavi praedecessoris nostri, quae incipit, Ut inquisitionis negotium renovantes, et etiam exequentes, universas potestates, et dominos temporales, et iudices antedictos quibuscumque dignitatibus vel officiis seu nominibus censeantur, exhortando requirimus, et mandamus eisdem, ut sicut reputari cupiunt et haberi fideles, ac filii Ecclesiae nuncupari, et in Christi nomine gloriari, ita pro defensione fidei vobis Archiepiscopis, Episcopis, et electis, ac inquisitoribus haereticae pravitatis, et aliis iudicibus seu personis ecclesiasticis, per vos ad hoc, ut praemittitur, deputandis, fidem, et communionem sanctae matris Ecclesiae tenentibus, pareant, et intendant, praebeantque auxilium, et favorem in haereticorum, necnon credentium, fautorum, receptatorum, et defensorum ipsorum investigatione, captione, custodia diligenti, cum ab eisdem fuerint requisiti, ut praefatas personas pestiferas, alios secum perdere molientes, in potestatem seu carcerem per vos Archiepiscopos, Episcopos, electos, et Inquisitores praedictos, aut deputandos a vobis, vel ad locum de quo vos,

vel ipsi mandabitis, infra eorumdem dominorum potestatem, rectorum, seu iudicum districtum ducant, vel duci faciant sine mora, ubi per viros catholicos a vobis Archiepiscopis, vel Episcopis, electis, seu Inquisitoribus, seu deputandis personis huiusmodi, vel vestrum aliquo deputato, sub arcta, et diligenti custodia, ne fugiant, ponendo eos, etiam compedibus et manicis ferreis teneant, donec eorum negotium per Ecclesiae iudicium terminetur, et quod de haeresi a iudice Ecclesiastico competenti, qui fidem, et communionem dictae Sanctae Romanae Ecclesiae teneat, condemnentur, praefati domini temporales, seu rectores, iudices, vel eorum officiales seu nuncii, sibi relictos recipiant indilate animadversiones debita puniendos.

§ 11. Verum ne praeiudicium, et scandalum praefatae fidei orthodoxae religionis Christianae, praetextu ignorantiae quemquam in hoc circumveniri, aut versutos homines sub frivolae excusationis velamine in hac materia palliare contingat, et ut de convincendis seu cognoscendis haereticis, receptatoribus, defensoribus, fautoribus, credentibus, et adhaerentibus, necnon de haeresi suspectis, et aliis huiusmodi perversa doctrina quomodolibet maculatis, plenior habeatur in futurum instructio, tam ad regnum Bohemiae, et convicinas illi, quam alias quaslibet partes, in quibus haec superstitiosa doctrina quomodolibet pullulaverit, articulos infra scriptos sectam dictorum haeresiarcharum concernentes, pro directione dictae fidei decernimus transmittendos, et etiam destinandos, super quibus vobis, et aliis omnibus Archiepiscopis, Episcopis, et electis, ac commissariis, et inquisitoribus in virtute sanctae obedientiae praecipimus, et mandamus, ut quilibet eorum infra limites, et loca suae iurisdictionis, necnon regno, et marchionatu, et locis eis vicinis praedictis, etiam si loca ipsa extra iurisdictionem eamdem ultra duas dietas consistant, circa extirpationem, et correctionem errorum et haeresum, ac huiusmodi sectae pestiferae, in favorem ipsius fidei orthodoxae, diligenter invigilent, et omnes infamatos seu suspectos de tam pestifera labe sub confessati criminis, excommunicationis, suspensionis, interdicti aut alia formidabili poena canonica, vel legali, prout, quando, et quemadmodum eis videatur expedire, et facti requireret qualitas, ad singulos huiusmodi articulos per iuramentum corporaliter praestitum, tactis sacrosanctis Evangeliis seu sanctorum reliquiis, imagine Crucifixi, secundum quorumdam locorum observantiam, iuxta infrascripta interrogatoria, ad quemlibet articulum convenientia, respondere compellant. Nos enim contra omnes, et singulos Archiepiscopos, Episcopos, et electos, et Inquisitores, qui super extirpando haereticae pravitatis fermento, et expurgando suum territorium, districtum seu locum de talibus malis, et sceleratis hominibus, negligentes fuerint seu remisse egerint, usque ad privationem seu depositionem Pontificalis dignitatis procedere intendimus, et procedemus, ac procedi faciemus, aliosque loco illorum substituemus, qui pravitatem haereticam possint, et valeant confundere, et ad alias poenas contra tales a iure inflictas, et alias graviores, si expediat, infligendas, procedemus, procedique faciemus, iuxta iuris, et facti exigentiam ac huiusmodi culpae, et criminis foeditatem.

Tenores vero eorumdem articulorum, seu capitulorum, de quibus supra fit mentio, sequuntur per ordinem in haec verba.

Tenor Articulorum Ioannis Wicleff.

1. Substantia panis materialis, et similiter substantia vini materialis, remanent in Sacramento altaris.

2. Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem Sacramento.

3. Christus non est in eodem Sacramento identice et realiter in propria praesentia corporali.

7. Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis.

8. Si Papa sit praescitus, et malus, et per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte a Caesare.

10. Contra scripturam sacram est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones.

12. Praelatus excommunicans clericum, qui appellavit ad Regem, vel ad Concilium regni, eo ipso traditor est Regis, et Regni.

14. Licet alicui diacono, vel presbytero praedicare verbum Dei, absque auctoritate Sedis Apostolicae, sive Episcopi Catholici.

16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, id est, ex habitu, non solum actu, delinquentibus.

18. Decimae sunt purae eleemosynae, et possunt parochiani, propter peccata suorum Praelatorum, ad libitum suum eas auferre.

25. Omnes sunt Simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.

28. Confirmatio iuvenum, clericorum ordinatio, locorum consecratio, reservantur Papae, et Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis, et honoris.

31. Peccant fundantes claustra; et ingredientes sunt viri diabolici.

32. Ditare Clerum, est contra regulam Christi.

33. Silvester Papa, et Constantinus Imperator erraverunt Ecclesiam dotando (ditando).

34. Omnes de Ordine Mendicantium sunt haeretici: et dantes eis eleemosynam sunt excommunicati.

36. Papa cum omnibus Clericis suis possessionem habentibus, sunt haeretici, eo quod possessiones habent; et consentientes eis, omnes videlicet domini saeculares, et caeteri laici.

39. Imperator, et domini saeculares, sunt seducti a diabolo, ut Ecclesiam dotarent (ditarent) bonis temporalibus.

42. Fatuum est credere indulgentiis Papae, et Episcoporum.

43. Iuramenta illicita sunt, quae fiunt ad corroborandum humanos contractus, et commercia civilia.

44. Augustinus, Benedictus, et Bernardus damnati sunt, nisi poenituerint de hoc, quod habuerunt possessiones, et instituerunt, et intraverunt religiones: et sic a Papa usque ad ultimum religiosum, omnes sunt haeretici.

Tenor Articulorum Ioannis Husz.

7. Petrus non est, nec fuit caput Ecclesiae Sanctae Catholicae.

9. Papalis dignitas a Caesare inolevit: Papae praefectio, et institutio, Caesaris potentia emanavit.

10. Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se vel alio, quod esset caput Ecclesiae particularis, nec Romanus Pontifex est caput Romanae Ecclesiae particularis.

11. Non oportet credere, quod iste quicumque est Romanus Pontifex, sit caput cuiuscumque particularis Ecclesiae sanctae, nisi Deus eum praedestinaverit.

13. Papa non est verus, et manifestus successor Apostolorum Principis Petri, si vivit moribus contrariis Petro: et si quaerit avaritiam, tunc est vicarius Iudae Scarioth. Et pari evidentia Cardinales non sunt veri, et manifesti successores Collegii aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum, servantes mandata, et consilia Domini nostri Iesu Christi.

14. Doctores ponentes, quod aliquis per censuram Ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, saeculari iudicio est tradendus, pro certo sequuntur in hoc Pontifices, Scribas, et Pharisaeos, qui Christum non volentem eis obedire in omnibus, dicentes: Nobis non licet interficere quemquam, ipsum saeculari iudicio tradiderunt, et quod tales sint homicidae graviores, quam Pilatus.

17. Sacerdotes Christi viventes secundum legem eius, et habentes scripturae notitiam, et effectum ad aedificandum populum, debent praedicare, non obstante praetensa excommunicatione, *et infra:* Quod si Papa vel aliquis Praelatus mandat sacerdoti sic disposito, non praedicare, non debet subditus obedire.

18. Quilibet praedicantis officium de mandato accipit, qui ad sacerdotium accedit; et illud mandatum debet exequi, praetensa excommunicatione non obstante.

27. Non est scintilla apparentiae, quod oporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa Ecclesia militante conversetur, et conservetur.

Tenor Interrogatoriorum iuxta quae Haeretici, aut de haeresi suspecti interrogari debent.

Super praemissis autem articulis, quilibet de eis suspectus, seu in eorum assertione deprehensus, iuxta modum interrogetur infrascriptum:

5. Item, utrum credat, teneat et asserat, quod quodlibet Concilium generale et etiam Constantiense, universalem Ecclesiam repraesentet.

6. Item, utrum credat, quod illud quod sacrum Concilium Constantiense, universalem Ecclesiam repraesentans, approbavit, et approbat in favorem fidei et ad salutem animarum, quod hoc est ab universis Christifidelibus approbandum, et tenendum, pro condemnato credendum et asserendum.

9. Item, utrum habeat in sua potestate aliquos tractatus, opuscula, epistolas, vel quaecumque alia scripta in quocumque idiomate per Ioannem Wicleff, Ioannem Husz, et Hieronymum haereticos, seu ,eorum pseudodiscipulos, et sequaces editos, vel translatos, edita vel translata, quod illos vel illa Ordinario loci, vel eius Commissario seu Inquisitori sub iuramento praesentet. Quod si apud se scripta huiusmodi se habere non cognoverit, sed alibi, quod iuret illa circa suum Ordinarium vel alios supradictos infra certum terminum sibi praefigendum deponere.

11. Item specialiter literatus interrogetur, utrum credat sententiam sacri Constantiensis Concilii super quadraginta quinque Ioannis Wicleff, et Ioannis Husz triginta articulis superius descriptis, latam, fore veram, et Catholicam, scilicet, quod supradicti quadraginta quinque articuli Ioannis Wicleff, et Ioannis Husz triginta, non sunt Catholici, sed quidam ex eis sunt notorie haeretici, quidam erronei, alii temerarii, et seditiosi, alii piarum aurium offensivi.

12. Item, utrum credat et asserat, quod in nullo casu sit licitum iurare.

13. Item, utrum credat, quod ad mandatum Iudicis Iuramentum de veritate dicenda, vel quodlibet aliud ad causam opportunum, etiam pro purificatione infamiae faciendum, sit licitum.

14. Item, utrum credat, quod periurium scienter commissum, ex quacumque causa vel occasione, pro conservatione vitae corporalis propriae vel alterius, etiam in favorem fidei, sit peccatum mortale.

15. Item, utrum credat, quod deliberato animo contemnens ritum Ecclesiae, caeremonias Exorcismi, et Catechismi, Aquae baptismatis consecratae, peccet mortaliter.

16. Item, utrum credat, quod post consecrationem sacerdotis in sacramento Altaris sub velamento panis et vini non sit panis materialis, et vinum materiale, sed idem per omnia Christus, qui fuit in cruce passus, et sedet ad dexteram Patris.

17. Item, utrum credat et asserat, quod facta consecratione per sacerdotem, sub sola specie panis tantum, et praeter speciem vini, sit vera caro Christi, et sanguis, et anima, et deitas, et totus Christus, ac idem corpus absolute, et sub una qualibet illarum specierum singulariter.

18. Item, utrum credat, quod consuetudo communicandi personas laicales sub specie panis tantum, ab Ecclesia universali observata, et per sacrum Concilium Constantiae approbata, sit servanda, sic quod non liceat eam reprobare, aut sine Ecclesiae auctoritate pro libito immutare. Et quod dicentes pertinaciter oppositum praemissorum, tamquam haeretici vel sapientes haeresim, sint arcendi, et puniendi.

19. item, utrum credat, quod Christianus contemnens susceptionem sacramentorum Confirmationis, vel extremae Unctionis, aut solemnizationis Matrimonii peccet mortaliter.

20. Item, utrum credat, quod Christianus ultra contritionem cordis, habita copia sacerdotis idonei, soli sacerdoti de necessitate salutis confiteri teneatur, et non laico seu laicis quantumcumque bonis, et devotis.

21. Item, utrum credat, quod sacerdos in casibus sibi permissis, possit

peccatorem confessum, et contritum a peccatis absolvere, et sibi poenitentiam iniungere.

24. Item, utrum credat, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit eius nomine proprio expresso, sit successor B. Petri habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei.

25. Item, utrum credat auctoritatem iurisdictionis Papae, Archiepiscopi et Episcopi in solvendo, et ligando, esse maiorem auctoritate simplicis sacerdotis, etiamsi curam animarum habeat.

26. Item, utrum credat, quod Papa omnibus Christianis vere contritis, et confessis, ex causa pia, et iusta possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum, maxime pia loca visitantibus, et ipsis manus suas porrigentibus adiutrices.

28. Item, utrum credat, quod singuli Episcopi suis subditis secundum limitationem sacrorum Canonum huiusmodi indulgentias concedere possint.

29. Item, utrum credat, et asserat, licitum esse Sanctorum reliquias et imagines a Christi fidelibus venerari.

30. Item, utrum credat, religiones ab Ecclesia approbatas, a sanctis Patribus rite et rationabiliter introductas.

31. Item, utrum credat, quod Papa vel alius Praelatus propriis nominibus Papae pro tempore expressis, vel ipsorum Vicarii, possint suum subditum ecclesiasticum sive saecularem, propter inobedientiam sive contumaciam excommunicare, ita quod talis pro excommunicato sit habendus.

32. Item, utrum credat, quod inobedientia sive contumacia excommunicatorum crescente, Praelati vel eorum Vicarii in spiritualibus, habeant potestatem aggravandi, et reaggravandi, interdictum ponendi, et brachium saeculare invocandi, et quod illis censuris per inferiores sit obediendum.

33. Item, utrum credat, quod Papa vel alii Praelati et eorum Vicarii in spiritualibus habeant potestatem sacerdotes, et laicos inobedientes, et contumaces excommunicandi, ab officio, beneficio, ingressu Ecclesiae, et administratione ecclesiasticorum sacramentorum suspendendi.

34. Item, utrum credat, quod liceat personis Ecclesiasticis absque peccato, huius mundi habere possessiones, et bona temporalia.

35. Item, utrum credat, quod laicis ipsa ab eis auferre potestate propria non liceat, immo quod sic auferentes, tollentes et invadentes bona ipsa Ecclesiastica, sint tamquam sacrilegi puniendi, etiamsi male viverent personae Ecclesiasticae bona huiusmodi possidentes.

36. Item, utrum credat, quod huiusmodi ablatio, et invasio cuicumque sacerdoti, etiam maleviventi, temere vel violenter facta, vel illata, inducant sacrilegium.

37. Item, utrum credat, quod liceat laicis utriusque sexus, viris scilicet et mulieribus, libere praedicare verbum Dei.

38. Item, utrum credat, quod singulis sacerdotibus libere liceat praedicare verbum Dei, ubicumque et quandocumque placuerit, etiamsi non sint missi.

§ 12. Volumus insuper ac statuimus et decernimus, quod si quis per secretam informationem per vos recipiendam, vel alias repertus fuerit infa-

matus, seu suspectus de quacumque specie haeresis, pestiferae sectae, vel doctrinae pestilentium Ioannis Wicleff, Ioannis Husz, et Hieronymi de Praga, haeresiarcharum praedictorum aut de fovendo, receptando, defendendo praefatos damnatos homines, dum viverent in humanis, vel ipsorum perfidos sequaces et pseudodiscipulos, aut ipsorum erroribus credendo, pro ipsis defunctis vel aliquo ipsorum post obitum orando, vel inter Catholicos nominando et defendendo, vel ipsos ut sanctos colendo, praedicando, vel adorando, vel alias circa eos suspecte agendo, citetur per vos seu alterum vestrum, personaliter coram vobis seu altero vestrum compariturus, semotis procuratore, et advocato, responsurus medio iuramento per ipsum sic (ut praedictum est) corporaliter praestito de plena et mera veritate dicenda super praedictis articulis seu eorum singulis vel aliis opportunis, secundum exigentiam casus et occurrentium circumstantiam ad arbitrium vestrum, et prout vobis seu alteri vestrum videbitur expedire, vel alias contra eosdem ipsorum singulos prout praesentibus exprimitur vel alias canonice procedatis.

§ 13. Necnon praesentes litteras, exclusis articulis et interrogatoriis superius positis, atque omissis, in civitatibus, dioecesibus, terris et locis aliis, ubi tute fieri poterit, auctoritate nostra solemniter publicetis et publicari faciatis, omnes et singulos haereticos huiusmodi, necnon sectatores ipsarum haeresum et errorum utriusque sexus, tuentes, et etiam defendentes eosdem, aut haereticis ipsis quomodolibet publice, vel occulte in divinis vel alias participantes, etiamsi Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, regali, reginali, ducali, aut alia quavis Ecclesiastica, vel mundana praefulgeant dignitate; necnon advocatos et procuratores quoslibet, qui haereticos huiusmodi aut eorum credentes, sequaces, fautores, defensores, et receptatores super crimine haeresis aut credulitatis, sequelae, fautoriae, defensionis et receptationis huiusmodi defenderint, excommunicatos singulis diebus Dominicis et festivis in praesentia populi nuncietis, et per alios nunciari faciatis.

§ 14. Et nihilominus contra eosdem omnes, et singulos utriusque sexus, huiusmodi errores tenentes, approbantes, defendentes, dogmatizantes, ac fautores, et receptatores, et defensores eorumdem exemptos, et non exemptos, et quemlibet ipsorum, cuiuscumque dignitatis, status, praeeminentiae, gradus, ordinis vel conditionis (ut praefertur) existant, auctoritate nostra diligenter inquirere studeatis, et eos, quos per inquisitionem huiusmodi diffamatos, vel per confessionem eorum, seu per facti evidentiam, vel alias huiusmodi haeresis et erroris labe respersos reperietis, auctoritate praedicta etiam per excommunicationis, suspensionis et interdicti, necnon privationis dignitatum, personatuum et officiorum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum ac feudorum, quae a quibuscumque Ecclesiis, Monasteriis, ac aliis locis Ecclesiasticis obtinent, ac etiam bonorum et dignitatum saecularium, ac graduum scientiarum quarumcumque facultatum, et per alias poenas, sententias, et censuras Ecclesiasticas, ac vias et modos, quos ad hoc expedire seu opportunos esse videritis, etiam per captiones, et incarcerationes personarum, et alias poenas corporales, quibus haeretici puniuntur seu puniri iubentur, aut solent iuxta canonicas sanctiones. Similiter et clericos ipsos et ecclesiasticas personas, usque ad degradationem inclusive, si eorum culpa ac pertinacia

vel rebellio id exigat aut requirat, corrigatis, et puniatis, ac diligenter corrigi, et puniri faciatis. Necnon contra eosdem et ipsorum, laicorumque bona secundum canonicas sanctiones, et legales contra haereticos, et eorum sequaces editas, quibus eosdem sectatores sive sequaces subiacere decernimus, animose consurgatis iuxta modum et formam supradictos. Et qui de praemissis haeresibus vel articulis, vel aliquo praemissorum infamati fuerint, ad arbitrium vestrum se purgare teneantur. Alii vero, qui per testes seu propriam confessionem vel alias legitimas probationes convicti fuerint de praemissis haeresibus vel articulis vel aliquo praemissorum, eosdem articulos, et errores solemniter, et publice revocare, abiurare, poenitentiam condignam, etiam ad immurationem (si delictum exegerit) subire cogantur. Necnon quod errores, et haereses huiusmodi cuiuscumque generis vel speciei censeantur, de caetero verbo, nutu vel facto non fovebunt, seu alios ad credendum illis verbo vel facto, publice, vel occulte, directe, vel indirecte, aut alio quovis modo inducent, sufficientem et idoneam cautionem praestare teneantur. Quod si forsan eosdem articulos solemniter et publice revocare et abiurare, et poenitentiam condignam, etiam ad immurationem perpetuam vel temporalem iuxta vestrae discretionis arbitrium sine dilatione subire, ac sufficientem cautionem, quod errores, et haereses ipsas de caetero non tenebunt, nec fovebunt, nec alios ad credendum vel verbo, vel facto publice, vel occulte, directe, vel indirecte, vel quovis quaesito colore inducent, praestare, seu aliquod praemissorum facere noluerint, ex tunc contra ipsos iuxta qualitatem errorum ac delictorum suorum, etiam (si expediat) tamquam contra haereticos, aut haeretica labe respersos, auctoritate nostra iuxta canonicas, et legales sanctiones summarie, et simpliciter ac de plano sine strepitu, et figura iudicii, et etiam ex officio, appellatione, seu appellationibus quibuscumque cessantibus, procedatis, ac ipsos iuxta easdem canonicas traditiones puniatis, etiam si opus fuerit curiae saeculari relinquendo: Contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc (si opus fuerit) auxilio eiusdem brachii saecularis.

§ 15. Non obstantibus tam felic. record. Bonifacii Papae Octavi praedecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra civitatem, et dioecesim suam, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam, a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede Apostolica deputati, extra civitatem, et dioecesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine dioecesum eorumdem trahere praesumant, et de duabus dietis in Concilio generali, quam aliis quibuscumque constitutionibus Romanorum Pontificum, tam a iudicibus delegatis, quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut aliis editis, quae possint in hac parte vestrae iurisdictioni aut potestati, eiusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, seu ultra, vel extra loca ad iudicium evocari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, et eorum personis, locis, et ordinibus, et nominibus propriis mentionem, et qualibet alia dictae Sedis

indulgentia generali, vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam, vel totaliter non insertam, vestrae iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri et de qua, cuiusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris literis habenda sit mentio specialis.

[Bull. Rom., tom. 3, II, p. 419-426. - Mansi, tom. 27, col. 1204-1215. - *Cf. ibidem* col. 632-635, 754, 755].

44.

Martinus V (in Conc. Constantien.), const. *In eminentis*, 22 febr. 1418.

..... Cum in nonnullis Mundi partibus quidam temerarie asserere praesumant, populum Christianum debere sacrum Eucharistiae sacramentum sub utraque panis et vini specie suscipere: et non solum sub specie panis, sed etiam sub specie vini populum laicum passim communicent, etiam post coenam, vel alias non ieiunum, et communicandum esse pertinaciter asserant, contra laudabilem ecclesiae consuetudinem rationabiliter approbatam, quam tanquam sacrilegam damnabiliter reprobare conantur: hinc est, quod hoc praesens Concilium sacrum generale Constantiense, in Spiritu Sancto legitime congregatum, adversus hunc errorem saluti fidelium providere satagens, matura plurium doctorum tam divini, quam humani iuris deliberatione praehabita, declarat, decernit et diffinit: Quod licet Christus post coenam instituerit, et suis discipulis administraverit sub utraque specie panis et vini hoc venerabile sacramentum, tamen hoc non obstante, sacrorum Canonum auctoritas laudabilis, et approbata consuetudo ecclesiae servavit et servat, quod huiusmodi sacramentum non debet confici post coenam, neque a fidelibus recipi non ieiunis, nisi in infirmitatis, aut alterius necessitatis, a iure vel ecclesia concesso, vel admisso. Et similiter, quod licet in primitiva ecclesia huiusmodi sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie, tamen haec consuetudo ad evitandum aliqua pericula et scandala est rationabiliter introducta, quod a conficientibus sub utraque specie, et a laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur; cum firmissime credendum sit, et nullatenus dubitandum, integrum Christi Corpus et Sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri. Unde cum huiusmodi consuetudo ab ecclesia et sanctis patribus rationabiliter introducta, et diutissime observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine ecclesiae auctoritate pro libito mutare. Quapropter dicere, quod hanc consuetudinem aut legem observare, sit sacrilegum aut illicitum, censeri debet erroneum: et pertinaciter asserentes oppositum praemissorum, tanquam haeretici arcendi sunt et graviter puniendi per dioecesanos locorum, seu officiales eorum, aut inquisitores haereticae pravitatis, in regnis seu provinciis, in quibus contra hoc decretum aliquid fuerit forsan attentatum aut praesumptum, iuxta canonicas et legitimas sanctiones, in favorem catholicae fidei, contra haereticos et eorum fautores, salubriter adinventas.

..... Nos igitur declarationes, decreta, diffinitiones, reprobationes, mandata, inhibitiones, statuta, necnon condemnationes et sententias suprascripta rata habentes et grata, illaque auctoritate Apostolica, ex certa scientia, tenore praesentium confirmantes, et praesentis scripti patrocinio communientes, supplentes quoque omnes defectus, si qui forsan propter solemnitates iuris in procedendo non servatas intervenerint in eisdem. Volumus etiam et eadem auctoritate decernimus, quod declarationes, diffinitiones, reprobationes, mandata, inhibitiones, statuta, necnon condemnationes et sententiae praeinsertae, plenam vim, plenumque robur, et vigorem per omnia habeant, et ad ea ut ubilibet probanda hae nostrae litterae plene sufficiant, quandocumque et ubicumque eas sive in iudicio vel alibi exhiberi contigerit, vel ostendi. Nulli ergo etc.

[Mansi, tom. 27, col. 1215-1220. - Cf. ibidem col. 727, 728].

45.

Martinus V (in Conc. Constantien.), const. *Ad evitanda*, a. 1418.

Ad evitanda scandala et multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, omnibus Christi fidelibus tenore praesentium misericorditer indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicuius in sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis, vel extra; praetextu cuiuscumque sententiae aut censurae ecclesiasticae,[1] a iure vel ab homine generaliter promulgatae, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, ac interdictum ecclesiasticum observare. Nisi sententia vel censura huiusmodi fuerit in vel contra personam, collegium, universitatem, ecclesiam, communitatem, aut locum certum, vel certa, a iudice publicata vel denunciata specialiter et expresse: Constitutionibus Apostolicis et aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque: salvo, si quem pro sacrilegio et manuum iniectione in clerum, sententiam latam a canone adeo notorie constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversationi celari, nec aliquo iuris suffragio excusari. Nam a communione illius, licet denunciatus non fuerit, volumus abstineri, iuxta canonicas sanctiones.

[Mansi, tom. 27, col. 1192, 1193].

46.

Martinus V, const. *Ad reprimendas*, 1 febr. 1428.

Ad reprimendas insolentias transgressorum, eorumque praesumptionem refraenandam, si nervus ecclesiasticae disciplinae lentescat, eorum voluntas proclivior fit ad peccandum, et exemplum impunitatis periculosius in alios

[1] Aliter: seu suspensionis aut prohibitionis.

derivatur. Propter quod ad praesidentis officium pertinet, sic debitam executionem adhibere iustitiae, quod commissa iam puniat, et committendorum in posterum audaciam interdicat.

§ 1. Sane, sicut displicenter accepimus, nonnulli diversorum regnorum, et terrarum iudices, aliique officiales laici, et laicales personae, iurisdictionem in temporalibus exercentes, exercerique facientes, non attendentes, quod laicis in Clericos, et Ecclesiasticas personas, et illorum bona, nulla sit attributa potestas, praetextu huiusmodi (quod asserant in suis dominiis ad se pertinere coercere via facti, quae vere, et ficte attentata asseruntur, etiam in quocumque loco sacro, vel religioso quantumcumque Deo dicato, ex quacumque causa, etiamsi ratione delationis Corporis Christi, collationis Sacramentorum, et Beneficiorum Ecclesiasticorum, venditionis factarum, aut aliarum rerum, et bonorum ad Ecclesias, et Ecclesiasticas personas pertinentium quomodocumque, etiam si sola negatione, vel affirmatione turbatio facti interveniat, et ad eos recurratur, cognitionem ad se spectare, pro eo quod factum, et novitas quae praetenduntur, etiam sine alia violentia, quamvis in loco spirituali, et in loco sacro sive religioso, eo quod immediate, ut praetenduntur, spiritualia non existant) propterea ministros Ecclesiae, et personas Ecclesiasticas, quantumcumque res, causa, vel occasio unde dependeat, et derivetur, pia, sacra, vel Ecclesiastica sit, aut spiritualis, ad forum suum, et ipsarum cognitionem trahunt, et respondere cogunt.

§ 2. Necnon procuratores fiscales in Curiis temporalibus multoties agere procurant, ad quos (quod deterius est) nonnulli Praelati, et personae Ecclesiasticae in superbiam, et elationem dati, ad superandum, et sibi subiiciendum per tales inventiones, et cautelas, alias personas Ecclesiasticas, et religiosas, habent plerumque recursum, et propterea in eisdem regnis, et terris, civitatibus, castris, et locis, auctoritas, et iurisdictio Ecclesiastica penitus absorbentur, et nihilominus ipsi laici iudices, alios laicos respondentes in foro Ecclesiastico super rebus quantumcumque Ecclesiasticis, vel spiritualibus, et concernentibus immediate Ecclesiasticas personas, ne respondeant, et iudicibus Ecclesiasticis, ne cognoscant, inhibitiones fieri sub gravibus poenis temporalibus faciunt, et procurant, et si secus fecerint, emendam pecuniariam excessivam exigere, ac vastatores in domibus, et piis aliis locis Ecclesiasticis, et religiosis inducere, ac loca ipsa, personasque Ecclesiasticas, iocalibus et paramentis Ecclesiasticis, et bonis mobilibus, ac aliis spoliare, illaque vendere, et alienare, fructus quoque et proventus ad temporalitatem ad manus suas ponere, necnon diversas iniurias, et molestias reales, et personales eisdem personis Ecclesiasticis inferre non verentur, in Dei offensam, animarum suarum periculum, Ecclesiasticae libertatis vilipendium; et plurimorum gravamen, praeiudicium, et iacturam.

§ 3. Nos igitur adversus talia praesumentium temeritatem remedia apponere, et super his salubriter providere cupientes, ac Concilii Milevitani, ac fel. record. Innocentii Papae III praedecessoris nostri constitutionibus super hoc editis, auctoritate Apostolica, ex certa scientia, hac nostra irrefragabili constitutione perpetuo duratura, tenore praesentium statuimus, decernimus, ac etiam ordinamus, quod omnes, et singulae personae Ecclesiasticae saecu-

lares, et regulares Ordinum quorumlibet, quacumque exceptione suffultae, etiam Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, Abbatiali, vel alia quavis praefulgeant dignitate, quae aliam personam Ecclesiasticam, Collegium, vel Conventum, in actione reali, mixta, vel personali, civili, vel criminali, etiam occasione cuiuscumque submissionis, etiam iuramento vallatae, vel alias ad forum, sive iudicium laicale, directe, vel indirecte (de qua in foro Ecclesiastico ordinari consueverit, possit, vel debeat, de iure, vel de consuetudine, aut alias cognosci) trahere praesumpserit, causam ipsam, et omne ius ei, sive eis, in possessorio, vel petitorio in re, vel ad rem, causa, vel occasione huiusmodi quomodolibet competentes, eo ipso perdant penitus, et amittant, et singulares personae, excommunicationis, Capitula vero, et conventus, suspensionis, et interdicti sententias incurrant ipso facto, et si personae ipsae, et eis in praemissis adhaerentes, et servientes, in aliquo rebelles fuerint, et incontinenti non obedierint, omnes illas per privationem suorum beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque, quae obtinebant, et in quibus, et ad quae ius quomodolibet competit, et inhabilitationem ad alia in posterum obtinenda, coerceri et compelli volumus antedictas.

§ 4. Et nihilominus omnes, et singulos Iudices, et Executores, Communitates, dominia, laicos, et laicales personas, postquam exceptum fuerit de non iurisdictione eorum, aut evidenter appareat huiusmodi cognitionem ad eos de iure non spectare, talia praesumentes, et ea fieri mandantes, seu eorum nomine, et mandato facta, rata habentes, vel eis faciendis dantes auxilium, consilium, vel favorem, cuiuscumque praeeminentiae, dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis existant, saeculares personas: eorum videlicet singulos officiales, quocumque nomine censeantur, et consiliarios, et privatas personas, quae praemissorum principales perpetratores existerent, excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto; nullusque ab eisdem sententiis, per alium quam per Romanum Pontificem praeterquam in mortis articulo constitutus absolvi valeat, sive possit, et praemissa omnia, non tantum ad futura sed etiam ad praesentia, et pendentia extendimus auctoritate memorata.

§ 5. Quodque etiam Procurator Fiscalis causarum Curiae Camerae Apostolicae contra culpabiles in praemissis desuper summaria informatione praehabita, per se, vel alium, seu alios, agere, et procedere possit et valeat, nihilominus concedentes.

§ 6. Non obstante si aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum, de eorum propriis nominibus ac indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet constitutionibus, privilegiis, indultis, et literis Apostolicis, de quibus etiam plena, et expressa, ac de verbo ad verbum, in nostris literis habenda est mentio specialis, caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo, etc.

[Bull. Rom., tom. 3, II, p. 459, 460].

47.

Martinus V, const. *Ineffabile*, 26 maii 1429.

Ineffabile Sacramentum, quod sacerdos in aeternum Christus Dominus instante, quam pro peccatoribus subire voluit, suae mortis tempore, nobis ut digne eo refecti divinitatis ipsius participes simus in memoriale reliquit gloriosi Corporis, et Sanguinis eius mysterium, praecipuis a fidelium quolibet attollendum fore recensentes honoribus, ac devotissimis laudum studiis amplectendum, mystica dispensatione thesauri fideles eosdem, quod tam pretiosissimi venerationi sacramenti sinceris affectibus, et dignis obsequiis ferventer intendant, excitare satagimus, ut huiusmodi in eis fructum mors afferat, et illis caelesti pabulo vegetatis ipsius institutio sacramenti prosit iugiter ad salutem.

§ 1. Sane dudum fel. rec. Urbanus Papa Quartus praedecessor noster ad orthodoxae corroborationem, et exaltationem fidei digne, ac rationabiliter statuens, ut de tanto Sacramento, praeter illam, quae dietim in Ecclesia fit, annuatim memoria solemnior, et specialior haberetur, et ad celebrandum eius tam excelsum tamque gloriosum festum quintam post octavas Pentecostes feriam designans, ipsosque fideles ad colendum illud donis spiritualibus animarum volens, omnibus vere poenitentibus, et confessis, qui in matutinali officio festi eiusdem in Ecclesia, in qua illud celebraretur interessent, centum: qui vero missae totidem, et qui in primis ipsius festi Vesperis similiter centum, qui autem in secundis totidem. Illis vero, qui Primae, Tertiae, Sextae, et Nonae, ac Completorii horarum Officiis pro qualibet ipsarum quadraginta. Iis autem, qui per octavas ipsius festi matutinalibus, vespertinis, missae ac praedictarum horarum officiis interessent singulis octavarum ipsarum diebus, etiam centum dies de iniunctis sibi poenitentiis misericorditer relaxavit.

§ 2. Nos vero, qui huius verricula mundi, superstitiosis haeresum fomentis, guerrarum turbinibus, necnon pestis, et aliarum, quae dietim ex divinae Maiestatis, ut formidamus, offensa circumstrepunt calamitatum dispendiis fines (proh dolor) adducere cernimus passim deteriores, amplioribus spiritualis recompensationis impendiis fideles eosdem ad impertienda pro veneratione sacramenti huiusmodi, et ut illud, quo pascantur, et serventur ipsorum corda, perlustrent, potiora reverentiae, et devotionis exercitia firmare summopere cupientes, singulis ex eis vere poenitentibus, et confessis, qui et quoties in ipsius Sacramenti profesto ieiunium, vel loco illius aliud pium iuxta suorum consilia confessorum opus fecerint, centum, et qui praemissa in Ecclesiis, quibus illa celebrari contigerit officiis interfuerint, necnon Episcopis, et aliis Praelatis superioribus, qui dictis officiis libenter interessent, sed quominus eis in ipsis Ecclesiis interesse possint pro conservandis suarum dignitatum iuribus, et alias legitime tunc impeditis, pro matutinali ducentos, et pro Missae officiis totidem, ac pro qualibet Vesperarum etiam ducentos, reliquarum vero videlicet, Primae, Tertiae, Sextae, et Nonae, ac Completorii festi,

octuaginta. Rursus autem in quibuslibet octavarum diebus pro singulis matutinalium, Missarum, et Vesperarum similiter centum, necnon reliquarum horarum officiorum huiusmodi quadraginta. Illi praeterea, qui processiones, in quibus ipsum vivificum Sacramentum dicto festo iuxta praefatarum ritus Ecclesiarum deferetur, continuo secuti fuerint, a quibuslibet in festo, et octavarum diebus huiusmodi pro pace, et tranquillitate Ecclesiae missas devote celebrantibus pro singulis ipsarum, necnon aliis in eodem festo Eucharistiae Sacramentum devote sumentibus etiam centum, singulis annis. Profecto vice qualibet eis, qui dum Corpus Dominicum communicandis defertur infirmis, illud cum incenso luminari praecedendo, vel sequendo venerantur, similiter centum, et qui tunc illud alias devote secuti fuerint, etiam quinquaginta dies de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Apostolorum eius Petri, et Pauli auctoritate confisi, de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus.

§ 3. Quodque in festo, et diebus octavarum huiusmodi etiam in terris, et locis Ecclesiastico quavis auctoritate suppositis interdicto, pulsatis campanis, ianuis apertis, et alta voce, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis, ut citius reconciliari studeant, admissis, et illis qui causam, vel occasionem huiusmodi interdicti dederint altari tunc nullatenus appropinquantibus, Missae, et Officia praemissa licite celebrari possint, auctoritate Apostolica concedimus per praesentes, aliis quae circa observationem interdictorum a nostris sunt instituta praedecessoribus, in suo robore duraturis.

§ 4. Et insuper universos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos et alios Ecclesiarum Praelatos monemus, et hortamur in Domino, ac eisdem per Apostolica scripta in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, et in remissione peccaminum iniungimus, ut per se, vel alios eorum subditis per singulas suarum civitatum, et Dioecesum Ecclesias in Dominica feriam, et festum praedicta proxime praecedente, salutaribus ad venerationem potissime Sacramenti huiusmodi monitis, et exhortationibus, praesentium literarum continentiam, et effectum publicare, et insinuare procurent, ut eodem suffragante mysterio subditi, et fideles ipsi, gratiarum uberiori fulciantur augmento, et ab illo qui se pro ipsis immolavit hostiam, post huius vitae cursum ad gloriam perducantur aeternam.

§ 5. Verum quia difficile foret praesentes literas singulis exhiberi, volumus, et eadem auctoritate decernimus, quod ipsarum transumpto manu publica, et sigillo alicuius Episcopalis, vel superioris Ecclesiasticae Curiae munito, tamquam praefatis si originales exhiberentur literis, plena fides adhibeatur, et perinde stetur, ac si praedictae originales literae forent exhibitae, vel ostensae.

[Bull. Rom., tom. 3, II, p. 461, 462].

48.

Eugenius IV, const. *Excellentissimum*, 26 maii 1433.

Excellentissimum Corporis et Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi Sacramentum, quod appropinquante passionis eius hora Dominus ipse signo praecipui, quo nos dilexit, amoris salubriter instituit, eiusque commemorationem

sacratissimam iugi mentis exultatione contemplantes, ad hoc inter singulos huiusmodi mercatos sanguine spiritualia dispensare munera votis exposcimus, ut illi condignis assurgentes laudibus, sua frequentius ad ipsius venerationem Sacramenti corda dirigant, et eo quo corporalis habetur praesentia Salvatoris viatico fructus vitae complectentes aeternae caelestia conscendant, ipsum, qui se nobis in edulium tribuit, perpetuo conspecturi.

§ 1. Sane dudum piae mem. Urbanus Papa Quartus praedecessor noster, etc. Et subsequenter Martinus PP. V.

Omittitur narrativa harum constitutionum, quia eam habes supra, in N. 47.

§ 2. Nos vero quos interim ad summi Apostolatus apicem divina clementia perduxit, etiam pro frequentiori huiusmodi veneratione Sacramenti summis gestientes affectibus nostri partes ministerii salubriter impertiri, necnon relaxationes, et concessiones praedictas Apostolici robore muniminis ipsorum notioni fidelium committentes praemissis per eumdem Martinum praedecessorem, ut praefertur relaxatis diebus alios totidem dies pariformiter ab ipsis fidelibus consequendis adiicimus per praesentes.

§ 3. Et insuper universos Patriarchas, Archiepiscopos, et alios Ecclesiarum Praelatos monemus ac hortamur in Domino, ac eis per Apostolica scripta in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, et in remissione peccaminum iniungimus, ut per se vel alios eorum subditos per singulas suarum Civitatum et Dioecesum Ecclesias in dominica feriam et festum praedicta proxime praecedente, salutaribus ad venerationem potissime Sacramenti huiusmodi monitis et exhortationibus praesentium, quarum etiam tenor inter matutinales festorum, necnon dierum octavarum huiusmodi lectiones recitetur, literarum continentiam et effectum publicare et insinuare procurent, ut eiusdem Sacramenti suffragante mysterio subditi et fideles ipsi spiritualium gratiarum uberiori fulciantur augmento, et ab illo, qui se per ipsum immolavit hostiam post hunc vitae cursum ad gloriam perducantur aeternam.

§ 4. Verum quia difficile foret huiusmodi literas singulis exhiberi, volumus, et eadem auctoritate decernimus, quod ipsarum transumpto manu publica, et sigillo alicuius Episcopalis vel superioris Ecclesiasticae Curiae munito, tamquam praefatis si originales exhiberentur literis plena fides adhibeatur, et perinde ac si originales literae forent exhibitae vel ostensae.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 9, 10].

49.

Eugenius IV, const. *Cum detestabile*, 18 maii 1434.

Cum detestabile scelus simoniacae pravitatis tam divinarum scripturarum, quam sacrorum Canonum auctoritas abhorreat et damnet, nos considerantes, quod plures poenarum gravitas, quam Dei timor avertere solet a voluntate peccandi, ac summis desideriis affectantes, ut hoc pestiferum vitium non ex usu solum, sed etiam ex mentibus hominum saltem propter poenarum metum penitus evellatur:

§ 1. Praedecessorum Romanorum Pontificum vestigiis inhaerendo, ac etiam omnes et singulas excommunicationis, suspensionis, privationis, et interdicti sententias, censuras, atque poenas dudum a Pontificibus praedictis, et pro talibus reputatis contra simoniacos quomodolibet latas, et quas illos cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, vel praeeminentiae fuerint, etiamsi Cardinalatus, Patriarchali, Episcopali, Regali, Reginali, vel alia quavis ecclesiastica, seu mundana dignitate praefulgeant, et eorum quemlibet tam manifestum, quam occultum ipso facto incurrere volumus, confirmantes et innovantes, auctoritate Apostolica declaramus, quod omnes illi, qui simoniace ordinati fuerint, a suis sint ordinibus suspensi, per electiones vero, postulationes, confirmationes, provisiones seu quasvis alias dispositiones, quas simoniae labe fieri contigerit, et quae viribus omnino careant, in Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, personatibus, officiis Ecclesiasticis, quibusvis beneficiis, aut aliquo eorum cuicumque ius nullatenus acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus suos, sed ad omnium illorum, quae perceperit, restitutionem, sub animae suae periculo sit adstrictus. Statuentes praeterea, quod universi, et singuli etiam praemissa dignitate praediti, qui quomodolibet dando vel recipiendo simoniam commiserint, aut quod illa fiat, mediatores extiterint, seu procuraverint, sententiam excommunicationis incurrant, a qua nisi a Romano Pontifice pro tempore existente non possint absolvi, praeterquam in mortis articulo constituti.

§ 2. Et ut huiusmodi labis contagium frequentius reprimatur, omnibus et singulis Ecclesiasticis, saecularibusque personis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, seu conditionis fuerint, in virtute sanctae obedientiae districte iniungimus, ut eos omnes, quos simoniam huiusmodi commisisse, vel procurasse, aut in ea mediatores esse sciverint, Pontifici praedicto, vel eius Camerario, aut cui idem Pontifex duxerit committendum, per se, vel per alios revelare quam citius non omittant; quod si non fecerint, absolvi non debeant, donec praedicta revelent. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 10, 11].

50.

Eugenius IV, ep. *Non mediocri*, a. 1439. [1]

Non mediocri dolore afficimur, cum inter fratres nostros Episcopos, seu alios Ecclesiasticos, dissidii aliquid exortum esse percipimus, tum propter malum, quod inde in populis exemplum provenit, tum quia contemptus et detractationis praebetur occasio.

§ 1. Proinde non parum audisse displicuit dissensionem illam, quam cum dilecto filio nostro Ioanne tit. S. Balbinae Presbytero Cardinali nuper tua fraternitas habuit, cum nova et insolita res ipsa sit, quae nunc attentatur. In primis autem admiramur satis cum per 14 annos, et amplius cum

[1] Henrico Archiepiscopo Cantuariensi.

dilecto filio nostro Henrico tit. S. Eusebii Presbytero Cardinali in sedendo, et in ferendis votis sine altercatione vixeris, et nullam secum super hoc prorsus habueris disceptationem, quid causae sit, quod nunc primum in contentionem venias cum ipso Ioanne Cardinali eadem praedito dignitate. Nec quidem generis regii erga ipsum Henricum ratio praetendi potest, quoniam, et antequam Cardinalatus ipsam foret dignitatem adeptus, dumtaxat existens Vintoniensis Episcopus, et voce, et loco tibi cedebat, postea autem quam in Card. per fel. rec. Martinum praedecessorem nostrum assumptus est, iure tibi, et aliis antepositus fuit, et nunc anteponitur. Quod si sola Cardinalatus dignitas hanc in alio praelationem operata est, cur in isto itidem non efficiet? Cum tamen ipse Archiepiscopus, ille Episcopalem obtineat dignitatem, et illius Ecclesia tuae sit suffraganea, istius vero nullo iure subiecta.

§ 2. Illud autem de te nobis placuit ac laudamus, quod in tuae protestationis fine sub his verbis addidisti, quod scilicet per praemissa, aut aliquid per te factum, aut dictum, et habitum, seu faciendum, dicendum, vel habendum, non intendis Sacrosanctam Romanam Ecclesiam matrem tuam, seu iuramentum tuum eidem praestitum, aut Venerabilem coetum eiusdem Ecclesiae Cardinalium, aliquemve eorum in aliquo offendere, aut alicui honori, privilegio, praerogativae, seu dignitati, praeeminentiae, aut alicui alteri iuri eorum, in aliquo derogare, seu iuramento tuo in aliquo contraire, sed quod eamdem Sacrosanctam Romanam Ecclesiam cum honoribus suis omnibus, privilegiis, praerogativis, dignitatibus, praeeminentiis, gratiis, et aliis iuribus suis quibuscumque cum omni reverentia manutenebis, ac defendes, et ab aliis manuteneri, et defendi procurabis. Per hoc plane innuere videris si hoc sit Romanae Ecclesiae Cardinalium ius, ut reliquos antecedant Ecclesiae gradus, quod nobis in lite mota persistere, immo Apostolicae Sedis stare iudicio, cuius inter alia privilegia, quae manutenere, et defendere potest, hoc etiam est ut de quibuscumque ambiguis quaestionibus, quae in Dei Ecclesia accidunt, valeat iudicare, et sua auctoritate finem imponere, quamquam longe fuisset decentius ante motam controversiam, Sedem Apostolicam consulere.

§ 3. Quantum autem haec Cardinalatus dignitas sit sublimis, et aliis excellentior, et ita hactenus in Ecclesia reputata, si eius officium ac sanctorum Patrum statuta, et consuetudinem tam apud hanc Sedem, quam generalia Concilia semper observatam, sciveris diligenter scrutari, facile tibi innotescet.

§ 4. Quippe et si huius dignitatis nomen quod modo in usu est, ab initio primitivae Ecclesiae non ita expressum fuit, officium tamen ipsum a B. Petro eiusque successoribus institutum evidenter invenies. Immo, ut inquit Innocentius Tertius ex veteri testamento iussu Dei traxit originem, asserit enim id quod Deuteron. 17 dicitur, ut pro difficultate, et ambiguitate iudicii accedatur ad Sacerdotes Levitici generis, et iudicem, qui fuerit illo tempore, et obediatur ipsorum iudicio, qui praesunt loco, quem Dominus elegerit, de Summo Pontifice intelligendum esse, et fratribus eius, idest S. R. E. Cardinalibus, qui ei iure Levitico in executione Sacerdotalis officii coadiutores existunt. Itaque et ab exordio Ecclesiae sicut et hodie, Summis Pontificibus in regenda gubernandaque universali Ecclesia assistebant. Et ut ex Concilio Stephani Papae colligitur dicentis: Oportebat ut haec Sacrosancta Domina

Romana Ecclesia, iuxta quod a B. Petro, et eius successoribus institutum est, rite ordinaretur, et in Apostolatus culmine unus de Cardinalibus presbyteris, aut Diaconis consecraretur, datur manifeste intelligi, hos fratres nostros qui inter Cardinales locantur, tempore B. Petri extitisse.

§ 5. In confinio autem Nicaeni Concilii B. Silvester, qui coepit Ecclesiam regere anno Incarnationis Dominicae 330 vel circiter, in Synodo generali congregatis praesidens, hos coadiutores suos nuncupavit Cardinales, et magno admodum privilegio insignivit, quale nullus Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum in canonibus habere reperitur, ut videlicet sine plurima testium multitudine damnari non debeant. Nec sine mysterio triplex ordo in fratrum nostrorum collegio a Sanctis nostris praedecessoribus institutus est. Nam cum summus Pontifex vices Dei gerat in terris, decuit quemadmodum Moysi praeceptum fuit, ut omnia ad exemplum faceret, sicut ei ostensum erat in Monte, quod ad instar illius caelestis Hierarchiae in hac nostra Ecclesia tres constituerentur Ordines assistentium Papae, qui purgantium, illuminantium, et perficientium fungerentur officio, veluti sunt Diaconi, Presbyteri, et Episcopi Cardinales. Decuit etiam cum Summus Pontifex Christi repraesentet personam, ut quemadmodum Christo conversanti in terris assistebant Apostoli, ita etiam Cardinalium coetus Apostolicum repraesentans, coram Papa assisteret; reliqui vero Episcopi, ubique diffusi, Apostolos repraesentant ad praedicandum per orbem missos.

§ 6. Ipsos praeterea Cardinales pro honoris, ac dignitatis eminentia, partem sui corporis Summi Pontifices appellant. Ex quo sine ulla dubitatione ostenditur, post caput Ecclesiae, quod est Papa, contigua sui corporis membra, qui sunt fratres eius Cardinales prae caeteris Ecclesiae membris, ac partibus honorari debere, adeo quidem, ut sacris canonibus sancitum sit, eos qui in Cardinalem manus iniecerint violentas, aut fugarint, aut insequuti fuerint, seu ad hoc dederint consilium, vel favorem, criminis laesae Maiestatis reos, maximis et multiplicibus poenis esse plectendos, ac si ipsi Apostolici throni violaverint maiestatem, quod in ipsos qui Patriarchas, Archiepiscopos, vel Episcopos offenderint, statutum minime reperitur, ut evidenter hinc liqueat, tanto ampliorem censeri dignitatem, quanto plures, severioresque illam offendentibus infliguntur poenae.

§ 7. Sunt etiam, et in signum praeeminentiae ipsis fratribus nostris prae aliis Ecclesiae Praelatis, et similiter cum Legati de nostro Latere destinantur, prae aliis Legatis multa, ac magna per canones attributa privilegia, quae tibi nota esse non dubitamus. Hinc etiam constat cur a latere Apostolico mitti eis solis, et non aliis appropriatur Legatis.

§ 8. Sed et ille notissimus Constantinus Imperator, animadvertens ad quam magnum, ac publicum universalis Ecclesiae officium ipsi fratres nostri vocati essent, sic inquit. Volumus etiam deinde sui Ordinis Reverendissimos Clericos S. R. E. servientes, singulos habere illud sanctum culmen potentiae, et excellentiae, cuius sanctissimus noster Senatus videtur gloria adornari, id est Patritios, Consules fieri, quos certe Patritios, Consules secundum leges, ut in summa dignitate constitutos Imperator patres sibi elegit, et loco patrum a se honorari affirmat.

§ 9. Quod vero haec dignitas tanto honore praefulgeat, nec tuae fraternitati, nec culpiam alteri molestum esse debet, quoniam ut sancti attestantur Patres, omnes Patriarchales, Archiepiscopales, Episcopales, Cathedrales, aliasque dignitates Romana fundavit Ecclesia, sicutque licuit, uni Ecclesiae amplam, alii ampliorem, et alii amplissimam prout expedire iudicavit, tradidit potestatem. Omnes enim tamquam unius arboris rami ab una eademque radice, et ut diversi aquarum rivuli ab eodem fonte prodierunt, licet unus alio copiosior, atque uberior. Itaque si iustis ex causis, et Spiritus sancti instinctu, quo hanc Sedem regi credendum est, Romana Ecclesia Venerabilium Cardinalium coetum ad caelestis hierarchiae similitudinem conditum, et tamquam sui corporis partem his privilegiis, et honoribus illustrare decrevit, nec tua Ecclesia, cui per Apostolicam Sedem praefectus es, nec quisquam alius Ecclesiae gradus ab eodem similiter Apostolico throno originaliter institutus, quae omnia de ipsorum fratrum nostrorum consilio acta sunt, ullam succensendi, aut conquerendl causam habet, ne illud adducamus evangelicum verbum. Amice non facio tibi iniuriam, numquid mihi non licet de meo facere quod volo? Et sicut tu vis, ut privilegiis Ecclesiae tuae ab hac Sede concessis, aliae deferant inferiores Ecclesiae, ita eadem ratione par est, ut ab eadem Sede huic coetui instituto, tu similiter deferas, et reverentiam praestes.

§ 10. Multum etiam movere te debet diuturna per Christianum populum ubique servata consuetudo, quae etiamsi cetera deessent, ex quo tam vetusta est, ut eius initiis memoria non extet in contrarium, pro constituto iure habenda foret, praesertim quando sciente, et approbante Summo Pontifice, non quidem uno, sed tot, quot umquam habuit Ecclesia, id actum esse dignoscitur. In omnibus enim nationibus, ac Regnis, et ut in Anglia memoravimus hactenus, huiusmodi praeeminentiae Cardinalibus delatus est honor, qui quidem non tam ipsis, quam nobis, cum nostra sint membra, attribui censendus est. Nec minus his Ecclesiae Romanae consuetudo, quae caput, norma, et magistra est reliquarum Ecclesiarum, idipsum tibi persuadeat, qua semper nullo umquam contradicente in cunctis actibus, quibuscumque Praelatis praehonorati sunt.

§ 11. Idem in antiquis generalibus Conciliis, praesertim in duobus Lugdunensibus, in uno praesidente Innocentio Quarto, in altero Gregorio Decimo, quorum adhuc extant acta, usitatum fuit. Sic et in his Synodis nostris nostra aetate celebratis, de quibus etiam apud Regnum Angliae non pauci supersunt testes, observatum esse palam est, absentibus etiam Summis Pontificibus, idem et nunc nobis, praesidentibus in hoc sacro Oecumenico servatur Florentino Concilio.

§ 12. His quoque illud accedat, quod in sententiis, et decretis tam huius sanctae Sedis, quam generalium Conciliorum, cum de dignitatibus nominatim sit mentio, illa clausula adiici solet, non obstantibus, si Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, seu alia quacumque praefulgeat dignitate, per quod ex ordine nominandi, quae sit maior, luculenter apparet.

§ 13. Nec causetur quispiam quod Ordo Episcopalis, presbyterio maior sit, quoniam in eiusmodi praelationibus, officium, ac dignitas, sive iurisdictio praeponderat ordini. Quemadmodum iure cautum est, ut Archidiaconus non

Presbyter, suae iurisdictionis obtentu, Archiepresbytero praeferatur, simili modo Diaconus, vel Subdiaconus, aliusve clericus noster, aut alicuius Metropolitani Vicarius, seu Locumtenens in Synodo, et alibi, alios quocumque ordine maiores etiam Episcopos antecedit, propter illius iurisdictionem, quam exercet, et personam quam repraesentat. Sic et electus ad Ecclesiam Cathedralem, et confirmatus, quamquam nondum consecratus, ratione iurisdictionis cunctis in sua dioecesi praeeminet. Quis ergo iam dubitarit eum qui talia iura, et canones condidit, et talem aliis tribuit potestatem, posse eamdem cum vult, et maiorem suis membris tribuere? Si quis forte obiecerit prioris dignitatis potius esse rationem habendam, quam Cardinalatus de novo collati, cum in regiis tractatibus, ac parlamentis, quilibet ut suae Ecclesiae Praelatus, non ut Cardinalis intersit. Huic obiectioni evidens respondet ratio, nam cum personae sint Ecclesiasticae, sicut statuta, ac privilegia suarum Ecclesiarum in his actibus servant, multo magis Romanae Ecclesiae, cui vinculo obedientiae adstricti sunt, privilegia, et statuta servare tenentur. Quibus nec ipsae personae Ecclesiasticae, nec alii quicumque tamquam inferiores derogare quomodolibet possunt. Cum igitur viri Ecclesiastici ad actus publicos, vel privatos vocantur cum suis qualitatibus, ac praerogativis ab Ecclesia institutis admitti debent. Nam et contra honestatem publicam, et universalis Ecclesiae politiam, et in opprobrium Ecclesiasticae disciplinae vergeret, si in quovis actu Diaconus Presbyterum, vel Presbyter Episcopum, aut Episcopus Patriarcham praecederet. Praeterea in canonibus scriptum est unumquemque in Collegio, vel Capitulo iuxta suae receptionis tempus honorandum esse, et quod si postea aliquis admittatur Presbyter, ceteris tempore anterioribus praeponatur, qui Presbyteri non sunt. Quod si in ordine maiori sit, hoc etiam multo amplius in dignitate seu iurisdictione quae in his actibus maior est ordine, servandum est, ut supra de Archidiacono, et Archipresbytero dictum est. Quod si in post receptis locum habet, eadem ratione in iis qui prius, si qua de novo eis obveniat dignitas. Hoc enim rationi consentaneum est, ut dignius minus dignum ad se trahat, et res a potentiori, et nobiliori denominetur. Quod in ipsis Cardinalibus evidenter servatur, qui licet certarum Ecclesiarum dum ad Cardinalatum assumuntur Episcopi sint, nihilominus eos non Episcopos, sed Presbyteros S. R. E. Cardinales, sedes Apostolica appellat. Quinimo si eis suas priores Ecclesias in tit. dimittat, non amplius sub nomine Ecclesiarum, sed tituli Cardinalatus scribit, quasi ad maiorem dignitatem, et iurisdictionem assumpserit, alioquin non ascendisse, sed descendisse, non honorari, seu dehonorari viderentur.

§ 14. Quis etiam non videat Cardinalatus dignitatem Archiepiscopali esse maiorem dignitate, quia cum illa privatae unius patriae praesit utilitati, ista publicae totius populi Christiani. Illa unam dumtaxat regit Ecclesiam, ista cum Sede Apostolica universas, et cum a nemine, nisi solo Papa iudicentur Cardinales, ipsi et Patriarchas, et Archiepiscopos, et reliquos Ecclesiae gradus, cum Summo Pontifice iudicant. Quorum officio nomen ipsum consonat optime, nam sicut super cardinem volvitur ostium domus, ita super hoc Sedes Apostolica, totius Ecclesiae ostium, quiescit et sustentatur.

§ 15. Nullum denique pro tua intentione proponis Ecclesiae Romanae privilegium, quis enim alius huic iuri positivo, et universalis Ecclesiae observantiae, atque Apostolicae concessioni, praesertim quae Apostolici throni, membrorumque eius praeeminentiam concernit, contrarium privilegium dandi ullam omnino habet facultatem? neque etiam consuetudine ulla tuam causam tueris. Quamquam si qua praetenderetur, praeter Apostolicae Sedis consensum, et approbationem inefficax prorsus censenda esset, ut proxime de privilegio dictum est, atque irrationabilis, quia per eam dignitas confunderetur Superiorum Magistratuum, turbationemque pareret in quolibet Reipublicae statu. Nam iuxta Canones universos non posset alia ratione subsistere, nisi eam huiusmodi magnus differentiae ordo servaret Ecclesiasticus, quia confunderetur ordo, si cuique sua dignitas non servaretur, quamvis ut praedictum est, ex frequentibus actibus 40 annorum spatio usitatis, contraria potius in Regno Angliae consuetudo firmata sit.

§ 16. Hortamur itaque te venerabilis frater, et volumus, ut praedictis rationibus, ac nostrorum praedecessorum ordinationi atque Ecclesiae universalis observantiae penitus acquiescas, sicut pro tua prudentia, et devotione quam ad Romanam Ecclesiam, et nos semper habuisti, te facturum speramus. In reliquis vero, sive tuam Ecclesiam, sive personam concernentibus, quae nec rationi, aut honestati derogent, pro magna, qua te omni tempore complexi sumus, ac complectimur caritate, nos semper propitios experieris.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 21-24].

51.

Eugenius IV (in Conc. Florentin.), const. *Laetentur caeli*. 6 iul. 1439.

Laetentur caeli et exultet terra: sublatus est enim de medio paries, qui occidentalem, orientalemque dividebat Ecclesiam, et pax atque concordia rediit, illo angulari lapide Christo, qui fecit utraque unum, vinculo fortissimo caritatis et pacis utrumque iungente parietem, et perpetuae unitatis foedere copulante ac continente, postque longam moeroris nebulam, et dissidii diuturni atram nigramque caliginem, serenum omnibus unionis optatae iubar illuxit. Gaudeat et mater Ecclesia, quae filios suos hactenus invicem dissidentes iam videt in unitatem, pacemque rediisse: et quae antea in eorum separatione amarissime flebat, ex ipsorum modo mira concordia cum ineffabili gaudio omnipotenti Deo gratias referat. Cuncti gratulentur fideles ubique per orbem, et qui Christiano censentur nomine, matri Catholicae Ecclesiae collaetentur. Ecce enim occidentales orientalesque Patres, post longissimum dissensionis, atque discordiae tempus, se maris ac terrae periculis exponentes, omnibusque superatis laboribus, ad hoc sacrum Oecumenicum Concilium, desiderio sacratissimae unionis, et antiquae caritatis redintegrandae gratia, laeti, alacresque convenerunt, et intentione sua nequaquam frustrati sunt. Post longam enim, laboriosamque indaginem, tandem Spiritus sancti clementia

ipsam optatissimam et sanctissimam unionem consecuti sunt. Quis igitur dignas omnipotentis Dei beneficiis gratias referre sufficiat? quis tantas divinae miserationis divitias non obstupescat? cuius vel ferreum pectus tantae supernae pietatis magnitudo non molliat? Sunt ista prorsus divina opera, non humanae fragilitatis inventa; atque ideo eximia cum veneratione suscipienda, et divinis laudibus prosequenda. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, Christe fons misericordiarum, qui tantum boni sponsae tuae catholicae Ecclesiae contulisti, atque in generatione nostra tuae pietatis miracula demonstrasti, ut enarrent omnes mirabilia tua. Magnum siquidem divinumque munus nobis Deus largitus est, qui oculis vidimus, quod ante nos multi, cum valde cupierint, aspicere nequiverunt.

§ 1. Convenientes enim Latini et Graeci in hac sacrosancta Oecumenica Synodo, magno studio invicem usi sunt, ut inter alia etiam articulus ille de divina Spiritus sancti processione, summa cum diligentia et assidua inquisitione discuteretur. Prolatis vero testimoniis ex divinis scripturis, plurimisque auctoritatibus sanctorum Doctorum orientalium et occidentalium, aliquibus quidem ex Patre et Filio, quibusdam vero ex Patre, per Filium procedere dicentibus Spiritum Sanctum, et eamdem intelligentiam aspicientibus omnibus sub diversis vocabulis, Graeci quidem asseruerunt quod id quod dicunt Spiritum sanctum ex Patre procedere, non hac mente proferunt, ut excludant Filium, sed quia eis videbatur, ut aiunt, Latinos asserere Spiritum sanctum ex Patre et Filio procedere tamquam ex duobus principiis, et duabus spirationibus, ideo abstinuerunt a dicendo, quod Spiritus sanctus a Patre procedat et Filio. Latini vero affirmaverunt non se hac mente dicere Spiritum sanctum ex Patre, Filioque procedere, ut excludant Patrem quin sit fons, atque principium totius Deitatis, Filii scilicet, ac Spiritus sancti, aut quod id quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, Filius a Patre non habeat, sive quod duo ponant principia, seu duas spirationes: sed unum tantum asserant esse principium, unicamque spirationem Spiritus sancti, prout hactenus asseruerunt. Et cum ex his omnibus unus et idem eliciatur veritatis sensus, tandem in infrascriptam, et sanctam Deo amabilem eodem sensu eademque mente unionem unanimiter concordarunt et consenserunt.

§ 2. In nomine igitur sanctae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, hoc sacro universali approbante Florentino Concilio, definimus, ut haec fidei veritas ab omnibus Christianis credatur et suscipiatur, sicque omnes profiteantur.

§ 3. Quod Spiritus sanctus ex Patre, et Filio aeternaliter est, et essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter, tamquam ab uno principio, et unica spiratione procedit. Declarantes quod id quod sancti Doctores, et Patres dicunt ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur Filium quoque esse secundum Graecos quidem causam, secundum Latinos vero, principium subsistentiae Spiritus sancti sicut et Patrem. Et quoniam omnia quae Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, praeter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter habet, a quo etiam aeternaliter genitus

est. Definimus insuper explicationem verborum illorum, Filioque, veritatis declarandae gratia, et imminente tunc necessitate, licite, ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.

§ 4. Item in azymo sive fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici: Sacerdotesque in altero ipsorum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem.

§ 5. Item si vere poenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint, et omissis, eorum animas poenis Purgatorii post mortem purgari: et ut a poenis huiusmodi releventur, et prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, et eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta.

§ 6. Illorumque animas qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutae corporibus (prout superius dictum est) sunt purgatae, in caelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum, et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate aliam alia perfectius.

§ 7. Illorum autem animas qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in Infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

§ 8. Item definimus, Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem, ac doctorem existere, et ipsi in B. Petro, pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum, et in sacris Canonibus continetur.

§ 9. Renovantes insuper ordinem traditum in Canonibus caeterorum venerabilium Patriarcharum, ut Patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum Romanum Pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, et quintus Hierosolymitanus, salvis videlicet omnibus privilegiis, et iuribus eorum.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 25, 26].

52.

Eugenius IV (in Conc. Florentin.), const. *Exultate Deo*, 22 nov. 1439.

Exultate Deo adiutori nostro, iubilate Deo Iacob, omnes qui ubique nomine censemini Christiano. Ecce enim iterum recordatus Dominus misericordiae suae, alium dissidii lapidem, nongentis et amplius inveteratum annis, de Ecclesia sua auferre dignatus est, et qui facit concordiam in sublimibus, et per quem in terra pax est hominibus bonae voluntatis, optatissi-

mam Armenorum unionem sua ineffabili miseratione concessit. Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Intuens namque piissimus Dominus Ecclesiam suam, modo ab his qui foris sunt, modo ab his qui intra, non parvis agitari turbinibus, ut inter ipsas respirare angustias, et ad resistendum fortior assurgere valeat, multis eam quotidie modis consolari, et roborari dignatur.

§ 1. Nam et pridem magnam illam Graecorum unionem, multas longe, lateque continentium nationes, et linguas, hodie vero hanc ipsam Armenici populi, qui per Septentriônem, et Orientem in magna copia diffusus est, in eodem fidei, et caritatis vinculo, cum Sede Apostolica stabilivit. Haec profecto tam magna, et mira sunt divinae pietatis beneficia, ut non solum pro utroque, sed ne quidem pro altero satis dignas suae Maiestati referre gratias possit intellectus humanus. Quis non vehementer admiretur, uno eodemque tam brevi tempore duo sic praeclara, et saeculis desiderata opera, in hoc Sacro Concilio fuisse tam feliciter consummata? Vere a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. Quomodo enim hominum prudentia, vel industria, nisi gratia Dei, et coepisset, et perfecisset, has tantas, et tales res explere potuisset? Laudemus iugiter, et toto corde benedicamus Domino, qui fecit mirabilia magna solus, ipsique psallamus spiritu, psallamus et mente, oreque, et opere, quantum sinit humana fragilitas, pro tantisque muneribus gratias agamus, orantes, et obsecrantes, ut quemadmodum ipsi Graeci, atque Armeni, unum cum Ecclesia Romana effecti sunt, ita fiant et ceterae nationes, praesertim Christi charactere insignitae, et totus denique Populus Christianus omnibus odiis bellisque extinctis, mutua invicem pace, et fraterna caritate quiescat, et gaudeat.

§ 2. Ipsos autem Armenos magis laudum praeconiis dignos esse merito censemus. Ut primum enim a nobis ad Synodum accersiti sunt, tamquam Ecclesiasticae avidi unitatis, spectabiles, devotos, et doctos Oratores suos cum sufficienti mandato, de suscipiendo videlicet quicquid Spiritus Sanctus hanc sanctam Synodum illustraverit, ex remotissimis regionibus per multos labores marisque pericula, ad nos, et hoc sacrum Concilium destinarunt.

§ 3. Nos vero tota mente, ut nostrum pastorale decebat officium, cupientes tam sanctum perficere opus, saepe cum ipsis Oratoribus de hac sancta unione contulimus, et ne vel parva huic sanctae rei dilatio fieret, deputavimus de omni statu huius Sacri Concilii viros iuris divini, et humani doctissimos, qui cum omni cura, studioque et diligentia rem istam cum istis pertractarent Oratoribus, ab eis accurate inquirentes eorum fidem, tam circa divinae unitatem essentiae, et divinarum personarum Trinitatem, quam Domini nostri Iesu Christi humanitatem, et septem Ecclesiae Sacramenta, et alia ad fidem orthodoxam, et ritus universalis Ecclesiae pertinentia.

§ 4. Multis itaque adhibitis disputationibus, collocutionibus, et tractatibus, postque non mediocrem testimoniorum inspectionem, quae ex sanctis Ecclesiae Patribus, et Doctoribus deducta sunt, et earum de quibus agebatur rerum discussionem, tandem expedire iudicavimus, ne ulla in futurum de fidei veritate apud ipsos Armenos haesitatio esse valeat, atque idem per

omnia sapiant cum Sede Apostolica, unioque ipsa stabilis, et perpetua sine ullo scrupulo perseveret, ut sub quodam brevi compendio orthodoxae fidei veritatem, quam super praemissis Romana profitetur Ecclesia, per hoc decretum, sacro hoc approbante Florentino Concilio, ipsis Oratoribus ad hoc etiam consentientibus traderemus.

§ 5. In primis ergo damus eis Sanctum Symbolum, etc.

§ 8. Quarto, quoniam hactenus ipsi Armeni per has tres Nicaenam, Constantinopolitanam, et Ephesinam primam, Synodos, nullas alias universales postea celebratas, nec ipsum beatissimum huius Sanctae Sedis Antistitem Leonem, cuius auctoritate ipsa Chalcedonensis Synodus extitit congregata susceperunt, asserentes eisdem fuisse suggestum, tam Synodum ipsam Chalcedonensem, quam memoratum Leonem, secundum damnatam Nestorii haeresim definitionem fecisse: instruximus eos et declaravimus, huiusmodi falsam fuisse suggestionem, ipsamque Synodum Chalcedonensem, et beatissimum Leonem, sancte, et recte veritatem de duabus in una persona Christi naturis superius descriptam definivisse, contra impia Nestorii, et Eutychis dogmata, iniunximusque ut ipsum beatissimum Leonem, qui verae fidei columna fuit, et omni sanctitate, et doctrina refertus, tamquam sanctum, et in Cathalogo Sanctorum merito descriptum, de cetero reputent, et venerentur, atque non solum dictas tres Synodos, sed et omnes alias universales, auctoritate Romani Pontificis legitime celebratas, sicut et ceteri fideles, reverenter suscipiant.

§ 9. Quinto, Ecclesiasticorum sacramentorum veritatem, pro ipsorum Armenorum, tam praesentium, quam futurorum faciliori doctrina, sub hac brevissima redigimus formula. Novae legis septem sunt sacramenta, videlicet, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema Unctio, Ordo, et Matrimonium, qaae multum a sacramentis differunt antiquae legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: haec vero nostra, et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt. Horum quinque prima ad spiritualem uniuscuiusque hominis in seipso perfectionem; duo ultima ad totius Ecclesiae regimen, multiplicationemque ordinata sunt. Per Baptismum enim spiritualiter renascimur, per Confirmationem augemur in gratia, et roboramur in fide, renati autem, et roborati, nutrimur divina Eucharistiae alimonia, quod si per peccatum aegritudinem incurrimus animae, per Poenitentiam spiritualem sanamur, spiritualiter etiam, et corporaliter (prout animae expedit) per Extremam Unctionem. Per Ordinem vero Ecclesia gubernatur, et multiplicatur spiritualiter. Per Matrimonium corporaliter augetur. Haec omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum. Inter haec sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio, et Ordo, quae characterem, idest spirituale quoddam signum, a ceteris distinctivum imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, et reiterationem admittunt.

§ 10. Primum omnium Sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitae spiritualis ianua est, per ipsum enim membra Christi, ac de cor-

pore efficimur Ecclesiae. Et cum per primum hominem mors introierit in universos, nisi ex aqua et spiritu renascimur, non possumus (inquit Veritas) in regnum coelorum introire. Materia huius sacramenti, est aqua vera et naturalis: nec refert frigida sit an calida. Forma autem est. Ego tę baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Non tamen negamus quin et per illa verba, Baptizetur talis servus Christi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; vel baptizatur manibus meis talis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, verum perficiatur Baptisma: quoniam cum principalis causa, ex qua baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius Sacramentum, si exprimetur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum Sanctae Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum. Minister huius sacramenti est sacerdós, cui ex officio competit baptizare. In causa autem necessitatis, non solum sacerdos, vel diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, immo etiam paganus, et haereticus, baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae, et facere intendat quod facit Ecclesia. Huius sacramenti effectus, est remissio omnis culpae originalis, et actualis, omnis quoque poenae quae pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis praeteritis iniungenda est satisfactio, sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum Coelorum, et Dei visionem perveniunt.

§ 11. Secundum Sacramentum est Confirmatio cuius materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae, et balsamo, qui odorem significat bonae famae, per Episcopum benedicto. Forma autem est: Signo te signo Crucis, et confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Ordinarius minister est Episcopus. Et cum ceteras unctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi Episcopus debet conferre, quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent Episcopi, quod per manus impositionem Spiritum sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat. Cum enim audissent (inquit) Apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, et Ioannem, qui cum venissent, oraverunt pro eis ut acciperent Spiritum sanctum, nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum. Loco autem illius manus impositionis, datur in Ecclesia Confirmatio. Legitur tamen aliquando per Apostolicae Sedis dispensationem, ex rationabili, et urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum. Effectus autem huius Sacramenti est, quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen. Ideoque in fronte, ubi verecundiae sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, et praecipue crucem eius, quae Iudaeis est scandalum, gentibus autem stultitia, secundum Apostolum, propter quod signo Crucis signatur.

§ 12. Tertium est Eucharistiae Sacramentum, cuius materia est panis triticeus, et vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Aqua autem ideo admiscetur quoniam iuxta testimonia Sanctorum Patrum, et Doctorum Ecclesiae pridem in disputatione exhibita, creditur

ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse Sacramentum, deinde quia hoc convenit Dominicae passionis repraesentationi. Inquit enim beatus Alexander Papa quintus a B. Petro: in Sacramentorum oblationibus, quae intra Missarum solemnia Domino offeruntur panis tantum, et vinum aqua permixtum, in sacrificium offerantur. Non enim debet in calicem Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumqne permixtum, quia utrumque, id est sanguis, et aqua ex latere Christi profluxisse legitur. Tum etiam quod convenit ad significandum huius Sacramenti effectum, qui est unio populi Christiani ad Christum. Aqua enim populum significat, secundum illud Apocalypsis: Aquae multae populi multi. Et Iulius Papa, secundus post beatum Sylvestrum, ait: Calix Dominicus iuxta canonum praeceptum, vino, et aqua permixtus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo cum in calice vinum, et aqua miscetur, Christo populus adunatur, et fidelium plebs ei in quem credit, copulatur, et iungitur. Cum ergo tam Sancta Romana Ecclesia, a beatissimis Apostolis Petro et Paulo edocta, quam reliquae omnes Latinorum, Graecorumque Ecclesiae, in quibus omnis sanctitatis, et doctrinae lumina claruerunt, ab initio nascentis Ecclesiae sic servaverint, et modo servent, inconveniens admodum videtur, ut alia quaevis regio ab hac universali, et rationabili discrepet observantia. Decernimus igitur, ut etiam ipsi Armeni se cum universo Orbe Christiano conforment, eorumque Sacerdotes in calicis oblatione paululum aquae (prout dictum est) admisceant vino. Forma huius Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit Sacramentum: Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute, substantia panis in corpus Christi, et substantia vini in sanguinem convertuntur, ita tamen quod totus Christus continetur sub specie panis et totus sub specie vini, sub qualibet quoque parte hostiae consecratae, et vini consecrati, separatione facta, totus est Christus. Huius Sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, et membris eius unitur, consequens est, quod per hoc Sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus, et potus, quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando, et delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem, in quo (ut inquit Urbanus Papa) gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, et ad virtutum, et gratiarum proficimus incrementum.

§ 13. Quartum Sacramentum est Poenitentia, cuius quasi materia sunt actus poenitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero. Secunda est oris confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium Sacerdotis, quae quidem praecipue fit per orationem, ieiunium, et eleemosynam. Forma huius Sacramenti sunt verba absolutionis, quae Sacerdos profert, cum dicit: Ego te absolvo, etc. Minister huius Sacramenti est Sacerdos, habens aucto-

ritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione Superioris, effectus huius Sacramenti est absolutio a peccatis.

§ 14. Quintum Sacramentum est, extrema Unctio, cuius materia est, oleum olivae per Episcopum benedictum. Hoc Sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet, qui in his locis ungendus est: in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum, vel loquutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma huius Sacramenti est haec: Per istam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid per visum, etc. Et similiter in aliis membris. Minister huius Sacramenti est Sacerdos. Effectus vero est mentis sanatio, et in quantum autem expedit ipsius etiam corporis. De hoc Sacramento inquit beatus Iacobus Apostolus: Infirmatur quis in vobis; inducat Presbyteros Ecclesiae, ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei.

§ 15. Sextum Sacramentum est, Ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenae cum pane porrectionem. Diaconus vero per libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem: et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma Sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis, et mortuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Et sic de aliorum ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur. Ordinarius Minister huius Sacramenti, est Episcopus. Effectus augmentum gratiae ut quis sit idoneus Minister.

§ 16. Septimum est Sacramentum Matrimonii, quod est signum coniunctionis Christi, et Ecclesiae, secundum Apostolum dicentem: Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia. Causa efficiens Matrimonii, regulariter est mutuus consensus, per verba de praesenti expressus. Assignatur autem triplex bonum Matrimonii. Primum est proles suscipienda, et educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus coniugum alteri servare debet. Tertium indivisibilitas Matrimonii propter hoc quod significat indivisibilem coniunctionem Christi, et Ecclesiae. Quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum Matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.

§ 20. His omnibus explicatis, praedicti Armenorum Oratores nomine suo, et sui Patriarchae, et omnium Armenorum, hoc saluberrimum Synodale decretum cum omnibus suis capitulis, declarationibus, definitionibus, traditionibus, praeceptis, et statutis, omnemque doctrinam in ipso descriptam, necnon quicquid tenet, et docet Sancta Sedes Apostolica et Romana Ecclesia, cum omni devotione, et obedientia acceptant, suscipiunt, et amplectuntur. Illos quoque Doctores, et Sanctos Patres, quos Ecclesia Romana approbat, ipsi reverenter suscipiunt. Quascumque vero personas, et quicquid ipsa Romana Ecclesia damnat, et reprobat, ipsi pro reprobatis, et damnatis habent.

Profitentes tamquam verae obedientiae filii, nomine quo supra ipsius Sedis Apostolicae ordinationibus, et iussionibus fideliter obtemperare.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 28-33].

53.

Eugenius IV, ep. *Fide digna*, 8 iul. 1440.[1]

Fide digna relatione percepimus in civitate Licii non parvam per haec tempora excitatam fuisse commotionem, de die debitae perceptionis sacratissimi corporis Domini nostri Iesu Christi, et per aliquos religiosos esse affirmatum, quod non communicantes actualiter in die Resurrectionis Dominicae, mortaliter peccarent, etiamsi in die Iovis Sancti, et aliis quibuscumque diebus infra annum pluries, et frequentatis vicibus communicassent, quod piis auribus est audire molestum.

§ 1. Recolimus alias per quoddam nostrum breve scripsisse venerabili fratri nostro Episcopo Liciensi, quod intelligebamus satisfactum esse, si paulo ante, vel paulo post diem Resurrectionis Domini quis communicet, mirati sumus, quod postmodum nova controversia revixerit, sed inimicus homo superseminavit zizania.

§ 2. Nos igitur cupientes, purgatum triticum in horreum Domini congregare, et inutilibus contentionibus finem dare, attendentes iuxta doctrinam beati Augustini, quod solent circumstantiae scripturarum illuminare substantiam veritatis, et non solum adiacentia, sed etiam praecedentia, et subsequentia verba sunt consideranda prudenter, cum dicat canon Ecclesiae: Omnis utriusque sexus fidelis saltem semel in anno confiteatur, et infra, suscipiens ad minus in Pascha reverenter Eucharistiae sacramentum, et sequitur, nisi de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum, dicimus expresse non intentionis legislatoris fuisse animas illaqueare fidelium, sub culpa mortali ad communicandum praecise in die Resurrectionis Dominicae; sed terminum statuisse a Pascha ad Pascham; cum dicit semel in anno, et infra ad minus in Pascha, etc. Mens enim magis, quam verborum sonus est attendenda discrete. Intelligimus itaque optimo iure satisfactum esse Canoni, si in hebdomada Sancta, vel infra octavam Paschae Resurrectionis Dominicae; secundum meliorem dispositionem conscientiae, et aptiorem mentis devotionem, fideles praeparatione debita sanctum Eucharistiae pignus accipiant, et cum Domino Pascha celebrent ad salutem, et huic sententiae omnes volumus acquiescere.

§ 3. Quare devotioni tuae committimus, ut praedicta, ubi oportere intelligas, populis nota facias.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 33].

[1] Dilecto Filio Iacobo de Primaticis de Bononia Ordinis Minorum de observantia regulari.

54.

Eugenius IV (in Conc. Florentin.), const. *Cantate Domino*, 4 febr. 1441.

Cantate Domino quoniam magnifice fecit, annunciate haec in universa terra, exulta, et lauda habitatio Sion, quoniam magnus in medio tui sanctus Israel: Cantare profecto, et exultare in Domino decet Ecclesiam Dei pro hac grandi magnificentia, et gloria nominis sui, quam hodierna die clementissimus Deus operari dignatus est. Toto siquidem corde laudare, et benedicere Salvatorem nostrum, nos convenit, qui sanctam Ecclesiam suam novis quotidie accumulat incrementis. Quamquam autem in populum Christianum sua beneficia omni tempore multa, et magna sint, quae luce clarius erga nos suam immensam caritatem ostendunt; si tamen accurate inspicimus, quae et quanta his diebus novissimis divina clementia facere dignata est, iudicare certe poterimus hoc nostro tempore plura, ac maiora, quam a multis retroactis temporibus suae caritatis munera extitisse. Ecce enim nondum exacto triennio in hac sancta oecumenica Synodo saluberrimam trium magnarum nationum unionem, Dominus noster Iesus Christus, pro sua infatigabili pietate ad commune perenneque totius Christianitatis gaudium, tam copiose effecit, unde actum est, ut totus fere Oriens, qui gloriosum Christi nomen adorat, ac non parva Septentrionis portio post longa dissidia cum Sancta Romana Ecclesia, in eodem fidei, et caritatis vinculo iam convenerint. Primo etenim Graeci, et ii, qui subsunt quatuor Patriarchalibus Sedibus multas gentes, nationesque, et idiomata continentibus; deinde Armeni multorum populorum gens; hodie vero Iacobini magni etiam per Aegyptum populi, Sanctae Sedi Apostolicae uniti sunt.

§ 2. Et quoniam qui opus Dei diligenter exercet, non modo meritum ac retributionem in coelis expectat, sed et apud homines amplam gloriam laudemque meretur, Venerabilem fratrem nostrum Ioannem Iacobinorum Patriarcham, huius sanctae unionis cupidissimum a nobis, et tota Ecclesia merito laudandum, et extollendum, ac communi omnium Christianorum favore, cum tota sua gente dignum iudicamus. Is enim a nobis per nostrum oratorem, ac literas excitatus, ut ad nos, et hanc sanctam Synodum, legationem mitteret, et se ac suam gentem in eadem, cum Ecclesia Romana fide uniret; dilectum filium Andream natione Aegyptium Abbatem Monasterii S. Antonii apud Aegyptum, in quo et habitasse et mortuus esse sanctus ipse Antonius perhibetur, religione, et moribus non mediocriter institutum, ad nos, et ipsam Synodum destinavit, cui devotionis zelo accensus imposuit atque commisit, ut fidei doctrinam, quam sancta Romana Ecclesia tenet, et praedicat, nomine ipsius Patriarchae, et suorum Iacobinorum reverenter susciperet, deferendam postea per eum ad ipsum Patriarcham et Iacobinos, ut et ipsi eamdem agnoscerent, ratamque haberent, et in suis regionibus praedicarent.

§ 3. Nos igitur, quibus voce Domini commissum est, pascere oves Christi, ipsum Andream Abbatem per nonnullos huius tam sacri Concilii insignes

viros, super articulis fidei, et Sacramentis Ecclesiae, et quibuscumque ad salutem spectantibus diligenter examinari fecimus, et tandem quantum visum est fore necessarium exposita eidem Abbati S. R. E. fide Catholica, et per ipsum humiliter acceptata, hanc quae sequitur veram necessariamque doctrinam, hodie in hac solemni sessione, sacro approbante Oecumenico Concilio Florentino, in nomine Domini tradidimus.

§ 6. Firmissime credit,[1] profitetur, et praedicat, unum verum Deum, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum esse omnium visibilium, et invisibilium creatorem, qui quando voluit, bonitate sua universas tam spirituales, quam corporales condidit creaturas, bonas quidem quia a summo bono factae sunt, sed mutabiles, quia de nihilo factae sunt, nullamque mali asserit esse naturam, quia omnis natura, in quantum natura est, bona est. Unum atque eumdem Deum veteris et novi Testamenti, hoc est legis et Prophetarum atque Evangelii profitetur auctorem, quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante, utriusque testamenti Sancti locuti sunt, quorum libros suscipit, et veneratur, qui titulis sequentibus continentur. Quinque Moysis, id est, Genesi, Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio, Iosue, Iudicum, Ruth; Quatuor Regum; Duobus Paralipomenon; Esdra, Nehemia, Tobia, Iudith, Hester, Iob, Psalmis David, Parabolis, Ecclesiaste, Canticis Canticorum, Sapientia, Ecclesiastico, Isaia, Ieremia, Baruch, Ezechiele, Daniele; Duodecim Prophetis minoribus, id est, Osea, Ioele, Amos, Abdia, Iona, Michea, Nahum, Habacuc, Sophonia, Aggaeo, Zacharia, Malachia; Duobus Machabaeorum, Quatuor Evangeliis, Matthaei, Marci, Lucae, Ioannis; Quatuordecim Epistolis Pauli: ad Romanos, Duabus ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, Duabus ad Thessalonicenses, ad Colossenses, Duabus ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos; Petri duabus; Tribus Ioannis; Una Iacobi; Una Iudae; Actibus Apostolorum, et Apocalypsi Ioannis.

§ 13. Omnes...[2] circumcisionis, et sabbati, reliquorumque legalium observatores, alienos a Christi fide denunciat, et salutis aeternae minime posse esse participes, nisi aliquando ab iis erroribus resipiscant. Omnibus igitur qui Christiano nomine gloriantur, praecipit omnino, quocumque tempore, vel ante, vel post baptismum a circumcisione cessandum, quoniam sive quis in ea spem ponat, sive non, sine interitu salutis aeternae observari omnino non potest. Circa pueros vero propter periculum mortis, quod potest saepe contingere, cum ipsis non possit alio remedio subveniri, nisi per sacramentum baptismi, per quod eripiuntur a Diaboli dominatu, et in Dei Filios adoptantur, admonet, non esse per quadraginta, aut octoginta dies, seu aliud tempus, iuxta quorumdam observantiam, sacrum baptisma differendum, sed quamprimum commode fieri potest, debere conferri, ita tamen quod mortis imminente periculo, mox sine ulla dilatione baptizentur, etiam per laicum, vel mulierem, in forma Ecclesiae, si desit Sacerdos, quemadmodum in decreto Armenorum plenius continetur.

[1] (Sacrosancta Romana Ecclesia).
[2] (Post promulgatum Evangelium).

§ 15. Firmiter credit, profitetur, et praedicat, nullos intra Catholicam Ecclesiam non existentes, non solum paganos, sed nec Iudaeos, aut haereticos, atque schismaticos aeternae vitae fieri posse participes, sed in ignem aeternum ituros, qui paratus est diabolo, et Angelis eius, nisi ante finem vitae, eidem fuerint aggregati. Tantumque valere Ecclesiastici corporis unitatem, ut solum in ea manentibus ad salutem Ecclesiastica sacramenta proficiant, et ieiunia, eleemosynae, ac cetera pietatis officia, et exercitia militiae Christianae praemia aeterna parturiant. Neminemque quantascumque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine sanguinem effuderit, posse salvari, nisi in Catholicae Ecclesiae gremio, et unitate permanserit.

§ 16. Amplectitur autem, approbat, et suscipit sanctam Nicaenam Synodum trecentorum decem et octo Patrum, temporibus beatissimi Silvestri Praedecessoris nostri, et magni Constantini piissimi Principis congregatam, in qua impia haeresis Arriana cum suo auctore damnata est, et definitum est, Filium Dei, Patri esse consubstantialem, et coaeternum.

§ 17. Amplectitur etiam, approbat, et suscipit, sanctam Constantinopolitanam Synodum centum quinquaginta Patrum, beatissimi Damasi Praedecessoris nostri, et Theodosii senioris tempore convocatam, quae ipsum Macedonii anathematizavit errorem, qui Spiritum Sanctum, non Deum, sed creaturam asserebat, quod damnant, damnat, quod approbant, approbat, et per omnia vult ibidem definita, illaesa, et inviolata sustinere.

§ 18. Amplectitur etiam, approbat, et suscipit, sanctam primam Ephesinam Synodum ducentorum Patrum, quae tertia est in ordine universalium Synodorum, sub beatissimo Caelestino Praedecessore nostro, et Theodosio minore convocatam, in qua impii Nestorii est damnata blasphemia, definitumque est Domini nostri Iesu Christi veri Dei, et veri hominis unam esse personam, et beatam Mariam semper Virginem non solum Christotocon, sed etiam Theotocon, hoc est, non tantum hominis, sed Dei genitricem ab omni Ecclesia praedicandam.

§ 19. Damnat autem, anathematizat, et respuit impiam secundam Ephesinam Synodum sub beatissimo Leone Praedecessore nostro, et praefato Principe congregatam, in qua Dioscorus Alexandrinus Antistes, Eutychis haeresiarchae defensor, et S. Flaviani Constantinopolitani Pontificis impius persequutor, execrandam illam Synodum ad approbationem Eutychianae impietatis, arte, et minis attraxit.

§ 20. Amplectitur etiam, approbat, et suscipit sanctam Chalcedonensem Synodum quartam in ordine universalium Synodorum, sexcentorum et triginta Patrum, temporibus praefati beatissimi Leonis Praedecessoris nostri, et Marciani Principis celebratam, qua haeresis Eutychiana cum suo auctore Eutyche, et Dioscoro defensore, damnata est, et definitum est, Dominum nostrum Iesum Christum esse vere Deum, et verum hominem, et in una eademque persona, divinam humanamque naturas, integras, inviolatas, incorruptas, i confusas, distinctasque mansisse humanitate agente, quae hominis sunt, et Deitate, quae Dei, quos damnat, damnatos habet, quos approbat, approbatos.

§ 21. Amplectitur etiam, approbat, et suscipit sanctam quintam Synodum, secundam Constantinopolitanam tempore beatissimi Vigilii Praedeces-

soris nostri, et Iustiniani principis celebratam, in qua sacri Chalcedonensis Concilii definitio, de duabus naturis, et una persona Christi renovata est, multique Origenis errores, suorumque sequacium, praesertim de daemonum aliorumque damnatorum poenitentia, et liberatione, reprobati atque damnati sunt.

§ 22. Amplectitur etiam, approbat, et suscipit sanctam tertiam Constantinopolitanam Synodum, centum, et quinquaginta Patrum, quae sexta est in ordine universalium Synodorum, temporibus beatissimi Agathonis Praedecessoris nostri, et Constantini Quarti huius nominis Principis congregatam, in qua Macharii Antiocheni, et sectatorum haeresis condemnata est, et definitum est, in Domino nostro Iesu Christo, duas esse perfectas, integrasque naturas, et duas operationes, duas etiam voluntates, licet esset una eademque persona, cui utriusque naturae competerent actiones, Deitate agente, quae Dei sunt, et humanitate, quae hominis sunt.

§ 23. Amplectitur etiam, veneratur, et suscipit, omnes alias universales Synodos auctoritate Romani Pontificis legitime congregatas, ac celebratas, et confirmatas, et praesertim hanc sanctam Florentinam, in qua inter alia Graecorum, et Armenorum sanctissima unio consummata est, et multae circa utramque unionem saluberrimae definitiones editae sunt, prout in decretis desuper promulgatis plenius continetur; quorum tenor in hunc modum sequitur.

Omittitur insertio bullarum tam unionis Graecorum, quam Armenorum, quia sunt supra, in N. 51, 52.

§ 24. Verum quia in suprascripto decreto Armenorum non est explicata forma verborum, quibus in consecratione Corporis, et Sanguinis Domini, sacrosancta Romana Ecclesia Apostolorum doctrina, et auctoritate firmata, semper uti consueverat, illam praesentibus duximus inserendam. In consecratione Corporis Domini, hac utitur forma verborum: Hoc est enim Corpus meum. Sanguinis vero: Hic est enim calix Sanguinis mei, novi, et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

§ 25. Panis vero triticeus, in quo sacramentum conficitur, an eo die, an antea decoctus sit, nihil omnino refert, dummodo enim panis substantia maneat, nullatenus dubitandum est, quin post praefata verba consecrationis Corporis a sacerdote, cum intentione conficiendi prolata, mox in verum Christi corpus transubstantietur.

§ 26. Quoniam nonnullos asseritur quartas nuptias tamquam condemnatas respuere, ne peccatum ubi non est esse putetur, cum secundum Apostolum mortuo viro, mulier sit ab eius lege soluta, et nubendi cui vult in Domino habet facultatem, nec distinguat mortuo primo, secundo, vel tertio, declaramus non solum secundas, sed tertias, et quartas, atque ulteriores, si aliquod impedimentum canonicum non obstat, licite contrahi posse. Commendatiores tamen dicimus, si ulterius a coniugio abstinentes, in castitate permanserint, quia sicut virginitatem viduitati, ita nuptiis castam viduitatem laude ac merito praeferendam esse censemus.

§ 27. His omnibus explicatis, praedictus Andreas Abbas nomine dicti Patriarchae, ac proprio, et omnium Iacobinorum, hoc saluberrimum Syno-

dale decretum cum omnibus suis capitulis, declarationibus, definitionibus, traditionibus, praeceptis, et statutis, omnemque doctrinam in ipso descriptam, necnon quicquid tenet, et docet sancta Sedes Apostolica, et Romana Ecclesia, cum omni devotione, et reverentia suscipit, et acceptat. Illos quoque Doctores, et sanctos Patres, quos Ecclesia Romana approbat, ipse reverenter suscipit: quascumque vero personas, et quicquid ipsa Romana Ecclesia reprobat, et damnat, ipse pro reprobatis, et damnatis habet, profitens tamquam verus obedientiae filius, nomine quo supra, Sedis Apostolicae ordinationibus, et iussionibus, fideliter et semper obtemperare.

§ 28. Lecto solemniter in praesenti Synodo hoc decreto Latino sermone, mox in Arabico, praefatus Andreas Abbas, ipsorum Iacobinorum decretum publice ibidem perlegit, atque infrascripta verba in scriptis Arabice subiunxit, quae incontinenti Latine recitata sunt. Beatissime Pater, Domine Eugeni, Sanctae Romanae, et universalis Ecclesiae summe Pontifex, vereque Christi Vicari, ac beati Petri successor, et sanctissima universalis Florentina Synodus, totum hoc sanctum decretum cum insertis, et sanctis decretis unionis Graecorum, et Armenorum, quod nunc in vestra praesentia publice lectum est, Ego Andreas humilis Abbas S. Antonii, Orator Reverendi Patris domini Ioannis Patriarchae Iacobinorum, habens ipsius decreti per plures dies plenam notitiam, et instructionem, cognosco, confiteorque omnia in ipso decreto contenta divinae, ac Catholicae veritati consona existere. Nomine igitur praefati domini Patriarchae, omniumque Iacobinorum, ac meo, quemadmodum Vestra Sanctitas attestatur, praefatum saluberrimum Synodale decretum, cum dictis insertis decretis, omnibusque suis capitulis, declarationibus, definitionibus, traditionibus, praeceptis, et statutis, omnemque doctrinam in ipso descriptam, necnon quicquid tenet, et docet sancta Sedes Apostolica, et Romana Ecclesia, cum omni devotione, et reverentia suscipio, et accepto. Illos quoque Doctores, et sanctos Patres, quos Ecclesia Romana approbat, reverenter suscipio. Quascumque vero personas, et quicquid ipsa Romana Ecclesia reprobat, et damnat, pro reprobatis, et damnatis habeo, pollicens nomine quo supra, ipsum Patriarcham, Iacobinosque, et me ipsum, tamquam verae obedientiae filios, vestris ac Sedis Apostolicae ordinationibus, et iussionibus, fideliter, et semper obtemperaturos.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 37-41].

55.

Pius II, const. *Exsecrabilis*, 18 ian. 1459.

§ 1. Exsecrabilis, et pristinis temporibus inauditus tempestate nostra inolevit abusus, ut a Romano Pontifice, Iesu Christi Vicario, cui dictum est (in persona beati Petri) Pasce oves meas, et, quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in Caelis; nonnulli spiritu rebellionis imbuti, non sanioris cupiditate iudicii, sed commissi evasione peccati, ad futurum Concilium provocare praesumant, quod quantum sacris Canonibus adversetur, quantumque

Reipublicae Christianae noxium sit, quisquis non ignarus iurium, intelligere potest. Namque (ut alia praetereamus, quae huic corruptelae manifestissime refragantur) quis non illud ridiculum iudicaverit, quod ad id appellatur quod nusquam est, neque scitur quando futurum sit? Pauperes a potentioribus multipliciter opprimuntur, remanent impunita scelera, nutritur adversus primam Sedem rebellio, libertas delinquendi conceditur, et omnis Ecclesiastica disciplina, et hierarchicus ordo confunditur.

§ 2. Volentes igitur hoc pestiferum virus a Christi Ecclesia procul pellere, et ovium nobis commissarum saluti consulere, omnemque materiam scandali, ab ovili nostri Salvatoris arcere, de venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, cunctorumque Praelatorum, ac divini, et humani iuris Interpretum, curiam sequentium, consilio, et assensu, ac certa nostra scientia, huiusmodi provocationes damnamus, et tamquam erroneas ac detestabiles reprobamus, cassantes, et penitus annullantes, si quae hactenus taliter interpositae reperiantur, easque tamquam inanes, ac pestiferas, nullius momenti esse decernimns, et declaramus. Praecipientes deinceps, ut nemo audeat quovis quaesito colore, ab ordinationibus, sententiis, sive mandatis quibuscumque nostris, ac successorum nostrorum, talem appellationem interponere, aut interpositae per alium adhaerere, seu eis quomodolibet uti.

§ 3. Si quis autem contrafecerit, a die publicationis praesentium, in Cancellaria Apostolica, post duos menses, cuiuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerit, etiam si Imperiali, Regali, vel Pontificali praefulgeat dignitate, ipso facto sententiam exsecrationis incurrat, a qua nisi per Romanum Pontificem, et in mortis articulo, absolvi non possit. Universitas vero sive Collegium, Ecclesiastico subiaceat interdicto, et nihilominus tam Collegia, et Universitates, quam praedictae, et aliae quaecumque personae, eas poenas ac censuras incurrant, quas rei Maiestatis, et haereticae pravitatis fautores, incurrere dignoscuntur. Tabelliones insuper, ac testes, qui huiusmodi actibus interfuerint, et generaliter qui scienter consilium, auxilium dederint, vel favorem talibus appellantibus, pari poena plectantur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrorum voluntatis, damnationis, reprobationis, cassationis, annullationis, decreti, declarationis, et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 97, 98].

56.

Pius II, const. *Cum servare*, 12 iun. 1459.

Cum servare in rebus ordinem atque modum, ad Romanum Pontificem maxime pertineat, ordo vero, in eo potissimum consideretur, ut secundum suam quique dignitatem, aut praecedant, aut sequantur, habita cum venerabilibus Fratribus nostris Sacrosanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, exacta,

et diligenti deliberatione, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, de eorumdem Fratrum nostrorum consilio pariter, et assensu statuimus, decernimus, ordinamus, atque mandamus, ut Notariorum nostrorum (quos vulgo Protonotarios, quasi per excellentiam quamdam, non abs re, consuetudo vocitat) nullus deinceps Episcoporum venerando Sanctoque Ordini, tamquam honorabiliorem sese audeat anteponere.

§ 1. Sed in Capella quidem nostra, in banco seu scamno secundo, post Episcopos, seorsum sedeant, secundum ordinem institutionis eorum. In Consistoriis vero publicis (ubi de rebus quae geruntur, ut authentica conficiant documenta, rogari consueverunt), quatuor ex eis, qui numerarii dicuntur, aut ipsis absentibus, totidem ex aliis, secundum institutionem eorum seniores, iuxta gradum Apostolici solii, honorabiliorem teneant locum, Sedique nostrae proximiores assideant. In aliis autem locis, tam in Curia, quam extra ubique gentium atque terrarum Archiepiscopos, et Episcopos omnes, Notarii nostri sequantur, eisque cedant, et quod in Episcopis sancimus, ad Ecclesiarum Cathedralium auctoritate Apostolica electos pariter, et confirmatos extendimus.

Nulli ergo, etc.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 97].

57.

Pius II, const. *Cum ex sacrorum*, 17 nov. 1461.

Cum ex sacrorum ordinum collatione, character invisibilis animae imprimatur, sacra mysteria dispensentur, et ipsarum cura tribuatur animarum; in eorum susceptione, excessus graves, tanto magis plectendi sunt, quanto ex illis maiora in mentibus fidelium scandala generantur.

§ 1. Cum itaque (sicut dignorum relatione, nonnisi moleste accepimus) nonnulli Clerici, extra tempora a iure statuta: quidam ante aetatem legitimam; aliqui vero sine dimissoriis literis contra sanctiones Canonicas, se faciunt ad sacros ordines promoveri.

§ 2. Nos eorumdem temeritatem, tali castigatione reprimentes, ut aliis in posterum committendi similia, aditus praecludatur; auctoritate Apostolica, hac constitutione perpetuo valitura, statuimus, et ordinamus, quod omnes, et singuli, qui absque dispensatione canonica, aut legitima licentia sive extra tempora a iure statuta, sive ante aetatem legitimam, vel absque dimissoriis literis, etiam citramontanis (praeterquam si in hoc ultimo casu, per cameram Apostolicam, iuxta illius stylum ordinati fuerint) ad aliquem ex sacris ordinibus se fecerint promoveri, a suorum ordinum exsecutione, ipso iure suspensi sint; et si huiusmodi suspensione durante, in eisdem ordinibus ministrare praesumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant. Praeterea, ultra alias poenas in tales generaliter a iure inflictas, beneficiis ecclesiasticis possint iure privari.

§ 3. Volumus autem quod praesens nostra constitutio, in Romana Curia exsistentes, post quindecim dies, absentes vero Italicos post duos menses: alios vero ultramontanos, post sex menses, ab ipsius in audientia Con-

tradictarum, et Cancellaria Apostolica, publicatione, et affixione, ligare incipiat.

Nulli ergo; etc.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 109, 110].

58.

Sixtus IV, const. *Licet ea*, 9 aug. 1478.

Licet ea quae de nostro mandato rite fiunt, plenam obtineant roboris firmitatem, tamen illis interdum nostri muniminis robur adiicimus, ut eo firmius illibata persistant, quo magis nostro fuerint praesidio communita.

§ 1. Dudum siquidem ad audientiam nostram deducto, quod a modico tunc decurso tempore citra, in Hispaniarum regnis, et praesertim in universitate Studii Salamantini, fuerant, et adhuc erant, nonnulli iniquitatis filii, qui quasdam falsas sanctae Catholicae fidei contrarias, erroneas, scandalosas, et male sonantes propositiones, praesertim circa peccatorum confessionem, et Ecclesiastica Sacramenta in studio huiusmodi, et in frequentissimo hominum coetu, veras esse publice affirmare, et pertinacissime sustentare, ac defendere, apertissimas Sacrae Scripturae auctoritates eorum erroribus repugnantes, illarum rectum, et apertum sensum, falsis eorum interpretationibus impudenter violando refellere, huiusmodi quoque eorum falsa dogmata manifeste haereticae pravitatis labem continentia, in aliorum mentes inserere, et simplicium animas illaqueare, et ut illa in plurimorum notitiam pervenirent, et in perpetuum de illis memoria haberetur, libros componere, et in publicum, ut illos legendi omnibus esset facultas, tradere praesumpserant eatenus, et praesumebant.

§ 2. Nos tunc venerabili fratri nostro Alphonso Archiepiscopo Toletano per alias nostras literas commisimus, ut assumptis secum aliquibus in Theologia Magistris, et aliis viris literatis, vocatis iis qui propositiones ipsas veras esse affirmare nixi erant, et nitebantur in dies, et auditis quae ipsi pro illarum veritate, et alii Christifideles ad dilucidandum earum falsitatem deducere vellent, an quae in propositionibus huiusmodi continebantur, falsa, et fidei praefatae contraria, erronea, et male sonantia exsisterent, auctoritate nostra decideret, et declararet. Et declaratione huiusmodi facta, illos quos in praemissis culpabiles esse reperiret, si iuxta Sanctorum Patrum instituta, et canonicas sanctiones, se emendare, et depositis de cordibus eorum totaliter erroribus praedictis, ad Ecclesiae unitatem, haeretica labe huiusmodi abiurata, redire, et iuxta declarationem suam tales propositiones esse scandalosas, falsas et haereticas, ac male sonantes fateri, et desuper confectum librum huiusmodi retractare, et cum effectu refutare recusarent, et in illis, eorumque erroribus pertinaciter insistere vellent, haereticos, ac censuris et poenis in tales a iure promulgatis irretitos esse decerneret, plena sibi desuper auctoritate concessa, prout in nostris inde tunc confectis literis plenius continetur.

§ 3. Postmodum vero sicut accepimus praefatus Archiepiscopus ad executionem dictarum literarum, earum forma servata, rite procedens, dilectos

filios Petrum de Praexamo, et Petrum de Ocanno, ac Petrum de Caloca, necnon Didacum de Betonno, Martinum quoque Alphonsi de la Torre Magistros, et Petrum Didaci de Costana, et Ioannem de Quintana Paglia licentiatos in Theologia, necnon Tellium de Buendia Toletanum et Vascuno de Pibeja de Talavera in eadem Ecclesia Archidiaconos, Marchiones, et Thomam de Evenca, et Ioannem de Medina decretorum Doctores, ac Garsiam Fernandi de Alcala in eisdem decretis licentiatum, et alios quamplures Magistros in Theologia, ac Doctores, et licentiatos in eisdem decretis, alios quoque quamplurimos doctos et licentiatos literatos viros, ex diversis regnorum praedictorum locis, pariter et dilectum filium Petrum de Osma propositionum praedictarum auctorem, eiusque sequaces coram se ad suum Oppidum de Alcala Toletanae dioecesis evocari fecit, et dicto Petro de Osma ac sequacibus minime comparentibus, debito tempore expectatis, matura super omnibus propositionibus praedictis deliberatione praehabita, de unanimi consilio et assensu Magistrorum et Doctorum praedictorum, declaravit illas propositiones, per quas Petrus de Osma, et eius sequaces praedicti pertinaciter affirmare non verebantur, Confessionem peccatorum in specie, ex universalis Ecclesiae realiter statuto, non divino iure compertam fore. Et peccata mortalia quoad culpam et poenam alterius saeculi absque confessione, sola cordis contritione, pravas vero cogitationes sola displicentia deleri; et quod confessio secreta sit, necessario non exigi. Et non peracta poenitentia, confitentes absolvi non debere. Et Romanum Pontificem purgatorii poenam remittere, et super his quae universalis Ecclesia statuit, dispensare non posse. Sacramentum quoque Poenitentiae, quantum ad collationem gratiae, naturae, non autem institutionis novi aut veteris testamenti exsistere, et alias quas propter earum enormitatem (ut illi qui de eis notitiam habent obliviscantur earum, et qui de eis notitiam non habent ex praesentibus non instruantur in eis) silentio praetereundas ducimus, falsas, sanctae Catholicae fidei contrarias, erroneas, et scandalosas, ac a fidei veritate alienas, ac Sanctorum Patrum decretis, et Apostolicis constitutionibus contrarias fore, manifestam haeresim continere, dictarum literarum, et per illas sibi concessae facultatis vigore, declaravit, et pro talibus haberi, et reputari debere decrevit, prout in quibusdam authenticis scripturis desuper confectis, plenius continetur.

§ 4. Et demum praemissis sicut praefertur gestis et propositis in Consistorio coram nobis, Nos dilectis filiis nostris, Stephano tit. Sanctae Mariae Transtiberim, et Ioanni tit. S. Praxedis Presbyteris Cardinalibus commisimus, ut de praemissis gestis per ipsum Archiepiscopum diligenter se informarent, et quae invenirent, nobis et aliis fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus referrent. Qui tam zelo fidei, quam ut nostris parerent mandatis, onus huiusmodi prompta voluntate suscipientes, cuncta diligenter rimarunt, et quae invenerunt, nobis et aliis fratribus nostris memoratis fideliter retulerunt, propositiones praefatas erroneas fore, pluribus auctoritatibus et rationibus, praeter illas quas in Archiepiscopi processibus invenerunt, etiam demonstrantes, zelo fidei memoratae.

§ 5. Nos igitur ad quem spectat, errores huiusmodi extirpare, habita eorumdem S. Mariae Transtiberim, et S. Praxedis Cardinalium relatione

praedicta, ipsius Archiepiscopi solertiam et diligentiam in praemissis, plurimum in Domino commendantes, ex certa nostra scientia, Archiepiscopi declarationem, et decretum huiusmodi, et prout illa concernunt, omnia et singula in scripturis praedictis Archiepiscopi super praemissis confectis contenta, Auctoritate Apostolica tenore praesentium, de eorumdem referentium et aliorum fratrum nostrorum unanimi consilio et assensu laudamus, confirmamus et approbamus, ac praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem.

§ 6. Et nihilominus pro potioris cautelae suffragio, omnes et singulas propositiones praedictas, falsas, sanctae Catholicae fidei contrarias, erroneas, et scandalosas, et ab Evangelica veritate penitus alienas, Sanctorum quoque Patrum decretis, et aliis Apostolicis constitutionibus contrarias fore, ac manifestam haeresim continere, dicta auctoritate declaramus.

§ 7. Praefato quoque Archiepiscopo, scientia et auctoritate praedictis, committimus et mandamus, ut contra dicti Petri de Osma sequaces praedictos, si huiusmodi haeresim, in qua prolapsi sunt abiurare, et eumdem Petrum prout errantem secuti sunt, errores suos abiurantem, et se emendantem sequi recusaverint, aut malitiose distulerint, iuxta praedictarum aliarum nostrarum literarum continentiam, tamquam haereticos procedere non omittat.

§ 8. Et ut gesta per eum probe et laudabiliter, zelo fidei de mandato nostro, et per nos merito approbata, ad omnium illarum incolarum partium notitiam facilius perveniant, qua habita, possint se ipsos, ita, ne in praedictos prolabantur errores, liberius custodire, praesentes nostras literas, cum processu per eum habito, ac dicti Petri abiuratione, singulis illarum partium Episcopis significare non omittat, qui post significationem eamdem, Clero et populo suarum civitatum et dioecesum ea publicari procurent, et generaliter omnia faciant, quae pro huiusmodi haeresis extirpatione necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna videbuntur.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 171, 172].

59.

Innocentius VIII, const. *Summis*, 5 dec. 1484.

Summis desiderantes affectibus, prout Pastoralis solicitudinis cura requirit, ut fides Catholica nostris potissime temporibus ubique augeatur, et floreat, ac omnis haeretica pravitas de finibus fidelium procul pellatur, ea libenter declaramus, ac etiam de novo concedimus per quae huiusmodi pium desiderium nostrum votivum sortiatur effectum, cunctisque propterea per nostrae operationis ministerium, quasi per providi operatoris sarculum erroribus extirpatis, eiusdem fidei zelus, et observantia in ipsorum corda fidelium fortius imprimatur.

§ 1. Sane nuper ad nostrum non sine ingenti molestia pervenit auditum, quod in nonnullis partibus Alemaniae superioris, necnon in Maguntinen.,

Colonien., Treveren., Saltzumburgen. et Bremen. provinciis, civitatibus, terris, locis et Dioecesibus, complures utriusque sexus personae, propriae salutis immemores, et a fide Catholica deviantes, cum daemonibus incubis, et succubis abuti, ac suis incantationibus, carminibus, et coniurationibus, aliisque nefandis superstitiosis, et sortilegis excessibus, criminibus, et delictis, mulierum partus, animalium foetus, terrae fruges, vinearum uvas, et arborum fructus, necnon homines, mulieres, pecora, pecudes, et alia diversorum generum animalia, vineas quoque, pomeria, prata, pascua, blada, frumenta, et alia terrae legumina perire, suffocari, et extingui facere, et procurare, ipsosque homines, mulieres, iumenta, pecora, pecudes, et animalia, diris tam intrinsecis quam extrinsecis doloribus, et tormentis afficere, et excruciare, ac eosdem homines ne gignere, et mulieres ne concipere, virosque ne uxoribus, et mulieres ne viris actus coniugales reddere valeant, impedire: fidem praeterea ipsam, quam in sacri susceptione baptismi susceperunt, ore sacrilego abnegare, aliaque quamplurima nefanda, excessus, et crimina instigante humani generis inimico committere, et perpetrare non verentur in animarum suarum periculum, divinae Maiestatis offensam, ac perniciosum exemplum ac scandalum plurimorum. Quodque licet dilecti filii Henrici Institoris, in praedictis partibus Alemaniae superioris in quibus etiam provinciae, civitates, terrae, Dioeceses, et alia loca huiusmodi comprehensa fore censentur, necnon Iacobus Sprenger, per certas partes lineae Rheni, Ordinis Praedicatorum, et Theologiae Professores, haereticae pravitatis Inquisitores per literas Apostolicas deputati fuerunt, prout adhuc existunt, tamen nonnulli clerici, et laici illarum partium, quaerentes plura sapere quam oporteat, pro eo quod in literis deputationis huiusmodi provinciae, civitates, Dioeceses, terrae, et alia loca praedicta, illarumque personae ac excessus huiusmodi nominatim, et specifice expressa non fuerunt, illa sub eisdem partibus minime contineri, et propterea praefatis Inquisitoribus in provinciis, civitatibus, Dioecesibus, terris, et locis praedictis huiusmodi Inquisitionis officium exequi non licere, et ad personarum earumdem super excessibus, et criminibus antedictis, punitionem, incarcerationem, et correctionem admitti non debere, pertinaciter asserere non erubescunt. Propter quod in provinciis, civitatibus, Dioecesibus, terris, et locis praedictis, excessus, et crimina huiusmodi non sine animarum earumdem evidenti iactura, et aeternae salutis dispendio remanent impunita.

§ 2. Nos igitur impedimenta quaelibet, per quae ipsorum Inquisitorum officii exsecutio, quomodolibet retardari posset, de medio submovere, et ne labes haereticae pravitatis, aliorumque excessuum huiusmodi in perniciem aliorum innocentium sua venena diffundat, opportunis remediis prout nostro incumbit officio, providere volentes, fidei zelo ad hoc maxime nos impellente, ne propterea contingat, provincias, civitates, Dioeceses, terras, et loca praedicta sub eisdem partibus Alemaniae superioris debito Inquisitionis officio carere, eisdem Inquisitoribus in illis officium Inquisitionis huiusmodi exequi licere, et ad personarum earumdem super excessibus, et criminibus praedictis correctionem, incarcerationem, et punitionem admitti debere, perinde in omnibus, et per omnia, ac si in literis praedictis Provinciae, Civitates, Dioeceses, terrae, et loca ac personae, et excessus huiusmodi, nominatim, et specifice

expressa forent, auctoritate Apostolica, tenore praesentium statuimus. Proque potiori cautela literas, et deputationem praedictas ad Provincias, Civitates, Dioeceses, terras, et loca, necnon personas, et crimina huiusmodi extendentes, praefatis Inquisitoribus, quod ipsi, et alter eorum accersito secum dilecto filio, Ioanne Gremper Clerico Constant. Dioecesis Magistro in artibus eorum moderno, seu quovis alio Notario publico, et per ipsos, et quemlibet eorum pro tempore deputando in Provinciis, Civitatibus, Dioecesibus, terris, et locis praedictis contra quascumque personas cuiuscumque conditionis, et praeeminentiae fuerint, huiusmodi Inquisitionis officium exequi, ipsasque personas, quas in praemissis culpabiles repererint, iuxta earum demerita corrigere, incarcerare, punire, et mulctare.

§ 3. Necnon in singulis Provinciarum huiusmodi Parochialibus Ecclesiis, verbum Dei fideli populo quotiens expedierit, ac eis visum fuerit, proponere, et praedicare, omniaque alia, et singula in praemissis, et circa ea necessaria, et opportuna facere, et similiter exequi libere, et licite valeant, plenam, ac liberam, eadem auctoritate de novo concedimus facultatem.

§ 4. Et nihilominus Venerabili Fratri nostro Episcopo Argentinensi, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipse per se, vel per alium, seu alios praemissa, ubi, quando, et quotiens expedire cognoverit, fueritque pro parte Inquisitorum huiusmodi seu alterius eorum legitime requisitus, solemniter publicans, non permittat eos per quoscumque super hoc contra praedictarum, et praesentium literarum tenorem, quavis auctoritate molestari seu alias quomodolibet impediri: molestatores, et impedientes, et contradictores quoslibet, et rebelles cuiuscumque dignitatis, status, gradus, praeeminentiae, nobilitatis, et excellentiae, aut conditionis fuerint, et quocumque exemptionis privilegio sint muniti, per excommunicationis, suspensionis, et interdicti, ac alias etiam formidabiliores (de quibus sibi videbitur), sententias, censuras, et poenas, omni appellatione postposita, compescendo, et etiam legitimis super his per eum servandis processibus, sententias ipsas (quotiens opus fuerit) aggravare, et reaggravare, auctoritate nostra procuret, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, contrariis quibuscumque, etc.

Nulli ergo, etc. Si quis, etc.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 191, 192].

60.

Innocentius VIII, const. *Officii nostri*, 25 ian. 1491.

Officii nostri debitum, quo sumus universis nostrae curae creditis in Iustitia debitores, exigit, et ad hoc potissimum nos inducit, ut huius sanctae Sedis Apostolicae auctoritatem et honorem praeservemus, ac opportunae provisionis remedia etiam adhibeamus, per quae ius suum quisque consequi valeat, et iustitiam exquisitis viis, et a canonibus damnatis modis conculcare

satagentium malitiis obvietur, transgressoresque debitis afficiantur poenis, ut a similibus abstinere discant; et alii, si non virtutis amore, et iustitiae zelo inducti, saltem formidine poenae perterriti, talia committere non praesumant.

§ 1. Sane multorum clamoribus, et fide dignorum relatione (non sine maxima mentis nostrae perturbatione) accepimus, quod saepissime contingit, et quodammodo in quamdam consuetudinem, seu potius abusum deductum est, ut cum aliqui ad Romanam Curiam (ad quam, utpote communem omnium patriam, ex omnibus mundi partibus confluere soliti sunt pro iustitiae complemento, in causis potissime ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, consequendo) accedunt, et causas in eadem Curia, Palatii Apostolici Causarum Auditoribus, seu aliis Iudicibus, contra eorum adversarios committi, et citationes ad partes, ut moris est, et styli antiquitus In eadem Curia observati, decerni obtinuerunt, hi contra quos huiusmodi citationes executioni mandari debent, ad iudicia saecularia, et alias vetita, Principesque et Potentatus saeculares recursum habentes, tam personis sic agentibus, quam notariis publicis, et aliis, etiam quibuscumque Cursoribus nostris, huiusmodi citationes exequi volentibus, per principales seu Iudices, et officiales saeculares huiusmodi, sub formidabilibus poenis inhiberi et praecipi procurant et faciunt, ne illas exequantur, et ut iam factas executiones revocent, seu saltem etiam iuramento adstringi, quod de executionibus huiusmodi relationes non faciant, aliasque ne huiusmodi executiones fiant, diversimode impediunt; et quandoque clerici, quibus in Beneficiis Ecclesiasticis (ius) competit, beneficia ipsa ad suorum adversariorum instantiam resignare, et iura ius nullum habentibus dimittere compellantur; Notarii vero, seu tabelliones publici, et aliae personae Ecclesiasticae, plus temporalem quam aeternam poenam metuentes, de huiusmodi citationum executionibus, et inhibitionibus seu impedimentis circa illas praestitis, etiam in virtute per eos in ipsorum creatione ad notariatus sive tabellionatus officium praestiti iuramenti, ab his, quorum interest, requisiti, metu poenarum temporalium huiusmodi, instrumenta publica desuper conficere, et in publicam formam tradere, aut de his se rogatos facere non audent, ex quo iustitia perit, seu saltem retardatur, Beneficiaque Ecclesiastica multotiens absque titulo canonico detinentur occupata; mandata vero Apostolica contemnuntur, et auctoritas Sedis praedictae vilescit, libertasque Ecclesiastica conculcatur.

§ 2. Nos igitur cupientes, quantum cum Deo possumus, huic morbo ne ulterius invalescat, opportunam medelam adhibere, auctoritate Apostolica, hac nostra perpetua constitutione statuimus, et ordinamus, quod omnes, et singulae personae, tam saeculares, quam regulares, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, et praeeminentiae, seu ordinis existant, contra quas in eadem Curia causae, quae in illa tractari consueverunt seu possunt, de iure vel consuetudine commissae sunt, vel in futurum, tam per appellationem, seu devolutionem ad illam, aut alias quomodolibet committerentur, et quae citationes huiusmodi in vim commissionum Apostolicarum, decretas vel decernendas, aut quaevis alia mandata, seu rescripta Apostolica, iustitiam vel gratiam continentia, quo minus iuxta illorum tenorem executioni demandentur, per se vel per alium, seu alios, directe vel indirecte, quovis quaesito colore

impedire aut impediri facere, seu clericis, ut Beneficia Ecclesiastica renuncient, aut iuri in illis sibi competenti cedant, vel ut a prosecutione causarum, et iurium huiusmodi desistant, mandari facere praesumpserint, aut pro illis impediendis, et renunciandis, ad principes seu officiales saeculares, publice vel occulte, per se, vel alium, quovis quaesito colore, recursum habuerint, causam perdant, et omne ius, tam in petitorio, quam possessorio, in re vel ad rem, de qua agitur, eis competens, eo ipso amittant, et ad Beneficia sic renunciata obtinendum inhabiles existant.

§ 3. Aliae vero personae Ecclesiasticae, seu etiam saeculares, quas causa huiusmodi non tangit, executionem citationum huiusmodi, aut aliorum quorumcumque mandatorum, seu rescriptorum, et provisionum Apostolicarum, ut praemittitur, impedientes, aut impedientlbus huiusmodi, auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte praestantes, cuiuscumque conditionis vel praeeminentiae existant, sententiam excommunicationis eo ipso incurrant, a qua (praeterquam in mortis articulo constituti, et satisfactione praevia) ab alio quam a Romano Pontifice pro tempore existente, et canonice intrante, absolutionis beneficium nequeant obtinere.

§ 4. Notarii vero, sive tabelliones publici praedicti, qui de executionibus citationum, et mandatorum, ac provisionum huiusmodi faciendis, aut quo minus fiant inhibitionibus, requisiti fuerint, instrumenta publica desuper ad instantiam interesse habentium, seu interesse praetendentium (satisfacto tamen de congruo salario) conficere recusaverint, periurii reatum incurrant, ac executionem officii tabellionatus amittant, fiantque infames eo ipso, et eorum instrumentis sive scripturis publicis postmodum per eos super rogitibus postea factis, et conficiendis, donec ab huiusmodi reatu periurii absolutionem, et infamiae abstersionem obtinuerint, nulla fides in iudicio, vel extra adhibeatur.

§ 5. Et ut huiusmodi constitutio, et statutum ad singulorum notitiam deducantur, universis locorum Ordinariis in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, quatenus statutum, et constitutionem nostram huiusmodi, per se vel alium, seu alios, in eorum Ecclesiis, vel civitatibus publicent, seu publicari faciant, ac constitutionis huiusmodi copiam Cathedralium Ecclesiarum valvis, ita quod verisimiliter ad singulorum notitiam pervenire valeat, affigi faciant.

§ 6. Necnon pro tempore existenti Curiae causarum Camerae Apostolicae generali Auditori, ut instante Procuratore Fisci nostri, et Successorum nostrorum Romanorum Pontificum, contra omnes, et singulos etiam qualitercumque praerogativatos, quos praedictas sententias et poenas sibi incurrisse constiterit, eisdem sententiis, et poenis illaqueatos tamdiu publice nunciet, et faciat ab aliis nunciari, ac ut excommunicatos ab omnibus arctius evitari, et nihilominus legitimis per eum desuper habendis servatis processibus, sententias, et poenas praefatas iteratis vicibus aggravare, auctoritate Apostolica procuret, donec ipsi sic excommunicati, absolutionis beneficium, satisfactione praevia, meruerint obtinere.

§ 7. Volumus autem constitutionem, et statutum huiusmodi, in Cancellaria Apostolica publicari, et in Quinterno Cancellariae praedictae, inter alias

inibi descriptas constitutiones adnotari, et describi, ac post duos menses a die publicationis huiusmodi computandos, omnes absentes, praesentes vero in eadem Curia post diem publicationis huiusmodi arctare, ac omnibus petentibus dari, et concedi eo modo, quo aliae constitutiones de curia concedi consueverunt.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 223, 224].

61.

Alexander VI, const. *In eminenti*, 13 apr. 1502.

In eminenti Sedis Apostolicae specula, divina disponente clementia, licet immeriti, constituti, inter multiplices nostrae solicitudinis curas, quibus assidue premimur, illam pro nostro Pastorali officio in primis suscipere debemus, per quam nostrae provisionis opera ad Romanam Curiam (ad quam veluti fidelium matrem, et magistram, ac iustitiae fontem pro illa consequenda, continue de diversis Mundi partibus confluit multitudo) pro eorum causis tractandis confugientes, illasque in eadem prosequentes, sublatis quibusvis impedimentis, iura sua prosequi, et illa prosequendo, in eadem Curia libere, tute, et quiete personaliter valeant permanere, prout personarum, et temporum conditione inspecta, id in Domino conspicimus salubriter expedire.

§ 1. Sane tam dilectorum filiorum causarum Palatii Apostolici Auditorum eorumque Locatenentium, et aliorum fide dignorum relatione, quam multorum causas suas in dicta Curia prosequentium, gravissimis querelis, non sine maxima mentis nostrae perturbatione, saepenumero accepimus, quod licet nos, fel. record. Innocentio Papa VIII praedecessore nostro, sicut Domino placuit, sublato de medio, ad summi Apostolatus apicem, divina favente clementia, assumpti, tam eiusdem Innocentii, quam aliorum Romanorum Pontificum, etiam praedecessorum nostrorum, vestigiis inhaerentes, singulis annis, in die Coenae Domini per literas nostras, inter cetera, omnes illos, qui per se vel alium, seu alios, quascumque personas, Ecclesiasticas, vel Saeculares ad eamdem Curiam, super causis, et negotiis suis recurrentes, illaque in eadem prosequentes, aut procurantes, negotiorum gestores, Advocatos, vel procuratores ipsarum, aut etiam Auditores, seu Iudices super dictis, seu negotiis deputatos, occasione causarum vel negotiorum huiusmodi verberarent, mutilarent, vel occiderent, aut bonis spoliarent, et qui per se, vel alium, seu alios, directe, vel indirecte, praedicta exequi, vel procurare, aut eisdem consilium, vel favorem praestare non verebantur, cuiuscumque praeeminentiae, dignitatis, ordinis, conditionis, ac status forent, etiamsi Pontificali, Regali, Reginali, vel quavis alia praefulgerent dignitate, publice excommunicare, et anathematizare consueverimus, prout alii praedecessores praefati, etiam per eorum literas, singulis annis, dicta die facere consueverant, a quibus quidem sententiis, nullus, per alium quam Romanum Pontificem, nisi dumtaxat in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi sub certis modo et forma expressis absolvi [illegible]

§ 2. Tamen dierum crescente malitia, quamplures iniquitatis filii, perditionis alumni, excommunicationis, et anathematis huiusmodi sententias parvipendentes, horrenda inhumanitate, detestandaque saevitia, mortem sitientes aliorum, videntes forsan se in causis per eos, vel contra ipsos in dicta Curia pro tempore motis, iustitiam non fovere, suorum salutis, status, et honoris immemores, humani generis hoste procurante, Deique timore postposito, eorum in dictis causis adversarios, aut illas pro eis in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, Advocatos, vel Procuratores eorum, testesque, et Causarum praedictarum Notarios, multoties diversis excogitatis minis afficere, invadere, verberare, mutilare, occidere, seu per alios, etiam assassinos, talia procurare, et exequi (proh dolor) ausu temerario non erubescunt, adeo ut plerumque ius suum in ipsa Curia prosequentes metu, et quadam desperatione deducti, causas suas deserere, aut non sine magno ipsorum praeiudicio, et detrimento ad concordiam seu alias transactiones inhonestas, pactionesque illicitas, contra consuetam dictae Curiae libertatem devenire, et ab ipsa Curia discedere cogantur, in Divinae maiestatis offensam, iurisdictionis, et auctoritatis Apostolicae laesionem, animarum periculum, perniciosum quoque exemplum et scandalum plurimorum.

§ 3. Nos igitur, qui eamdem Romanam Curiam, veluti supremum iustitiae Tribunal, et saluberrimum oppressorum omnium refugium, liberam, immunem, et securam omnibus conservare debemus, considerantes attentius, quod plures poenarum gravitas, quam Dei timor arcere solet a voluntate peccandi, et propterea tanto periculo volentes occurrere animarum, ac tam nefarios praesumptores, et facinorosos homines, Ecclesiasticae animadversionis mucrone ferire, ut metus poenae, meta huiusmodi praesumptionis existat, huius perpetuae irrefragabilis constitutionis edicto, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio, praedictas excommunicationis, et anathematis, omnesque et singulas alias sententias, censuras, et poenas Ecclesiasticas, in talia praesumentes, per canonicas sanctiones, ac alias Apostolicas Constitutiones, quomodolibet latas, et promulgatas, auctoritate Apostolica approbantes, et innovantes, ad omnes, et singulos praedictos, qui forsan sub illis comprehensi non essent, extendentes, et ampliantes, statuimus, et ordinamus.

§ 4. Quod deinceps perpetuis futuris temporibus, omnes, et singulae Ecclesiasticae, saecularesve personae, cuiuscumque qualitatis, dignitatis, status, gradus, ordinis, et praeeminentiae fuerint, quae earum in causis, tam beneficialibus, quam prophanis, ac criminalibus, sive mixtis, in dicta Curia nunc et pro tempore pendentibus (etiam super his, quibus literae executoriales iam decretae, suum debitum consecutae non fuissent effectum) adversarios, vel illas pro eis prosequentes, et procurantes, sive Advocatos, aut Procuratores ipsorum, aut Auditores, et alios Iudices quoscumque, testes, et Notarios praefatos, minis afficere, invadere, verberare, mutilare, et occidere, seu per alios talia procurare, et exequi quomodolibet praesumpserint, quamquam mutilatio, vel mors ex hoc forsan non sequatur, aut tales scienter receptaverint, defenderint, seu occultaverint, eisque consilium, auxilium, vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte praestiterint, sive qui praemissa

etiam pro aliis, quomodolibet commiserint, ultra sententias, censuras, et poenas praedictas (quas etiam ipsi pari modo incurrisse noscantur) si ex collitigantibus causam ipsam, et omne ius, tam in petitorio quam possessorio, ac in re, vel ad rem, causa vel occasione huiusmodi quomodolibet competens, eo ipso perdant penitus, et amittant. Si vero alii fuerint, ab ipsa Curia, et omnibus eiusdem Romanae Ecclesiae terris, perpetui exilii, omni spe restitutionis adempta, et si mutilatio membri, vel mors (quod Deus avertat) subsequatur, ultra causae, et iuris amissionem, ac exilii poenam huiusmodi, tam ipsi, quam pro eis praemissa exequentes, et omnes alii supradicti, depositionis a dignitate, honore, ordine, officio, et beneficio, ac laesae Maiestatis criminis sententias incurrant ipso facto. Eorumque officia etiam eiusdem Romanae Curiae, ac beneficia quaecumque ex tunc ipso iure vacare decernimus, et quae, ut praemittitur, vacatura, nostrae, et Sedis praedictae collationi, et dispositioni, de simili Fratrum eorumdem consilio reservamus, libere aliis per nos, et Sedem praedictam dumtaxat conferentur, inhibentes ne quis, praeter Romanum Pontificem, quacumque sit super hoc auctoritate munitus, de illis disponere, vel circa illa per viam permutationis, vel alias innovare quoquo modo praesumat. Decernentes ex tunc irritum, et inane, si secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Sintque etiam in suis bonis omnibus, a cunctis perpetuo diffidati nihilominus et banniti, ac infames, et inhabiles habeantur. Et postquam probabilibus constiterit argumentis, aliquem scelus tam execrabile commisisse, nullatenus alia excommunicationis et anathematis, amissionis, depositionis, seu diffidationis, et banni huiusmodi, adversus eum sententia requiratur. Et ut ipsi nefarii praesumptores, et facinorosi homines, a tam execrabili scelere facilius, et frequentius reprimantur, omnibus, et singulis Ecclesiasticis, saecularibusque personis, etiam cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, et conditionis existant, in virtute sanctae obedientiae, et sub simili excommunicationis, et anathematis latae sententiae poena, a qua nonnisi, ut praefertur absolvi possint, districtius iniungimus, ut omnes, quos praemissa commisisse, procurasse, aut mediatores fuisse, sciverint, Romano Pontifici pro tempore existenti, vel alteri, per quem ad eius notitiam facile possit pervenire, per se vel alios, quanto citius revelare non omittant, pro revelatione huiusmodi gratiam, et si complices fuerint, veniam consecuturi.

§ 5. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 255-257].

62.

Iulius II, const. *Romani Pontificis*, 28 iul. 1505.

Romani Pontificis providentia circumspecta ad ea libenter intendit, per quae animarum periculis, Ecclesiarum, et Monasteriorum dispendiis obvietur, Cameraeque Apostolicae, cui diversa impensarum onera, pro Ecclesiae Romanae statu conservando, quotidie incumbunt, indemnitati debite provideatur.

§ 1. Dudum siquidem ad audientiam fel. record. Bonifacii VIII et Alexandri V, Romanorum Pontificum, praedecessorum nostrorum deducto, quod nonnulli ad Patriarchales, Metropolitanas, et Cathedrales Ecclesias, Monasteria, et Prioratus, tam regulares quam saeculares promoti, seu quibus per eosdem praedecessores, seu Sedem Apostolicam, de dictis Ecclesiis, monasteriis, sive prioratibus, hactenus quomodolibet provisum fuerat, in expeditione literarum Apostolicarum super provisionibus huiusmodi negligentes existebant; quidam vero ex praedictis, quod deterius erat, absque huiusmodi literis, in suae salutis interitum, ad Ecclesias, monasteria, et prioratus huiusmodi, praeter, et contra stylum, et morem Romanae Curiae, laudabiliter observatos, ac etiam Apostolicas prohibitiones, accedere praesumpserant, ac Ecclesiarum, monasteriorum, vel prioratuum huiusmodi, regimini, gubernationi, et administrationi se etiam ingerebant, et immiscebant, ac ingerere, et immiscere damnabiliter praesumebant, iidem praedecessores cupientes huiusmodi damnis instantibus, et futuris remedium adhibere opportunum, videlicet idem Bonifacius praedecessor noster unam perpetuo valituram constitutionem, quae incipit, Iniunctae,[1] per quam inter alia sanxit, ut Episcopi, etc.

§ 2. Alexander vero praedecessor memoratus, ipsius Bonifacii praedecessoris inhaerendo vestigiis, ac de consilio tunc venerabilium fratrum suorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, auctoritate Apostolica, et ex eius certa scientia, aliam, quae incipit, Ex iniuncto,[2] edidit constitutionem, per quam etiam inter alia statuit et decrevit, quod omnes, et singuli Patriarchae, Archiepiscopi, et Episcopi, Electi, Administratores, Commendatarii, Abbates, et Priores huiusmodi, quibus per eum auctoritate Apostolica hactenus de aliqua Patriarchali, Metropolitana, vel Episcopali, Ecclesiis, vel Monasteriis, seu de Prioratibus conventualibus, etiam in administrationem, vel commendam, provisum extitisset, et eorum literas usque ad totalem expeditionem, et receptionem earumdem literarum inclusive, expediri non fecissent, sub poena privationis Ecclesiarum, monasteriorum, et prioratuum huiusmodi, et omnis iuris ex provisionibus praedictis quomodolibet acquisiti (quam quemlibet negligentem incurrere voluit eo ipso, et quod Ecclesias, et monasteria, ac prioratus negligentium praemissa ad effectum perducere, ex ea die, prout ex tunc praefata auctoritate vacare, et Apostolicae Sedis dispositioni specialiter reservata fore, decrevit, et declaravit) tenerentur, et deberent literas huiusmodi, super provisionibus ipsis per se vel alios, usque ad praefatam earum totalem expeditionem, ac receptionem, ut praemittitur inclusive, expediri fecisse, infra annum a data provisionis factae, continue computandum. Illi vero, quibus provideri contingeret quomodolibet in futurum, de Ecclesiis, monasteriis, aut prioratibus huiusmodi, seu aliquo eorumdem, sub poena simili, quam, ut praefertur, incurrerent, etiam infra annum a die provisionis faciendae continuo computandum, similiter tenerentur, et deberent literas ipsas etiam usque ad praedictam totalem expeditionem, et receptionem inclusive,

[1] C. 1, *de electione*, I, 3, in Extravag. com.
[2] Die 2 apr. 1410. - Bull. Rom., tom. 3, II, p. 412, 413.

expediri fecisse. Et interim sub eadem poena per se, vel alios, absque literis provisionis in forma, de regimine, gubernatione, seu administratione, vel quasi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuumque praedictorum, vel alicuius eorum, seu bonorum eorumdem, in spiritualibus, vel temporalibus, nullatenus se ingerere, vel aliter se immiscere, aut super his, vel eorum aliquo, seu dependentibus, vel connexis, iurisdictionem aliquam quomodolibet exercere praesumerent, ceterisque poenis contra praedictos, a iure, vel ab homine, etiam ratione negligentiae muneris consecrationis, vel benedictionis non suscepti, statutis, inflictis, et aliis in suo robore permansuris, irritum, et inane, censeri ex ea die, si secus vel aliter, super his, a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, in posterum contingeret attentari quomodolibet.

§ 5. Nos igitur cupientes ne provisiones, concessiones, et gratiae Apostolicae Sedis, et praecipue quae a nobis emanarunt, et pro tempore emanabunt, diu maneant in suspenso, sed perfecte ad actum, iuxta Apostolicas constitutiones deducantur, et ne Ecclesiarum, monasteriorum, et praedictarum dignitatum Ecclesiasticarum Praelati, seu Commendatarii, et Administratores, absque titulo, et literis Apostolicis, in animarum suarum periculum, regimini, et administrationi eorumdem se ingerere, aut alias illis immiscere praesumant; ac ne Camerae Apostolicae redditus minuatur, sed damnis eiusdem obvietur, in praemissis omnibus providere, praedictorum praedecessorum nostrorum inhaerendo vestigiis, motu proprio, et ex certa scientia, constitutiones praefatas, earum quamlibet innovantes, praesenti constitutione perpetuo valitura declaramus, decernimus, statuimus, et ordinamus, quod constitutiones Bonifacii, Alexandri ... praedecessorum nostrorum huiusmodi, etiam quoad poenas, et censuras, etiam privationis in eis expressas, quoad futura, in omnibus, et per omnia, iuxta illarum tenores, qui omnes inviolabiliter perpetuis futuris temporibus observentur, quo vero ad praesentia, et praeterita, constitutiones, et ordinationes easdem moderamur sub hac forma, videlicet, quod quoad Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Electos, Administratores, Commendatarios, Abbates, Priores, et alios quoscumque, quibus auctoritate Apostolica de Patriarchali, Metropolitana, vel Cathedrali Ecclesiis, aut monasteriis, seu prioratibus conventualibus, etiam in administrationem, vel commendam, hactenus provisum extitit, et super his literas usque ad totalem expeditionem, et receptionem earumdem expediri, infra terminum in constitutione Alexandri praedecessoris huiusmodi praefixum, non fecerunt, vel etiam sine literis confirmationis, provisionis, vel commendae, consecrationis, et benedictionis, Ecclesiarum, Monasteriorum, vel prioratuum administrationem acceperunt, et illi incumbunt, vel etiam quod illos, qui pro annatis quorumcumque beneficiorum, in dicta Camera Apostolica, se pro seipsis, vel aliis, infra certum tempus, pro solutione obligaverunt, et statutis terminis non solverunt, ac propterea sententias, et poenas in praemissis constitutionibus, et obligationibus contentas incurrerunt, si citra montes, infra quatuor, si ultra montes, infra octo menses, a die publicationis praesentium in Cancellaria Apostolica, computandos, literas huiusmodi totaliter expedierint, et ad se receperint, et de his quae debent, Camerae praedictae satisfecerint: ex tunc (dum

tamen per provisiones, collationes, seu alias quaslibet dispositiones de Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, dignitatibus, et beneficiis praedictis, a praedicta Sede Apostolica, vel alias a quocumque, vel quomodocumque factas, non sit alteri, ante datam huiusmodi constitutionis nostrae, ius quaesitum) eo ipso ab excommunicationis sententia, et aliis poenis, quibus per praedictas constitutiones, vel obligationes respective obligati essent, absoluti, et ad beneficia quibus propterea privati essent, plenarie restituti, auctoritate nostra censeantur, perinde ac si praemissa omnia, et singula in ipsis constitutionibus contenta observassent, et poenas praefatas non incurrissent.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 265-267].

63.

Iulius II, const. *Regis pacifici*, 24 febr. 1509.

Regis pacifici qui regnat in caelis, licet insufficientibus meritis vices gerentes in terris, cunctorum fidelium statui, prout ex susceptae servitutis tenemur officio indefessa solertia intendentes, ac animarum periculis obviare cupientes, ad ea per quae ubique, praesertim in terris Romanae Ecclesiae sponsae nostrae subiectis inter fideles eosdem, caedes, rixae, et contentiones cessent, scandalorum tollantur fomenta, pax, et concordia vigeant, prosperisque eorum successibus consulatur, opportunae provisionis operam impendimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

§ 1. Sane non sine maxima animi nostri perturbatione accepimus, quod nonnulli fidelium praedictorum, inimico humani generis instigante, et aliquibus causis occurrentibus, et plerumque minimis, et inhonestis, ac levibus verbis ad contumelias, contentiones, et diffidationes devenientes, ut alter alterius sanguine satietur, ad temporales Principes, et dominos maxime Civitatum, Terrarum, et locorum Sedi Apostolicae subiectorum confugiunt, ut eis locum tutum, sive campum ad duellum, seu pugnandum assignent. Et quamvis Principes, et domini praefati, duellum sive pugnam eis dissuadere, et prohibere deberent, tamen plerumque locum, aut campum tutum huiusmodi assignant, malevolumque altercantium propositum ad executionem augent, magisque uni quam alteri favent, ex quo hominum mortes repentinae, et nisi divina gratia praeveniantur, animarum perditiones, mutilationes, et vulnera, inter astantesque pugnantium amicos, odia, et altercationes, et ex uno inconvenienti plura oriuntur in ipsorum fidelium animarum, et corporum periculum, generisque humani praefati iacturam, perniciosum exemplum, et scandalum plurimorum.

§ 2. Nos igitur qui fidelium praedictorum tranquillitatem, et pacem sinceris desideriis exoptamus, saluberrimis Christianae Religionis documentis, et exemplis Deum tentandum non esse praemoniti, Salvatorisque Domini nostri Iesu Christi, qui Petro Apostolorum Principi, ut gladium mitteret in vaginam mandavit, praeceptis edocti, attendentes hominem homini, inter quem cognationem quamdam natura constituit, insidiari nefas, et gladiatoria

munera, et purgationes huiusmodi vulgares a religionis nostrae pietate damnari, cruentaque spectacula a sacris canonibus, et imperialibus legibus inhibita et improbata, sicque pugnantes infamia notari, et diversis poenis puniri, et cum omni tempore, potissimum tamen in ocio civili, et domestica quiete publica detestanda esse, motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, et ex certa scientia, hac in perpetuum valitura constitutione, duellorum, et gladiatorum huiusmodi usum damnamus, et improbamus, et in terris Romanae Ecclesiae mediate, vel immediate subiectis, per quoscumque quavis auctoritate, et potestate, ac nobilitate fulgentibus, sub excommunicationis latae sententiae poena e quacumque causa, etiam a legibus permissa, fieri omnino prohibemus: Dictosque pugiles taliter pugnantes, ubique impune capi posse, et puniri, pro homicidio, vel vulnere, iuxta iuris communis dispositionem, nulla eis consuetudine suffragante, statuimus. Corporaque in duello in terris Ecclesiae, mediate, vel immediate subiectis facto morientium in sacro sepeliri prohibentes.

§ 3. Sub simili excommunicationis poena, et interdicti ecclesiastici, omnibus, et singulis utriusque sexus, Ducibus, Comitibus, Marchionibus, Domicellis, Baronibus, et aliis temporalibus Dominis, Vicariis, Communitatibus, et Universitatibus Civitatum, Terrarum, et locorum praefatae Romanae Ecclesiae, mediate, vel immediate subiectorum mandantes, ne de cetero perpetuis futuris temporibus, aliquibus cuiuscumque dignitatis, et nobilitatis fuerint, et ex quacumque causa, etiam a legibus non improbata, locum seu campum liberum ad duellum, seu alias ad pugnandum tutum, quomodolibet assignent, concedant, seu tradant, aut assignari, concedi, seu tradi faciant, vel permittant, sub excommunicationis latae sententiae, et quatuor millium ducatorum Camerae Apostolicae applicandorum poena pro qualibet vice incurrenda. Et si huiusmodi constitutionis violatores, ultra dictam primam vicem fuerint, ultra dictas poenas, feudo, seu vicariatu, quem a dicta Romana Ecclesia obtinuerint, privatos fore Apostolica auctoritate, tenore praesentium praecipimus, mandamus, atque decernimus, non obstantibus quibuscumque statutis, et consuetudinibus, privilegiis, indultis, et concessionibus quavis auctoritate editis, et quibusvis concessis, ceterisque contrariis quibuscumque.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 309, 310].

64.

pro huius sanctae Sedis dignitate, et Ecclesiae unitate servandis, ad schismatis occasionem tollendam (quo in Dei Ecclesia perniciosior morbus inveniri vix potest) Spiritu Sancto cooperante, non minus provide et salubriter, quam necessario, decreta et statuta esse noverint, damnata audacia, et exquisitis artibus et fraudibus attentare temere conentur, et eis contravenire contendant, nunc novorum editione iurium, nunc antiquorum innovatione et declaratione, nunc vero extensione, et novarum poenarum adiectione, prout salubriter expedire conspicimus, solicitis studiis obviare curemus.

§ 1. Sane licet olim fel. rec. Pius Papa II praedecessor noster, de fratrum suorum S. R. E. Cardinalium, cuntorumque Praelatorum, ac divini et humani iuris interpretum, Curiam Romanam sequentium, in dieta, seu Congregatione Mantuana existentium approbatione, matura prius et gravi praemissa discussione, et de eorumdem congregatorum unanimi consilio et assensu, ac ex certa scientia provocationes ad futurum Concilium, efficacissimis, et palpabilibus rationibus, tamquam erroneas et detestabiles damnaverit, ac sub excommunicationis latae sententiae, et interdicti poenis praeceperit, ne qua persona cuiusvls dignitatis, sive etiam Universitas, aut Collegium, quovis quaesito colore, ab ordinationibus, sententiis, seu mandatis quibuscumque suis ac successorum suorum appellationem huiusmodi interponere auderet, et contrafacientes, una cum fautoribus suis, et consilium, auxiliumve praestantibus (sive hi tabelliones essent, sive testes, sive advocati, sive alii quicumque) non solum poenis et censuris praedictis, sed etiam iis quae laesae maiestatis, et haereticae pravitatis reis imponuntur, obnoxios esse statuerit.[1]

§ 2. Leonardus tamen Lauredanus Dux, Rogati, ac generale Consilium, et Commune Venetiarum, omnesque, et singuli patritii, et cives Communis eiusdem, una cum Provisoribus, Potestatibus, Commissariis, et reliquis officialibus suis (quorum auctoritate, industria, consilio, opere aut favore, civitates, oppida, castra, et arces ad nos et Sanctam Romanam Ecclesiam legitime pertinentes, occupatae fuerant aut detinebantur) de fratrum nostrorum consilio, a nobis requisiti et moniti, ut intra certum terminum, sub poenis tunc expressis, nos, et sanctam Apostolicam Sedem plene, et omni ex parte, in concessa sibi auctoritate et libertate, cum obedientia recognoscerent et reintegrarent, ac Ravennam, Cerviam, Ariminum, Faventiam, Sarsinam Civitates, cum oppidis, castris, terris, et districtu ipsarum, cumque Caesenaten., Forolivien. ac Imolen. territoriis, castris, oppidis, terris, et locis, quae occupabant, integre et expedite, nobis, et dictae Romanae Ecclesiae, cuius iuris esse noscebantur, relaxarent, atque inde recederent, nec impedirent, quo minus illorum cives et habitatores, ad piae matris suae Romanae Ecclesiae obedientiam reverterentur, omnes eorum fautores ab auxilii in talibus praestatione deterrendo, ita quod requisitioni, monitioni, et mandato nostro huiusmodi non parentes, maioris excommunicationis sententia, de simili consilio, eo ipso innodati censerentur, a qua, praeterquam in mortis articulo constituti, per alium, quam per Romanum Pontificem, etiam praetextu cuius-

[1] Const. *Exsecrabilis*, 18 ian. 1459. - Vide supra, in N. 55.

cumque facultatis, cuicumque pro tempore concessae, absolvi non possent (quam quidem excommunicationis sententiam in huiusmodi non paritionis eventum, iteratis etiam vicibus aggravavimus) paternis monitis, et salutaribus iussis obsequi, prout debebant, indebite recusantes, ceu qui iuri proprio diffidunt, et superioris mandata contumaciter obaudiunt, ut quae minus iuste usurparunt, indebite, etiam cum animarum suarum detrimento, retineant, ad prohibitum, atque damnatum remedium confugientes, a requisitione, monitione, et mandato, ac sententiis, censuris, et poenis praedictis, nulla constitutionis Pii praedecessoris, hoc expresse vetantis habita ratione, ad futurum Concilium, temere, ut accepimus, provocarunt.

§ 3. Prout etiam perditionis filii, quondam Ioannes Bentivolus, et eius nati, cum eos a tyrannica oppressione dilectae civitatis nostrae Bononiae expellere decrevissemus, damnabiliter fecisse dicuntur, videlicet ad futurum Concilium praedictum appellasse, et provocasse.

§ 4. Nos igitur quam detestanda sit perversitas attendentes, qui propriis innixi commodis, et nefariis cupiditatibus mancipati, salubria decreta Patrum, et superiorum iussa spernentes, inconsutilem Christi tunicam scindere, ac etiam scissionis causam habere contendunt, et Ecclesiae unitatem dividere, praedictae sanctae Sedis Apostolicae principatum tollere, et contra tot Sanctorum Patrum, et Sacrorum Conciliorum decreta, temere, et damnabiliter, magna audacia venire non erubescunt, et contrafacere non verentur, asserentes inter cetera, consulentes, persuadentes, determinantes, seu determinationi huiusmodi interessentes, sola consilii praestatione seu persuasione, deliberatione, quod aliquibus casibus a Romano Pontifice, seu eius sententia, vel decreto, ad futurum Concilium generale appellari possit, dicta Pii praedecessoris constitutione non ligari, nisi in ipsa actuali appellatione, et illius interpositione, vel scripturae compositione se immiscuerint, de cetero tali assertione se excusare, ac tale quid in posterum praesumere impune valeant, opportunam tam immani, et periculoso morbo medelam adhibere volentes.

§ 5. Hac generali, et in perpetuum valitura constitutione, ex certa nostra scientia, et potestatis plenitudine, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio promulgata, sancimus, constitutionem Pii Praedecessoris praefatam, tam citra, quam ultra montes, et in ultramontanis partibus, quoad omnes, tam ecclesiasticas quam saeculares personas, etiam Regali dignitate, ac Cardinalatus honore fulgentes, capitula, universitates, communitates, et collegia, congregationes, et synodos, ac parlamenta valuisse, valere, et perpetuo valituram declaramus, cum suppletione solemnitatis cuiuslibet, etiam publicationis omissae (cuius in illa edenda vel publicanda defectus praetendi posset, quae iuxta illam fieri requirebatur) eamque ex praeterito, nunc et in posterum inviolabiliter observari mandamus, ipsius violatores, cuiuscumque dignitatis existant, poenis, et censuris in eadem expressis, quocumque tempore subiacere statuentes, contraria consuetudine, seu potius corruptela non obstante.

§ 6. Decernentes et declarantes ultra poenas impositas (quas ipso facto dictos violatores, et contravenientes incurrere volumus) ipsos et eorum quemlibet, pro veris et indubitatis schismaticis, et inconsutilis tunicae Domini

nostri Iesu Christi violatoribus, et dissipatoribus, ac de Catholica fide male sentientibus, habendos et reputandos, poenisque canonicis, et legalibus contra tales impositis, subiacere, et cum Dathan, et Abiron partem, et damnationem habere, ipsasque etiam poenas et earum quamlibet omnes illos incurrere volumus, cuiuscumque conditionis existant, et gradus praerogativa fulgeant, qui in Senatu, consiliis, parlamentis, congregationibus etiam synodalibus, et provincialibus, vel alias quomodolibet, tacite vel expresse, voce vel scripto, per se vel alium (cuiuscumque timoris, vel reverentiae velamine, vel praetensa excusatione, et superioris mandato non obstantibus) decreverint, consuluerint seu deliberaverint, vel aliorum dicta approbaverint, consilium aut vocem dederint, ut ad futurum universale Concilium a nobis, vel successoribus nostris Romanis Pontificibus, contra praedictam Constitutionem appellare liceat, possit, vel debeat, dictas poenas ad ipsos, et eorum quemlibet contravenientem in praemissis, tenore praesentium extendentes, et locum habere declarantes, omni ambiguitate cessante.

§ 7. Et nihilominus provocationes, et appellationes, tam per Leonardum Ducem, Rogatos, Consilium, et Commune Venetiarum factas huiusmodi, quam per quoscumque alios praedictos pro tempore faciendas, et inde secuta quaecumque (utpote contra Pii praedictam ac praesentem Constitutionem attentatas) nullas, prout sunt, et invalidas, nulliusque roboris vel momenti fuisse, et pro tempore fore, auctoritate, scientia, et potestate similibus, statuimus, decernimus, et declaramus, ac pro potiori cautela, cassamus, et annullamus.

§ 8. Et ultra supradictas poenas (quas contra constitutionis huiusmodi violatores in suo robore permanere decernimus) loca quaecumque, ad quae violatores ipsos declinare, et in quibus scienter stare permitti contigerit, ecclesiastico supponimus interdicto, decernentes illud, quamdiu ipsi violatores inibi scienter steterint, ut praefertur, et per triduum post eorum inde discessum, firmiter observari. Ac praesentes literas in quinterno Cancellariae etiam describi mandamus.

§ 9. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 312, 313].

65.

Leo X (in Conc. Lateranen. V), const. *Supernae dispositionis*, 5 maii 1514.

Supernae dispositionis arbitrio, quo coelestia pariter et terrena ineffabili providentia disponuntur, in sublimi beati Petri solio Christi Unigeniti Dei Filii gerentem vices in terris Romanum Pontificem, decet in primis pro cura, et salute dominici gregis sibi divinitus commissi providi exercere Pastoris officium.

§ 1. Quare pro dicti pastoralis officii solicitudine cum Ecclesiasticam disciplinam, ac per omnes fere Christifidelium gradus, bene recteque vivendi

regulam temporum difficultate, ac hominum malitia, licentiaque, et impunitate in deterius ita labi, defluere, aberrareque longius a recta via animadvertimus, ut nisi provida corrigatur emendatione, in varios errores securitate peccandi quotidie magis incidere, moxque obortis publice scandalis prorumpere sit verendum.

§ 2. Cupientes igitur, quatenus nobis ex alto permittitur, ea iam nimium invalescentia mala corrigere, ac pleraque in pristinam sacrorum canonum observantiam reducere, ac in melius iuxta sanctorum Patrum instituta, dante Domino, reformare, eaque omnia sacro approbante Lateranen. Concilio, a fel. rec. Iulio Papa II praedecessore nostro inter alia propterea incepto, et per nos continuato salubriter moderari, ut ab his sumamus exordium, quae pro nunc magis expedire videntur, et in Ecclesia Dei maxima scandala pepererunt, a promotionibus scilicet ad Ecclesiasticas dignitates constituimus exordiri.

§ 3. Cum piae mem. Alexander PP. III praedecessor noster etiam in Lateranen. Concilio decreverit,[1] ut aetas, morum gravitas, ac literarum scientia in personis promovendis in Episcopos, et Abbates diligenter inquirantur, nihilque magis Dei Ecclesiae officiat, quam cum immeriti assumuntur Praelati ad regimen Ecclesiarum, propterea in promotionibus Praelatorum, quarum a Rom. Pont. magna ratio haberi debet, eo praesertim quod de promotis per eos ad Ecclesias, seu Monasteria in extremo iudicio rationem Deo reddituri sunt: Statuimus et ordinamus, ut deinceps perpetuis futuris temporibus, Patriarchalibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Ecclesiis, et Monasteriis pro tempore vacantibus de personis iuxta praefati Alexandri constitutionem, aetate matura, gravitate morum, literarumque scientia praeditis, non ad alicuius instantiam per commendam, et administrationem, seu conservationem aut alio quovis modo provideatur, nisi ratione utilitatis Ecclesiarum prudentiae, nobilitatis, probitatis, experientiae, atque curialitatis antiquae cum competenti literatura, et in Sede Apostolica meritorum, aliter visum fuerit faciendum. Idemque in electis, et postulatis, quorum electiones, et postulationes per Sedem Apostolicam admitti consueverint, volumus observari.

§ 5. Quinimmo ut accuratius, diligentiusque idoneae personae promoveantur, statuimus ut Cardinalis, cui electionis, postulationis, aut provisionis Ecclesiae, seu Monasterii relatio committetur, antequam in sacro Concistorio, ut moris est, referat commissionem examinis, ac relationis huiusmodi sibi datam, uni cuiuslibet ordinis antiquiori Cardinali in ipso Concistorio per seipsum, vel, si ea die, qua sibi commissionis onus iniunctum fuerit, Concistorium non fuerit, per Secretarium suum, aut alium quemlibet ex suis domesticis familiaribus, notam illam facere debeat, qui tres priores aliis quam primum sui ordinis Card. eam significare teneantur, negotiumque electionis, administrationis, postulationisve, aut promotionis, summarie, et de plano per seipsum dictus relator examinet, et si qui contradixerint, his vocatis, idoneos, graves, et fide dignos testes, et si expediens, opusve fuerit,

[1] C. 7. X. *de electione et electi potestate*, I, 6.

alios ex officio assumere, processusque, et iura eiusmodi relationis, una cum dictis testium, die faciendae relationis secum ad Concistorium deferre debeat, neque ullo modo referat, si praesens in Curia promovendus maiorem Card. partem antea non adiverit, ut quae a referente collega sint Cardinales audituri, oculata fide, quantum ad personam promovendi attinet, cognoscere possint.

§ 7. Et quoniam Episcopalem dignitatem tueri illaesam, et ne improborum impugnationibus, aut accusantium calumniis passim pateat, muniri par est: Statuimus, ut nullus Episcopus, aut Abbas, quovis instante ac requirente, nisi sibi copia, et facultas legitimae defensionis permittatur, etiamsi crimina fuerint notoria, diligenterque partibus auditis causa plenarie probata fuerit, privari valeat.

§ 8. Neque aliquis Praelatus invitus, nisi aliis iustis efficacioribusque rationibus, et causis, transferatur, iuxta formam, ac decretum Concilii Constantien.

§ 9. Et quoniam ex commendis Monasteriorum, ut magistra rerum experientia saepius docuit, Monasteria ipsa, tam in spiritualibus, quam in temporalibus graviter laeduntur, quippe quorum aedificia, partim commendatariorum negligentia, partim avaritia, vel incuria collabuntur, et in dies divinus cultus in his magis diminuitur, passimque obloquendi materia personis praesertim saecularibus praebetur, non absque dignitatis Apostolicae Sedis diminutione, a qua commendae huiusmodi proficiscuntur, ut eorum indemnitati salubrius consulatur; Volumus, ac sancimus, ut cum illa per obitum Abbatum, qui illis praeerant, vacaverint, nullo pacto cuiquam possint commendari (nisi pro conservatione auctoritatis Apostolicae Sedis, et ad occurrendum malitiis illam impugnantium, pro temporum qualitate aliter nobis de Fratrum nostrorum consilio visum fuerit expedire) sed de persona idonea iuxta praescriptam constitutionem eis ita provideatur, ut illis idonei Abbates, prout decet, praefuturi sint.

§ 10. Ea vero Monasteria, quae commendata fuerint, cum per eorum cessum vel decessum, quibus erant commendata, commendae huiusmodi cessaverint, Cardinalibus dumtaxat, ac personis qualificatis, et benemeritis commendari possint, ita tamen quod eorum Monasteriorum commendatarii, quibus ea de cetero commendata fuerint, cuiusvis dignitatis, honoris, et praeeminentiae existant, etiamsi Cardinalatus honore, et dignitate fungantur, si mensam habuerint separatam, ac seorsum a mensa Conventuali, quartam suae mensae partem pro instauratione fabricae, seu pro ornamentis, vestibus, ac paramentis emendis, sarciendisque aut pauperum alimonia, aut sustentatione, ut maior exiget, ac suadebit necessitas. Si vero mensa fuerit communis, tertiam omnium fructuum dicti Monasterii sibi commendati partem pro supradictis oneribus supportandis, et substentatione Monachorum, omnibus aliis deductis oneribus, impartiri teneantur. Ac literae, quae super Monasteriorum huiusmodi commendis expedientur, cum clausula hoc ipsum specifice exprimente debeant expediri, alioquin si aliter expediantur, nullius sint roboris, vel momenti.

§ 11. Et quoniam Ecclesiis huiusmodi absque aliqua fructuum diminutione provideri decet, ut tam dignitati Praesidentium, quam Ecclesiarum, et

aedificiorum necessitati consulatur: Decernimus pariter, ac statuimus, ut super earumdem Ecclesiarum fructibus pensiones minime reserventur, nisi ex resignationis causa, aut etiam alia quae in secreto nostro Concistorio iusta, probabilis, et honesta habita fuerit.

§ 13. Ordinamus etiam ne Ecclesiarum, ac quorumcumque Monasteriorum, et Militiarum membra a suo capite, quod est absurdum, absque legitima, et rationabili causa disiungantur, aut separentur.

§ 14. Uniones perpetuae, praeterquam in casibus a iure permissis, vel sine rationabili causa, nequaquam fiant.

§ 15. Dispensationes autem ad plura incompatibilia ultra duo nisi qualificatis iuxta formam iuris communis non concedantur, nisi ex magna, et urgenti causa. Et personis cuiuscumque dignitatis Parochiales Ecclesias, et earum perpetuas Vicarias, ac dignitates maiores, et principales, etiam per viam unionis, vel commendae ad vitam ultra quatuor obtinentibus, ex nunc terminum duorum annorum praefigimus, ut interim, quatuor tantum ex eis retentis, reliquas dimittere teneantur, et beneficia dimittenda huiusmodi resignari valeant in manibus Ordinariorum, ad effectum, ut de illis provideatur personis per eos nominandis, quacumque reservatione etiam generali, etiam ex qualitatibus resignantium personarum resultante non obstante, quo elapso termino nisi dimiserint, omnia vacare censeantur, ac possint libere ut vacantia impetrari, talesque praeterea retinentes poenas extravagantis,[1] recolendae memoriae Ioannis Papae XXII etiam praedecessoris nostri incurrant. Item statuimus, ut speciales reservationes quorumcumque beneficiorum ad cuiusvis instantiam minime concedantur.

§ 16. Et cum S. R. E. Cardinales ceteros omnes in ipsa Ecclesia post Summum Pontificem honore ac dignitate praecedant, conveniens ac debitum est, ut vitae munditia, ac virtutum splendore cunctis praefulgeant. Quapropter non modo hortamur eos ac monemus, verum etiam statuimus, et ordinamus, ut de cetero quilibet Cardinalium pro tempore existens, iuxta doctrinam Apostoli ita sobrie, caste, ac pie vivat, ut non solum a malo, sed ab omni etiam specie mali abstinens, coram hominibus luceat, Deumque in primis operibus honorificet. Sint omnes vigiles, ac divinis officiis, Missarumque celebrationibus intenti, habeantque Cappellas suas in loco honesto, prout facere consueverunt. Sitque eorum domus, familia, mensa, suppellexque non fastu, aut pompa, neque superfluis rebus, neque aliquo modo reprehensibilis, ne peccandi, excedendique modum licentia inde nascatur, sed ut aequum est, modestiae et frugalitatis speculum dici mereantur. Illis itaque sint contenti, quae sacerdotalem praeseferant modestiam. Ac Praelatos, et quoscumque alios insignes viros ad Romanam Curiam venientes, benigne, honorificeque, tam publice quam privatim tractent, et apud nos, et successores nostros gratiose, liberaliterque eorum negocia commendata suscipiant.

§ 17. Praeterea ministerium indecorum Episcoporum, Praelatorumque in domibus non habeant, ne ceteris praeesse instituti, et sacro caractere insi-

[1] C. un., *de praebendis et dignitatibus*, tit. III, in Extravag. Ioan. XXII.

gniti, in vilia descendant ministeria, passimque Pastoralis officii contemptum inducant. Eos itaque quos vel nunc habent, vel in posterum sunt habituri, honorifice, ut fratres, ac iuxta eorum status condecentiam tractent.

§ 18. Cumque Romano Pontifici communi omnium Christifidelium patri assistant, personarum acceptatores, vel advocatos eos fieri, valde inconveniens est, propterea statuimus ne partialitatem suscipiant aliquam, neque Principum, aut Communitatum, vel quorumcumque aliorum contra quemquam, nisi quantum iustitia et aequitas postulat, eorumque dignitas, et conditio requirit, promotores aut defensores fiant, sed a privata omni passione seiuncti, sedandis et componendis inter quoscumque litibus, omni diligentia vacent, incumbantque. Principum, et quorumcumque aliorum ac praesertim pauperum, et Religiosorum iusta negocia pio promoveant affectu, oppressos et iniuste gravatos iuxta vires suas, et officii debitum adiuvent.

§ 19. Tituli sui loca, si praesentes in Curia fuerint personaliter, si vero absentes, per Vicarium idoneum semel saltem singulis annis visitent, Clericos, et Populos Ecclesiarum titulo suo subiectarum cum diligentia inquirant, vigilentque circa cultum divinum, et bona dictarum Ecclesiarum, moresque in primis, et vitam Clericorum, et Parochianorum solerter explorent, eosque omnes, et singulos ad recte, honesteque vivendum paterno moneant affectu. Pro augmento autem divini cultus, et salute animae suae, quilibet Cardinalis, vel in vita donet, vel in mortis articulo relinquat suo titulo, quantum sit satis ad Presbyterum unum commode ibi sustentandum, vel si Ecclesia indigeat reparatione, vel alia subventione, tantum illi relinquat, vel donet, quantum conscientiae suae videbitur.

§ 24. Habeat itaque eorum quisque Sacerdotes, et Levitas honestis vestimentis indutos, attenteque provideat, ne quis in familia sua quoquo modo beneficiatus, et in sacris ordinibus constitutus, vestes portet versicolores, nec eo habitu utatur, qui ordini Ecclesiastico parum conveniat. Quare in Presbyteratus ordine constituti, vestes colorum, quae Clericis iure non prohibeantur, deferre debeant, usque ad talos saltem dimissas, et habentes dignitates in Cathedralibus, et Canonici etiam dictarum Cathedralium, ac primam dignitatem in Collegiatis habentes, et Cardinalium Cappellani Missas celebrantes, caputium deferre in publico teneantur, Scutiferis vero paulo supra talos concedantur. Parafrenarii quia in assiduo sunt motu, ministerioque funguntur laboriosiore, brevioribus, ac magis expeditis vestibus uti possint, etiamsi fuerint Clerici, dummodo in Presbyteratus ordine non sint constituti. Ita tamen ut ab honestate non discedant, sed ita vivant, ut mores Ecclesiasticis suis ordinibus non discrepent. Reliqui vero Clerici temperate, ac modeste omnia faciant, et tam ipsi Clerici beneficiati, quam in sacris ordinibus constituti, comam aut barbam non nutriant, neque mulas, aut equos cum phaleris, ornamentisque ex velluto, aut serico factis habeant, sed eiusmodi rebus ex panno tantum, aut corio simpliciter utantur. Si quis autem familiarium praedictorum contrafecerit, aut post tres menses legitima monitione praecedente, a praesentium publicatione, huiusmodi vestes prohibitas gestaverit, in excommunicationem incurrat. Si vero infra tres alios menses non se correxerit, a perceptione fructuum ex beneficiis quae obtinet, suspensus intelligatur.

Quod si per alios sex menses in huiusmodi pertinacia obstinatus permanserit, legitima similiter monitione praecedente, beneficiis omnibus, quaecumque habet, privatus sit, et esse censeatur, eaque sic vacantia, a Sede Apostolica libere impetrari valeant.

§ 25. Quae omnia, et singula in nostris, et cuiuscumque Rom. Pont. pro tempore existentis Familiaribus, et similiter in omnibus aliis clericis beneficiatis, vel in sacris ordinibus constitutis, ac etiam Curialibus locum habere volumus. Hoc uno tantum excepto, quod dicti nostri, et Rom. Pont. Familiares, rubri coloris vestimenta gestare possint, pro decentia, et consuetudine dignitatis Pontificalis.

§ 26. Et quoniam ad Cardinales maxime spectat, operum optimorum cura, pro viribus laborabunt scire quae Regiones haeresibus, erroribusque, ac superstitionibus contra veram et orthodoxam fidem infectae sint, et ubi Divinorum mandatorum Ecclesiastica deficiat disciplina, quique Reges, ac Principes seu Populi bellis infestentur, vel infestari timeant. Haec et huiusmodi scire, ac nobis, et Rom. Pont. pro tempore existenti referre operam dabunt, ut opportuna et salutaria talibus malis ac pestibus remedia, vigilanti studio excogitari valeant.

§ 28. Et cum Card. officium in primis versetur in frequenti Rom. Pont. assistentia, et Sedis Apostolicae negotiis, propterea statuimus, ut omnes Card. in Rom. Curia resideant, et qui sunt absentes, si in Italia, intra sex menses, si extra Italiam, infra annum, a die publicationis praesentis constitutionis revertantur. Alioquin fructus beneficiorum, et omnium officiorum suorum emolumenta amittant, omnibusque privilegiis generaliter et specialiter Card. concessis quamdiu, abfuerint, omnino careant; exceptis tamen illis, quos ratione officii ab Apostolica Sede iniuncti, vel de Romani Pontificis mandato, aut licentia, vel iusto metu, aut quavis alia legitima causa impediente, vel aegrotationis, abesse contingat, privilegiis, indultis, et immunitatibus eisdem Cardinalibus concessis, et in Bulla nostra sub data coronationis nostrae [1] contentis, et expressis in suo robore nihilominus permanentibus.

§ 32. Et cum omnis aetas ab adolescentia prona sit ad malum, et a teneris assuefieri ad bonum, magni sit operis, et effectus: Statuimus et ordinamus, ut Magistri Scholarum, et Praeceptores, pueros suos, sive adolescentes, ne dum in grammatica, et rhetorica, ac ceteris huiusmodi audire, et instruere debeant, verum etiam docere teneantur ea, quae ad Religionem pertinent, ut sunt praecepta divina, articuli fidei, sacri Hymni, et Psalmi, ac Sanctorum vitae, diebusque festivis nihil aliud eos docere possint, quam in rebus ad Religionem, et bonos mores pertinentibus, eosque in illis instruere, hortari, et cogere in quantum possunt teneantur, ut nedum ad Missas, sed etiam ad Vesperas, divinaque officia audienda, ad Ecclesias accedant, et similiter ad praedicationes et sermones audiendos impellant, nihilque contra bonos mores, aut quod ad impietatem inducat, eis legere possint.

§ 33. Ad abolendam vero execrabilem blasphemiam, quae in maximum divini nominis, et Sanctorum contemptum supra modum invaluit: Statuimus

[1] *Dum singularem*, 19 mart. 1513. – Bull. Rom., tom. 3, III, p. 350-353.

et ordinamus, ut quicumque Deo, palam seu publice maledixerit, contumeliosisque atque obscoenis verbis Dominum Nostrum Iesum Christum, vel gloriosam Virginem Mariam eius genetricem expresse blasphemaverit, si munus publicum, iurisdictionemve gesserit, perdat emolumenta trium mensium pro prima, et secunda vice dicti officii; si tertio deliquerit, illo eo ipso privatus existat: si Clericus, vel Sacerdos fuerit, eo ipso quod de delicto huiusmodi fuerit convictus, etiam beneficiorum quaecumque habuerit, fructibus applicandis ut infra, unius anni mulctetur, et hoc sit pro prima vice, qua blasphemus ita deliquerit. Pro secunda vero si ita deliquerit, et convictus, ut praefertur, fuerit, si unicum habuerit beneficium eo privetur; si autem plura, quod Ordinarius maluerit, id amittere cogatur. Quod si tertio eius sceleris arguatur et convincatur, dignitatibus ac beneficiis omnibus quaecumque habuerit, eo ipso privatus existat, ad eaque ulterius retinenda inhabilis reddatur, eaque libere impetrari, et conferri possint. Laicus vero blasphemans, si nobilis fuerit, poena XXV ducatorum mulctetur, et pro secunda vice, L Fabricae Basilicae Principis Apostolorum de Urbe applicandorum, et aliis ut infra deducitur. Pro tertia vero, nobilitatem perdat. Si vero ignobilis ac plebeius fuerit, in carcerem detrudatur, quod si ultra duas vices publice blasphemans deprehensus fuerit, mithra infami per integram diem ante fores Ecclesiae principalis mithratus stare cogatur, si vero pluries in hoc ipsum peccatum lapsus fuerit, ad perpetuos carceres, vel ad triremes damnetur, ad iudicis deputati arbitrium. In foro autem conscientiae, nemo blasphemiae reus, absque gravissima poenitentia, severi confessoris arbitrio iniuncta, possit absolvi. Qui vero reliquos Sanctos blasphemaverit, arbitrio iudicis, rationem personarum habituri, mitius aliquanto puniri volumus. Statuimus etiam, ut saeculares iudices, qui contra tales blasphemiae convictos, non animadverterint, eosque iustis poenis minime affecerint, quantum in eis fuerit, quasi eidem sceleri obnoxii, eisdem quoque poenis subiiciantur. Qui vero in illis inquirendis, puniendisque diligentes, et severi fuerint, pro qualibet vice decem annorum indulgentiam consequantur, et tertiam partem mulctae pecuniariae habeant. Quicumque vero blasphemantem audierint, eum verbis acriter obiurgare teneantur, si citra periculum suum id fieri posse continget, eumdemque deferre, vel notificare apud Iudicem Ecclesiasticum, seu saecularem intra triduum debeant. Quod si plures dictum blasphemantem simul audiverint, singuli eum accusare teneantur, nisi forte omnes convenerint, ut unus pro cunctis tali fungatur officio. Quos omnes in virtute sanctae obedientiae hortamur, et monemus in Domino, ut pro divini nominis reverentia et honore, in suis dominiis ac terris praemissa omnia servari, et exactissime exequi mandent, ac faciant, uberrimam ab ipso Deo tam boni ac pii operis mercedem habituri, similemque annorum decem indulgentiam, ab Apostolica Sede consecuturi, cum tertia parte mulctae qua dictus blasphemus plectetur, quotiens tale scelus puniendum curaverint, quam quidem indulgentiam, et reliquam tertiam mulctae partem, accusatori blasphemi nomen deferenti, similiter concedi, et assignari volumus, aliis poenis contra huiusmodi blasphemos per sacros canones expressis, nihilominus in suo robore manentibus.

§ 34. Ut clerici praesertim caste, continenterque, iuxta canonum praecepta vivant, statuimus, ut contrafacientes acriter secundum canones puniantur.

§ 35. Si quis vero, tam laicus quam Clericus, de crimine propter quod venit ira Dei in filios diffidentiae, convictus fuerit, poenis per sacros canones, aut ius civile respective impositis puniatur.

§ 36. Concubinarii autem, sive laici sive Clerici fuerint, eorumdem canonum poenis mulctentur, neque Superiorum tolerantia, seu prava consuetudo, quae potius corruptela dicenda est, a multitudine peccantium, aliave quaelibet excusatio, eis aliquo modo suffragetur, sed iuxta iuris censuram severe puniantur. Ad bonum vero, et quietum regimen Civitatum, ac locorum omnium Romanae Ecclesiae subiectorum, constitutiones bonae memoriae Aegidii Episcopi Sabinen. olim editas, innovamus, easque inviolabiliter servari praecipimus, et mandamus.

§ 37. Et ut nefariae simoniae labes ac pestis non solum a Romana Curia, sed ex omni etiam Christiana ditione in perpetuum eiiciatur, constitutiones per antecessores nostros, etiam in sacris Conciliis contra huiusmodi simoniacos editas innovamus, easque inviolabiliter servari praecipimus, ac poenas in eis contentas pro expressis et insertis haberi, et delinquentes etiam auctoritate nostra affici volumus.

§ 38. Statuimus quoque et ordinamus, ut quilibet habens beneficium, cum cura vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio divinum officium non dixerit legitimo impedimento cessante, beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro rata omissionis recitationis officii, et temporis: sed eos tamquam iniuste perceptos in fabricam huiusmodi beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Si vero ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione praecedente, beneficio ipso privetur, cum propter officium detur beneficium. Intelligatur autem officium omittere, quoad hoc ut beneficio privari possit, qui per quindecim dies illud bis saltem non dixerit, Deo tamen ultra praemissa de dicta omissione redditurus rationem. Quae poena in habentibus plura beneficia reiterabilis toties sit, quoties contrafacere convincantur.

§ 39. Et cum fructuum Ecclesiarum Cathedralium, et Metropolitan. Monasteriorumque, et aliorum quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio, et administratio, ad nos, et Rom. Pont. pro tempore existen. et illos etiam, qui eiusmodi Ecclesias, Monasteria, et Beneficia iure et canonice obtinent, solum pertineant, saecularesque Principes, omni etiam divino iure id prohibente, dictis Ecclesiis, Monasteriis, ac Beneficiis intromittere se nullatenus debeant: Statuimus et ordinamus, ut fructus, redditus, et proventus Ecclesiarum, Monasteriorum, ac Beneficiorum per saeculares ullos Principes, etiam si Imperatores, Reges, Reginaeve, seu Respublicae, vel Potentatus fuerint, aut per eorum Officiales, seu Iudices etiam Ecclesiasticos vel quascumque alias personas publicas vel privatas, de eorumdem Imperatoris, Regum, Reginarum, ac Principum, Rerumque publicarum, vel Potentatuum mandato sequestrari, occuparive, aut modo aliquo detineri: ipsique huiusmodi Ecclesias, Monasteria, ac Beneficia obtinen. sub praetextu fabricae, instaurationisque, sine Rom. Pontificis pro tempore existentis expressa licen-

tia, aut eleemosynarum, seu quovis alio colore, aut fuco, impediri non debeant, quominus de illis ut antea libere, ac sine impedimento disponere valeant. Et si sequestrati fuerint, occupative, aut detenti, integre, libereque, ac sine exceptione vel mora, Praelatis ad quos de iure, legitimeque spectant, restituantur, de quibus, si dissipati nusquam reperiri possint, eorum iusta aestimatione facta, dictis Praelatis satisfieri volumus per eos, qui dictas sequestrationes, applicationes, dissipationesque fecerint, aut fieri mandaverint, sub poena excommunicationis, aut interdicti Ecclesiastici a talium Principum terris, et dominio, eo ipso incurrendis. Et ut eorum, ac eiusdem subiectorum bona ubicumque reperta, si moniti parere noluerint, capi, et retineri possint. Ipsi vero contrafacientes, tam supradictis poenis, quam privationis feudorum, et privilegiorum, quae a nobis, et Romana vel aliis Ecclesiis nunc et pro tempore obtinuerint, et aliis contra violatores, et oppressores libertatis Ecclesiasticae, etiam per extravagantes, et alias Constitutiones, etiam incognitas, et forsan in usu non existentes, impositis, quarum omnium tenores pro expressis et insertis habentes innovamus, ac perpetuum firmitatis robur habere decernimus, et declaramus, ac secundum eas per quoscumque iudices, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales sublata, et adempta eis aliter iudicandi, declarandique potestate, sententiari, iudicari, et interpretari debere volumus, atque mandamus.

§ 40. Et cum a Iure, tam divino quam humano Laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit, innovamus omnes, et singulas Constitutiones fel. rec. Bonifacii Papae VIII etiam Praedecessoris nostri, quae incipit: Felicis,[1] et Clementis V quae incipit: Si quis suadente,[2] necnon quascumque alias Apostolicas sanctiones in favorem libertatis Ecclesiasticae, et contra eius violatores quomodolibet editas, et poenis etiam contra talia praesumentes in Bulla quae legitur in Coena Domini, contentis, in suo robore permansuris. Et cum in Lateranen. pariter ac Conciliis generalibus, sub excommunicationis poena, prohibitum fuerit, ne Reges, Principes, Duces, Comites, Barones, Respublicae, et alii Potentatus quicumque, Regnis, Provinciis, Civitatibus, ac Terris quoquo modo praesiden. collectas, decimas, et alia huiusmodi onera, Clericis, Praelatis, et aliis quibuscumque personis Ecclesiasticis imponant, exigantque, neve a sponte etiam dantibus, et consentientibus etiam recipiant, atque in praemissis auxilium, favorem, consiliumve palam, vel occulte praestantes, in excommunicationis latae sententiae poenam eo ipso incidant, et ipsae quoque Respublicae, ac Communitates, et Universitates circa hoc quomodolibet delinquentes, Ecclesiastico eo ipso subiiciantur interdicto, Praelati etiam praemissis absque Rom. Pont. expressa licentia ultro consentien. excommunicationis, et depositionis poenam ipso facto incurrant. Statuimus, et ordinamus ut de cetero talia praesumentes, etiam si, ut praefertur, qualificati fuerint, ultra supradictas poenas, quas contravenientes eo ipso incurrere volumus, et innovamus, quod ad omnes actus legitimos, inhabiles, et intestabiles habeantur.

[1] C. 5, *de poenis,* V, 9, in VI°.
[2] C. 1, *de poenis,* V, 8, in Clem.

§ 41. Et cum secundum leges civiles, et sacrorum Canonum censuras, sortilegia per invocationem Daemonum, incantationes, ac divinationes, superstitionesque prohibitae sint: Statuimus, decernimus, et ordinamus, ut Clerici, qui in praemissis culpabiles inventi fuerint, arbitrio Superiorum infamia notentur; si vero non destiterint, deponantur, atque in Monasterium ad tempus arbitrio Superioris praefiniendum detrudantur; beneficiisque, et officiis Ecclesiasticis priventur. Laici vero utriusque sexus, excommunicationis, et aliis poenis iuris, tam civilis quam Canonici subiaceant.

§ 42. Et ut omnes ficti Christiani, ac de fide male sentientes, cuiuscumque generis, aut nationis fuerint, necnon Haeretici, seu aliqua haeresis labe polluti, vel Iudaizantes, a Christifidelium coetu penitus eliminentur, et a quocumque loco, et praesertim a Romana Curia expellantur, ac debita animadversione puniantur; Statuimus ut contra eos diligenti inquisitione ubique, et in dicta Curia maxime, procedatur per Iudices per nos deputandos, et eius criminis reos, et legitime convictos, debitis poenis puniri; relapsos vero, absque ulla spe veniae, aut remissionis affici volumus.

§ 43. Et cum Constitutiones, et Ordinationes nostrae huiusmodi quas pro nunc ordinamus, vitam, mores, Ecclesiasticamque disciplinam concernant, tam Officiales nostros, quam alios, tam in Romana Curia, quam extra ubique locorum commorantes, imitari convenit, illis ligari, eosque ad eorum observationem inviolabiliter teneri volumus, atque decernimus.

§ 44. Et ne Constitutiones ipsae aliis censuris, ac poenis in contrafacien. per antiqua iura, et Constitutiones impositis derogare in aliquo videantur, cum ad augmentum editae, atque excogitatae fuerint, etiam declaramus, per earum dispositiones, ordinationesque nihil prorsus iuri communi, vel decretis aliorum Romanorum Pontificum ullatenus derogatum esse. Quinimmo si qua in eis propter perversam temporum, aut locorum vel hominum corruptelam, vel abusum, aut quamcumque aliam causam minime probandam, vigorem suum amiserint, ea ex nunc innovamus, confirmamus, et inviolabiliter observari mandamus.

§ 45. Quas nostras consultissimas Constitutiones post duos menses ab earum publicatione, ligare debere, etiam decernimus, et declaramus; districtius inhibentes ne quis eas glosare, vel super eis commentaria, interpretationesve facere absque speciali nostra, vel Sedis Apostolicae licentia, praesumat. Si quis autem ausu temerario contravenerit, excommunicationis latae sententiae poenam eo ipso incurrat.

Nulli ergo omnino hominum, etc.

Si quis, etc.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 395-401].

66.

Leo X (in Conc. Lateranen. V), const. *Regimini universalis*, 4 maii 1515.

Regimini universalis Ecclesiae disponente Domino praesidentes, iuxta Pastoralis officii debitum, libenter intendimus utilitatibus subditorum, ad conservandam libertatem Ecclesiasticam, et removenda scandala, ponendam concordiam, et nutriendam quietem inter Ecclesiarum Praelatos, et eorum subditos, eo propensius Apostolicae solicitudinis studium adhibemus, quo dissensionem talium fore dispendiosam experimento comprobatur, necnon indulta pariter, et privilegia eisdem subditis in ipsorum Praelatorum dispendium, tam per Praedecessores nostros, quam Sedem Apostolicam concessa, ita libenter moderamur, ne exinde scandala procedant, neve ex eis ulli detur materia malignandi, et personae Ecclesiasticae a bono obedientiae, necnon a divini perseverantia servitii nullatenus retrahantur.

§ 1. Sane nuper ad nostrum relatio fide digna perduxit auditum, quod Canonici Patriarchalium, Metropolitanarum, et Cathedralium, et Collegiatarum Ecclesiarum, et alii Clerici saeculares plura praesumunt, quae ipsis infamiam non parvam pariunt, et aliis inferunt laesionem, praetextu exemptionis, et libertatis a dicta Sede obtentae, Ordinariorum correctiones et ordinationes subterfugiunt, ac eorum forum, sive iudicium declinant; nonnulli etiam impunitatem suorum excessuum per privilegium exemptionis obtinere sperantes, excessus ipsos committere non verentur, quos nisi per exemptionem, qua gaudent, crederent se defendi, nullatenus fuissent commissuri. Hinc itaque accidit, ut propter eorum audaciam, qui praetextu privilegii exemptionis, impunitatem excessuum obtinere confidentes, nonnulla multoties committant enormia, per quae plurimum diffamatur Ecclesia, et scandala gravia generantur, potissime autem cum talia per eos, ad quos eorum spectat correctio, incorrecta remaneant, seu illi ad quos spectat illa punire, negligunt.

§ 2. Nos volentes ne eo praetextu delicta remaneant impunita, morbo huiusmodi necessariam adhibere medelam, sacro approbante Concilio statuimus, ut de cetero illi, quibus exemptorum correctio et punitio a dicta Sede demandata est, circa illam vigilanter intendant, et diligenter officii sibi commissi debitum exequantur; et quamprimum eis exemptos ipsos deliquisse legitime constiterit, ita eosdem exemptos delinquentes puniant, quod iidem exempti metu poenae a suis arceantur insolentiis, et alii eorum exemplo perterriti, prosilire ad similia merito perhorrescant.

§ 3. Et cum Ecclesiasticus ordo confundatur, si sua unicuique iurisdictio non servetur, Ordinariorum iurisdictioni (quantum cum Deo possumus) favere, ac litibus finem celerius imponi, et litigantium immoderatis sumptibus, et expensis parci satagentes, Statuimus, et ordinamus, quod singulae causae, tam spirituales, quam civiles et mixtae, ac forum Ecclesiasticum quomodolibet concernentes, et beneficiales (dummodo beneficia ipsa generaliter reservata non fuerint, et ipsorum singulorum beneficiorum fructus,

redditus, et proventus, XXIV ducatorum auri de Camera, secundum communem aestimationem valorem annuum non excedant) in prima instantia extra Romanam Curiam, et in partibus coram Ordinariis locorum dumtaxat cognosci, et terminari; ita quod nulli ante definitivam sententiam liceat appellare, nec appellatio si fuerit emissa ullatenus admitti, nisi ab interlocutoria, quae vim habeat definitivae, vel a gravamine minime concernente negotium principale, quod per appellationem a definitiva sententia reparari non possit, nisi alter collitigantium adversarii sui potentiam merito perhorrescens, seu alia probabili, et honesta causa aliter quam per proprium iuramentum saltem semiplene probata, coram Ordinario non auderet litigare. Eo enim casu, causae piae, etiam appellationum, in dicta Curia, etiam in prima instantia, committi et cognosci et terminari possint. Alioquin appellationes, et illarum, etiam aliarum causarum huiusmodi commissiones in posterum, et quidquid inde secutum fuerit, nullius sint roboris vel momenti.

§ 10. Et quia saepius et multiplici relatione percepimus, quamplurimas Ecclesias, et illis praesidentes Episcopos, tam citra quam ultra montes, vexari in eorum iurisdictionibus, iuribus, et dominiis, ac turbari a domicellis, Principibus, et nobilibus eorumdem, qui sub colore iurispatronatus, quod in beneficiis Ecclesiasticis habere confingunt, nullo privilegio Apostolico suffulti, sine Ordinariorum collationibus, et literis, et absque aliquo saltem colorato titulo, beneficia non solum Clericis sed etiam Laicis conferre, Sacerdotes et Clericos delinquentes ad eorum libitum punire, decimas omnium rerum, ad quarum solutionem de iure tenentur, ac Cathedralium, et alia quae legis Dioecesanae, et iurisdictionis sunt, et ad ipsos Episcopos dumtaxat pertinent, temere auferre, fraudare, usurpare, seu ut praemissa fiant mandare, ac ipsa et fructus quoscumque ne a Civitatibus, Terris, et locis eorum extrahantur prohibere, feuda, possessiones, et praedia occupare, et indebite detinere, seu ad feuda et bona ipsarum Ecclesiarum eis concedendum, ac beneficia Ecclesiastica personis per eos nominatis conferendum, minis, et terroribus, ac aliis viis indirectis inducere, et compellere, et alia quamplurima damna, iacturas, iniurias, Ecclesiis, et earum Praelatis, ac Clericis praefatis inferri, non modo permittere, sed etiam expresse mandare praesumant.

§ 11. Attendentes igitur quod Laicis in Clericos et personas Ecclesiasticas, ac bona Ecclesiastica, non est attributa facultas, atque aequum et iustum esse, ut in eos iura insurgant, qui illa offendere praesumunt. Necnon considerantes quantum ex eis tam nostro et Apostolicae Sedis honori, quam personarum Ecclesiasticarum quieto et prospero statui non sine damnanda pernicie derogetur. Ac cupientes, eos quos ad observantiam iurium, virtutum praemia non inducunt, tam adiectarum exaggeratione poenarum, quam adiiciendarum de novo formidine, a temerariis ausibus refraenare, omnes et singulas constitutiones, quae super Decimarum solutione, et contra violatores, et raptores Ecclesiarum, et incendiarios, agrorum depopulatores, et tam S. R. E. Cardinales, quam venerabiles fratres nostros Episcopos, et alias personas Ecclesiasticas, Saeculares et Regulares, capientes, et detinentes, et eorum iurisdictionem et iura quomodolibet indebite occupantes, aut eos in eorum iurisdictionis exercitio perturbantes, seu molestantes, eos quoque

ad conferendum beneficia Ecclesiastica personis per eos nominatis, aut alias de illis pro eorum libito voluntatis disponendum, et feuda ac bona Ecclesiastica in emphyteusim concedendum, aut alias vendendum, temere compellentes; necnon statuta contra libertatem Ecclesiasticam facientes, et ad praemissa auxilium, consilium, vel favorem praestantes, hactenus emanarunt, innovamus. Et cum ea nedum iuri contraria, sed etiam Ecclesiasticae libertati opprobriosa sint quamplurimum et adversa, ut de officio nobis credito dignam Deo possimus reddere rationem, affectibus et monitis paternis, Imperatorem, Reges, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, et quoscumque alios alterius cuiuscumque nobilitatis, praeeminentiae, potentiae, seu potestatis, excellentiae, vel dignitatis existentes, attente hortamur in Domino, eisdem in virtute sanctae obedientiae mandantes, ut ipsi constitutiones praedictas observent, et faciant a suis etiam subiectis inviolabiliter observari, quacumque consuetudine contraria non obstante, si divinam offensam, et Sedis Apostolicae debitam vitare voluerint ultionem. Ac collationes de dictis beneficiis sic factas, nullas et irritas nihilominus esse decernimus, ac illis utentes reddantur inhabiles ad alia beneficia Ecclesiastica obtinenda, donec cum eis super hoc per Sedem praedictam fuerit dispensatum.

§ 12. Mature quoque considerantes, quod post Christi ad Coelos Ascensionem, Apostoli per singulas Urbes et Dioeceses, Episcopos distribuerunt, sicut Sancta Romana Ecclesia per Orbem constituit eosdem Episcopos, in partem sollicitudinis vocando, onera gradatim distribuendo per Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, ac sacris etiam Canonibus fuerit definitum, per eos pro morum correctione, et controversiarum decisione, et determinatione, ac mandatorum Domini observatione, fieri debere Concilium Provinciale, ac Synodum Episcopalem, ut depravata corrigerentur, et illa facere negligentes, Canonicis poenis subiacerent. Cum conveniat nos circa ea, quae rempublicam Christianam concernunt, esse intentos, desiderantes canones ipsos firmiter observari, eisdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis districte iniungimus, ut de officio eis commisso dignam Deo possint reddere rationem, canones, Concilia et Synodos huiusmodi fieri mandantes, quocumque privilegio non obstante, inviolabiliter observent, praeterquam quoad Concilium provinciale, quod de cetero singulis trienniis fieri mandamus, ad illaque etiam exemptos accedere debere decernimus, privilegio, ac consuetudine quacumque contraria non obstante. Circa hoc autem negligentes, poenas in eisdem canonibus contentas se noverint incursuros.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 405-408].

67.

Leo X (in Conc. Lateranen. V), const. *Inter multiplices*, 4 maii 1515.

Inter multiplices nostrae solicitudinis curas, illam in primis suscipere pro nostro Pastorali officio debemus, ut quae salubria, et laudabilia, ac Catholicae fidei consona, et bonis moribus conformia, nostro tempore non

solum enucleentur, verum etiam ad posteros propagentur, et quae materiam scandali praebere possent, penitus succidantur, et radicitus extirpentur, nec pullulare usquam sinantur ea in agro Dominico, et vinea Domini Sabaoth dumtaxat conseri permittendo, quibus fidelium mentes pasci spiritualiter possint, eradicatis zizaniis, et oleastri sterilitate succisa.

§ 1. Sane cum olim inter nonnullos dilectos filios sacrae Theologiae Magistros, ac Iuris utriusque Doctores, controversiam quamdam non sine populorum scandalo et murmuratione exortam, et nuper his diebus innovatam esse compererimus, circa pauperum relevationem in mutuis eis publica auctoritate faciendis, qui Montes Pietatis vulgo appellantur, quique in multis Italiae Civitatibus, ad subveniendum per huiusmodi mutuum pauperum inopiae, ne usurarum voragine deglutiantur, a Civitatum Magistratibus, ac aliis Christifidelibus sunt instituti, atque a sanctis viris divini verbi praeconibus, et laudati, et persuasi, ac a nonnullis, etiam summis Pontificibus praedecessoribus nostris probati, et confirmati sint, ne praefati Montes a Christiano dogmate dissonantes, vel non, utraque parte diversimode sentiente, atque praedicante. Nonnullis enim Magistris, et Doctoribus dicentibus, eos Montes non esse licitos, in quibus aliquid ultra sortem pro libera, decurso certo tempore, per ministros huius Montis, ab ipsius pauperibus quibus mutuum datur, exigitur, et propterea ab usurarum crimine, iniustitiave, seu ab aliqua certi specie mali mundos non evadere: cum Dominus noster, Luca Evangelista attestante, aperto nos praecepto obstrinxerit, ne ex dato mutuo quicquam ultra sortem sperare debeamus. Ea enim propria est usurarum interpretatio, quando videlicet ex usu rei, quae non germinat, nullo labore, nullo sumptu, nullove periculo lucrum foenusque conquiri studetur. Addebant etiam iidem Magistri et Doctores, in iis Montibus neque commutativae, neque distributivae iustitiae fieri satis, cum tamen iustitiae terminos contractus huiusmodi excedere non debeant, si debeant approbari. Idque praeterea probare nitebantur, quia impensae pro huiusmodi Montium conservatione, a pluribus, ut aiunt, debitae, a solis pauperibus quibus mutuum datur, extorqueantur, pluraque interdum ultra necessarias et moderatas impensas, non absque specie mali, ac incentivo delinquendi, quibusdam aliis personis, ut inferre videntur, exhibeantur.

§ 2. Aliis vero pluribus Magistris et Doctoribus contra asserentibus, et in multis Italiae Gymnasiis, verbo et scripto conclamantibus, pro tanto bono, tamquam Reipublicae pernecessario, modo ratione mutui nihil petatur neque speretur, pro indemnitate tamen eorumdem Montium, impensarum videlicet Ministrorum eorumdem ac rerum omnium ad illorum necessariam conservationem pertinentium, absque Montium huiusmodi lucro, idque moderatum et necessarium ab iis qui ex huiusmodi mutuo commodum suscipiunt, licite ultra sortem exigi, et capi possit, nonnihil licere, cum regula iuris habeat, Quod qui commodum sentit, onus quoque sentire debeat, praesertim si Apostolica accedat auctoritas.

§ 3. Quam quidem sententiam a fel. record. Paulo Secundo, Sixto Quarto, Innocentio Octavo, Alexandro Sexto, et Iulio Secundo Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris probatam, a Sanctis quoque et Deo devotis et in

magna, ob sanctitatis opinionem, existimatione habitis, Evangelicae veritatis praedicatoribus praedicatam esse ostendunt.

§ 4. Nos super hoc (prout nobis est ex alto concessum) opportune providere volentes, alterius quidem partis iustitiae zelum, ne vorago aperiretur usurarum, alterius pietatis et veritatis amorem, ut pauperibus subveniretur, utriusque vero partis studium commendantes, cum haec ad pacem, et tranquillitatem totius Reipublicae Christianae spectare videantur, sacro approbante Concilio, declaramus, et definimus, Montes Pietatis antedictos per Respublicas institutos, et auctoritate Sedis Apostolicae hactenus probatos et confirmatos, in quibus pro eorum impensis, et indemnitate, aliquid moderatum ad solas Ministrorum impensas, et aliarum rerum ad illorum conservationem, ut praefertur, pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat, ultra sortem, absque lucro eorumdem Montium, recipitur, neque speciem mali praeferre, nec peccandi incentivum praestare, neque ullo pacto improbari, quinimmo meritorium esse, ac laudari et probari debere tale mutuum, et minime usurarium putari, licereque illorum pietatem, et misericordiam populis praedicare, etiam cum indulgentiis a Sancta Sede Apostolica eam ob causam concessis. Ac deinceps alios etiam similes Montes cum Apostolicae Sedis approbatione erigi posse. Multo tamen perfectius, multoque sanctius fore, si omnino tales Montes gratuiti constituerentur, hoc est, si illos erigentes, aliquos census assignarent, quibus si non omni, saltem vel media ex parte, huiusmodi Montium Ministrorum solvantur impensae, ut ad leviorem aeris solvendi portionem, medio hoc, pauperes gravari contingat, ad quos cum huiusmodi census assignatione, pro impensarum supportatione erigendos, Christifideles maioribus indulgentiis invitandos esse decernimus.

§ 5. Omnes autem Religiosos, et Ecclesiasticas ac saeculares personas, qui contra praesentis declarationis et sanctionis formam, de cetero praedicare, seu disputare, verbo vel scriptis ausi fuerint, excommunicationis latae sententiae poenam, privilegio quocumque non obstante, incurrere volumus.

§ 6. Non obstantibus, etc.

Nulli ergo, etc.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 408, 409].

68.

Leo X (in Conc. Lateranen. V) const. *Inter sollicitudines*, 4 maii 1515.

Inter sollicitudines nostris humeris incumbentes, perpeti cura revolvimus, ut errantes in viam veritatis reducere, ipsosque lucrifacere Deo (sua nobis cooperante gratia) valeamus, hoc est quod profecto desiderantes exquirimus, ad id nostrae mentis sedulo destinamus affectum, ac circa illud studiosa diligentia vigilamus.

§ 1. Sane licet literarum peritia per librorum lectionem possit faciliter obtineri, ac ars imprimendi libros, temporibus potissimum nostris, divino

favente numine, inventa, seu aucta et perpolita, plurima mortalibus attulerit commoda, cum parva impensa copia librorum maxima habeatur, quibus ingenia ad literarum studia percommode exerceri, et viri eruditi in omni linguarum genere, praesertim autem Catholici, quibus Sanctam Romanam Ecclesiam abundare affectamus, facile evadere possunt, qui etiam infideles sciant, et valeant sacris institutis instruere, fideliumque collegio, per doctrinam Christianae fidei salubriter aggregare. Quia tamen multorum querela nostrum, et Sedis Apostolicae pulsavit auditum, quod nonnulli huius artis imprimendi Magistri, in diversis Mundi partibus libros, tam Graecae, Hebraicae, Arabicae, et Chaldeae linguarum in Latinum translatos, quam alios, Latino, ac vulgari sermone editos, errores etiam in fide, ac perniciosa dogmata etiam Religioni Christianae contraria, ac contra famam personarum, etiam dignitate fulgentium continentes imprimere, ac publice vendere praesumunt, ex quorum lectura non solum legentes non aedificantur, sed in maximos potius, tam in fide quam in vita, et moribus prolabuntur errores, unde varia saepe scandala (prout experientia rerum magistra docuit) exorta fuerunt, et maiora in dies exoriri formidantur.

§ 2. Nos itaque, ne id, quod ad Dei gloriam, et fidei augmentum, ac bonarum artium propagationem, salubriter est inventum, in contrarium convertatur, ac Christifidelium saluti detrimentum pariat, super librorum impressione curam nostram habendam fore duximus, ne de cetero cum bonis semiuibus spinae coalescant, vel medicinis venena intermisceantur. Volentes igitur de opportuno super his remedio providere, hoc sacro approbante Concilio, ut negotium impressionis librorum huiusmodi, eo prosperetur felicius, quo deinceps indago solertior diligentius et cautius adhibetur: Statuimus, et ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus, nullus librum aliquem, seu aliam quamcumque scripturam, tam in Urbe nostra, quam in aliis quibusvis Civitatibus, et Dioecesibus, imprimere, seu imprimi facere praesumat, nisi prius in Urbe per Vicarium nostrum, et Sacri Palatii Magistrum, in aliis vero Civitatibus, et Dioecesibus per Episcopum, vel alium habentem peritiam scientiae libri, seu scripturae huiusmodi imprimendae ab eodem Episcopo ad id deputandum, ac Inquisitorem haereticae pravitatis Civitatis, sive Dioecesis, in quibus librorum impressio huiusmodi fieret, diligenter examinentur, et per eorum manus propriae subscriptionem, sub excommunicationis sententia, gratis, et sine dilatione imponendam, approbentur.

§ 3. Qui autem secus praesumpserit, ultra librorum impressorum amissionem, et illorum publicam combustionem, ac centum ducatorum Fabricae Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, sine spe remissionis, solutionem, ac anni continui exercitii impressionis suspensionem, excommunicationis sententia innodatus existat, ac demum ingravescente contumacia, taliter per Episcopum suum, vel Vicarium nostrum respective, per omnia iuris remedia castigetur, quod alii eius exemplo similia minime attentare praesumant.

Nulli ergo, etc. Si quis, etc.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 409, 410].

69.

Leo X, const. *Inter graves*, 25 maii 1515.

Inter graves solicitudines, et curas, quibus pro Pastoralis officii, et Apostolicae servitutis debito continue premimur, una est peculiaris, qua semper angimur, ut defensioni, et custodiae Civitatum, et Terrarum, et locorum nobis et S. R. E. subiectorum assidue invigilemus, ac ne perversorum temerariis ausibus, a quibusvis gentium armorum ductoribus, qui sine iustitiae ministerio, sed hostili manu, et propria temeritate procedunt, occupentur, et dissipentur, omnibus remediis, et iuris auxilio opportune prohibere, quod tanto periculosius negligitur, quanto exinde turbatio, et confusio Civitatum, et Terrarum Ecclesiastici Status de facili causaretur, et Pontificalis auctoritas minueretur.

§ 1. Cum itaque operam efficacem adhibere debeamus, ut omnes Christifideles, praesertim in terris, et locis nobis, et dictae Sedi mediate, vel immediate subiectis existentes, sublatis quibuscumque armorum strepitibus, et impedimentis quiete, et pacifice vivere valeant, omnibus iuris remediis (ubi etiam perversorum audacia exigit, vibrato Apostolicae potestatis mucrone) per censuras Ecclesiasticas providere volentes. Sane cum mente revolvimus quot, et quantos labores fel. rec. Iulius Papa II praedecessor noster pro recuperatione Civitatum, Terrarum, et locorum ad Romanam Ecclesiam canonico titulo pertinentium, quae a diversis Ducibus, Principibus, et Potentatibus longo tempore occupata, et detenta fuerant, passus sit, praesertim cum adductus fuerit, consilium capere de adeundis per se ipsum, visitandis, et reformandis aliquibus Romanae Ecclesiae Civitatibus, et illarum Statu, assumptis etiam aliquibus copiis, ut contumaces compescere posset, iter matura deliberatione cum S. R. E. Cardinalibus, ipsis eum comitantibus, arripere, illaque felici, et prospero successu, dextera Domini sibi etiam assistente, recuperaverit et dictae Romanae Ecclesiae reintegraverit.

§ 2. Nos etiam post nostram ad summi Apostolatus apicem, divina favente clementia, assumptionem, Parmam, et Placentiam Civitates, quibus Apostolica Sedes, ea tunc vacante, spoliata fuerat, summa diligentia restitui curavimus. Et omnia quaeque per eumdem Iulium praedecessorem recuperata, pro nostro, et dictae Sedis honore, non minori diligentia, ac opportunis iuris remediis conservare intendimus, quam idem Iulius praedecessor, cum in humanis ageret, recuperare studuerit, animo etiam semper gessimus, Reges, et Principes, ac Potentatus, quos tempore assumptionis nostrae huiusmodi inter se bello dissidentes audivimus, non armis, sed concordia, eorum differentias, et lites, Domino concedente terminari, et inter fideles quoslibet, controversias super quacumque etiam maxima importante re, via iuris, et non armis decidi, et terminari, ipsaque arma Regum, et Principum, ac Potentatuum praedictorum unanimi consensu contra immanissimos Christi nominis hostes, ad fidei exaltationem converti, summo studio concupivimus.

§ 3. Et cum a quampluribus praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, constitutiones, diversas censuras, et poenas in se continentes, contra occupantes Civitates, et Terras, et loca huiusmodi, aut illa hostiliter invadentes emanaverint, et singulis annis censurae huiusmodi contra talia praesumentes in die Coenae Domini innoventur: ea propter ne Terrarum, aut locorum, ac iurium, seu bonorum S. R. E. curam negligere videamur, necnon ad tollendam super praemissis ignorantiae, aut cuiuslibet alterius generis excusationem, omnes, et singulas constitutiones, et literas Apostolicas, ac processus, qui singulis annis publice promulgantur in die Coenae Domini, ex more Romanorum Pontificum, ac alias quascumque constitutiones, seu canonicas sanctiones quomodolibet editas, excommunicationis, ac alias sententias, censuras, et poenas contra Civitates, et Terras, loca, et iura ad dictam Romanam Ecclesiam pertinentia occupantes, aut illa hostiliter invadentes, vel ad id per se, vel alium, seu alios, auxilium, consilium, vel favorem, directe, vel indirecte, aut alias quovis quaesito colore, praestare praesumentes, cuiuscumque ordinis, praeeminentiae, et conditionis, et status, etiamsi Cardinalatus, aut Patriarchali, Regali, Reginali, aut alia quavis Ecclesiastica, vel mundana, praefulgeant dignitate, continentes, approbamus, et innovamus, illasque inviolabiliter observari debere decernimus.

§ 4. Ac omnes, et singulos Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones, ac Communitatum, Universitatum, tam in Italia, quam extra Italiam existentium singulas personas, Civitates, Terras, et loca praesertim Parmam, et Placentiam, ad dictam Romanam Ecclesiam mediate, vel immediate pertinentia, seu in quarum, vel quorum aut cuiuslibet earum, vel eorum possessione quomodolibet eadem S. R. E., per se, vel alium extiterit, hostiliter invadentes, aut alias cum gentibus armorum, aut stipendiariis equestribus, vel pedestribus, aut sine, etiam advocatione populorum, seu factionum, aut privatarum personarum, aut alias qualitercumque, et quomodocumque, et quovis quaesito colore, aut ingenio, absque nostra speciali licentia occupantes, necnon stipendiarios, equestres aut pedestres, quomodolibet contra praesentes literas nostras, et in eis contenta militantes, aut auxilium, consilium, vel favorem praestantes, ex parte omnipotentis Dei, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, auctoritate beatorum Petri, et Pauli Apostolorum, ac nostra, et de potestatis plenitudine, excommunicamus, anathematizamus, ac maledictionis, et damnationis aeternae mucrone percutimus, ac omnium Ecclesiasticarum censurarum laqueis ligatos, et irretitos esse, vigore praesentium decernimus, ac reos criminis laesae Maiestatis, et a Sede Apostolica, et a S. R. E., ac omnibus dictae Romanae Ecclesiae devotis, cum eorum bonis perpetuo diffidatos, infames, et inhabiles ad omnes, Ecclesiasticas, vel mundanas dignitates, omnesque actus legitimos, et Ecclesiastica sepultura indignos esse, auctoritate, et potestate praedictis etiam decernimus.

§ 5. Et generaliter Civitates, Terras, Oppida, et loca quaecumque ad quae aliquem eorumdem excommunicatorum declinare contigerit, quamdiu ibidem permanserit, etiam triduo post recessum eiusdem, Ecclesiastico interdicto subiicimus, necnon excommunicatos, anathematizatos, et maledictos, titulis, dignitatibus, et honoribus, in quibus constituti existunt, et tam ipsos,

quam Communitates, Castra, Oppida, et loca praedicta, omnibus privilegiis, indultis, etiam Studii generalis, concessionibus, et gratiis, dignitatibus, honoribus, quibus utuntur, et gaudent, seu muniti sunt, necnon bonis omnibus, quae in feudum, vel in emphyteusim, seu alias a praefata Romana, vel aliis Ecclesiis, Monasteriis, et locis Ecclesiasticis, aut alias quomodolibet, etiam ab Imperatore, Regibus, seu aliis Principibus, ac saecularibus potestatibus obtinent, penitus privamus, dictaque bona feudalia, vel emphyteutica, ut praefertur, obtenta, ad dominos suos reverti debere, ita ut de illis libere disponere possint, decernimus.

§ 6. Et si aliqui ex excommunicatis, anathematizatis, et maledictis praedictis, clerici, saeculares, vel Praelati, etiam in Archiepiscopali, Episcopali, vel alia dignitate, etiam Cardinalatus honore, et beneficiati fuerint, illos dignitate, ac titulo Cardinalatus, necnon Praelaturis, administrationibus, regimineque, ac omnibus, et singulis beneficiis, dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus, et praebendis, aliisque beneficiis Ecclesiasticis, ac ordinibus, etiam Sacerdotalibus, ad quos promoti forent, sine ulla spe restitutionis, et absque alia citatione, seu declaratione, privamus, et ex nunc privatos esse per praesentes decernimus.

§ 7. Absolvi autem a praedictis censuris, sententiis, ac poenis nullus ex supradictis per alium quam per Romanum Pontificem, nisi dumtaxt in mortis articulo constitutus possit, nec etiam tunc, nisi quantum fieri potest, satisfactione praevia, et de stando Sanctae Matris Ecclesiae mandatis, et similia ulterius non committenda, legitima cautione praestita, aliter autem absolvere, aut indignos sepultura Ecclesiastica, ut praefertur, sepelire praesumentes, supradictis omnibus, et singulis poenis eo ipso subiicimus. Quodque de beneficiis praedictis possit, et debeat per Sedem praedictam dumtaxat, seu ab illa specialem facultatem habentes, absque alia declaratione incursus poenae huiusmodi, libere illico provideri, auctoritate praedicta, et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine.

§ 8. Ac omnibus, et singulis Civitatum, et Terrarum nobis, et Romanae Ecclesiae mediate, vel immediate subiectarum personis, sub eisdem poenis, quas eo ipso si contrafecerint, absque alia declaratione incurrant, et a quibus, ut praefertur, nonnisi a nobis, et successoribus nostris, praeterquam in mortis articulo constituti, et debita satisfactione praemissa, absolvi possint, in virtute sanctae obedientiae, districte praecipiendo mandamus, ne aliquas gentes armigeras, praeterquam ad nostra, et dictae S. R. E. stipendia militantes, quovis quaesito colore in Civitatibus, Terris, Castris, Oppidis, et locis nostris subiectis, sine nostra speciali licentia admittere, retinere, illisque victualia, aut aliquod subsidium quoquo modo praestare praesumant, eosque etiam si Cardinalatus honore, vel Archiepiscopali, Episcopali, aut quavis alia Ecclesiastica, vel mundana praefulgeant dignitate, si contrafecerint, ipso facto eisdem poenis subiacere, Civitates quoque, Terras, Castra, Oppida, et loca praedicta, ad quae inobedientes huiusmodi declinare, et in quibus moram trahere contigerit, Ecclesiastico supposita interdicto, tamdiu firmiter observando, donec compuncti corde, huiusmodi interdicti relaxationem, debita satisfactione praemissa, meruerint obtinere, ac ibidem permanserint, et per

triduum post eorum discessum, auctoritate Apostolica, scientia, et potestate praedictis, decernimus.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 410-412].

70.

Leo X (in Conc. Lateranen. V), const. *Pastor aeternus*, 19 dec. 1516.

Pastor aeternus gregem suum, usque ad consummationem saeculi numquam deserturus, ita Apostolo teste, obedientiam dilexit, ut pro expiando primi parentis inobedientiae peccato seipsum humiliaverit, factus obediens usque ad mortem, migraturus vero ex mundo ad Patrem in soliditate petrae, Petrum eiusque Successores Vicarios suos instituit, quibus ex libri Regum testimonio ita obedire necesse est, ut qui non obedierit morte moriatur, et ut alibi legitur, in Ecclesia esse non potest, qui Romani Pontificis Cathedram deserit, quoniam Augustino, Gregorioque auctoribus, sola obedientia est mater, custosque omnium virtutum, sola fidei meritum possidens, sine qua quisque infidelis convincitur, etiam si fidelis esse videatur. Itaque nos eodem Petro docente soliciti esse debemus, ut quae a Rom. Pont. Praedecessoribus nostris, praesertim in sacris Conciliis pro obedientiae huiusmodi auctoritatis, libertatisque Ecclesiasticae, et Sedis Apostolicae defensione mature, et ex legitimis causis inchoata sunt, nostris studio, cura, et diligentia debite absolvantur, et ad optatum finem perducantur, simplicium quoque animae (quarum etiam rationem Deo reddituri sumus) a dolis, et laqueis tenebrarum principis liberentur.

§ 1. Sane fel. rec. Iulius Papa Secundus praedecessor noster post indictum ex legitimis tunc expressis causis de venerabilium fratrum suorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, consilio, et assensu saerum Lateranense Concilium, provide considerans cum eodem sacro Lateranen. Concilio Bituricen. Regni Franciae corruptelam, quam illi Pragmaticam Sanctionem vocant, cum maximo animarum periculo, et scandalo, ac dignitatis Sedis Apostolicae detrimento, et vilipendio retroactis temporibus viguisse, et adhuc vigere, eiusdem Pragmaticae Sanctionis negotium, eodem approbante Concilio discutiendum, certis tunc nominatim deputatis Cardinalibus, et Praelatis certae Congregationis commisit.

§ 5. Et sicut piae memoriae Leo Papa I, Praedecessor noster, cuius in hoc libenter quoad possumus vestigia imitamur, ea quae in secunda Ephesina Synodo temere contra iustitiam et Catholicam fidem gesta fuerunt, postmodum in Chalcedonen. Concilio mandavit, ac fecit, pro dictae fidei firmitate revocari, ita et nos a tam nefariae sanctionis, et contentorum in ea revocatione, retrahi aut desistere salva conscientia, ac nostro, et ipsius Ecclesiae honore non posse, aut debere censemus.

§ 6. Nec illud nos movere debet, quod sanctio ipsa et in ea contenta, in Basileen. Concilio edita et ipso Concilio instante a Bituricen. Congregatione recepta et acceptata fuerunt, cum ea omnia post translationem eiusdem

Basileen. Concilii per rec. mem. Eugenium Papam IV, etiam praedecessorem nostrum factam, a Basileen. Conciliabulo, seu potius conventicula, quae praesertim post huiusmodi translationem, Concilium amplius appellari non merebatur, facta extiterint, ac propterea nullum robur habere potuerint, cum etiam solum Rom. Pont. pro tempore existen. tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum, plenum ius et potestatem habere, ne dum ex sacrae Scripturae testimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifeste constet, quorum aliqua referre placuit, reliqua vero utpote notoria silentio praeterire. In Alexandrina enim Synodo Athanasio ibidem existente, Felici Romano Pontif. ab eadem Synodo scriptum fuisse legimus, Nicaenam Synodum statuisse non debere absque Roman. Pont. auctoritate Concilia celebrari. Neque nos latet etiam eumdem Leonem Pont. Ephesinam secundam Synodum ad Chalcedonen. statuisse. Martinum etiam Papam V praesidentibus suis in Concilio Senen. potestatem transferendi Concilium nulla consensus ipsius Concilii mentione habita dedisse. Ephesinam quoque primam Synodum Caelestino ac Chalcedonen. eidem Leoni Sextam, Agathoni Septimam, Hadriano Octavam, Nicolao Octavam etiam Constantinopolitan. Synodum Hadriano Roman. Pontif. praedecessoribus nostris maximam reverentiam exhibuisse, eorumdemque Pontif. institutionibus, et mandatis in sacris Conciliis per eos editis et factis reverenter et humiliter obtemperasse. Unde Damasus Papa, et ceteri Episcopi Romae congregati scribentes de Concilio Ariminen. Episcopis in Illyrico constitutis praeiudicium aliquod per numerum Episcoporum Arimini congregatorum fieri non potuisse testantur, quandoquidem constet Roman. Pontif., cuius ante omnia dicebat spectari decretum, talibus non praebuisse consensum, eumdemque Leonem Pontificem universis Siciliae Episcopis scribentem idem voluisse apparet, consueveruntque antiquorum Conciliorum Patres pro eorum, quae in suis Conciliis gesta fuerunt, corroboratione, a Rom. Pont. subscriptionem, approbationemque humiliter petere, et obtinere, prout ex Nicaena, et Ephesina, ac Chalcedonen. huiusmodi, et Sexta Constantinopolitana, et Septima eadem Nicaena, ac Romana sub Symmacho Synodis habitis earumque gestis, necnon in Aimari libro de Synodis manifeste colligitur, quod etiam novissime Constantien. Patres fecisse constat. Quam laudabilem consuetudinem si Bituricen. et Basileen. secuti fuissent, huiusmodi molestia proculdubio careremus.

§ 7. Cupientes quoque huiusmodi negotium ad debitum finem perduci, ac tam vigore citationum hactenus a nobis, et praefato Iulio Praedecessore ex abundanti emanatarum, quam aliorum praemissorum, quae ita notoria sunt, ut nulla valeant excusatione, aut tergiversatione celari, etiam ex nostro Pastorali officio procedentes, omnesque, et singulos tam iuris, quam facti defectus, si qui forsan in praemissis intervenerint, supplentes, ex certa nostra scientia, et de Apostolicae potestatis plenitudine (eodem sacro approbante Concilio) tenore praesentium praefatam Pragmaticam Sanctionem, seu corruptelam, eiusque approbationem quomodolibet emanatam, omniaque et sin-

gula decreta, capitula, statuta, constitutiones, sive ordinationes in eadem quomodolibet contentas, seu etiam insertas, ac ab aliis prius editas, necnon consuetudines, stylum, usum, sive potius abusum ex ea in hanc usque diem quomodolibet emanatos, seu observatos, nullius roboris, vel momenti fuisse, et esse decernimus, et declaramus. Necnon ad abundantiorem cautelam eamdem Bituricen. sanctionem, sive corruptelam, eiusque approbationem tacitam, vel expressam, ut praefertur, et in ea contenta omnia, et singula etiam inserta quaecumque revocamus, cassamus, abrogamus, irritamus, annullamus, ac damnamus, et pro infectis, revocatis, cassatis, abrogatis, irritatis, annullatis, et damnatis haberi volumus, decernimus, et declaramus.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 430-433].

71.

Leo X (in Conc. Lateranen. V), const. *Supernae Maiestatis*, 19 dec. 1516.

Supernae Maiestatis praesidio, per cuius ineffabilem providentiam caelestia simul et terrena diriguntur, super gregem Dominicum nobis commissum, speculatoris officium (quantum imbecillitati nostrae conceditur) exercentes, totaque mente nobiscum ipsi revolventes inter alia complura et magna ad nos pertinere, ut munus praedicationis, quod in Ecclesia Dei praecipuum, ac pernecessarium, magnique fructus atque utilitatis, dummodo recte et ex sincera caritate erga Deum et proximum praeceptisque, et exemplis sanctorum Patrum, qui haec profitentes cum fidei fundatione, et propagatione plurimum Ecclesiae contulerunt, exerceatur; quippe quod Redemptor noster primus fecit, et docuit, et eius praecepto, et imitatione duodenus ille Apostolorum numerus, quasi totidem coeli, Dei veri gloriam enarrantes per Orbem terrarum, universum genus humanum, quod sub peccati iugo vetusta servitute continebatur, sensim ab eorum tenebris educentes, et ad perpetuae salutis lucem excitantes, verbum ipsum in omnem terram, et in fines orbis terrae, tum ipsi prius, tum deinde sui successores longe lateque propagaverunt, altissimeque fundaverunt, ut qui nunc tantum subeunt onus, meminisse debeant, creberrimeque secum revolvere, praeter auctoris ipsius, ac fundatoris Iesu Christi pientissimi Redemptoris, Petri etiam et Pauli ceterorumque Apostolorum, et Domini Discipulorum se vices, quoad hoc officium, subire, ac sustinere.

§ 1. Sane fide dignorum relatione percepimus, quod nonnulli Praedicatores nostris temporibus (quod dolenter referimus) non attendentes, se eorum, quos diximus, et insuper Sanctorum Ecclesiae Doctorum, aliorumque sacram Theologiam profitentium, qui assistendo iugiter Christianis, ac se falsis prophetis rectam fidem subvertere annitentibus opponentes, Ecclesiam militantem illaesam prius, per se talem eam esse manifestarunt, officium exercere, et non nisi utilia concurrenti eorum sermonibus populo ad vitiorum extirpationem, virtutum laudem, animarum denique salutem fidelium, meditanda, et perficienda debere assumere, multa tamen, et varia contra institutiones, et exempla,

quae diximus, quandoque etiam scandalosa populis praedicare, quod mentem certe nostram mirum in modum commovit, dum nobiscum ipsi mente volvimus, quod illi officii immemores sui, in suis sermonibus non ad utilitatem audientium, sed ad suam potius ostentationem laborantes, vanis quorumdam auribus blandiuntur, qui ad hoc iam devenisse apparent, ut verificetur dictum Apostoli ad Timotheum ita scribentis: Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur; quorum falsas, et inanes mentes, praedicantes ipsi praefati non modo in rectam veramque viam reducere minime student, sed illas maioribus etiam erroribus implicant, dum sine ulla canonum attestatione, vel reverentia, immo contra ipsas canonicas sanctiones, sacrae Scripturae sensum multifariam pervertentes, temereque ac perperam plerumque interpretantes, contra veritatem praedicare, terroresque ac minas, multaque mala propediem affutura, iamque ingruentia, nulla prorsus legitima ratione muniti, sed suo dumtaxat sensui obsequentes comminantur, repraesentant, adesseque asseverant; plerumque etiam vana quaedam, et inania, et alia huiusmodi populis ingerere, et (quod enormius est) ab aeternitatis lumine, et Sancti Spiritus admonitione, aut infusione, illa se habere asserere audent. Cumque ii sub confictorum miraculorum mendaciis, varios errores fraudesque disseminent, denique populos, quos in Evangelica doctrina sedulo instruere, et in vera fide retinere, et conservare deberent, sermones suos, a sensu, et praeceptis universalis Ecclesiae retrahentes, a sacrisque constitutionibus, quas maxime sequi deberent, deviantes, auditores suos amovent, ac longe faciunt a salute. Per haec namque, et alia huiusmodi simpliciores homines, et ad deceptionem procliviores, a via salutis, et obedientia Rom. Ecclesiae deviantes, in errores varios perfacile inducuntur.

§ 2. Propterea Gregorius huius muneris peritissimus, et fervore caritatis incensus, praedicatores vehementer hortatur et monet, ut dicturi ad populum, prudentes cautique accedant, ne dicendi impetu rapti, verborum erroribus quasi iaculis audientium corda configant, et cum sapientes fortasse videri desiderant, decepti speratae virtutis compagem insipienter discindant. Saepe namque verborum effectus amittitur, cum loquacitate importuna, vel incauta, audientium corda levigantur. Et sane in nullo alio rudem ii plebem maiori damno scandaloque afficiunt, quam cum, vel tacenda praedicant, vel falsa, et inutilia docendo, eam in errorem inducunt. Quae quoniam huic sacrae Religioni divinitus institutae, ut nova, et aliena, omnino contraria esse noscuntur, gravi certe accuratoque sunt examine digna, ne scandalum populo Christiano, et suorum auctorum, ac aliorum animabus interitum pariant.

§ 3. Nos igitur sanctae Dei Ecclesiae (cui disponente Domino praesidemus, quae quidem unum est, et Deum unum praedicat, colit, ac unam fidem firmiter, et sincere confitetur, iuxta illud Prophetae vaticinium: Qui habitare facit unius moris) uniformitatem, quantum cum Deo possumus, posthabitam reducere, et retentam conservare, quique populo verbum Dei praedicant, tales esse cupientes, ut eorum praedicatione, Ecclesia nullum scandalum patiatur, et si qui corrigibiles sunt, ab his, quae proximis nostrisque temporibus praesumpserunt, cum nonnullos eorum, praeter illa quae diximus,

in praedicationibus non viam amplius Domini in virtute docentes, non Evangelium, ut deberent, explanantes, sed conficta miracula, et nova, ac falsa vaticinia, aliaque levia, ab anilibus fabulis parum distantia, magnumque scandalum parientia, nulla devotionis, et auctoritatis, eiusque improbantis, ac repellentis haec, habita ratione, vastis clamoribus imprimere, ac suadere ubique conantes, et ne Pontificali quidem dignitate fulgentibus, et aliis Ecclesia Praelatis parcentes, quibus potius honorem, ac reverentiam exhibere deberent, sed in eorum personas, ac statum audaciter, ac temere invehi consuevisse, et alia huiusmodi commisisse constat, in futurum abstineant, ut tam periculosum contagiosumque malum, ac mortifera pestis radicitus evellatur, et arefactum ita penitus deleatur, ut nec memoria eius remaneat, sacro approbante Concilio statuimus, et ordinamus, ut nullus tam clericus saecularis, quam cuiuscumque etiam Mendicantium Ordinis regularis, aut quivis alius, ad quem facultas praedicandi, tam de iure, quam de consuetudine, vel privilegio, aut alias pertinet, ad huiusmodi officium exercendum admittatur, nisi prius per Superiorem suum respective diligenter examinatus (in qua re conscientiam ipsius Superioris oneramus), ac morum honestate, doctrina, probitate, prudentia, et vitae exemplaritate ad illud aptus, et idoneus reperiatur, et hic, quocumque postea praedicaturus accesserit, de huiusmodi examine, et idoneitate sua per literas authenticas, seu alias sui examinatoris, approbatorisque Episcopis, et aliis locorum Ordinariis fidem legitime faciat.

§ 4. Mandantes omnibus qui hoc onus substinent, quique in futurum substinebunt, ut Evangelicam veritatem, et sanctam Scripturam iuxta declarationem, interpretationem, et ampliationem Doctorum, quos Ecclesia, vel usus diuturnus approbavit, legendosque hactenus recepit, et in posterum recipiet, praedicent, et explanent; nec quidquam eius proprio sensui contrarium aut dissonum adiiciant, sed illis semper insistant, quae ab ipsius sacrae Scripturae verbis, et praefatorum Doctorum interpretatione, rite et sane intellectis, non discordant.

§ 5. Tempus quoque praefixum futurorum malorum, vel Antichristi adventum, aut certum diem iudicii praedicare, vel asserere nequaquam praesumant; cum veritas dicat: Non esse vestrum nosse tempora, vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate, ipsosque qui hactenus similia asserere ausi sint, mentitos, ac eorum causa reliquorum etiam recte praedicantium auctoritati non modicum detractum fuisse constet; inhibentes omnibus, et singulis Clericis saecularibus, vel regularibus praefatis, ceterisque cuiuscumque status, gradus, et Ordinis existant, qui hoc onus assument, ne de cetero in sermonibus suis publicis, alia quaequae futura ex literis sacris constanter praedicere, nec illa a Spiritu Sancto vel divina revelatione se habuisse affirmare, et alienas inanes divinationes asseverando, aut alio quocumque modo tractanda assumant, sed ex divinae vocis praecepto Evangelium omni creaturae cum vitiorum detestatione, et virtutum commendatione, et enucleent, et pacem ac dilectionem mutuam a Redemptore nostro tantopere commendatam, ubique foventes, non scindant vestem inconsutilem Christi, sed ab Episcoporum, et Praelatorum, ac aliorum Superiorum, eorumque status scandalosa detractione, quos coram vulgo, et Laicis non modo incaute, sed etiam

intemperanter reprehendunt, et mordent, et ab eis male gestorum expressis quandoque nominibus aperta, et manifesta redargutione abstineant.

§ 6. Denique constitutionem felicis record. Clementis Papae V, quae incipit, *Religiosi*, quam tenore praesentium innovamus, et approbamus, inviolabiliter ab eis observari debere decernimus, ut hac ratione ad utilitatem populi praedicantes, et cum Domino lucrifacientes, talentum quod ab illo acceperant, superlucrari, et eiusdem gratiam, et gloriam consequi mereantur.

§ 7. Ceterum, si quibusdam eorum Dominus futura quaedam in Dei Ecclesia inspiratione quapiam revelaverit, ut per Amos Prophetam ipse promittit, et Paulus Apostolus praedicatorum princeps, Spiritum, inquit, nolite extinguere, prophetias nolite spernere, hos aliorum fabulosorum, et mendacium gregi connumerari, vel aliter impediri minime volumus. Extinguitur namque ipsius gratia spiritus, Ambrosio teste, si incipientibus loqui fervor contradictione sopitur, et tunc Spiritui Sancto iniuria certe fieri dicitur. Et quoniam res magni momenti est, eo quod non de facili credendum sit omni spiritui, sed sint probandi spiritus, teste Apostolo, an ex Deo proveniant, volumus, ut lege ordinaria tales assertae inspirationes, antequam publicentur, aut populo praedicentur, ex nunc Apostolicae Sedis examini reservatae intelligantur. Quod si sine morae periculo id fieri non valeret, aut urgens necessitas aliud suaderet, tunc eodem ordine servato, Ordinario loci notificentur, ut ille adhibitis secum tribus, aut quatuor doctis et gravibus viris, huiusmodi negotio cum eis diligenter examinato, quando id expedire videbunt, (super quo eorum conscientias oneramus) licentiam concedere possint.

§ 8. Si qui autem contra praemissorum aliquod committere quidquam ausi fuerint, ultra poenas contra tales a iure statutas, excommunicationis sententiam, a qua non nisi a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi possint, eos incurrere volumus. Et ut eorum exemplo alii attentare similia minime audeant, eis praedicationis etiam officium interdictum esse perpetuo decernimus.

§ 9. Non obstantibus, etc.

Nulli ergo, etc.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 444-446].

72.

Leo X (in Conc. Lateranen. V), const. *Dum intra*, 19 dec. 1516.

Dum intra mentis arcana revolvimus, et diligenti consideratione pensamus operosa sollicitudinis studia, continuosque labores, pro divini nominis gloria, exaltatione Catholicae fidei, Ecclesiae unitate servanda, et institutione ac salute fidelium animarum per Coepiscopos, eorumque Superiores, in diversis partibus ad regimen suarum Ecclesiarum a Sede Apostolica constitutos, necnon per Fratres diversorum Ordinum praesertim Mendicantium indefesse, et indesinenter impensos, tanta ex eorum in vinea Domini fructuosis operibus, et opportune ac laudabiliter gestis, cordi nostro provenit satisfactio,

ut his, quae ad pacem, et quietem inter eos conservandam conducere cognoscimus, omni studio intendamus.

§ 3. Ad conservandam igitur inter Episcopos, et eorum Superiores, ac Praelatos, et Fratres huiusmodi mutuam caritatem, et benevolentiam, divini quoque cultus augmentum, pacemque, et tranquillitatem universalis Ecclesiae status, quod ita demum fieri posse cognoscimus, si unicuique quantum fieri potest, sua iurisdictio conservetur. Sacro approbante Concilio statuimus, et ordinamus, quod Episcopi, et eorum Superiores, et alii Praelati praefati, Parochiales Ecclesias ad eosdem Fratres ratione locorum suorum legitime spectantes, quoad ea, quae ad Parochianorum curam, et Sacramentorum conservationem, administrationemque pertinent (sine tamen visitatorum insolito gravamine, vel impensa) visitare, et illarum curam gerentes, et circa illam delinquentes, si Religiosi fuerint, iuxta ipsius Ordinis regularia instituta, intra septa Regularis loci, Saeculares vero presbyteros, et Fratres huiusmodi beneficia obtinentes, libere tamquam suae iurisdictioni subiectos punire.

§ 6. Necnon Superiores eorumdem Fratrum, Fratres, quos ad audiendas confessiones subditorum eorumdem Praelatorum tempore elegerint, eisdem Praelatis personaliter exhibere, ac praesentare (si eos sibi exhiberi, et praesentari petierint) alioquin eorum Vicariis (dummodo ad Praelatos ultra duas dietas accedere non cogantur) omnino teneantur. Possintque illi per eosdem Episcopos, et Praelatos super sufficienti literatura, et aliqua saltem huiusmodi Sacramenti peritia dumtaxat examinari. Talibusque praesentatis admissis, vel etiam indebite recusatis confitentes, constitutioni, quae incipit: Omnis utriusque sexus, quoad confessionem dumtaxat satisfecisse censeantur.

§ 7. Ipsique Fratres etiam forensium confessiones audire valeant, laicos tamen, et clericos saeculares a sententiis ab homine latis nullatenus absolvere possint. Eucharistiae vero, et Extremae unctionis, aliaque Ecclesiastica Sacramenta, illis quorum etiam infirmorum, ac decedentium confessiones audierint, dicentibus proprium sacerdotem illa sibi dare denegasse, dare nequeant, nisi denegatio sine legitima causa facta, vicinorum testimonio probata, aut requisitio coram Notario publico facta doceretur. Eorumdem vero Fratrum obsequio insistentibus, Sacramenta huiusmodi nullatenus ministrare valeant, nisi illorum durante obsequio.

§ 9. Parochias autem cum Cruce ad levanda funera eorum, qui apud Ecclesias domorum, et locorum eorumdem suam elegerint sepulturam, intrare non possint, nisi prius praemonito, et requisito, ac non recusante Parochiano presbytero, et tunc sine eius, ac Ordinarii praeiudicio, nisi eisdem Fratribus super hoc antiqua consuetudo, quae sit in viridi observantia, et cum pacifica possessione, suffragetur.

§ 11. Quodque Fratres ipsi ad ordines promovendi, per Ordinarios de grammatica, et sufficientia examinari, et dummodo competenter respondeant, per eosdem Ordinarios libere admitti, ac nullatenus in eorum Ecclesiis, seu domibus, aut aliis eorum locis, ab alio, quam a Dioecesano Episcopo, vel eius Vicario, super hoc cum debita reverentia requisito, et absque rationabili causa contradicente, vel eo a Dioecesi absente, ad dictos Ordines promoveri debeant.

§ 12. Nec ab alieno Episcopo consecrationem Ecclesiae, vel Altaris, aut Coemeterii benedictionem petere, seu in Ecclesiis per eos pro tempore aedificandis, primum lapidem per alienum Episcopum poni facere possint, nisi ubi Ordinarius bis, aut ter cum debitis reverentia, et instantia requisitus, sine legitima causa id recusaverit.

§ 13. Et absque Curatorum consensu, sponsum, et sponsam benedicere nequeant.

§ 16. Et ut animarum utriusque sexus Christifidelium saluti uberius consulatur, illos quorum confessiones pro tempore audierint, cuiuscumque status, et conditionis fuerint, ad solvendum decimas, sive aliam bonorum, seu fructuum quotam, in locis, in quibus decimae ipsae, aut similia solvi consueverunt, etiam sub onere conscientiarum suarum monere, et hortari, ipsisque etiam illos solvere recusantibus absolutionem denegare, et super hoc requisiti, id populo etiam publice praedicare, et persuadere teneantur.

§ 21. Non obstantibus, etc.

Nulli ergo, etc.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 447–449].

73.

Leo X, litt. ap. *Intelleximus*, 13 nov. 1517.[1]

Intelleximus quosdam in dubium revocare, et perinde timoratis conscientiis scrupulum iniicere, si Christifideles, qui Dominicis, et Festis diebus extra Ecclesias suas Parochiales, Missas audiunt in Ecclesiis Fratrum Ord. Mendicantium, Ecclesiae praecepto de Missa audienda satisfaciant.

§ 1. Nos enim ambiguitatem huiusmodi penitus tollere volentes, ut cum sinceriori conscientia fideles quique Deo creatori suo serviant, auctoritate Apost. tenore praesentium notum facimus, omnes Christifideles utriusque sexus, (qui non contempto proprio sacerdote Parochiali) in Ecclesiis Fratrum Ordinum Mendicantium, Dominicis, et Festis diebus Missas audiunt, satisfacere praecepto Ecclesiae de Missa audienda, nec in aliquam labem mortalis peccati poenamve incurrere.

§ 2. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

§ 3. Et quia difficile foret, etc.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 462].

74.

Leo X, litt. ap. *Licet alias*, 6 dec. 1517.[2]

Licet alias postquam statueramus, et ordinaveramus, quod de cetero perpetuis temporibus fratres B. Francisci, puritate eius regulae, et sub regulari observantia viventes, ac Reformati, Ministrum, Fratres vero dicti Ordinis Con-

[1] Universis, et singulis praesentes litteras inspecturis.

[2] Universis, et singulis praesentes litteras inspecturis.

ventuales nuncupati, Magistrum generales habere deberent, ne inter Reformatos, et Conventuales fratres huiusmodi super praecedentia, dissensio, et contentio oriri posset, voluerimus, et statuerimus, quod in processionibus, et aliis actibus publicis, fratres Conventuales, fratribus regularis Observantiae Ministrum habentibus, locum digniorem relinquere tenerentur.

§ 1. Quodque fratres ipsi Conventuales, semper eorum Crucem, et vexillum per eos deferri solitum, deferre libere, et licite valerent.

§ 2. Quia tamen, ut ex nonnullorum relatione accepimus, fratres ipsi Conventuales praetendunt Crucem ipsorum Conventualium deferre in loco digniori.

§ 3. Nos autem, qui praemissa omnia statuimus, ut omnis dissensio, et contentio inter eosdem fratres de Observantia, et Conventuales tolleretur, mentisque nostrae fuerit, prout etiam id expressimus, quod in omnibus actibus, fratres de Observantia haberent locum magis dignum, quam ipsi Conventuales, et propterea mentis nostrae incommutabilis fuerit, prout existit, quod ipsi fratres de Observantia Crucem suam in loco digniori deferant. Ad huiusmodi tamen ambiguitatis dubium de mentibus omnium tollendum, motu proprio, et certa nostra scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine declaramus, mentis nostrae fuisse, quod tam Conventuales, quam de Observantia, et Reformati fratres praedicti, in quibuscumque processionibus, et aliis actibus, in quibus Crux deferenda foret, Crucem suam deferre possint; ita tamen quod Crux ipsorum fratrum de Observantia, et Reformatorum loco digniori deferatur.

§ 6. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 462, 463].

75.

Leo X, const. *Quam Deo*, 23 iul. 1519.

Quam Deo, et hominibus abhominabiles viri pugnantes in Duello existant, et omnium in ore variatur, et divina humanaque iura detestantur; nec immerito cum non solum corporum, sed etiam animarum eorum, pro quibus Salvator noster Iesus Christus Dei Filius mortem subiit temporalem, grave detrimentum afferre noscantur. Ad reprimendum igitur talium nefarios ausus plurimum conferre censentes, eos qui huiusmodi scelus detestabile quidem, et canonica civilique lege prohibitum patrare non expavescunt, graviter fore puniendos, ac ea, quae ad compescendum similes vetitos conatus a Rom. Pont. Praedecessoribus nostris statuta fuerunt, ut eo firmius observentur, quo saepius fuerint auctoritate Apostolica communita, approbamus, et novo munimine roboramus, et si qua ad perterrendum animos audaces meliora sint, iis adiicimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

§ 1. Dudum siquidem a fel. rec. Iulio Papa II Praedecessore nostro emanarunt literae tenoris subsequentis videlicet.

Omittitur tenor istius constitutionis, quia eam habes supra, in N. 63.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, in eisdem literis contenta, ab aliquo tempore citra non fuerint observata, et ex eo quamplurimi Barones, domini temporales, et alii, praesertim eidem Romanae Ecclesiae subditi, adeo prockliviores ad pugnandum in Duello redditi sint, ut passim quotidie singularia eiusmodi certamina ubique committi videantur, ac domini temporales praefati armorumque duces eos ad id invitare, quin potius irritare non formident, et cum in eorum territoriis, et iurisdictionibus tutum pancratium, sive aream praeparent, et talia cruenta spectacula exhibeant, et illis comitivam praestent. Nos igitur non minus detestabilem in Duello pugnantium, quam Ducum, Comitum, Marchionum, Baronum, Domicellorum, et armorum Capitaneorum, aliorumque dominorum temporalium eis ad id auxilium, consilium, et favorem praestantium nequitiam, ac improbam eorum conscientiam reprobantes, qui ad ea visenda conveniunt, corporum et animarum saluti Christifidelium opportunis remediis indefesso studio prospicere volentes, literas Iulii Praedecessoris praefati, Motu proprio, et ex certa scientia nostra, ac animi deliberatione, harum serie, auctoritate Apostolica approbamus, confirmamus, et innovamus, ac praesentis scripti patrocinio communimus.

§ 3. Adiicientes, et eadem auctoritate Apostolica statuentes, quod pugnantes ipsi non solum poenis praedictis subiaceant, sed eorum memoria perpetuo damnata sit, ac bona proscripta sint, et Camerae nostrae Apostolicae confiscata eo ipso.

§ 4. Duces, Barones, Comites, Marchiones, et domini temporales, Vicarii, Feudatarii, armorum Capitanei, Communitates quoque Civitatum, Terrarum, et locorum eidem Rom. Ecclesiae mediate, vel immediate subiectorum, campum ad pugnandum praestantes, non solum poenas praedictas incurrant, sed ab omni iure quod in locis, et territoriis suis obtinent, ipso facto cadant, illudque ad Cameram praefatam devolvatur, et devolutum esse censeatur, absque aliqua declaratione desuper facienda.

§ 5. Qui vero ad talia cruenta spectacula videnda convenerint, si nobiles, Quingentorum, si mediocris fortunae, Centum, si vero ignobiles, Vigintiquinque ducatorum, necnon excommunicationis, et perpetuae maledictionis poenam incurrant, ac locus ipse Ecclesiastico subiaceat interdicto.

§ 6. Et insuper omnia, et singula, tam per Iulium Praedecessorem statuta, et ut praefertur, per nos confirmata, et illis adiecta, perpetuae firmitatis robur obtinere, ac inviolabiliter observari debere decernimus.

§ 8. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 467, 468].

76.

Leo X, const. *Exsurge Domine*, 15 iun. 1520, errores Martini Luther, damn.

Exsurge Domine, et iudica causam tuam, memor esto improperiorum tuorum, eorum quae ab insipientibus fiunt tota die: inclina aurem tuam ad preces nostras, quoniam surrexerunt vulpes quaerentes demoliri vineam, cuius

tu torcular calcasti solus, et ascensurus ad Patrem, eius curam, regimen, et administrationem, Petro tamquam capiti, et tuo Vicario, eiusque successoribus instar triumphantis Ecclesiae commisisti. Exterminare nititur eam aper de sylva, et singularis ferus depascitur eam...

§ 1. Dudum siquidem, quod prae animi angustia, et moerore exprimere vix possumus, fide dignorum relatu, ac fama publica referente, ad nostrum pervenit auditum, immo vero, proh dolor, oculis nostris vidimus, ac legimus, multos, et varios errores, quosdam videlicet iam per Concilia, ac Praedecessorum nostrorum constitutiones damnatos haeresim etiam Graecorum, et Bohemicam expresse continentes: alios vero respective, vel haereticos, vel falsos, vel scandalosos, vel piarum aurium offensivos, vel simplicium mentium seductivos, a falsis fidei cultoribus, qui per superbam curiositatem mundi gloriam cupientes, contra Apostoli doctrinam plus sapere volunt, quam oporteat: quorum garrulitas (ut inquit Hieronymus) sine scripturarum auctoritate non haberet fidem, nisi viderentur perversam doctrinam etiam divinis testimoniis, male tamen interpretatis, roborare. A quorum oculis Dei timor recessit, humani generis hoste suggerente, noviter suscitatos, et nuper apud quosdam leviores in inclyta natione Germanica seminatos. Quod eo magis dolemus ibi evenisse, quod eamdem nationem, et nos, et Praedecessores nostri, in visceribus semper gesserimus caritatis. Nam post translatum ex Graecis a Romana Ecclesia in eosdem Germanos Imperium, iidem Praedecessores nostri, et nos, eiusdem Ecclesiae advocatos, defensoresque ex eis semper accepimus, quos quidem Germanos, catholicae veritatis vere germanos, constat haeresum acerrimos oppugnatores semper fuisse, cuius rei testes sunt laudabiles illae Constitutiones Germanorum Imperatorum pro libertate Ecelesiae, proque expellendis, exterminandisque ex omni Germania haereticis, sub gravissimis poenis etiam amissionis terrarum, et dominiorum, contra receptatores, vel non expellentes olim editae, et a nostris Praedecessoribus confirmatae: quae si hodie servarentur, et nos, et ipsi utique hac molestia careremus. Testis est in Concilio Constantien. Hussitarum, ac Wicleffistarum, necnon Hieronymi Pragen. damnata, ac punita perfidia. Testis est totiens contra Bohemos Germanorum sanguis effusus. Testis denique est praedictorum errorum, seu multorum ex eis per Colonien. et Lovanien. Universitates, utpote agri Dominici piissimas, religiosissimasque cultrices non minus docta, quam vera ac sancta confutatio, reprobatio, et damnatio. Multa quoque alia allegare possemus, quae, ne historiam texere videamur, praetermittenda censuimus. Pro pastoralis igitur officii, divina gratia nobis iniuncti cura, quam gerimus praedictorum errorum virus pestiferum ulterius tolerare seu dissimulare, sine Christianae Religionis nota, atque orthodoxae fidei iniuria nullo modo possumus: Eorum autem errorum aliquos praesentibus duximus inserendos, quorum tenor sequitur, et est talis:

1. Haeretica sententia est, sed usitata, Sacramenta novae legis iustificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

5. Tres esse partes Poenitentiae, contritionem, confessionem, et satisfactionem, non est fundatum in sacra scriptura, nec in antiquis sanctis Christianis Doctoribus.

8. Nullo modo praesumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas. Unde in primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur.

10. Peccata non sunt ulli remissa, nisi remittente sacerdote, credat sibi remitti: immo peccatum maneret, nisi remissum crederet, non enim sufficit remissio peccati, et gratiae donatio, sed oportet etiam credere esse remissum.

11. Nullo modo confidas absolvi propter tuam contritionem, sed propter verbum Christi, Quodcumque solveris, etc. Sic, inquam, confide, si sacerdotis obtinueris absolutionem, et crede fortiter te absolutum, et absolutus vere eris, quicquid sit de contritione.

12. Si per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos non serio, sed ioco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.

13. In Sacramento Poenitentiae, ac remissione culpae, non plus facit Papa, aut Episcopus, quam infimus sacerdos: immo ubi non est sacerdos, aeque tantum quilibet Christianus, etiamsi mulier aut puer esset.

14. Nullus debet sacerdoti respondere, se esse contritum, nec sacerdos requirere.

15. Magnus est error eorum, qui ad Sacramenta Eucharistiae accedunt, huic innixi, quod sint confessi, quod non sint sibi conscii alicuius peccati mortalis, quod praemiserint orationes suas, et praeparatoria, omnes illi ad iudicium sibi manducant, et bibunt: sed si credant, et confidant se gratiam ibi consecuturos, haec sola fides facit eos puros, et dignos.

16. Consultum videtur, quod Ecclesia in communi concilio statueret laicos sub utraque specie communicandos, nec Bohemi communicantes sub utraque specie sunt haeretici, sed schismatici.

17. Thesauri Ecclesiae unde Papa dat Indulgentias, non sunt merita Christi, et Sanctorum.

18. Indulgentiae sunt piae fraudes fidelium, et remissiones bonorum operum: et sunt de numero eorum quae licent, et non de numero eorum quae expediunt.

19. indulgentiae his qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam.

20. Seducuntur credentes indulgentias esse salutares, et ad fructum spiritus utiles.

21. Indulgentiae necessariae sunt solum publicis criminibus, et proprie conceduntur duris solummodo, et impatientibus.

22. Sex generibus hominum indulgentiae nec sunt necessariae, nec utiles: videlicet mortuis seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non commiserunt crimina, his qui crimina commiserunt, sed non publica, his qui meliora operantur.

23. Excommunicationes sunt tantum externae poenae, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiae orationibus.

25. Romanus Pontifex Petri successor, non est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in B. Petro institutus.

26. Verbum Christi ad Petrum, Quodcumque solveris super terram, etc. extenditur dumtaxat ad ligata ab ipso Petro.

27. Certum est in manu Ecclesiae, aut Papae prorsus non esse statuere articulos fidei, immo nec leges morum, seu bonorum operum.

28. Si Papa cum magna parte Ecclesiae sic vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum aut haeresis contrarium sentire, praesertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per Concilium universale alterum reprobatum, alterum approbatum.

29. Via nobis facta est enervandi auctoritatem Conciliorum, et libere contradicendi eorum gestis, et iudicandi eorum decreta, et confidenter confitendi, quicquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocumque Concilio.

30. Aliqui articuli Ioannis Husz condemnati in Concilio Constantien. sunt Christianissimi, verissimi, et Evangelici, quos nec universalis Ecclesia posset damnare.

§ 3. Qui quidem errores, respective quam sint pestiferi, quam perniciosi, quam scandalosi, quam piarum, et simplicium mentium seductivi, quam denique sint contra omnem caritatem, ac S. R. E. matris omnium fidelium, et magistrae fidei, reverentiam atque nervum Ecclesiasticae disciplinae, obedientiam scilicet, quae fons est, et origo omnium virtutum, sine qua facile unusquisque infidelis esse convincitur, nemo sanae mentis ignorat. Nos igitur in praemissis, utpote gravissimis, propensius (ut decet) procedere, necnon huiusmodi pesti, morboque canceroso, ne in agro Dominico tamquam vepris nociva ulterius serpat, viam praecludere cupientes, habita super praedictis erroribus, et eorum singulis diligenti trutinatione, discussione, ac districto examine, maturaque deliberatione, omnibusque rite pensatis, ac saepius ventilatis cum venerabilibus fratribus nostris, S. R. E. Cardinalibus, ac regularium Ordinum Prioribus seu Ministris generalibus, pluribusque aliis sacrae Theologiae, necnon utriusque iuris professoribus sive magistris, et quidem peritissimis: reperimus eosdem errores, respective (ut praefertur) aut articulos non esse catholicos, nec tamquam tales esse dogmatizandos, sed contra Ecclesiae Catholicae doctrinam sive traditionem, atque ab ea veram divinarum scripturarum receptam interpretationem, cuius auctoritati ita acquiescendum censuit Augustinus, ut dixerit se Evangelio non fuisse crediturum, nisi Ecclesiae Catholicae intervenisset auctoritas. Nam ex eisdem erroribus, vel eorum aliquo, vel aliquibus, palam sequitur, eamdem Ecclesiam, quae Spiritu Sancto regitur, errare, et semper errasse. Quod est utique contra illud, quod Christus discipulis suis in Ascensione sua (ut in sancto Evangelio Matthaei legitur) promisit dicens, Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi. Necnon contra sanctorum Patrum determinationes, Conciliorum quoque, et Summorum Pontificum expressas ordinationes, seu canones, quibus non obtemperasse, omnium haeresum, et schismatum, teste Cypriano, fomes, et causa semper fuit.

§ 4. De eorumdem itaque venerabilium fratrum nostrorum consilio, et assensu, ac omnium, et singulorum praedictorum matura deliberatione praedicta, auctoritate Omnipotentis Dei, et beatorum Apostolorum Petri, et

Pauli, et nostra, praefatos omnes, et singulos articulos seu errores, tamquam (ut praemittitur) respective haereticos, aut scandalosos, aut falsos, aut piarum aurium offensivos, vel simplicium mentium seductivos, et veritati catholicae obviantes, damnamus, reprobamus, atque omnino reiicimus, ac pro damnatis, reprobatis, et reiectis ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus haberi debere, harum serie decernimus, et declaramus. Inhibentes in virtute sanctae obedientiae, ac sub maioris excommunicationis latae sententiae, necnon quoad Ecclesiasticas, et Regulares personas, Episcopalium omnium, etiam Patriarchalium, Metropolitanarum, et aliarum Cathedralium Ecclesiarum, Monasteriorum quoque, et Prioratuum etiam Conventualium, et quarumcumque dignitatum, aut Beneficiorum Ecclesiasticorum, Saecularium, aut quorumvis Ordinum Regularium, privationis, et inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda: quo vero ad Conventus, Capitula, seu domos, aut pia loca saecularium, vel regularium, etiam Mendicantium, necnon Universitatis etiam studiorum generalium, quorumcumque privilegiorum indultorum, a Sede Apostolica, vel eius Legatis, aut alias quomodolibet habitorum, vel obtentorum, cuiuscumque tenoris existant: necnon nominis, et potestatis studium generale tenendi, legendi, ac interpretandi quasvis scientias, et facultates, et inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda: Praedicationis quoque officii, ac amissionis studii generalis, et omnium privilegiorum eiusdem: quo vero ad saeculares eiusdem excommunicationis, necnon amissionis cuiuscumque emphyteusis, seu quorumcumque feudorum, tam a Romana Ecclesia, quam alias quomodolibet obtentorum, ac etiam inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda: necnon quoad omnes, et singulos superius nominatos, inhibitionis Ecclesiasticae sepulturae, inhabilitatisque ad omnes, et singulos actus legitimos, infamiae, ac diffidationis, et criminis laesae maiestatis, et haereticorum, et fautorum eorumdem in iure expressis poenis, eo ipso, et absque ulteriori declaratione per omnes, et singulos supradictos, si (quod absit) contrafecerint, incurrendis, a quibus vigore cuiuscumque facultatis, et clausularum eis in confessionalibus quibusvis personis, sub quibusvis verborum formis contentarum, nisi a Rom. Pont. vel alio ab eo ad id in specie facultatem habente, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant. Omnibus, et singulis, utriusque sexus Christifidelibus, tam Laicis, quam Clericis, Saecularibus, et quorumvis Ordinum Regularibus, et aliis quibuscumque personis, cuiuscumque status, gradus, vel conditionis existant, et quacumque Ecclesiastica, vel mundana praefulgeant dignitate, etiam S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum, et aliarum Cathedralium, Collegiatarum, ac inferiorum Ecclesiarum Praelatis, Clericis, aliisque personis Ecclesiasticis saecularibus, et quorumvis Ordinum etiam Mendicantium regularibus, Abbatibus, Prioribus, vel Ministris generalibus, vel particularibus, Fratribus, seu Religiosis, exemptis, et non exemptis: Studiorum quoque Universitatibus saecularibus, et quorumvis Ordinum etiam Mendicantium regularibus, necnon Regibus, Imperatori, Electoribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Conductoribus, Domicellis, omnibusque Officialibus, Iudicibus, Notariis Ecclesiasticis, et saecularibus, Communitati-

bus, Universitatibus, Potentatibus, Civitatibus, Castris, Terris, et locis, seu eorum, vel earum civibus, habitatoribus, et incolis, ac quibusvis aliis personis Ecclesiasticis, vel Regularibus (ut praefertur) per universum orbem, ubicumque, praesertim in Alemania existentibus, vel pro tempore futuris, ne praefatos errores, aut eorum aliquos, perversamque doctrinam huiusmodi asserere, affirmare, defendere, praedicare, aut illi quomodolibet, publice, vel occulte, quovis quaesito ingenio, vel colore, tacite, vel expresse favere praesumant.

§ 5. Insuper, quia errores praefati, et plures alii continentur in libellis, seu scriptis Martini Luther, dictos libellos, et omnia dicti Martini scripta, seu praedicationes, in Latino, vel quocumque alio idiomate reperiantur, in quibus dicti errores, seu eorum aliquis continentur, similiter damnamus, reprobamus, atque omnino reiicimus, et pro omnino damnatis, reprobatis, ac reiectis (ut praefertur), haberi volumus, mandantes in virtute sanctae obedientiae, et sub poenis praedictis eo ipso incurrendis, omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus superius nominatis, ne huiusmodi scripta, libellos, praedicationes, seu schedulas, vel in eis contenta capitula, errores, aut articulos supradictos continentia, legere, asserere, praedicare, laudare, imprimere, publicare, sive defendere, per se, vel alium, seu alios, directe, vel indirecte, tacite, vel expresse, publice, vel occulte, aut in domibus suis, sive aliis publicis, vel privatis locis tenere quoquo modo praesumant: quinimmo illa statim post harum publicationem ubicumque fuerint, per Ordinarios, et alios supradictos diligenter quaesita, publice, et solemniter in praesentia cleri, et populi, sub omnibus, et singulis supradictis poenis, comburant.

§ 20. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, seu si supradictis omnibus, et singulis, vel eorum alicui, aut quibusvis aliis a Sede Apostolica praedicta, vel ab ea potestatem habentibus, sub quavis forma, etiam confessionali, et cum quibusvis etiam fortissimis clausulis, aut ex quavis causa, seu grandi consideratione, indultum, vel concessum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales id importantes, de indulto huiusmodi mentionem, eiusdem indulti tenores, clausulas, et formas, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, ita ut omnino tollatur, praesentibus pro expressis habentes.

§ 21. Nulli ergo omnino hominum liceat, etc.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 487-493].

77.

Leo X, ep. encycl. *Honestis*, 15 febr. 1521.[1]

Honestis petentium votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Alias ad petitionem dilectorum filiorum nobilium virorum

[1] Universis, et singulis locorum Ordinariis ac haereticae pravitatis Inquisitoribus in dominio Venetorum consistentibus.

Ducis, et Dominii Venetorum, cum in Brixiensi, et Bergomensi Civitatibus, et Dioecesibus, quoddam hominum genus perniciosissimum, ac damnatissimum labe haeretica, per quam suscepto renuntiabatur baptismatis sacramento, Dominum abnegabant, et satanae, cuius consilio seducebantur, corpora, et animas conferebant, et ut illi rem gratam facerent, in necandis infantibus passim studebant, et alia maleficia, et sortilegia exercere non verebantur, quod ita factum esse videbatur, ut ad eorum errorem extirpandum opportuna adhiberentur remedia. Volentes etiam eiusdem generis nonnullos indicibili poena obstinate vitam potius perfide amittere, quam errorem suum cognoscere maluisse, et propterea de rigoroso nimium (ut dicebatur) ordinariorum contra tales processu dubitantes, Venerabilem fratrem Episcopum Polensem, nostrum, et Apostolicae Sedis apud eosdem Ducem et Dominium Nuncium vobis adiungendum duximus, cum facultate per se, vel alium, seu alios, processus per vos habitos, seu factos, examinandi, et revidendi, et si vos Inquisitores processus praedictos, rite, et recte, ac iuxta formam iuris habitos fecissetis, contra tale hominum damnatorum genus una vobiscum, procedendi, et inquirendi, necnon procuratores, et advocatos, scribas, ceterosque ad Inquisitionis praefatae exercitium necessarios, et opportunos, officiales, et ministros cum competentibus salariis deputandi, et homines praedictos (quod redire ad Ecclesiae unitatem vellent) clementer suscipiendi, eisque poenitentiam salutarem iniungendi, et eos absolvendi, etiam in utroque foro, et incorrigibiles condemnandi, et brachio saeculari tradendi, ceteraque quae vos, de iure, vel consuetudine facere possetis, et deberetis, faciendi, gerendi, exercendi, et exequendi, prout in literis desuper confectis continetur.

§ 1. Cum igitur commissionis huiusmodi vigore praefatus Nuncius, Venerab. Fratrem Episcopum Iustinopolitanum in partibus illis commorantem, ad praemissa una vobiscum pertractanda, et exequenda subdelegaverit, vosque, et ipse subdelegatus in valle Comunica Brixiensis Dioecesis, ubi maxime huiusmodi damnati generis homines vigent, et pullulant, processeritis, ac nonnullos culpabiles repertos, et curiae seculari tradendos, necnon iam condemnatos habueritis, videtur, quod per Venetorum Collegium Praetori Brixiensi mandatum fuerit, ne sententias huiusmodi exequeretur, et vobis, et eidem subdelegato, ne ad executionem illarum procederetis, inhiberet, prout inhibitum fuit: ac expensas, et salaria pro huiusmodi inquisitionis negocio necessaria submoveret, et detraheret, necnon processus contra culpabiles praedictos habitos, et factos eis trasmitteret, seu transmitti faceret, et quod deterius est, subdelegatum praedictum ad coram eis in Civitate Venetiarum comparendum cogeret, et compelleret, prout coactus, et compulsus fuit.

§ 2. Et quia propter dictas literas, in quibus dictus Nuncius adiunctus fuit, ab aliquibus haesitatur, an propter hoc facultas vestra diminuta existat, ita quod prout ante datas huiusmodi literas potuissetis, procedere non possitis, indecensque, et contra iuris, et sacrorum canonum dispositionem, ac Ecclesiasticam libertatem existat, laicos de personis, et causis Ecclesiasticis se intromittere, nolleque iniunctam a vobis executionem adimplere, nisi processibus, ac sententiis per eos visis, et examinatis, ac si ipsi in clericos, causasque

Ecclesiasticas superioritatem, et iurisdictionem haberent, cum tamen in clericos, causasque huiusmodi laicis nulla facultas attributa sit, quos obsequendi, et exequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, propter quod inter Christifideles non modicum surgit scandalum. Nos igitur, ne quod ad salutem animarum, et dictarum causarum faciliorem expeditionem introductum est, in damnum, et perniciem convertatur, et propterea ob diuturnitatem temporis infelices animae huiusmodi peccatis magis graventur, et ad omne circa hoc dubium tollendum, vos prout ante datas dictas literas, de iure, et consuetudine, seu privilegio procedere poteratis, necnon etiam contra maleficos, et sortilegos, ac a fide apostatantes, prout criminis postulaverit qualitas, procedere posse, et debere, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, decernimus, et declaramus.

§ 3. Vobis committentes, et mandantes, ut eosdem Venetos, et illorum Ducem, ac officiales suos, ne ipsi ulterius in huiusmodi causis se intromittant, sed quod iniunctas sibi executiones, et forte iniungendas, postquam requisiti fuerint, sine aliqua processuum, per dictos Ecclesiasticos iudices factorum, visione, vel examinatione prompte exequantur, moneatis, et hortemini. Et si hoc facere neglexerint vel recusaverint, vos eos per censuras Ecclesiasticas, et alia iuris opportuna remedia, appellatione postposita compellatis.

§ 4. Praemissis ac Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, statutisque, et consuetudinibus, Civitatum, et Dioecesum praedictarum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

[Bull. Rom., tom. 3, III, p. 499, 500].

78.

Hadrianus VI, ep. *Dudum*, 20 iul. 1522 (1523).[1]

§ 1. Dudum, uti nobis exponi fecisti, per fel. rec. Iulium Papam II, Praedecessorem nostrum, non sine magna tunc animi sui displicentia accepto, quod per quemdam Georgium de Casali, Ordinis Fratrum Praedicatorum Professorem, et in Civitate Cremonensi haereticae pravitatis Inquisitorem deputatum in nonnullis Lombardiae partibus, et praesertim in locis, in quibus dictus Georgius Inquisitor deputatus erat, repertae fuerunt quamplures utriusque sexus personae, propriae salutis immemores, et a fide Catholica deviantes certam sectam facientes; fidem, quam in sacri susceptione baptismi susceperant, abnegantes, sanctam Crucem pedibus conculcantes, et opprobria super eam perpetrantes, Ecclesiasticis, et praesertim Eucharistiae Sacramentis abutentes, diabolum in suum dominum, et patronum assumentes, eique obedientiam, et reverentiam exhibentes, et suis incantationibus, carminibus, sortilegiis, aliisque nefandis superstitionibus iumenta, et fructus terrae multipli-

[1] Inquisitori Comensi.

citer laedentes, aliaque quamplurima nefanda, excessus, et crimina eodem diabolo instigante committentes, et perpetrantes, in animarum suarum periculum, divinae Maiestatis offensam, perniciosumque exemplum, et scandalum plurimorum.

§ 2. Contra quas cum dictus Georgius tunc, ut asserebat, in dictis locis suae Inquisitioni deputatis, prout ipsius Georgii incumbebat officio, ipse Georgius processisset, nonnulli autem tam clerici, quam laici illarum partium, quaerentes plus sapere quam oportet, praemissa delicta ad eiusdem Georgii Inquisitionis officium non pertinere temere asserentes, praesumentes in populo errores, et scandala seminaverunt, sicque eumdem Georgium in populo odiosum reddere, et dicti Georgii officium impedire conati fuerunt, prout etiam tunc impediebant, ita quod propter praemissa, personae praedictae delicta huiusmodi perpetrantes, remanebant impunitae, et aliae earum exemplo ad similia perpetranda quotidie inducebantur, in non modicum fidei opprobrium, animarum periculum, et scandalum plurimorum.

§ 3. Dictus Praedecessor volens (ne inquisitionis officiis executio quomodolibet retardaretur, et labes haereticae pravitatis longe venena diffunderet) providere, dicto Georgio per quasdam suas in forma brevis literas commisit, et mandavit quatenus in locis eiusdem Georgii Inquisitioni deputatis de excessibus huiusmodi cognoscere, et contra quascumque personas, cuiuscumque conditionis, et praeeminentiae forent, inquisitionis officium exercere, et exequi, ipsasque personas, quas in praemissis culpabiles reperiret, una cum locorum Ordinariorum Vicariis, quatenus voluissent interesse, iuxta dictarum personarum demerita corrigere, et punire deberet, secundum modum contra alios haereticos a iure ex sacris canonibus statutum, contradictores quoscumque per censuram ecclesiasticam, et alia iuris opportuna remedia compescendo. Eos vero qui in praemissis, consilium, auxilium, vel favorem praestarent, praefatus Praedecessor noster, eisdem indulgentiis uti, et gaudere decrevit, quibus Cruce signati contra alios haereticos, ex indulto Apostolico eis concesso, tunc gaudebant, et utebantur, prout in dictis literis plenius contineri dicitur.

§ 4. Et sicut eadem expositio subiungebat, non solum delicta, et crimina huiusmodi contra fidem Catholicam, et Christianam religionem, sub iurisdictione Inquisitionis Cremonensis committuntur, et perpetrantur, sed omnibus aliis locis, et Dioecesibus sub iurisdictione aliorum Inquisitorum dicti Ordinis Congregationis Lombardiae, in dies perpetrantur, et committuntur. Et cum eadem sint delicta, eadem profecto provisione, et castigatione eis est earumdem literarum tenore providendum. Quare tu, sicut asseris, in Civitate Comensi ubi dictae pravitatis Inquisitor existis, tam tuo, quam omnium aliorum dictorum Ordinis, et Congregationis haereticae pravitatis Inquisitorum ubilibet consistentium, et deputatorum, nominibus fecisti nobis humiliter supplicari, ut literas praedictas ad vos extendere, et ampliare, aliasque desuper opportune dignaremur providere.

§ 5. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, literas praedictas, cum omnibus in eis contentis clausulis, in omnibus, et per omnia prout in eisdem literis continetur, ad te, et ad alios Ordinis, et Congregationis huius-

modi Inquisitores, tam in praesentiarum deputatos, quam in futurum perpetuis futuris temporibus deputandos, ac si tibi, et cuilibet Inquisitorum praedictorum dirigerentur, et directae fuissent, Apostolica auctoritate, tenore praesentium extendimus. Ipsasque literas tibi et illis, ut praemittitur, eisdem auctoritate, et tenore concedimus.

§ 6. Non obstantibus illis, quae idem Iulius Praedecessor voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

[Bull. Rom., tom. 4, I, p. 16, 17].

79.

Clemens VII, ep. *Cum sicut*, 15 ian. 1530.[1]

Cum sicut ex relatione pro parte tua Nobis facta, cum gravi nostrae mentis molestia innotuit, in diversis Italiae partibus adeo pestifera haeresis Lutheri, non tantum apud saeculares personas, sed etiam Ecclesiasticas, et Regulares, tam mendicantes, quam non mendicantes invaluerit, ut aliquando nonnulli ex eis suis sermonibus, et verbis, et (quod deterius est) publicis praedicationibus tali labe plerosque inficiant, et Christifideles sub obedientia S. R. E. viventes, et praecepta eiusdem Ecclesiae servantes non leviter scandalizent, in haeresum augmentum, pusillorum scandalum, atque Catholicae fidei non mediocre detrimentum.

§ 1. Nos attendentes Arium unam modicam scintillam fuisse in Alexandria, sed quoniam non mox oppressus est, grande per totum Orbem incendium exsuscitasse, ac cupientes huic veneno, haeresique nefariae, et labi pestiferae, quam supremis extingui affectibus anhelamus, omni salubri, quo possumus, remedio occurrere, et ne huiusmodi morbus excrescat ulterius, sed operante Domino passim evellatur, salubriter providere.

§ 2. Tibi necnon omnibus, et singulis aliis dictae haereticae pravitatis Inquisitoribus ex Ordine Fratrum Praedicatorum, maxime Congregationis utriusque Lombardiae per universam Italiam constitutis, et deputatis, ac constituendis, et deputandis, eorumque Vicariis, in virtute sanctae obedientiae, et in remissionem peccatorum vestrorum districte praecipiendo mandamus, quatenus omnibus, et singulis etiam Carmelitarum, et aliorum Ordinum Mendicantium Religiosis, vel non Mendicantibus de huiusmodi peste diffamatis, aut aliter suspectis, praecipueque tales errores in suis sermonibus, verbis, seu praedicationibus disseminantibus, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, super huiusmodi, ac qualibet alia haeresi silentium imponatis. Et postquam per vos, sive Vicarios vestros, aut vestrum, vel eorumdem Vicariorum aliquos, sive aliquem, Praesidentes Monasteriorum, Conventuum, et aliorum locorum, ubi haereses huiusmodi, vel errores seminati forent, aut inibi propinquorum praemoniti fuerint, nisi tales infra mensem a die admonitionis computandum debita provisione, remedia cum effectu

[1] Paulo Butigellae, totius Ordinis Fratrum Praedicatorum Vicario Generali.

adhibuerint, ac digna poenitentia castigaverint, de quibus admonenti fidem facere teneantur: et si Praesidentes ipsi talia praedicarent, admonitionem Praesidenti vicinioris Conventus, vel loci respective facere sufficiat, contra huiusmodi exemptos usque ad sententiam definitivam, ad quam ferendam (si fuerit condemnatoria) cum consensu Ordinarii procedatis. Contra Carmelitas tamen confestim possitis etiam ad capturam, dum praedicant populo, vel publice disputant erroneas conclusiones; adversus non exemptos vero de tali labe diffamatos, aut suspectos, veluti contra alios haereticos (prout iura disponunt) libere inquiratis, atque procedatis. Decernimus insuper, ut vestros Vicarios, sive Commissarios instituere valeatis, viros vestra sententia providos, aptos, et idoneos, dummodo aetatis trigesimum annum attigerint. Vobis etiam, ac Vicariis praefatis extraiudicialiter Lutheranos occultos, et non inquisitos per Ordinarium, sive alios Iudices, ac alios quoscumque haereticos, fautores, credentes, defensores, et receptatores, necnon, et a sancta fide apostatas, eosque, qui contra inhibitionem Sedis Apostolicae, tenuerunt, vel legerunt libros Martini Lutheri, vel aliorum, aut eidem, sive eisdem quomodolibet adhaeserunt (si ad cor reversi poenitentes id humiliter petierint) postquam haeresim, qua polluti, et infecti erant, abiuraverint, medio iuramento promiserint de cetero ab huiusmodi haeresi penitus abstinere, absolvendi, illisque pro praemissis poenitentiam iniungendi salutarem, eosque ad gremium Sanctae Matris Ecclesiae restituendi, et reducendi. Et cum clericis saecularibus, ac personis Religiosis cuiusvis ordinis, status, et conditionis, super quavis irregularitate, quam tam ex haeresi, quam ex apostasia a fide, seu etiam ex eo quod censuris, et poenis Ecclesiasticis tam a iure, quam ab homine quavis occasione, vel causa latis, et promulgatis, quomodolibet incurrerint, aut ligati, seu innodati divina celebrando contraxerint, ac etiam super irregularitatibus, quas clerici Crucesignati sententiis, censuris, et poenis a iure, vel ab homine etiam quavis occasione, vel causa latis, ligati seu irretiti, ac etiam ex eo quod in locis Ecclesiastico interdicto suppositis Missas, et alia divina officia (non tamen in contemptum clavium) celebraverint, incurrerint dispensandi.

[Bull. Rom., tom. 4, I, p. 87, 88].

80.

Paulus III, const. *Sanctissimus*, 22 dec. 1534.

Sanctissimus in Christo Pater, et Dominus noster Dominus Paulus divina providentia Papa III. Provide considerans retroactis temporibus pluries dubitatum fuisse an Referendarii et alii Officiales ex Palatio Apostolico panem habentes, Secretarii Apostolici, literarum Apostolicarum Scriptores, Cubicularii, Milites sancti Petri, ceterique Officiales Sanctitati Suae, seu Romano Pontifici pro tempore existenti, in eodem Palatio deservientes, aut custodiam facientes fuerint, et sint Sanctitatis Suae, et Romanorum pro tempore Pontificum veri et indubitati, et non per privilegium familiares et continui commensales.

§ 1. Eadem Sanctitas Sua huiusmodi ambiguitatem in futurum tollere volens, ex certa scientia declaravit Referendarios, et alios Officiales ex dicto Palatio panem habentes, Protonotarios, Subdiaconos, Auditores Rotae, Acolitos, Scutiferos, Secretarios, literarum Apostolicarum Scriptores, Cubicularios, ac Milites sancti Petri, reliquosque Officiales eidem Sanctitati Suae, et Romano Pontifici pro tempore existenti in Palatio deservientes, aut custodiam facientes, licet in eodem non habitaverint, nec habitent, nec forsan habitabunt, nec in tinello comederint, nec comedant, nec in futurum forsan comedent, in posterum veros, et indubitatos Sanctitatis suae, et Romanorum pro tempore Pontificum, et non per privilegium, nec ficte familiares continuos commensales censeri, reputari, et esse; ita ut regulis tam editis, quam edendis, de veris familiaribus, et continuis commensalibus Suae Sanctitatis, et Romanorum pro tempore Pontificum loquentibus in posterum potiantur, et gaudeant, ac eis quoque quoad omnia subiiciantur, etiam ad hoc, ut Sanctitas Sua, et alii Pontifices occurrentibus vacationibus Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos obtentorum et obtinendorum qualitercumque qualificatorum per obitum eorumdem in Romana Curia vel extra, ad collationem, provisionem, praesentationem, seu quamvis aliam dispositionam quorumcumque collatorum, et collatricum, communiter vel divisim pertinentium providere, et de illis disponere libere et licite valeant, in omnibus, et per omnia, ac si Referendarii, Secretarii, Scriptores, et alii Officiales huiusmodi, ac deservientes supradicti in Palatio habitassent, et in tinello vere et realiter comedissent.

§ 2. Et ita per quoscumque Iudices, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, et Sacri Palatii Apostolici causarum Auditores, de cetero iudicari, et interpretari debere statuit, sublata eis aliter interpretandi et iudicandi potestate. Decernens irritum et inane, etc.

§ 3. Constitutionibus, Ordinationibus, et regulis Apostolicis, privilegiis quoque, et indultis, tam ordinariis collatoribus, quam quibuscumque aliis personis cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis existentibus concessis, et concedendis, cum quibusvis clausulis derogatoriarum praeservativis, restitutivis, irritativis, annullativis, et aliis decretis, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro expressis haberi voluit, ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

[Bull. Rom., tom. 4, 1, p. 119, 120].

81.

Paulus III, const. *Altitudo*, 1 iun. 1537.

Altitudo divini consilii, quod humana nequit ratio comprehendere, ex suae immensae bonitatis essentia, aliquid semper ad salutem humani generis pullulans, tempore congruo et solo suo secreto ministerio, quod ipse Deus novit, opportune producit et manifestat: ut cognoscant mortales, ex suis meritis, tamquam ab ipsis, nihil proficere posse; sed eorum salutem et omne donum gratiae ab ipso Summo Deo, et Patre luminum provenire.

Sane cum sicut, non sine grandi et spirituali mentis nostrae laetitia, accepimus, quamplures incolae occidentalis et meridionalis Indiae, licet divinae sint legis expertes, S. Spiritu tamen cooperante, illustrati, errores, quos hactenus observarunt, penitus ab eorum mentibus, et cordibus abiecerint, ac fidei catholicae veritatem et S. Ecclesiae unitatem amplecti, et secundum ritum eiusdem Romanae Ecclesiae vivere desiderent et proponant: Nos, quibus omnes oves divinitus sunt commissae, cupientes, eas, quae extra verum ovile, quod est Christus, sunt, ad ipsum ovile, ut fiat ex illis unus Pastor et unum ovile, perducere, ac sanctissimorum Apostolorum, qui nobis verbo et exemplo pastoralis officii formam tradentes, nascentis Ecclesiae infantiam lacte, provectam vero eius aetatem solido cibo nutrierunt, vestigiis inhaerendo, novellas plantationes ipsius Ecclesiae, quas in dicta occidentali et meridionali India Altissimus plantare dignatus est, sic donec coalescant, ut non omnia, quae per orbem Ecclesia iam firmata custodit, illis custodienda mandemus, sed tamquam parvulis in Christo, aliqua paterno affectu indulgeamus confovere. Ac circa eorum regenerationes, nonnulla, ut etiam accepimus, suborta dubia primitus submovere volentes, matura sub hoc deliberatione praehabita, auctoritate Apostolica nobis ab ipso Domino Nostro Iesu Christo, per Beatum Petrum cui, et Successoribus sui apostolatus ministerii dispensationem commisit, tradita, tenore praesentium decernimus et declaramus: illos, qui Indos ad fidem Christi venientes, non adhibitis ceremoniis, et solemnitatibus ab Ecclesia observatis, in nomine tantum SS. Trinitatis baptizaverunt, non peccasse, cum consideratis tunc causis occurrentibus, sic illis bona ex causa putamus visum fuisse expedire. Et ut huiusmodi novellae plantationes, quantae dignitatis sit lavacrum regenerationis, quantumque ab illis lavacris, quibus antea in sua infidelitate utebantur, differat, non ignorent; statuimus, ut qui in posterum extra urgentem necessitatem Sacrum Baptisma ministrabunt, ea observent, quae a dicta Ecclesia observantur, oneratis super tali necessitate conscientiis eorum, extra quam quidem necessitatem, saltem haec quatuor observentur. Primum, aqua sacris actionibus sanctificetur. Secundum, Catechismus et Exorcismus fiat singulis. Tertium, sal, saliva, capella, et candela ponatur duobus vel tribus pro omnibus utriusque sexus tunc baptizandis. Quartum, Chrisma ponatur singulis in vertice capitis, et oleum Cathecumenorum ponatur super cor viri adulti, puerorum et puellarum; adultis vero mulieribus ponatur in illa parte, quam ratio pudicitiae demonstrabit. Super eorum vero matrimoniis hoc observandum decernimus, ut qui ante conversionem plures iuxta eorum mores habebant uxores, et non recordantur, quam primo acceperint, conversi ad Fidem, unam ex illis accipiant, quam voluerint, ut cum ea Matrimonium contrahant per verba de praesenti, ut moris est; qui vero recordantur, quam primo acceperint, aliis dimissis, eam retineant. Ac eis concedimus, ut coniuncti etiam in tertio gradu tam consanguinitatis, quam affinitatis, non excludantur a Matrimoniis contrahendis donec huic S. Sedi super hoc aliud visum fuerit statuendum. Et circa abstinentiam ab illis suscipiendam etiam statuimus, quod in Vigilia Nativitatis, et Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi, et omnibus sextis Feriis Quadragesimae ieiunare teneantur, ceteros vero ieiu-

niorum dies eorum beneplacito propter novam ad Fidem eorum conversionem, et ipsius gentis infirmitatem permittimus. Ita quod ieiunium repugnans sanitati, vel non bene quadrans officio vel exercitio alicuius non censeatur illi ab Ecclesia praeceptum. Eisque etiam concedimus, quod quadragesimalibus et aliis prohibitis anni temporibus lacticiniis, ovis, et carnibus tunc temporis dumtaxat vesci possint, cum ceteris christianis ob aliquod sanctum opus obeundum similibus cibis vesci posse a Sede Apostolica pro tempore fuerit concessum. Dies autem in quibus eos volumus a servilibus operibus cessare, declaramus esse omnes dies Dominicos, ac Nativitatis, Circumcisionis et Epiphaniae, Resurrectionis et Ascensionis, ac Corporis eiusdem Domini Nostri Iesu Christi et Pentecostes; nec non Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, Assumptionis gloriosae Dei Genitricis Virginis Mariae, ac Beatorum Petri et Pauli eius Coapostoli. Ceteros vero dies festos ex causis supradictis illis indulgemus...

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. 1, p. 30, nota (1). - Cf. etiam Codicis Iuris Canonici Docum. VI].

82.

Paulus III, const. *Sanctissimus*, 11 dec. 1541.

Sanctissimus in Christo Pater, et Dominus noster Dominus Paulus divina providentia Papa Tertius, qui in crastino assumptionis suae ad summi Apostolatus apicem, cupiens eorum fraudibus obviare, qui viventium beneficia, illorum praesertim, quibus aut propter senium, aut propter infirmitatem imminebat vitae periculum, impetrabant, ut illis decedentibus, tamquam collitigantes in illorum iuribus facilius subrogarentur, per quamdam eius constitut. inter alia voluit, ut deinceps nullus in iure, vel ad ius, in beneficio defuncti, quod illo vivente in casibus praemissis, vel similibus impetravit, aliquo modo subrogetur, ac subrogatio et gratia si neutri, si nulli, seu novae provisionis, aut perinde valere, taliter impetranti nullatenus suffragaretur, quod etiam strictissime observari mandavit in impetrationibus beneficiorum, per privationem, et amotionem, ex quibusvis criminibus et excessibus forsan perpetratis, etiamsi usque ad definitivam sententiam, quae tamen in rem non transivisset iudicatam, processum foret.

§ 1. Ac per alias Constitutiones suas, seu Cancellariae Apostolicae regulas, voluit, statuit, et ordinavit, quod quicumque beneficium Ecclesiasticum, tunc per annum immediate praecedentem pacifice possessum, et quod certo modo vacare praetenderet, ex tunc deinceps impetraret, nomen, gradum, et nobilitatem possessoris eiusdem, et quot annis illud ipse possedisset, ac specificam et determinatam, ex qua clare constare posset, quod nullum ipsi possessori in dicto beneficio ius competeret, causam in huiusmodi impetratione exprimere, et infra sex menses ipsum possessorem ad iudicium evocari facere,

causamque ex nunc desuper, infra annum, usque ad sententiam definitivam inclusive prosequi deberet, et teneretur, alioquin impetratio praedicta, et quaecumque inde secuta, nullius existerent firmitatis, et idem impetrans, de damnis et interesse possessorem praedictum propterea contingentibus ei satisfaceret. Et si possessorem ipsum iniuste, frivole, et indebite molestasse repertus existeret, quinquaginta florenos auri persolvere Camerae Apostolicae esset adstrictus, nec aliud quam praemissae vacationis modus, etiam per literas si neutri, aut subrogationis, vel alias, sibi quoad hoc ut beneficium huiusmodi ea vice consequi, vel obtinere valeret, quomodolibet suffragaretur, illudque nullatenus in antea litigiosum propterea censeretur.

§ 2. Et cui fide dignorum relatione innotuit, quod huiusmodi voluntate, statuto, et ordinatione non obstantibus, multi caeca cupiditate ducti, ad beneficia Ecclesiastica, per alios, etiam quandocumque multo antea tempore canonice eis collata, et possessa, quos valetudinarios, seu senio confectos conspiciunt, aut alias certo modo, cito defuncturos, vel eorum beneficia dimissuros sperant, improbe, ac per media illicita aspirantes, huiusmodi beneficia tamquam certo modo vacantia, et absque alio titulo, seu minus canonico detenta, a Sede Apost. impetrabant, et illorum possessoribus, litem super dictis beneficiis sic possessis movebant, et causas huiusmodi contra eos committi faciebant, et alias illos nunc titulos fingendo, nunc crimina impingendo, in ipsis beneficiis inquietabant, et molestabant, nec causas ipsas (prout etiam iuxta Constitutionem praedictam tenebantur) expediri facere curabant, sed in longum protrahebant, expectantes obitum dictorum possessorum, ut in iure eisdem possessoribus in dictis beneficiis, vel ad alia competente subrogarentur. Sicque per indirectum eisdem impetrantibus votum captandae mortis dictorum possessorum praebebatur, ipsique possessores indebite vexabantur, ac laboribus, et expensis fatigabantur. Et saepenumero vexationem huiusmodi illicitis mediis redimere cogebantur, et quandoque destituti, seu desperati, in anxietatem ducebantur, eorumque beneficia resignare, seu permutare, ac etiam illorum collatores, quominus de beneficiis per obitum dictorum possessorum vacantibus, et propter lites huiusmodi, malitiose, et fraudulenter motas, seu confictas, libere disponere, et sua ordinaria auctoritate in praemissis uti possent, impediebantur, in animarum ipsorum impetrantium periculum, et dictorum possessorum grave praeiudicium, et ordinariae potestatis huiusmodi collatorum laesionem.

§ 3. Attendens malitiis hominum non esse indulgendum, sed potius obviandum, ac volens ipsorum beneficia obtinentium, quieti et securitati providere, constitutionem praedictam innovando, et ad impetrantes beneficia illorum, qui aliquo evidenti impedimento detinerentur, quamvis senio confecti, aut infirmitate detenti non forent, extendendo, etiam voluit, statuit, et ordinavit, quod de cetero impetrantes beneficia Ecclesiastica cuiuscumque qualitatis, per privationem, et amotionem, vel alias propter commissa, excessus, et crimina, vacantia, vel vacatura in supplicatione desuper porrecta, excessus, et crimina ipsa, ac eorum qualitates, necnon modos, et causas tales, ex quibus de iure privatio ipsa incursa, aut facienda censeatur, et similiter impetrantes, etiam per modum devolutionis, beneficia tamquam certo modo

vacantia, et ab aliis etiam non senio confectis, nec infirmitate, aut impedimento detentis, tamquam nullo, seu minus Canonico titulo possessa, modum vacationis illorum in supplicatione desuper porrecta, specifice, et determinate, ac dispositive exprimere teneantur, et antequam decretum citationis a iudice cui causa commissa fuerit, per se, vel procuratorem eorum petant, coram eo iuramentum, quod credunt ea, quae sic expresserunt, vera esse, et posse ea probare, corporaliter praestare, et deinde excessus, et crimina, aut modum vacationis huiusmodi, proponere, et deducere, et intra octo dies observationem termini ad articulandum, per eum, vel procuratorem suum suo ordine, et loco, ita quod si ipse terminus sic non servetur, dicti octo dies, post observationem termini secundo loco servati, quicumque is fuerit, cucurrisse censeantur, factam immediate sequentes probare, necnon ex tunc infra annum, similiter a die impetrationis eorum computandum, causam contra eosdem possessores, usque ad definitivae sententiae prolationem inclusive prosequi debeant, et teneantur.

§ 4. Quodque impetrationes de beneficiis tamquam per privationem, et amotionem, vel alias propter commissa, excessus, et crimina vacantibus, vel vacaturis, absque causae, seu causarum, privationis, et amotionis, aut excessuum, et criminum vacationem huiusmodi causantium, necnon tamquam de certo modo vacantibus, etiam per modum devolutionis, absque modi vacationis specifica expressione, etiam praetextu quarumcumque clausularum quomodolibet implicitarum, et quantumcumque praegnantium, etiam quod causae, et excessus, ac crimina, necnon modi vacationum huiusmodi in literis pro expressis habeantur, vel etiam dispositive exprimi possint, disponentium in supplicationibus insertarum, eisdem impetrantibus nullatenus suffragentur, et quaecumque subrogationes per ipsos impetrantes de beneficiis, quae etiam cum huiusmodi expressione impetraverint tamquam litigiosis, in iure, vel ad ius eorum, quos huiusmodi excessus et crimina perpetrasse, aut quorum beneficia per devolutionem, aut alias certo modo vacasse narraverint, a Sede Apostolica, vel Legatis eius quomodolibet impetrandae, seu etiam Motu proprio concedendae, nisi quod impetrantes excessus, et crimina, aut modum vacationis huiusmodi intra dictos dies observationem dicti termini ad articulandum per ipsos impetrantes, aut eorum procuratores, ut praefertur, non autem per eos, aut ipsorum procuratores factam, quoad excludendos, post dictos dies ipsos impetrantes a probatione excessuum, seu criminum, aut modi vacationis praedictorum nihil operari volumus contra possessores beneficiorum quae impetraverint, probaverint, etiamsi alia excessus et crimina, privatione, aut privationis declaratione digna, etiam ante lapsum dictorum octo dierum probaverint, nullius sint roboris vel momenti. Quodque subrogationes huiusmodi, si ii contra quos huiusmodi impetrationes fient, in itinere propter id suscepto, quod post excommunicationem citationis, etiam per edictum factae, etiam si de dictorum citatorum notitia aliter non apparuerit, propterea attentum praesumatur, defuncti fuerunt, etiam si senes, aut valetudinarii, seu impediti, ut praefertur, non extiterint, aut etiam ii, contra quos huiusmodi impetrationes fient, morte violenta decesserint, licet nullum penitus argumentum, aut nulla coniectura habita fuerit, quod collitigans id

fecerit, aut de tali morte culpabilis, seu conscius fuerit, locum non habeant. Et si post lapsum dicti anni, vel etiam eo durante, et istis octo diebus post dicti termini ad articulandum, absque probatione praedictorum excessuum, seu criminum, aut modi vacationis per ipsos impetrantes, vel eorum procuratores observationem elapsis, contingat possessores dictorum beneficiorum, seu aliquos ex eis decedere, aut eorum beneficia simpliciter, vel ex causa permutationis, aut alias quomodolibet, in Romana Curia, vel extra eam vacare, non censeantur propterea beneficia ipsa litigiosa, de huiusmodi beneficiis sic vacantibus provideri, et alias libere disponi possit, in omnibus, et per omnia, ac si contra dictos possessores aliqua lis modo praemisso mota non fuisset.

§ 5. Et nihilominus impetrantes praedicti ad ambita beneficia huiusmodi obtinenda censeantur perpetuo inhabiles, necnon vexatae parti omnia damna, interesse, et expensas persolvere teneantur, ac omnibus, et singulis beneficiis Ecclesiasticis, per eosdem impetrantes obtentis, se triennio suspensos noverint. Quibus, si se in eis propria temeritate iniecerint, ipso iure privati sint, ac calumniose de periurio, iuxta canonicas sanctiones, puniantur. Decernens novas provisiones super impetrationibus praedictis pro tempore, etiam antequam dicti octo dies elapsi fuerint, iis in quorum favorem emanaverint, in fraudem huiusmodi constitutionis non suffragari. Et si iis, qui impetrationes modo praedicto fecerint, beneficia sic impetrata resignaverint, quandocumque id fecerint, illis, quibus de beneficiis huiusmodi per resignationem de eis factam, et admissam provisum fuerit, praesenti constitutioni subiacere, et in eodem statu in quo dictus resignans tempore huiusmodi resignationis erat, quoad hoc censeri, et esse.

§ 6. Sicque in praemissis omnibus iudicandum fore, sublata, etc. irritum quoque, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, I, p. 191-193].

83.

Paulus III, const. *Sanctissimus*, 18 maii 1543.

Sanctissimus in Christo Pater, et Dominus noster Dominus Paulus divina providentia PP. III, cui dudum postquam unam Constitutionem suam, etc. *ut supra, in N. 80.*

§ 1. Innotuit qualiter inter ceteros in eadem constitutione nominatos Referendarii, et Auditores, Referendariatus, et Auditoriatus, ac nonnulli aliorum officiorum, quae obtinebant, ratione, ut singuli de ipsorum Collegiis, necnon ex Scriptoribus unus tamquam Referendarius officium actu exercens, et alius tamquam Decanus antiquitatis, et forsan in aliis Collegiis, unus, vel duo, aut forsan plures, et non singuli ipsorum Collegiorum ratione, panem ex Palatio Apostolico habeant, tamen custodiam non faciunt, a nonnullis asserebatur constitutionem praedictam in habentibus panem in Palatio, et custodiam facientibus coniunctim locum habere, et effectum sibi vindicare, et non alias, nec alio modo procedere.

§ 2. Ambiguitatis dubium submovere volens, primo vivae vocis oraculo declaravit, et decrevit Constitutionem ipsam, etiam in die publicationis illius intelligi, locumque vendicare, et procedere posse, et debere, sive dicti Officiales, vel quicumque alii coniunctim, et divisim, panem ex Palatio haberent, et in eodem custodiam facerent, etiam si iidem Officiales, et alii, per quorum obitum beneficia, ut praefertur, vacaverint, panem non habuissent, nec in ipso Palatio custodiam fecissent, ac beneficia per eosdem Officiales, et alios, ut praefertur, obtenta, per obitum etiam eorumdem Officialium in dicta Curia, vel extra eam vacarent, et ad collationem, provisionem, praesentationem, seu quamvis aliam dispositionem, etiam S. R. E. Cardinalium, et quorumcumque aliorum collatorum, et collatricum, communiter, vel divisim spectarent.

§ 3. Postea accepit quod pro eo quod de posteriori declaratione huiusmodi alias non apparebat, adhuc aliquibus in dubium revocaretur, quod contingere posset eos, quibus de beneficiis huiusmodi per obitum dictorum officialium, ac aliorum sic, ut praefertur, vacantibus, per Suam Sanctitatem provisum, seu provideri concessum extitit, aut in futurum provideri concessum extitit, vel quod provideretur concedi contigerit, desuper in futurum posse molestari.

§ 4. Motu proprio, etc. per aliam suam Constitutionem quam et literas desuper expeditas, etiam quod in eadem Cancellaria lecta, et publicata non esset, arctare voluit, sub dat. decimo nono Kalendas Septembris, eiusdem Pontificatus sui anno secundo, inter alia fidem fecit, ac in verbo Romani Pontificis attestatus fuit semper suae incommutabilis mentis fuisse, et tunc esse, quod etiam posterior declaratio huiusmodi, etiam quod aliter in dicta Cancellaria lecta, et publicata non foret, ab illius data valeret, et ligaret, ac omnibus, et singulis, quibus de singulis, aut pluribus beneficiis praedictis, ut praefertur, provisum seu provideri concessum extitit, aut in futurum provideri, seu quod provideatur concessum fuerit, suffragaretur, etiam in omnibus et per omnia, ac si dicta die vigesima secunda Martii in dicta Cancellaria lecta, et publicata fuissent, cum de sic indicando, et aliis clausulis etiam irritantibus decretis in literis desuper confectis latius continetur.

§ 5. Cum Sanctitati Suae etiam novissime innotuerit ab aliquibus etiam plusquam conveniat sapere volentibus, praetendi, constitutionem, et declarationem praedictas forsan ad de numero participantes, et alios non participantes, praesertim Romanorum Pontificum Praedecessorum suorum, ac etiam Pontificatus sui tempore, etiam per S. R. E. Cardinales, etiam de latere, et alios Legatos, sive Nuncios Apostolicos, etiam facultatem Legatorum de latere habentes, quorum numerus nimis iam excrevisse asseritur, pro tempore creatos Notarios Apostolicos supernumerarios nuncupatos, et omnes alios officiales in dicta Constitutione nominatos, et expressos, qui in eodem Palatio forsan non habitant, nec in posterum habitabunt, aut in tinello nunc non comedunt, neque forsan in posterum comedent, minusque Sanctitati Suae deserviunt, neque Romano Pontifici pro tempore existenti in futurum deservient, aut custodiam non faciunt, aut non facient, non extendi, neque eosdem comprehendere, neque in illis procedere, aut locum sibi vendicare.

§ 6. Ad huiusmodi etiam ulterioris ambiguitatis dubium resecandum, Constitutionem, regulamque, necnon declarationem praedictas, etiam cum omnibus, et singulis decretis, et aliis clausulis quibuscumque in illis respective contentis, et expressis, pro insertis, et expressis habens, decrevit, et declaravit, fidemque indubiam facit, et attestatur mentis, et intentionis suae semper fuisse, et esse, tam a die editionis, et publicationis singularum Constitutionum, sive Regulae, ac declarationis praedictarum, quam etiam cuiuslibet ipsarum, tam de numero participantium, quam non participantium notariis praedictis, ac etiam omnibus, et singulis aliis Officialibus in dicta Constitutione, sive Regula, et declaratione, ut praefertur, nominatis intelligi, locumque sibi vendicasse, et processisse, ac vendicare, et procedere debere; etiam quod quicumque participantes, et non participantes notarii, aliique omnes, et singuli officiales praedicti, in dicta Constitutione, sive Regula, et declaratione quomodolibet nominati, et expressi panem ex Palatio non haberent, non habuerint, et non habeant, et custodiam in eo non fecerint, et non faciant, aut aliter Suae Sanctitati, et Romano Pontifici pro tempore existenti in Palatio Apostolico, vel extra, aliquo modo non servierint, neque serviant, vel alias quomodolibet in Palatio Apostolico non habitaverint, et non habitent, et custodiam in eo non fecerint, et non faciant, et nihilominus singulas Constitutiones, et declarationes praedictas, et ipsarum quamlibet, etiam cum omnibus, et singulis clausulis, et decretis in illis contentis illas pro expressis, et insertis habens, ad quoscumque non participantes notarios per eosdem Romanos Pontifices, et per Sanctitatem Suam creatos tantum restrinxit, et reduxit, ac restringit, et reducit; illasque minime ad non participantes, et supernumerarios notarios ab eisdem Cardinalibus de latere, et aliis Legatis, et Nunciis Apostolicis, etiam facultatem, et auctoritatem Legati de latere habentibus creatos, in eadem Regula, sive Constitutione, et declaratione nullatenus contineri, nec comprehendi posse, nec valere, aut debere, ac si specialiter, et individue expressa fuissent, perpetuis futuris temporibus valere, et observari debere.

§ 7. Et ita per quoscumque Iudices, etiam Palatii Apostolici causarum Auditores, et alios quoscumque Iudices, etiam in quibuscumque causis etiam pendentibus, et in quibuscumque inter omnes, et singulos iudicari, sententiari, et definiri debere statuit, voluit, decrevit, et ordinavit, sublata, etc.

§ 8. Praesentemque prout moris est in dicta Cancellaria legi, et publicari, et inter alias regulas Cancellariae, ut moris est, describi, et adnotari mandavit.

[Bull. Rom., tom. 4, I, p. 120, 121].

84.

Iulius III, motu propr. *Cum sicut nobis*, 26 iun. 1550.

Cum sicut nobis nuper innotuit, diversi diversorum Beneficiatorum etiam Episcoporum, Patriarcharum, et aliorum Praelatorum, ac S. R. E. Cardinalium pro tempore decedentium haeredes, non solum bona relicta, spolia nuncupata,

sic decedentium Beneficiatorum Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, et aliorum Praelatorum, ac etiam Cardinalium, verum etiam fructus etc. ecclesiasticos, et pecunias, et res alias per ipsos Beneficiatos Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, et alios Praelatos, ac etiam Cardinales ante eorum obitum non exactos, etiam si eorum solutionis dies ante obitum ipsorum non advenerit, sub eo forsan praetextu, quod pro tempore ante obitum huiusmodi decurso debebantur exigere, et quandoque solutionem debitorum per ipsos Beneficiatos, et Cardinales, dum viverent, contractorum, et legatorum per eos in sua ultima voluntate, etiam ad pias causas factorum subterfugere, ac haeredes Cardinalium huiusmodi paramenta, et ornamenta Capellae ipsorum Cardinalium, quae iam tanto tempore, quod eius initii hominum memoria non habetur, Capellae Apostolicae, in qua Missae Papales celebrantur, et ex qua pauperibus Praelatis ad Romanam Curiam pro tempore confluentibus, et paramenta Ecclesiastica, cum quibus in processionibus, et aliis solemnitatibus per Romanos Pontifices fieri solitis incedere possint, non habentibus subvenitur, devolvi consueverunt, occupare, ac solutionem quingentorum ducatorum auri de Camera, qui post obitum singulorum Cardinalium pro pretio annuli eis in eorum ad Cardinalatum assumptione adhiberi soliti, Camerae Apostolicae persolvuntur, declinare contendant, et satagant.

§ 1. ... Volentes in praemissis opportune providere, motu simili etc. declaramus nostrae intentionis numquam fuisse, nec esse, quod quivis quorumcumque Beneficiatorum etiam, ut praefertur, Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, et aliorum Praelatorum, etiam Cardinalium ubilibet, etiam in Romana Curia, aut districtu, pro tempore decedentium, sive ex testamento, per ipsos Beneficiatos etiam vigore facultatum quarumcumque eis in specie, vel in genere, etiam praetextu quorumcumque capitulorum, ac statutorum, et ordinationum, etiam nostrorum, sub quibusvis tenoribus, et formis, ac alias quomodolibet concessorum condito, sive ab intestato haeredes, fructus etc. ac pecunias, et res alias per ipsos sic defunctos Beneficiatos, etiam Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, et alios Praelatos, ac Cardinales ante eorum obitum non exactos, etiam si pro tempore ante obitum huiusmodi decurso debeantur, ac eorum solutionis dies Beneficiatis, et Cardinalibus viventibus advenerit, et per ipsos Beneficiatos, et Cardinales non steterit, quo minus illos exegerint, quinimmo omnem pro illorum exactione necessariam diligentiam, etiam iudicialiter agendo fecerint, quoquo modo exigere, aut etiam sponte oblatos percipere.

§ 2. Aut cruces, candelabra, imagines, patenas, calices, et alia cuiusvis sortis, tam aurea, quam argentea vasa, et iocalia, ac quaevis ornamenta, paramenta, et alia utensilia Capellae singulorum Cardinalium pro tempore decedentium, ceteraque tam ad ipsam Capellam, quam eius ministros circa altaris ministerium, et celebrationem Missae pertinentia, pro se retinere, aut solutionem quingentorum ducatorum huiusmodi evitare possint, sed quod de cetero perpetuis futuris temporibus fructus etc. ac pecuniae, et res, ut praefertur, inexacti huiusmodi ad ipsorum sic defunctorum Beneficiatorum etiam Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, et aliorum Praelatorum, et

Cardinalium in Ecclesiis, Monasteriis, et beneficiis praedictis successores, qui ex illis, quorum solutionis dies ante obitum Beneficiatorum huiusmodi advenerit, omnia ipsorum Beneficiatorum, etiam ut praefertur, Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, et aliorum Praelatorum, etiam Cardinalium debita, et ad pias causas facta legata, si aliunde ex aliis ipsorum Beneficiatorum bonis solvi non possint, solvere teneantur, libere devenirent, et in posterum deveniant, ac per eos, et non haeredes praedictos exigi possent, et in posterum possint, necnon cruces, candelabra, imagines, patenas, calices, vasa, iocalia, ornamenta, paramenta, utensilia, et alia ad Capellam singulorum Cardinalium, et eius ministros, ut praefertur, pertinentia, ad eamdem Capellam Apostolicam pertinerent, et spectarent, ac in posterum pertineant, et spectent, et per agentes pro ea, realiter, et cum effectu capi, et apprehendi possent, et deberent, ac in posterum possint, et debeant. Ac haeredes Cardinalium, tam hactenus defunctorum, quam pro tempore decedentium quingentos ducatos huiusmodi eidem Camerae persolvere tenerentur, et in posterum teneantur. Et propterea successores in Ecclesiis, Monasteriis, et beneficiis huiusmodi fructus etc. ac pecunias, et res per eorum praedecessores non exactos, libere, et licite percipere, exigere, et levare, ac solutis, si aliunde unde solvant non erit, ut praefertur, debitis, et legatis praedictis, quod residuum fuerit in suos usus, et utilitatem convertere. Necnon agentes pro Capella Apostolica, cruces, candelabra, imagines, patenas, calices, vasa, iocalia, ornamenta, paramenta, utensilia, et alia praedicta propria auctoritate libere capere, et apprehendere posse. Ac haeredes Cardinalium, tam hactenus defunctorum, quam aliorum pro tempore decedentium, ad cruces, candelabra, at alia praedicta agen. pro dicta Capella Apostolica, realiter, et cum effectu consignandum. Et eosdem quingentos ducatos agentibus pro eadem Camera, ut praefertur, solvendum teneri, et obligatos esse, ac ad id omnibus iuris, et facti remediis cogi, et compelli posse.

§ 3. Sicque in praemissis, omnibus, et singulis casibus ad praesens occurren., seu penden. per quoscumque, etc. in quavis causa, et instan., sublata, etc. iudicari, et definiri debere, ac irritum, etc. decernimus.

§ 4. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, I, p. 268-270].

85.

Iulius III, const. *Licet a diversis*, 18 mart. 1551.

Licet a diversis Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, etiam per speciales Constitutiones in corpore iuris insertas, fuerit rite, et salubriter sancitum, atque decretum, ut saeculi potestates, et Domini temporales, ac Provinciarum, Civitatum, terrarum, et locorum quorumcumque rectores, quibuscumque dignitatibus, vel officiis, aut nominibus censeantur, Dioecesanis Episcopis, et Inquisitoribus haereticae pravitatis in ipso Inquisitionis negocio faveant, et assistant, nemoque ex praedictis potestatibus, dominis, et recto-

ribus, eorumque officialibus de crimine haeresis, cum mere sit Ecclesiasticum, quoquo modo cognoscat, vel iudicet, neque Dioecesano Episcopo, vel Inquisitori ipsius Inquisitionis negocio incumbenti se opponere, aut ipsam aliquatenus impedire, vel impedientibus auxilium, aut favorem scienter dare audeat, perpetuae damnationis sententia in eos, qui contra praedicta fecerint, promulgata, quam si per annum animo sustinuerint pertinaci, ex tunc velut haeretici condemnentur: usque adeo tamen in omnibus fere, non solum Italiae, verum etiam aliis Provinciis, Civitatibus, terris, et locis, complurium laicorum, ut accepimus, mundanae gloriae processit ambitio, vel sacrorum Canonum inscitia, vel Ecclesiasticae disciplinae contemptus, ut in animarum suarum perniciem atque interitum, Dioecesanos Episcopos, et Inquisitores a Sede Apostolica institutos Inquisitionis officium exercentes, alii sub iustitiae praetextu, ne ulli scilicet fiat iniuria, impedire, alii vero sub pietatis colore, ut sontes scilicet severius puniantur, se ipsis Dioecesanis Episcopis, et Inquisitoribus adiungere, et una cum eis de ipso haeresis crimine cognoscere, processus formare, formatosque suo iudicio submittere non erubescant.

§ 1. Cui sane morbo iam nimis late progredienti solitam, ac salutarem Ecclesiae medicinam pro nostra pastorali solicitudine afferre cupientes, saeculi potestates, dominos temporales, ac Provinciarum, Civitatum, terrarum, et locorum rectores supradictos, necnon quascumque alias saeculares personas, tam privatas, quam publico quovis munere fungentes, requirimus, et monemus, ac eis Iesu Christi Redemptoris nostri (cuius vices, licet immeriti, gerimus in terris) nomine praecipimus, ne Dioecesanos Episcopos, et Inquisitores ipsos in suo Inquisitionis negocio, ullo modo impediant, seu perturbent, neque se in haeresis crimine, cognoscendo, vel iudicando, quovis etiam assistentiae, et favoris colore, causa, vel occasione (nisi quatenus ab ipsis Dioecesanis Episcopis, aut Inquisitoribus, spontanea, et libera eorum voluntate fuerint requisiti) se ingerant, ordinationes, provisiones, et leges quascumque, de ipsius criminis cognitione latas sacris Canonibus obsistentes, et Ecclesiasticam iurisdictionem impedientes sine mora abrogent, et deleant, prout etiam Nos eas omnes invalidas fuisse, et esse decernimus, et declaramus, ac ex nunc pro abrogatis, et deletis haberi volumus, et mandamus.

§ 2. Qui monitis his nostris non obtemperaverint, quive scienter in praedictis consilium, auxilium, aut favorem dederint, noverint se, non solum per sacras dictorum Praedecessorum nostrorum Constitutiones, verum etiam per hanc nostram sanctionem, sive sententiam, et declarationem perpetuo duraturam (quam auctoritate Omnipotentis Dei, ac beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, ac nostra in ipsos non obtemperantes, quacumque illi praefulgeant dignitate, in his scriptis proferimus) communione fidelium, et omnium Ecclesiasticorum Sacramentorum perceptione privatos, ac maledictionis, aut execrationis aeternae vinculo ligatos, anathematisque, et maioris excommunicationis mucrone percussos, ita ut nemo umquam in praemissis delinquens, nisi a Nobis, et Successoribus nostris canonice intrantibus, etiam praetextu quarumcumque facultatum, concessionum, et gratiarum, etiam confessionalium nuncupatarum, etiam a Nobis, et dicta Sede hactenus emanatarum, vel in posterum emanandarum specificam, et expressam, ac alias quam per

verba generalia, de praesentibus nostris literis mentionem non facientium, praeterquam in mortis discrimine, absolvi possit.

§ 3. Quibus etiam censuris ipsos Dioecesanos Episcopos, et Inquisitores subiacere volumus, si laicos secum quomodocumque de ipso crimine cognoscere, aut iudicare permiserint.

§ 4. Ut autem praemissa omnia, ad eorum, quorum interest, notitiam deducantur, nullusque de eis ignorantiam iuste praetendere possit, volumus, et Apostolica auctoritate decernimus, quod praesentes literae per aliquos Cursores nostros, aut Notarios publicos in Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, et Ecclesiae Lateranen., ac Cancellariae Apostolicae valvis, necnon acie Campi Florae, ut moris est, publicentur, earum exemplo in singulis valvis, et acie huiusmodi affixo, et dimisso. Nulli ergo, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, I, p. 278, 279].

86.

Iulius III, const. *Sanctissimus*, 13 febr. 1553.

Sanctissimus in Christo Pater, et Dominus noster Dominus Iulius, divina providentia Papa III, cui nuper innotuit, quod a nonnullis vertitur in dubium, an Ecclesiarum Praelati panem ex Palatio Apostolico ratione personae suae, et non alterius officii per eos pro tempore obtenti, quotidie habentes sint Sanctitatis Suae veri, et indubitati, et non ficti, aut per privilegium, Praelati domestici, et continui commensales, considerans panem huiusmodi eis nonnisi ratione familiaritatis continuae commensalitatis exhiberi.

§ 1. Et propterea volens dubium huiusmodi, suae declarationis oraculo, de medio tollere, declaravit, omnes, et singulos Ecclesiarum Praelatos, qui solum ratione personae suae, et non alicuius officii per eos pro tempore obtenti panem ex Palatio Apostolico quotidie habent, seu habere possunt, et in posterum habebunt, seu habere poterunt, licet in eodem Palatio non habitent, et ultra panem alia victui humano necessaria non habeant, nec in posterum habituri sint, Sanctitatis Suae veros, et indubitatos, et non ficte, aut per privilegium Praelatos domesticos, et continuos commensales esse, ac in posterum fore, et pro talibus, et ut tales censeri, et reputari debere, ita ut sub regulis Cancellariae Apostolicae, et aliis Constitutionibus suis, tam editis, quam edendis, de veris familiaribus continuis commensalibus Sanctitatis Suae loquentibus comprehensi, et illis quoad omnia subiecti sint, ipsique illis uti, potiri, et gaudere possint.

§ 2. Et Sanctitas Sua de beneficiis Ecclesiasticis, per eos pro tempore obtentis qualitercumque qualificatis, et ad collationem, provisionem, praesentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem quorumcumque collatorum, etiam S. R. E. Cardinalium, etiam indultum speciale super conferendis beneficiis ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem pertinentibus a Sanctitate Sua, aut Sede Apostolica habentium, communiter, vel divisim spectantibus, quae per

eorum obitum in Romana Curia, vel extra eam in posterum vacabunt, tamquam Sanctitati Suae ratione familiaritatis, et continuae commensalitatis huiusmodi generaliter reservatis providere, et de illis disponere libere, et licite possit, in omnibus, et per omnia perinde, ac si ipsi Praelati in dicto Palatio habitarent, et ultra panem alia victui humano necessaria haberent.

§ 3. Sicque per quoscumque, etc., etiam Cardinales ... in quavis causa, et instantia, sublata, etc., iudicari, et definiri debere, ac irritum, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, I, p. 306].

87.

Iulius III, decr. *Sanctissimus*, 26 ian. 1554.

Sanctissimus Dominus noster D. Iulius, divina providentia Papa III, pro bono regimine S. R. E. ac pro felici sacri Collegii Cardinalium directione, de ipsorum Cardinalium consilio, et unanimi assensu, praesenti decreto statuit.

§ 1. Ut nullo umquam tempore assumatur aliquis posthac in eiusdem S. R. E. Cardinalem, qui sit frater germanus alterius Cardinalis viventis. Itaque eodem tempore duo fratres germani in eodem Collegio nullatenus esse possint. Decernens, et declarans fratres Cardinalium viventium ad Cardinalatus dignitatem penitus incapaces, et inhabiles habendos, et reputandos esse.

[Bull. Rom., tom. 4, I, p. 306].

88.

Paulus IV, const. *Iniunctum nobis*, 14 iul. 1555.

§ 1. Iniunctum nobis desuper, meritis licet imparibus, Apostolicae servitutis officium, mentem nostram continua pulsat instantia, ut bona Ecclesiastica, quae caeca hominum cupiditate occupata detinentur, nostrae operationis ministerio, ad ius, et proprietatem eorum, quorum antea erant, omnino reducantur. Cum itaque (sicut nobis innotuit) licet alias fel. rec. Symmachus Papa Praedecessor noster praedium Ecclesiae pro aliqua necessitate quovis modo alienari, aut iura Ecclesiae in usumfructum dari prohibuerit, et lege huiusmodi omnes Custodes adstringi, ac donatorem, ac censuratorem, et venditorem honorem perdere, et qui praemissis subscriberet, anathema esse, cum eo qui daret, sive reciperet, nisi restituerentur, et quaslibet Ecclesiasticas personas contradicere, et cum fructibus alienata reposcere posse, hocque non solum in Ecclesia Romana conservari, verum etiam in universis per Provincias Ecclesiis convenire voluerit.

§ 2. Et piae mem. Paulus Papa II etiam Praedecessor noster omnium rerum, et bonorum Ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum, per

quod ipsorum dominium transferretur, ac concessionem, hypothecam, locationem, et conductionem ultra triennium, necnon infeudationem, vel contractum emphyteuticum, praeterquam in casibus a iure permissis, ac de rebus, et bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, fieri prohibuerit. Et si quis contra huius posterioris prohibitionis seriem, de bonis, et rebus eisdem quicquam alienare praesumeret, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, infeudatio huiusmodi nullius omnino essent roboris, vel momenti, et tam qui alienaret, quam qui alienatas res, et bona reciperet, sententiam excommunicationis incurreret, et nihilominus res, et bona alienata huiusmodi, ad Ecclesias, Monasteria, et loca pia, ad quae antea pertinebant, libere reverterentur.

§ 3. Nihilominus a nonnullis annis citra diversae personae, tam saeculares, quam Ecclesiasticae, complura Castra, Terras, Oppida, Civitates, et loca, tam Romanae praedictae, quam diversarum Cathedralium, etiam Metropolitan., et aliarum Ecclesiarum, necnon Monasteriorum, domorum, et aliorum Regularium locorum, ac Hospitalium, et aliorum piorum locorum, praetextu diversarum alienationum, eis de Castris, Terris, Oppidis, Civitatibus, et locis praedictis in evidens damnum Ecclesiarum, Monasteriorum, Domorum, Hospitalium, et aliorum Regularium, et piorum locorum, seu alias non servatis solemnitatibus a iure requisitis factarum occupaverint, et occupata detinuerint, et detineant de praesenti, ac exinde factum sit, ut non solum Ecclesiarum, Monasteriorum, et Domorum Praelati, ac Hospitalium, et aliorum Regularium, et piorum locorum huiusmodi Rectores, qui ex fructibus, redditibus, et proventibus Castrorum, Terrarum, Oppidorum, Civitatum, et locorum huiusmodi, Ecclesias, Monasteria, et Domos, Hospitalia, et alia loca praedicta gubernabant, et illustrabant, ac eorum Ministris alimoniam praebebant, notabiliter sint damnificati, verum etiam Romani Pontifices, qui antea egenis, et miserabilibus personis, praesertim nobilibus ad hanc Almam Urbem pro tempore confugientibus alimenta aliunde subministrare consueverant, vix se et familiam suam sustentare, nedum aliis alimenta subministrare possint, in divinae Maiestatis offensam, et Ordinis Clericalis opprobrium, ac plurimorum Christifidelium scandalum.

§ 4. Nos praemissa conniventibus oculis pertransire nequeuntes, quinimo cupientes eís, quantum cum Deo possumus, opportunum remedium adhibere, motu proprio, et ex certa nostra scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, omnes, et singulas alienationes, et in emphyteusim, seu censum perpetuum, aut tertiam, vel aliam generationem, seu hominis vitam, aut aliud tempus ultra triennium locationes, vel concessiones, seu permutationes, hypothecas, et obligationes, de quibus Castris, Terris, Oppidis, Civitatibus, et locis, aut aliis bonis immobilibus, seu rebus, et iuribus, tam spiritualibus, quam temporalibus eiusdem Romanae, et quarumcumque Cathedralium, etiam Metropolitan., et aliarum Ecclesiarum, necnon Monasteriorum, Domorum, et aliorum Regularium locorum, et quorumvis beneficiorum Ecclesiasticorum, cum cura, et sine cura, saecularium, et quorumvis Ordinum Regularium, necnon Hospitalium, et aliorum piorum locorum quorumlibet, per quoscumque etiam Romanos Pontifices Praedecessores nostros, seu eorum auctoritate,

vel mandato, Camerarios suos, et Clericos Camerae Apostolicae Praesidentes, ac quosvis Ecclesiarum, Monasteriorum, et Domorum Praelatos, et Beneficiatos, necnon Hospitalium, et aliorum Regularium, et piorum locorum Rectores, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, et conditionis existentes, etiamsi Cardinalatus honore pollerent, in damnum Ecclesiae, seu non servatis solemnitatibus a iure requisitis, aut alias nulliter hactenus factas, et contractus superinde sub quibusvis formis, et verborum expressionibus habitos, et celebratos, etiam si iuramento vallati existant, quantumvis longa temporis praescriptione robur sumpsisse dici possint, ac ipsius Romanae Ecclesiae favorem, aut commodum concernant, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, Apostolica auctoritate, tenore praesentium rescindimus, irritamus, cassamus, et annullamus, ac viribus omnino evacuamus, ac pro rescissis, irritis, cassis, et nullis, ac penitus infectis haberi volumus.

§ 5. Ipsosque detentores ad Castra, Terras, Oppida, Civitates, et loca occupata, ac bona, res, et iura praedicta Romanae, et Cathedralibus, etiam Metropolitan., ac aliis Ecclesiis, necnon Monasteriis, Domibus, Hospitalibus, et beneficiis, ac Regularibus, et piis locis relaxandum, et de fructibus, tam hactenus perceptis, quam in posterum percipiendis, realiter satisfaciendum teneri, et ad id etiam sententiis, censuris, et poenis Ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis, omnibusque aliis opportunis iuris, et facti remediis, cogi, et compelli posse.

[Bull. Rom., tom. 4, I, p. 319-321].

89.

Paulus IV, const. *Cum venerabiles*, 22 aug. 1555.

§ 1. Cum venerabiles fratres nostri Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales in partem solicitudinis vocentur, ut pro tempore exsistenti Romano Pontifici assistant, ipseque Romanus Pontifex eorum consilio agenda disponat, et iidem Cardinales sint pars corporis, et membra ipsius Romani Pontificis, ac diversis Almae Urbis nostrae Parochialibus Ecclesiis, pro eorum Cardinalatus titulo, seu denominatione praeficiantur, et in eis Episcopalem iurisdictionem habeant, et propterea in Romana Curia residere debeant, praesentesque in dicta Curia magis digni, et privilegiati existant, quam absentes, et in optionibus Titulorum, ac sex Ecclesiarum Cathedralium, quibus Cardinales pro eorum Cardinalatus titulo praefici solent, absentibus etiam ante eos in Cardinales assumptis praeferantur, et si uni ex dictis Ecclesiis Cathedralibus praefecti fuerint, ex post semper alios non Episcopos Cardinales in quibusvis actibus, et sessionibus praecedant.

§ 2. Nos ex praemissis, et diversis aliis causis animum nostrum moventibus, et inter cetera, ut eosdem Cardinales absentes ad residendum in Curia aliquibus uberioribus favoribus, et praerogativis alliceremus, Decanatus Collegii Cardinalium huiusmodi, quem Nos dum in minoribus con-

stituti essemus, obtinebamus, et ad quem propter nostram continuam in eadem Curia residentiam ante alios Cardinales Nobis in Cardinalatu antiquiores tunc ab ipsa Curia absentes perveneramus, per nostram ad summi Apostolatus fastigium assumptionem vacante, habita super his cum Fratribus nostris in Consistorio nostro secreto deliberatione matura, de eorum consilio, et unanimi assensu venerabilem fratrem nostrum Ioannem Episcopum Ostien. S. R. E. Cardinalem de Bellayo nuncupatum, et de Nobis, et Sede Apostolica optime meritum, Decanum Collegii huiusmodi declaravimus, eumque ipsius Collegii Decanum vocavimus, et Decanatum ipsum sibi concessimus, prout etiam per praesentes declaramus, vocamus, et concedimus.

§ 3. Et insuper ne in posterum Decanatus praedictus illius occurrente vacatione, in aliquem Cardinalem ex voluntate sua, et non ex causa publica absentem, et propter absentiam suam huiusmodi quandoque de negotiis dictae Sedis minus informatum, in iniuriam aliorum Cardinalium tunc praesentium, et Romano Pontifici assistentium, ac propterea de negotiis praedictis melius informatorum deveniat, aut super eodem Decanatu aliquae controversiae, seu dissensiones inter ipsos Cardinales oriantur, providere volentes, motu proprio, et ex certa nostra scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione sancimus, quod Decanatus huiusmodi de cetero perpetuis futuris temporibus, nonnisi ad Episcopum Cardinalem antiquiorem in Curia praesentem, aut ex causa publica absentem, et extra Curiam per Romanum Pontificem destinatum, devenire possit.

§ 4. Et quod Episcopus Cardinalis antiquior in Curia praesens, aut, ut praefertur, absens, et extra Curiam destinatus, postquam Decanatus huiusmodi ad eum devenerit, omnes alios Cardinales, etiam antiquiores, semper in quibusvis sessionibus, et aliis actibus publicis praecedat, nec per alios Episcopos Cardinales etiam antiquiores tunc absentes, etiamsi postmodum incontinenti ad eamdem Curiam se conferant, et in ea continuo resideant, super ipso Decanatu, aut illius sessionibus, vel aliis actibus, seu negotiis ad eum pertinentibus impediri, aut molestari valeat.

§ 5. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, I, p. 323, 324].

90.

Paulus IV, motu propr. *Cum saepius*, 9 Ian. 1556.

Cum saepius etiam dum in minoribus eramus, in mente revolventes, quam indecens, et scandalosum foret inter S. R. E. Cardinales lites iudicialiter coram alio quam Summo Pontifice experiri, et postmodum ad summi Apostolatus apicem assumpti cum diversis S. R. E. Cardinalibus colloquendo, conceptum, et intentionem nostram praefatam explicantes, huiusmodi nostrum propositum collaudaverint, et ad inveniendum modum, per quem praemissis provideretur Nos exhortati sint. Nosque etiam in publica Signatura mentem

nostram fore, quod causae huiusmodi per Nos tantum terminarentur, publice declaravimus, licet super hoc aliqua scriptura confecta non fuerit.

§ 1. Ac volentes omnino declarationem nostram huiusmodi plenum effectum sortiri debere, tenore praesentium omnes, et singulas lites, et causas inter quoscumque S. R. E. Cardinales super quibusvis rebus, et bonis, tam ecclesiasticis, quam saecularibus, necnon Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, Hospitalibus, et Piis locis, ac aliis quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis, saecularibus, vel quorumvis Ordinum regularibus, seu illorum spolio, vel attentatis, aut innovatis, rebusque aliis, et illorum occasione coram quibusvis Iudicibus, etiam eiusdem S. R. E. Cardinalibus, aut Palatii Apostolici causarum Auditoribus in quavis instantia, ac etiam in negotio exequutivo, vel restitutionis in integrum quomodolibet vertentes, et pendentes, etiamsi ad illarum instructionem, et conclusionem sit procedendum, quorum omnium status, etc., pro expressis haberi volumus, ad Nos in eisdem statu, et terminis in quibus reperiuntur, advocamus, cognitionemque, et decisionem illarum Nobis reservamus.

§ 2. Decisionique, et terminationi per Nos super illis faciendae, appellatione quacumque etiam alias de iure admissibili reiecta, et postposita, standum, ac quiescendum, et patienter omnino parendum, et obediendum fore, statuimus, et ordinamus.

§ 3. Ac similiter in litibus, et causis, quae de cetero inter eosdem S. R. E. Cardinales exoriri contigerit, observari volumus, et mandamus.

§ 4. Inhibentes omnibus, et singulis Iudicibus, tam ordinariis, quam delegatis, ac quacumque auctoritate fungentibus, in virtute sanctae obedientiae, ne in causis inter Cardinales Praelatos pendentibus, ipsisque ordinariis, ne in illis, quae de cetero coram eis introducerentur, ad aliquem actum, absque speciali rescripto manu nostra signato, procedere, aut aliquid attentare audeant, vel praesumant, irritum quoque, et inane quicquid in contrarium fieri contigerit, sublata eis alias iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, decernimus.

§ 5. Praesentesque in Cancellaria Apostolica publicari, et ab omnibus inviolabiliter observari mandamus.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, I, p. 326, 327].

91.

Paulus IV, const. *Incumbentia*, (25 oct.) 1 nov. 1557.

Incumbentia Nobis, et Camerae nostrae Apostolicae in dies graviora onera Nos admonent, et cogunt, ut indemnitati ipsius Camerae, quantum cum Deo possumus, diligenter intendamus.

§ 1. Nam licet fel. record. Gregorius XII universis, et singulis cuiuscumque gradus, status, ordinis, praeeminentiae, vel conditionis existant, etiamsi Pontificali, aut Regali, vel Reginali, seu quavis alia, Ecclesiastica, vel mun-

dana dignitate praefulgeant, etiamsi fuerint S. R. E. Cardinales districtius inhibuerit, ne aliquid de bonis mobilibus, et stabilibus, quae ad dictam Cameram quomodolibet pertinuerint, directe, vel indirecte, quovis quaesito colore, invadere, capere, detinere, aut occupare praesumant, alioquin personae talia praesumentes, nisi infra decem dies a praesumptionis tempore proxime enumerandos, ea restituerint, aut revelaverint agentibus eiusdem Camerae, vel aliis, per quos ad Romanum Pontificem pro tempore existentem perveniant, poenam dupli, et si bona occupata valorem decem florenorum auri transcenderint, sententiam excommunicationis incurrant, a qua nonnisi, certis tunc expressis modo, et forma absolvi possint, et ultra poenam, et sententiam praefatas, si personae Ecclesiasticae fuerint, omnibus praelaturis, dignitatibus, et beneficiis Ecclesiasticis, quae obtinent, absque aliquo hominis ministerio sint privati, et inhabiles ad illa, vel alia in posterum obtinenda: si vero laici extiterint, omnibus feudis, et bonis, quae in terris ipsius Romanae, aut aliarum Ecclesiarum obtinent, etiam sint privati, et feuda ad dominos devoluta, et bona huiusmodi eidem Camerae confiscata.

§ 2. Et Alexander V, per unam statuerit, et decreverit, quod illi quibus in futurum, de Patriarchalibus seu Metropolitanis, vel aliis Cathedralibus Ecclesiis, ac Monasteriis, seu Prioratibus Conventualibus, etiam in administrationem, vel commendam, seu alias quomodolibet provideri contingeret, sub poena privationis Ecclesiarum, Monasteriorum, et Prioratuum huiusmodi, ac omnis iuris eis ex provisionibus praefatis quomodolibet acquisitis, quam quemlibet negligentem incurrere voluit eo ipso, ac eius Ecclesias, Monasteria, et Prioratus, ex tunc prout ex ea die vacare, et Sedis Apostolicae dispositioni specialiter reservata esse decrevit, et declaravit, tenerentur, et deberent infra annum a die provisionis computandum, literas super eorum provisionibus huiusmodi in totum usque ad earum receptionem inclusive expedire fecisse, et interim sub eadem poena, per se vel alios absque literis ipsis de regimine, et gubernatione seu administratione Ecclesiarum, Monasteriorum, et Prioratuum praefatorum, vel alicuius eorum seu bonorum eorumdem, in spiritualibus vel temporalibus, nullatenus se ingerere, vel aliter se immiscere, aut super his vel eorum aliquo, seu dependentibus vel connexis, iurisdictionem aliquam quomodolibet exercere praesumerent, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 5. Necnon Iulius etiam II Romanus Pontifex praedecessor noster sua Constitutione perpetuo valitura declaraverit, decreverit, statuerit, et ordinaverit, quod Constitutiones Alexandri, etc., praedecessorum huiusmodi, etiam quoad censuras et poenas, etiam privationis in eis expressas quoad futura, in omnibus, et per omnia iuxta illarum tenores omnino inviolabiliter perpetuis futuris temporibus observarentur...

§ 8. Nihilominus occupatores bonorum huiusmodi ea restituere, aut revelare, et hi de quorum personis Patriarchalibus, seu Metropolitanis, vel aliis Cathedralibus Ecclesiis, seu Monasteriis pro tempore provisi literas super eorum provisionibus huiusmodi expediri facere non curant, quinimmo literis ipsis non expeditis, et ad se non receptis, seu non solutis annatae

iuribus Camerae debitis, de regimine, et gubernatione, seu administratione Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, et aliorum beneficiorum huiusmodi se intromittere, et iurisdictionem eisdem Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, et beneficiis incumbentem exercere, ac praefati occupatores feuda, census, livellos, Monasteria, et alias res, et iura, a quibus, ut praefertur, cecidisse declarati fuerunt, detinere, ac concessionibus eis factis, necnon contractibus iam, ut praemittitur, finitis, et sopitis, ac immunitatibus, et exemptionibus iam resolutis, et cessantibus, uti praesumunt, sententias, censuras, et poenas praedictas damnabiliter incurrendo, et in eis more aspidis surdae insurdescendo, in animarum suarum periculum, et dictae Camerae dispendium non modicum.

§ 9. Nos tam animarum saluti, quam eiusdem Camerae indemnitati providere volentes ... motu proprio ... et ex certa scientia nostra Constitutiones Gregorii, Alexandri, etc., Praedecessorum huiusmodi ..., Apostolica auctoritate, tenore praesentium approbamus, et innovamus, ac perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari debere decernimus.

§ 13. Non obstantibus Constitutionibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, I, p. 336-340].

92.

Paulus IV, motu propr. *Inter caeteras*, 27 nov. 1557.

Inter caeteras curas, quibus ex Apostolatus officio assidue urgemur et premimur, ea continue animo nostro fixa fuit, ut beneficia Ecclesiastica, praesertim curam animarum habentia personis conferantur idoneis, quae vellent, et possent apud ea personaliter residere, scirentque eis laudabiliter deservire. Et ad hoc dilectos filios nostros Bernardinum Sancti Matthaei Tranen. et Scipionem Sanctae Potentianae de Pisis, ac Ioannem Sancti Ioannis ad Portam Latinam titulorum Reumanum, nuncupatos, Presbyteros Cardinales, qui una cum venerabili fratre Francisco Episcopo Gebenen., Datario nostro, distributioni, et provisioni beneficiorum huiusmodi praeessent, iam dudum deputavimus. Verum cum audiamus eosdem Cardinales, et Datarium, licet in his eam, quam possunt, maiorem semper adhibuerint, et in dies adhibeant diligentiam, personas quibus beneficia ipsa conferenda sunt, super literatura examinando, de eorum vita, et moribus, ac beneficiis per eos obtentis, aliisque ad praemissa facientibus accurate inquirendo, diversimode tamen circumveniri, et falli, ac diversas eis fraudes in praemissis fieri, aliquibus se alios esse simulantibus, et tamquam tales se in examine supponentibus, aliis beneficia pro personis sibi cognitis, et id ignorantibus, ut postmodum cum eis beneficia etiam per simoniacam pravitatem contractare, et super eis pacisci possint, aliis beneficia, tam pro se quam aliis personis, cum oblatione diversarum pensionum annuarum diversis personis, etiam familiaribus, continuis commensalibus nostris, aut aliis, quos ipsi Nobis gratos, et acceptos esse existimant annuatim persolvendarum, et sic simoniacam haeresim incurrendo, aliis beneficia huiusmodi pro diversis aliis, sub spe pensionem annuam, aut

aliud commodum temporale ab eis consequendi, aliis beneficia ipsa pro seipsis animo, et intentione, et interdum pacto expresse firmato, de eis postmodum in favorem aliorum, qui aliquando minus idonei, et non benemeriti existunt, cum simili pensione, aut commodo, aut sine illa vel illo, resignandis, et dimittendis, maxima cum instantia obtinere procurantibus.

§ 1. Nos praemissis fraudibus, et dolis, ac haeresi simoniacae, quantum cum Deo possumus, efficaciter occurrere volentes, Apostolica auctoritate tenore praesentium statuimus, et ordinamus, atque decernimus, quod de cetero omnes, et singuli, qui post publicationem praesentium in locis infrascriptis faciendam, occasione beneficiorum obtinendorum se alios esse simulaverint, et tamquam tales se in examine supposuerint, aut beneficia pro personis id ignorantibus, seu pro se, vel pro aliis, cum oblatione alicuius pensionis annuae, aut pro aliis, cum spe pensionem annuam, aut aliud quantumvis modicum temporale commodum ab eis consequendi, vel pro seipsis principaliter, animo et intentione ea postmodum in favorem aliorum, etiam quantumvis idoneorum, et benemeritorum, cum simili pensione aut commodo, aut etiam sine eo resignandi obtinere procuraverint, cuiuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis existant, etiam si Episcopali, aut alia maiori dignitate Ecclesiastica, vel Cardinalatus honore, seu mundana, etiam Regia, Ducali, aut Marchionali praeeminentia praefulgeant, excommunicationis, et anathematis, ac maledictionis aeternae sententiam, a qua nisi a Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant, necnon privationis omnium, et singulorum beneficiorum Ecclesiasticorum, cum cura, et sine cura, saecularium, et quorumvis Ordinúm Regularium per eos in titulum vel commendam, aut alias quomodolibet obtentorum, et inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda poenam eo ipso absque alia desuper facienda declaratione incurrant, ita ut constito solum summarie, et extraiudicialiter, quod ipsi contra tenorem praesentium aliquid fecerint, per curiae causarum Camerae Apostolicae generalem Auditorem, seu Viceauditorem, vel eius Locumtenentem pro talibus, et ut tales publicari possint.

§ 2. Et nihilominus, sic, ut praefertur, obtentae provisiones, et commendae, aliaeque dispositiones nullae sint, irritae, et inanes, nullumque alicui ius in ipsis beneficiis, vel ad illa tribuant, nec aliquis earum vigore fructus suos faciat, sed ad eorum restitutionem teneatur, possintque beneficia, tam sic impetrata, quam per eos antea obtenta, tamquam modo praemisso vacantia, a Nobis, et Romano Pontifice pro tempore exsistente dumtaxat libere impetrari.

[Bull. Rom., tom. 4, I, p. 340, 341].

93.

Paulus IV, const. *Postquam,* 20 iul. 1558.

Postquam divina bonitas, Nos, licet immeritos, ad summi Apostolatus fastigium assumere dignata est, numquam cessavimus abusus, qui in Ecclesia Dei, seu nimia Sedis Apostolicae indulgentia, seu hominum malitia irrepsisse

cernuntur, pro viribus tollere, et Ecclesiam ipsam in pristinum candorem restituere, diversas ad hoc saluberrimas Constitutiones edendo, et inviolabiliter observari mandando. Verum cum non omnia uno, et eodem tempore excogitari, nedum perfici potuerint, quinimmo circa ea sit Nobis singulis ferme diebus aliquid enitendum, abusui apostasiae, quae per regulares personas sub diversis falsis praetextibus quotidie incurritur, ulterius parcendum non esse censuimus. Nam licet diversi Romani Pontifices Praedecessores Nostri, per eorum Constitutiones complura contra apostasiam huiusmodi ediderint statuta, et ordinationes, nondum tamen est plenum contra eam adinventum remedium.

§ 1. Quinimmo diversi diversorum etiam Mendicantium Ordinum religiosi, propriae salutis immemores, Deique timore postposito, sub praetextu: alii videlicet, quod Religioni, et Ordini in genere ob varias confictas causas adstricti non sint, et superinde sententiam declaratoriam obtinuerint, alii quod beneficium ecclesiasticum curatum assecuti sint, alii quod extra regularia sui Ordinis loca standi, et alicui beneficio Ecclesiastico deserviendi a suis superioribus licentiam habeant, et alii diversis aliis confictis coloribus, alii vero nullo suffulti praetextu, sed temeritate propria contra proprium iuramentum per eos in eorum professione praestitum, et regularia sui Ordinis instituta, extra claustra suorum regularium locorum degunt, et in saeculo aliqui habitu sui Ordinis retento, aliqui illo abiecto in habitu presbyterorum saecularium, et complures in habitu laicali temere vagantur. Et postquam Deo fidem fallere non sunt veriti, cetera omnia quantumvis gravissima, et detestanda, levia, et licita reputantes, alii Parochianos eorum curae commissos falsam doctrinam docere, et pravis opinionibus, ac haeresibus replere, alii uxores ducere, alii sive paupertate eo cogente, sive diabolico instinctu saecularibus, et mechanicis negotiis se dare, alii seditionibus popularibus, coniurationibus contra Principes, et alios, ac quibusvis aliis saevis actibus se implicare, et caetera omnia nequissima facere praesumunt, in gravissimam divinae maiestatis offensam, et religionis opprobrium, ac animarum suarum perniciem, et aliorum Christi fidelium scandalum.

§ 2. Quamobrem considerantes, apostatas huiusmodi infinitis erroribus in eadem Dei Ecclesiam causam praestare, et propterea volentes contra apostasiam ipsam plenius providere, et eam, quantum Nobis ex alto conceditur, de medio tollere, Motu proprio, et ex certa scientia nostra, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, omnes, et singulos, qui post professionem per eos in aetate legitima constitutos, in aliquo approbato, etiam militari Ordine pure, et libere emissam, vel si ante aetatem legitimam professi fuerint, post illam per eos in ipsa aetate legitima constitutos, pure, et libere, ratam, et gratam habitam, temeritate propria, aut quovis praetextu, vel causa, etiam si se religioni, et Ordini non adstrictos esse sine causae cognitione, et his quae a iure requiruntur servari, omissis, vel non legitime probatis, declarari obtinuerint, aut beneficium ecclesiasticum, etiam curatum non procedente legitima dispensatione possideant, vel alicui beneficio ecclesiastico, etiam curato alterius nomine deserviant, extra claustra suorum regularium locorum degunt, aut in posterum degent, omnibus, et singulis beneficiis ecclesiasticis, cum

cura, et sine cura, saecularibus, aut sui, vel cuiusvis Ordinis regularibus, per eos quomodolibet obtentis, et de cetero obtinendis cuiuscumque qualitatis fuerint, ac fructibus, redditibus, et proventibus Ecclesiasticis, eis quomodolibet reservatis, seu assignatis, necnon Baccalariatus, Licentiaturae, Doctoratus, et Magisterii, ac quibusvis aliis in iure canonico, vel civili, aut Theologia, seu medicina, vel artibus, aut quavis alia facultate gradibus per eos etiam antequam religionem ingrederentur, obtentis, seu assecutis, necnon quocumque ministerio ecclesiastico, Apostolica auctoritate tenore praesentium penitus, et omnino privamus, ac ad illa, et alia quaecumque, et qualiacumque in posterum obtinenda, seu fructus, redditus, et proventus ecclesiasticos percipiendos, aut gradus assequendos perpetuo inhabilitamus, et ab executione quorumcumque ecclesiasticorum, etiam sacrorum, et praesertim presbyteratus ordinum, necnon omni ministerio ecclesiastico praedicto perpetuo suspendimus, privatosque, et inhabiles, ac suspensos esse. Necnon beneficia ipsa de iure, et de facto, etiam ad hoc, ut eorum ordinarii collatores ea aliis libere conferre possint, et nisi ea infra tempus a Lateranensi Concilio statutum contulerint, collatio beneficiorum eorumdem ad immediatum illorum superiorem, et demum ad Nos, ac pro tempore existentem Rom. Pont. devolvatur. Patroni quoque eorumdem beneficiorum personas idoneas infra tempus a iure statutum ad ipsa beneficia praesentare possint, et nisi praesentaverint, eorum libera collatio ad ordinarium spectet, et pertineat, vacare, ac reservationes fructuum, reddituum, et proventuum huiusmodi expirare decernimus, ita ut de cetero ipsi apostatae, quamdiu vixerint, aliqua beneficia ecclesiastica obtinere, vel aliquod officium ecclesiasticum exercere, aut fructus, redditus, et proventus ecclesiasticos, seu super illis pensiones annuas, percipere, vel exigere, seu curam animarum, vel aliquod ministerium ecclesiasticum exercere, aut sacramenta ecclesiastica ministrare, seu missam celebrare, aut praetextu ordinum, in quibus constituti erunt, aliquid facere, vel exequi nequeant, et pensiones, seu commendae, ac reservationes fructuum, reddituum, et proventuum ecclesiasticorum, necnon assignationes pensionum annuarum eis etiam dicta auctoritate, etiam cum praesentium toto earum tenore inserto plenaria derogatione pro tempore factae nullae sint, et irritae, ac viribus omnino careant, nec aliquod eis ius, aut titulum beneficia possidendi, aut fructus, redditus, et proventus, seu pensiones huiusmodi exigendi, vel percipiendi tribuant. Ipsique sic privati inhabiles, et suspensi, fructus suos non faciant, sed ad illorum restitutionem teneantur. Et nihilominus si curam animarum exercere, vel ecclesiastica sacramenta ministrare, seu missam celebrare, aut praetextu ordinum suorum praedictorum aliquid facere, aut aliquod ministerium ecclesiasticum exequi praesumpserint, tamquam suspensi ab executione ordinum suorum, et in illis contra suspensionem ipsam, et in contemptum clavium ministrantes, condignis poenis omnino puniantur.

§ 3. Et ut omnis vagandi occasio apostatis huiusmodi tollatur, volumus, et sancimus, quod quaevis tam Ecclesiasticae quam saeculares personae cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, et praeeminentiae existant, etiam si Archiepiscopali, Patriarchali, aut alia maiori ecclesiastica dignitate,

etiam Cardinalatus honore, seu mundana, etiam Marchionali, Ducali, aut alia maiori auctoritate, seu excellentia praefulgeant, aliquem apostatarum eorumdem receptare, seu nutrire, vel illis quo minus ad eorum monasterium seu domum, vel alium locum regularem redeant, favorem, aut auxilium, seu consilium praestare non praesumant, et si eos receptaverint, vel illis ut praefertur, faverint, aut auxilium, seu consilium praestiterint, et per Ordinarium loci, sub quo moram trahent, commoniti a praemissis non destiterint, sententiam excommunicationis eo ipso incurrant.

§ 4. Et si patroni alicuius beneficii ecclesiastici, sive sint laici, sive clerici, aliquem ex eisdem apostatis ad beneficium de eorum iure patronatus existens tunc vacans praesentaverint, praesentationes huiusmodi sint eo ipso nullae, irritae, et inanes, ac viribus careant, et ipsi patroni iure praesentandi alios ad eadem beneficia pro ea vice tantum privati existant.

§ 5. Quodque superiores Ordinum, quos ipsi professi fuerint, et Ordinarii locorum, in quibus ipsi apostatae pro tempore degent, tam coniunctim quam divisim eosdem apostatas, ut ad eorum Monasteria redeant, requirere, et si ad dicta Monasteria redire cessaverint, distulerint, vel recusaverint, eos secundum Ordinis disciplinam monitione praevia per censuras ecclesiasticas, et poenas etiam corporis afflictivas ad redeundum cogere, et compellere possint, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Quod si regularis Ordo hoc non patiatur, auctoritate nostra providere valeant, ut talibus apud eadem Monasteria in locis competentibus, si absque gravi scandalo fieri poterit, alioquin in aliis religiosis domibus eiusdem Ordinis ad agendam inibi poenitentiam vitae necessaria ministrentur. Si vero apostatae huiusmodi se in his inobedientes praestiterint, sint etiam auctoritate nostra maioris excommunicationis sententia eo ipso innodati, et superiores sui eos excommunicatos esse denuncient, ac ut tales ab omnibus suis subditis nunciari, et publicari faciant.

§ 12. Mandantes universis, et singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis, aliisque Dioecesanis, et locorum Ordinariis, ut ipsi per se, vel alium, seu alios praesentes literas, et in eis contenta quaecumque ubi, et quando ac quoties opus fuerit, solemniter publicantes, faciant dicta auctoritate nostra easdem praesentes literas plenariae, et totali executioni demandari, eos, qui illis contravenerint, iuxta ipsarum literarum continentiam, et tenorem, condignis poenis plectendo, et puniendo, ac contradictores quoslibet, et rebelles, eisque in praemissis non parentes, per sententias, censuras, et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris remedia appellatione postposita compescendo, necnon legitimis super his habendis, servatis processibus, sententias, censuras, et poenas praedictas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato ad hoc etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 13. Non obstantibus constitutionibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, I, p. 343-346].

94.

Paulus IV, const. *Cum ex apostolatus*, 15 febr. 1559.

Cum ex apostolatus officio Nobis, meritis licet imparibus, divinitus credito, cura Dominici gregis Nobis immineat generalis, et exinde teneamur pro fideli illius custodia, et salubri directione, more vigilis Pastoris, assidue vigilare, et attentius providere, ut qui hac aetate, peccatis exigentibus, propriae prudentiae innitentes scientius, et perniciosius solito contra orthodoxae fidei disciplinam insurgunt, et superstitiosis, ac fictitiis adinventionibus sacrarum Scripturarum intelligentiam pervertentes, Catholicae Ecclesiae unitatem et inconsutilem Domini tunicam scindere moliuntur, ab ovili Christi repellantur, nec magisterium erroris continuent, qui discipuli veritatis esse contemnunt.

§ 1. Nos considerantes rem huiusmodi adeo gravem, et periculosam esse, ut Romanus Pontifex, qui Dei, et Domini Nostri Iesu Christi vices gerit in terris, et super gentes, et regna plenitudinem obtinet potestatis, omnesque iudicat, a nemine in hoc saeculo iudicandus, possit, si deprehendatur a fide devius, redargui, et quod ubi maius intenditur periculum, ibi est plenius, et diligentius consulendum, ne pseudoprophetae, aut alii etiam saecularem iurisdictionem habentes, simplicium animas miserabiliter illaqueent, innumerabilesque populos eorum in spiritualibus, aut temporalibus curae, et regimini commissos, secum in perditionem, et damnationis interitum trahant, nec aliquando contingat Nos abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele Propheta, in loco sancto videre, cupientes, quantum cum Deo possumus, pro nostro munere Pastorali vulpes vineam Domini demoliri satagentes capere, et lupos ab ovilibus arcere, ne canes muti videamur nequeuntes latrare, et perdamur cum malis agricolis, ac mercenario comparemur.

§ 2. Habita super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, de eorum consilio, et unanimi assensu omnes, et singulas excommunicationis, suspensionis, et interdicti, ac privationis, et quasvis alias sententias, censuras, et poenas a quibusvis Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, aut pro talibus habitis, etiam per eorum literas extravagantes, seu sacris Conciliis ab Ecclesia Dei receptis, vel Sanctorum Patrum decretis, et statutis, aut sacris Canonibus, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis contra haereticos, aut schismaticos quomodolibet latas, et promulgatas, Apostolica auctoritate approbamus, et innovamus, ac perpetuo observari, et in viridi observantia, si forsan in ea non sint, reponi, et esse debere, necnon quoscumque, qui hactenus a fide Catholica deviasse, aut in aliquam haeresim incidisse, seu schisma incurrisse, aut excitasse, seu commisisse comprehensi, aut confessi, vel convicti fuerint, seu (quod Deus pro sua clementia, et in omnes bonitate avertere dignetur) in posterum deviabunt, seu in haeresim incident, aut schisma incurrent, vel excitabunt, seu committent, et deviasse, seu incidisse, aut incurrisse, vel excitasse, seu

commisisse deprehendentur, aut confitebuntur, seu convincentur, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, et praeminentiae existant, etiamsi Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, Primatiali, aut alia maiori dignitate Ecclesiastica, seu Cardinalatus honore, et Apostolicae Sedis ubivis locorum, tam perpetuae quam temporalis Legationis munere, vel mundana etiam Comitali, Baronali, Marchionali, Ducali, Regia, et Imperiali auctoritate, seu excellentia praefulgeant, et eorum quemlibet sententias, censuras, poenas praedictas incurrere volumus atque decernimus.

§ 3. Et nihilominus considerantes dignum esse, ut qui virtutis amore a malis non abstinent, metu poenarum ab illis deterreantur, et quod Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchae, Primates, Cardinales, Legati, Comites, Barones, Marchiones, Duces, Reges, et Imperatores, qui alios docere, et illis bono exemplo, ut in fide Catholica contineantur, esse debent, praevaricando gravius ceteris peccant, cum non solum seipsos perdant, verum etiam alios innumerabiles populos eorum curae, et regimini creditos, seu alias eis subditos, secum in perditionem, et puteum interitus trahant, de similibus consilio, et assensu, hac nostra in perpetuum valitura constitutione, in odium tanti criminis, quo nullum in Ecclesia Dei maius, aut perniciosius esse potest, de Apostolicae potestatis plenitudine sancimus, statuimus, decernimus, et definimus, quod sententiis, censuris, et poenis praedictis in suo robore, et efficacia remanentibus, ac effectum suum sortientibus, omnes, et singuli Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchae, Primates, Cardinales, Legati, Comites, Barones, Marchiones, Duces, Reges, et Imperatores, qui hactenus, ut praefertur, deviasse, aut in haeresim incidisse, seu schisma incurrisse, excitasse, vel commisisse deprehensi, aut confessi, vel convicti fuerint, et in posterum deviabunt, aut in haeresim incident, seu schisma incurrent, vel excitabunt, aut committent, et deviasse, seu in haeresim incidisse, vel schisma incurrisse, aut excitasse, seu commisisse deprehendentur, aut confitebuntur, seu convincentur, cum in hoc inexcusabiliores ceteris reddantur, ultra sententias, censuras, et poenas praedictas, sint etiam eo ipso, absque aliquo iuris, aut facti ministerio, suis Ordinibus, et Cathedralibus etiam Metropolitan. Patriarchalibus, et Primatialibus Ecclesiis, ac Cardinalatus honore, et cuiusvis Legationis munere, necnon voce activa, et passiva, omnique auctoritate, ac Monasteriis, beneficiis, et officiis Ecclesiasticis, cum cura, et sine cura, saecularibus, et quorumvis Ordinum regularibus, quae ex quibusvis concessionibus, et dispensationibus Apostolicis in titulum, commendam, et administrationem, aut alias quomodolibet obtinuerint, et in quibus, vel ad quae ius aliquod habuerint, necnon quibusvis fructibus, redditibus, et proventibus annuis super similibus fructibus, redditibus, et proventibus eis reservatis, et assignatis, Comitatibus quoque, Baroniis, Marchionatibus, Ducatibus, Regnis, et Imperio penitus, et in totum, perpetuo privati, et ad illa de cetero inhabiles, et incapaces, habeanturque pro relapsis, et subversis in omnibus, et per omnia, perinde ac si prius haeresim huiusmodi in iudicio publice abiurassent, nec ullo umquam tempore ad eorum pristinum statum, aut Cathedrales, Metropolitanas, Patriarchales, et Primatiales Ecclesias, seu Cardinalatus, vel alium honorem, aut quamvis aliam maiorem, vel minorem

dignitatem, seu vocem activam, vel passivam, aut auctoritatem, seu Monasteria, et beneficia, vel Comitatus, Baronias, Marchionatus, Ducatus, Regna, et Imperium restitui, reponi, reintegrari, aut rehabilitari possint, quinimmo saecularis relinquantur arbitrio potestatis animadversione debita puniendi, nisi apparentibus in eis verae poenitentiae indiciis, et condignae poenitentiae fructibus, ex ipsius Sedis benignitate, et clementia in aliquo Monasterio, aut alio Regulari loco ad peragendum perpetuam in pane doloris, et aquae moestitiae poenitentiam retrudendi fuerint. Quodque pro talibus ab omnibus cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, et praeeminentiae existentibus, ac quaecumque etiam Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, et Primatiali, aut alia maiori Ecclesiastica dignitate, et etiam Cardinalatus honore, seu mundana, etiam Comitali, Baronali, Marchionali, Ducali, Regia, et Imperiali auctoritate, excellentia pollentibus haberi, tractari, et reputari, et ut tales evitari, omnique humanitatis solatio destitui debeant.

§ 4. Et qui iuspatronatus, aut nominandi personas idoneas ad Cathedrales, etiam Metropolitanas, et Patriarchales, ac Primatiales Ecclesias, seu Monasteria, vel alia beneficia Ecclesiastica per privationem huiusmodi vacantia habere praetenderint, ne illa diutinae vacationis exponantur incommodis, sed de servitute haereticorum erepta personis concedantur idoneis, quae illarum populos in semitas iustitiae fideliter dirigant, teneantur ad Ecclesias, Monasteria, et beneficia huiusmodi alias personas idoneas infra tempus a iure, vel ex eorum concordatis, seu compactatis cum dicta Sede initis statutum, Nobis seu pro tempore existenti Romano Pontifici praesentare, alioquin tempore huiusmodi elapso plena, et libera Ecclesiarum, Monasteriorum, et beneficiorum praedictorum dispositio ad Nos, et Romanum Pontificem praedictum eo ipso pleno iure devolvatur.

§ 5. Et insuper qui ipsos sic deprehensos, aut confessos, vel convictos scienter quomodolibet receptare, vel defendere, aut eis favere, vel credere, seu eorum dogmata dogmatizare praesumpserint, sententiam excommunicationis eo ipso incurrant, efficianturque infames, nec voce, persona, scriptis, vel nuncio, aut procuratore aliquo ad publica, seu privata officia, aut consilia, seu Synodum, vel Concilium generale, vel provinciale, nec conclave Cardinalium, aut aliquam fidelium congregationem, seu electionem alicuius, aut testimonium perhibendum admittantur, nec admitti possint. Sint etiam intestabiles, nec ad haereditatis successionem accedant, nullus praeterea cogatur eis super aliquo negotio respondere. Quod si forsan Iudices extiterint, eorum sententiae nullam obtineant firmitatem, nec aliquae causae ad eorum audientiam deducantur, et si fuerint Advocati, eorum patrocinium nullatenus recipiatur, si vero Tabelliones extiterint, instrumenta confecta per eos nullius sint penitus roboris, vel momenti. Et insuper clerici omnibus, et singulis Ecclesiis, etiam Cathedralibus, Metropolitan. Patriarchalibus, et Primatialibus, ac dignitatibus, Monasteriis, beneficiis, et officiis Ecclesiasticis, etiam, ut praefertur, qualificatis per eos quomodolibet obtentis, et tam ipsi, quam laici, etiam, ut praemittitur qualificati, et dignitatibus praedictis praediti quibuscumque Regnis, Ducatibus, Dominiis, Feudis, et bonis temporalibus per eos possessis privati existant eo ipso, Regnaque, Ducatus, Dominia,

Feuda, et bona huiusmodi publicentur, et publica sint, efficianturque iuris, et proprietatis eorum, qui illa primo occupaverint, si in sinceritate fidei, et unitate S. R. E. ac sub nostra, et successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium obedientia fuerint.

§ 6. Adiicientes quod si ullo umquam tempore apparuerit aliquem Episcopum, etiam pro Archiepiscopo, seu Patriarcha, vel Primate se gerentem, aut praedictae Romanae Ecclesiae Cardinalem, etiam ut praefertur, Legatum, seu etiam Romanum Pontificem ante eius promotionem, vel in Cardinalem, seu Romanum Pontificem assumptionem a fide Catholica deviasse, aut in aliquam haeresim incidisse, promotio, seu assumptio de eo etiam in concordia, et de unanimi omnium Cardinalium assensu facta, nulla, irrita, et inanis existat, nec per susceptionem muneris, consecrationis, aut subsecutam regiminis, et administrationis possessionem, seu quasi, vel ipsius Romani Pontificis inthronizationem, aut adorationem, seu ei praestitam ab omnibus obedientiam, et cuiusvis temporis in praemissis cursum, convaluisse dici, aut convalescere possit, nec pro legitima in aliqua sui parte habeatur, nullamque talibus in Episcopos, seu Archiepiscopos, vel Patriarchas aut Primates promotis, seu in Cardinales, vel Romanum Pontificem assumptis, in spiritualibus, vel temporalibus administrandi facultatem tribuisse, aut tribuere censeatur, sed omnia, et singula per eos quomodolibet dicta, facta, gesta, et administrata, ac inde secuta quaecumque viribus careant, et nullam prorsus firmitatem, nec ius alicui tribuant, sintque ipsi sic promoti, et assumpti, eo ipso absque aliqua desuper facienda declaratione, omni dignitate, loco, honore, titulo, auctoritate, officio, et potestate privati, liceatque omnibus, et singulis sic promotis, et assumptis, si a fide antea non deviassent, nec haeretici fuissent, neque schisma incurrissent, aut excitassent, vel commisissent.

§ 7. Subditis personis, tam clericis saecularibus, et regularibus, quam etiam laicis, necnon Cardinalibus, etiam qui electioni ipsius Pontificis antea a fide devii, aut haeretici, seu schismatici interfuerint, seu alias consenserint, et ei obedientiam praestiterint, eumque adoraverint, ac Castellanis, Praefectis, Capitaneis, et Officialibus etiam Almae Urbis nostrae, et totius Status Ecclesiastici, etiam eisdem sic promotis, vel assumptis homagio, seu iuramento, vel cautione obligatis, et obnoxiis, ab ipsorum sic promotorum, vel assumptorum obedientia, et devotione impune quandocumque cedere, eosque ut magos, ethnicos, publicanos, et haeresiarchas evitare, eisdem subditis personis fidelitati, et obedientiae futurorum Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, Primatum, Cardinalium, et Romani Pontificis canonice intrantis nihilominus adstrictis remanentibus, et ad maiorem ipsorum sic promotorum, et assumptorum, si eorum regimen, et administrationem continuare voluerint, confusionem, contra eosdem sic promptos, et assumptos, auxilium brachii saecularis implorare, nec propterea ab ipsorum sic promotorum, et assumptorum fidelitate, et obedientia, praemissorum occasione recedentes, tamquam tunicae Domini scissores aliquarum censurarum, seu poenarum ultioni subiaceant.

§ 8. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, I, p. 354-357].

95.

Paulus IV, const. *In sacra*, 19 iul. 1559.

In sacra B. Petri Sede, meritis licet imparibus, divina dispositione collocati, ad ea per quae sub religionis iugo, Domino famulantium quieti consulitur, et ambitionis via praecluditur, diligenter intendimus, et in his nostri Pastoralis officii partes favorabiliter impartimur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

§ 1. Cum itaque sicut Nobis innotuit, nonnulli Episcopi, et Archiepiscopi diversorum Ordinum professores, dignitates, et Officia, etiam superioritates nuncupatas suorum Ordinum ambientes, ad hoc, ut ad illa assumi, eaque obtinere valerent, ab eorum Ecclesiis, quibus praeerant, etiam munere consecrationis per eos suscepto, per Sedem Apostolicam absolvi procuraverint, et ad claustra suorum Ordinum redeuntes, se ad dignitates, et officia, ac superioritates huiusmodi diversis modis, et viis assumi, eaque consequi satagerint, et exinde quamplures dissensiones, et contentiones, ac religionis inobedientiae exortae fuerint, et in dies exoriantur in animarum suarum periculum, et dictorum Ordinum opprobrium, ac scandalum plurimorum.

§ 2. Nos praemissis, prout ex debito Pastoralis officii tenemur, providere volentes, Motu proprio, et ex certa nostra scientia volumus, et Apostolica auctoritate statuimus, et ordinamus, quod nullus cuiusvis Ordinis, seu Religionis professor, Episcopus seu Archiepiscopus postquam munus consecrationis huiusmodi susceperit (etiam si a vinculo Ecclesiae, cui praefuerat, per Sedem eamdem absolutus, eique, quod in suo Ordine remanere, et ad dignitates, ac officia, et superioritates huiusmodi assumi, eaque obtinere posset, per Sedem eamdem, seu illius auctoritate concessum foret) ad dignitates, aut officia, seu superioritates huiusmodi, cuiuscumque qualitatis existant, et quovis nomine nuncupentur, eligi, seu assequi, aut obtinere nullatenus possit, et inelgibilis, ac ad ea obtinenda perpetuo inhabilis existat.

§ 3. Ac quaevis indulta, concessiones, dispensationes, et facultates, ac aliae gratiae ei, tam a Nobis, et Sede praedicta, etiam per literas Apostolicas, etiam in forma Brevis, vel alias ab eius Legatis, seu Nunciis, aut Maiori Poenitentiario nostro, quam a Superioribus dictorum Ordinum, ac quibusvis aliis etiam ad id potestatem, et auctoritatem habentibus, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, etiam motu, et scientia similibus, et desuper hactenus concessa, et in posterum conceden. nulla, et invalida, nulliusque roboris, vel momenti sint, et esse censeantur.

§ 4. Et si quis eum de cetero ad dignitates, seu officia, aut superioritates huiusmodi scienter elegerit, iure eligendi perpetuo careat, ac voce activa, et passiva eo ipso privatus existat. Revocantes, cassantes, annullantes

omnia, et singula indulta, concessiones, dispensationes, facultates, et gratias huiusmodi, quorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus haberi volumus pro expressis. Ac decernentes irritum, etc.

§ 5. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, I, p. 363, 364].

96.

Pius IV, const. *Sedis Apostolicae*, 3 apr. 1560.

Sedis Apostolicae solertia dum ad salutare quorumdam remedium extructa, in eorum detrimentum vergere conspicit, ne quod illis profuturum maturitate summa prodiisse comperitur, noxium incauto ministerio efficiatur, celeris provisionis opem afferre consuevit, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

§ 1. Dudum siquidem postquam fel. rec. Paulus Papa IV Praedecessor noster, etc.

Omittitur relatio Const. Pauli IV, Postquam, *quoniam eam habemus supra, in N. 93.*

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, licet singulae literae praedictae a zelo religionis eiusdem Praedecessoris emanarint, nihilominus cum post illarum publicationem per Ordinarios locorum ad earum executionem procedi coeptum foret, maximi in omnibus Regnis et Provinciis rumores, lites, et contentiones, ac gravia scandala multipliciter exorta fuerint, cum propter maximum ipsorum Apostatarum, et translatorum numerum, tum etiam ex quo multi praetenderent, vel praetendebatur damnari in dictis literis omnes fere uniformiter, nulla inter causam, ac lepram, et lepram differentia, et distinctione habita damnabantur, cum tamen plerique eorum praeviis dispensationibus, et indultis, ac licentiis ab eorum Superioribus, et a Sede Apostolica ex iustis, et rationabilibus causis concessis muniti forent, et nihilominus quamplures ex eis zelo conscientiae, aut poenitentia ducti, literis praedictis parere, et ad Monasteria, a quibus egressi fuerant, redire sese paratos exhiberent, sed ab eorum Superioribus nullatenus reciperentur, sicque ob earumdem literarum rigorem magnis confusionibus involuti, ac miseriis et calamitatibus oppressi, omnibus remediis destituti, ac perpetuis censuris innodati, ciboque spirituali et temporali privati remanerent, ita quod vel fame perire, aut in extremam desperationem adduci cogerentur, aliique Christifideles ob magnam dictorum Apostatarum multitudinem vix eorum conversationem effugere, et exinde excommunicationis incursum evadere possent, et propterea verisimile sit, quod si bonitati divinae eiusdem Praedecessoris vitam paulo ulterius prorogare placuisset, ipsemet literas suas huiusmodi zelo charitatis, ut par erat, ad iustam moderationis formam, et aequitatem reduxisset.

§ 3. Nos igitur pro Pastoralis officii nostri debito omnibus ius et iustitiam, ut decet, ministrare, neminique iniuriam inferre, aut quemquam suis

iuribus, ac legitimis defensionibus privare, aut alias indebite molestare volentes, sed singulorum Christifidelium animarum saluti ante omnia prospicere cupientes, singularum literarum Praedecessoris huiusmodi tenorem, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus pro expressis habentes, habita super his cum nonnullis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus super hoc negotio specialiter deputatis deliberatione matura, motu simili, ac ex certa scientia nostris, et de simili potestatis plenitudine omnes, et singulos Apostatas, seu translatos in dictis literis comprehensos, et adhuc in saeculo vagantes, cuiuscumque Ordinis fuerint, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, ac aliis sententiis, censuris, et poenis, quas ob non paritionem literarum praedictarum, seu alias quomodolibet incurrerunt, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse absolvimus et liberamus.

§ 4. Necnon super irregularitate per eos contra tenorem dictarum literarum Missas celebrando, seu alias se divinis immiscendo forsan contracta, dummodo in contemptum clavium id non egerint, misericorditer in Domino dispensamus, ac absolutos, et liberatos, ac dispensatos fore censemus.

§ 5. Singulasque literas praedictas, ac in eis contenta et inde sequuta quaecumque, ad formam iuris et sacrarum constitutionum reducimus, et reducta fore, sicque ab infrascriptis, et quibusvis aliis Iudicibus, ac praedictis Auditoribus et Cardinalibus, sublata eis et eorum cuilibet, quavis iudicandi, et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et interpretari debere, ac quicquid secus a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

§ 6. Et nihilominus omnes et singulas lites et causas hactenus coram quibusvis Ordinariis, vel Delegatis Iudicibus etiam in Romana Curia introductas, et in quacumque instantia contra dictos Apostatas vel translatos, vel alias inter quasvis personas praemissorum occasione pendentes, etiam si instructae sint, ad Nos advocamus, ac causas tam ad Nos advocatas in statu et terminis, quibus reperiuntur reassumendas, necnon quam et quas quaecumque personae ecclesiasticae, et regulares, ac etiam saeculares, necnon Conventus, Collegia, et Universitates dicta occasione, seu in praemissis communiter, vel divisim interesse putantes, contra dictos Apostatas, vel translatos, aut alios quoscumque active vel passive, civiliter vel criminaliter, ac realiter et personaliter vel mixtim habent et movent, aut habere vel movere volent et intendent, cum omnibus et singulis incidentibus, dependen., emergen., annexis et connexis, totoque negotio principali, quoad professos videlicet in Alma Urbe et eius districtu, et alios in ea praesentes dilecto filio nostro Iacobo tit. S. Mariae in Cosmedin Presbytero Cardinali Sabello nuncupato, nostro in dictis Urbe, et districtu Vicario generali, seu eius Locumtenenti, extra Curiam vero Ordinario loci, ac Superiori Monasterii, in quibus prima et originaria professio per quemlibet ex Apostatis et translatis praedictis emissa asseritur, necnon obtinenti primam dignitatem in Ecclesia Cathedrali, seu Metropolitan., vel alii Superiori loci huiusmodi, seu antiquiori Canonico pro tempore residenti per eos coniunctim, visis in primis et diligenter inspectis et examinatis dispensationibus, facultatibus, licentiis, et indultis per eosdem Apostatas et translatos quomodolibet obtentis, ac

processibus desuper habitis, et causis in eis allegatis mature discussis, ac prout iustum et aequum fuerit, verificatis et probatis, summarie, simpliciter, et de plano, ac sine strepitu, et figura iudicii, ac sola veritate inspecta, appellatione postposita audien., cognoscen., et iuxta iuris et sacrarum constitutionum dispositionem fine debito terminan. committimus, et mandamus.

§ 7. Ac eisdem Iudicibus omnes, et singulos praedicta occasione citandos etiam per edictum publicum, constito etiam summarie, et extraiudicialiter de non tuto accessu citandi, necnon illis, et aliis quibus, ubi, quando, et quoties opus fuerit, etiam sub sententiis, censuris, et poenis ecclesiasticis ac etiam pecuniariis eorum arbitrio imponendis, moderandis, et applicandis, etiam per edictum simile inhibendi. Necnon quoscumque Apostatas, et translatos huiusmodi, qui sine canonica dispensatione, aut licentia in saeculo vagari reperti fuerint, ad Monasteria, a quibus exiverunt, aut alia regularia, vel alia honesta loca, prout melius pro ipsorum animarum salute eis visum fuerit, super quo ipsorum Iudicum conscientiam oneramus, reverti seu intrare faciendi, et compellendi, ac quaecumque alia, quae per eos in praemissis statuta, et ordinata fuerint, debitae executioni demandandi, ac quascumque executiones per quosvis Iudices ordinarios, vel delegatos in vim literarum Praedecessoris huiusmodi alias contra iuris formam factas causa cognita retractandi, et annullandi, et in pristinum statum reducendi, contradictores quoslibet, et rebelles per censuras, et poenas ecclesiasticas, appellatione postposita compescendi, necnon censuras, et poenas praedictas incurrisse declarandi, atque illas legitimis desuper habendis servatis processibus, etiam iteratis vicibus aggravandi, interdictum ecclesiasticum, prout iuris fuerit, apponendi, et auxilium brachii saecularis, si opus fuerit, invocandi, ceteraque in praemissis, et circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, et exequendi, plenam, et liberam concedimus facultatem.

§ 8. Non obstantibus praemissis literis Praedecessoris, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, necnon privilegiis, indultis, et literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis quotiescumque, et per quoscumque, ac quibuslibet, et ex quibusvis causis, necnon intuitu, consideratione, contemplatione, et ad instantiam quorumvis, aut etiam motu, scientia, ac plenitudine similibus, etiam quod nonnulli ex dictis Ordinibus professores se de causis eis per Sedem ipsam delegatis, nisi sub certis modo, et forma ibidem contentis intromittere minime teneantur, concessis, approbatis, et innovatis, quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, quoad praemissa dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 9. Volumus autem quod singuli Apostatae, et translati huiusmodi, ut praefertur, absoluti, poenitentiam per eorum Confessorem sibi pro excessibus praedictis iniungendam facere omnino teneantur. Quodque antequam sententiae seu declaratoriae per supradictos Iudices a Nobis deputatos ferendae paruerint, a celebratione Missarum, et quocumque altaris ministerio omnino abstineant.

§ 10. Volumus autem quod infra sex menses a die publicationis praesentium ipsi Apostatae, seu translati licentias eorum, ac dispensationes, et indulta supradictis Iudicibus praesentent, et sententiam declaratoriam desuper ab eisdem promulgari, ac causam realiter, et cum effectu totaliter expediri faciant, quo termino elapso, et causa, ut praefertur, non expedita, dicti Apostatae, et translati in easdam censuras, et poenas, in quibus ante publicationem praesentium erant, reincidisse eo ipso censeantur, nisi per ipsos Iudices steterit, aut alio legitimo impedimento per ipsos Iudices arbitrando, dicti Apostatae, et translati detenti fuerint.

[Bull. Rom., tom. 4, II, p. 10-12].

97.

Pius IV, const. *Pastoralis officii*, 3 apr. 1560.

Pastoralis officii auctoritas Nos admonet, et ordo rationis exposcit, ut circa ea potissimum versemur, per quae res, et bona Romanae Ecclesiae, praesertim usui, et ornatui Romani Pontificis pro tempore existentis, et Sacri Palatii Apostolici deputata ab impiorum insultibus, et rapinis praeserventur, et ab eis ausu sacrilego, aut alias quomodolibet abinde asportata, et distracta, nostrae operationis ministerio, cum animarum salute eorum, qui caeca cupiditate ducti in non parvam Sanctae Matris Ecclesiae iniuriam, et ipsorum animarum perniciem, Dei timore postposito, ea surripere, seu sibi appropriare, aut istinc divertere ausi fuerint, eidem Romano Pontifici pro tempore existenti restituantur, et taliter in praemissis provideatur, quod ceteris cedat in exemplum.

§ 1. Cum itaque, sicut non sine gravi animi nostri molestia accepimus, tam tempore infirmitatis diversorum Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum, ex qua, sicut Domino placuit, ab humanis decesserunt, quam exinde diversarum Sedium vacantium, quamplura etiam pretiosa iocalia, ornamenta, et alias res et bona usui praefato, ut praefertur, deputata, et alias ad eumdem Romanum Pontificem pro tempore existentem, et Cameram Apostolicam spectantia, et pertinentia, tam ex dicto Palatio, quam aliis quibusvis locis ablata, et distracta fuerint, et a diversis eorum protervia invalescente detineantur, in nostrum, et eiusdem Pontificis pro tempore existentis non solum detrimentum, sed etiam Sedis Apostolicae ignominiam, et ipsius auctoritatis diminutionem, necnon illa detinentium animarum perniciem, atque periculum non modicum.

§ 2. Nos huiusmodi inconvenientibus, et animarum periculis quantum in Nobis est, obviare, et alias in praemissis, prout par est, providere volentes, Motu proprio, et ex certa scientia, omnes, et singulas censuras, et poenas Ecclesiasticas per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros contra talium perpetratores, ac alios bonorum Apostolicorum usurpatores, raptores, receptores, et possessores, ac detinentes, et non restituentes, ac scientes, et non revelantes, sub quibusvis verborum formis promulgatas,

quorum, et literarum Apostolicarum desuper confectarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, haberi volumus pro expressis, auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, et innovamus, ac ad infrascriptos extendimus, et ampliamus.

§ 3. Et nihilominus motu, et scientia similibus, omnes, et singulas, tam saeculares, quam Ecclesiasticas, ac etiam militiarum, et Ordinum quorumcumque religiosas etiam quacumque Episcopali, Archiepiscopali, et Patriarchali seu superiori Ecclesiastica, etiam Cardinalatus honore, ac etiam Comitali, Marchionali, aut Ducali dignitate fungentes, ac alias mundanas personas, nullas penitus excipientes, cum dignitas, qualiscumque sit, in peccatis nemini excusationem praebere debeat, quae iocalia, ornamenta, aurum, argentum, monetatum, et non monetatum, gemmas, margaritas, lapides pretiosos quocumque nomine nuncupatos, pecunias, vestes, pannos, et tam manuscriptos, quam quosvis alios libros, scripturas, necnon equos, mulos, mulas, imagines aureas, argenteasque, ac aeneas, et marmoreas, ac suppellectilia, et alias quascumque res, et bona mobilia, et immobilia, spiritualia, et prophana cuiuscumque generis, qualitatis, et quantitatis, seu pretii existentia, pro usu, et commoditate Romani Pontificis pro tempore existentis, et ornamento Palatii huiusmodi deputata, ac ad eumdem Romanum Pontificem pro tempore existentem spectantia, et pertinentia, tempore infirmitatis cuiusvis Romani Pontificis Praedecessoris Nostri, ex qua postmodum decessit, ac etiam dictae Sedis propterea vacantis, necnon per annum ante obitum, et vacationem huiusmodi ex dicto Palatio, et alias undecumque et quocumque asportarunt, subtraxerunt, et occultarunt, seu praetenso titulo donationis, vel remissionis, quietantiae, vel alio quovis praetextu detinent, seu sciunt ea per alios possideri, usurpari, et detineri, aut occupata fuisse, et ad eorum manus pervenisse, requirimus, et monemus, eisque districte praecipiendo mandamus, quatenus infra sex dierum spatium, quorum duos pro primo, duos pro secundo, et reliquos duos dies pro tertio, et peremptorio termino eis, et eorum cuilibet pro canonica monitione assignamus, omnia, et singula iocalia, ornamenta, aurum, argentum, gemmas, margaritas, lapides pretiosos, pecunias, vestes, pannos, libros, equos, mulos, mulas, imagines, supellectilia, et alias res, et bona huiusmodi dilecto filio Francisco Odescalco dictae Camerae Praesidenti cum effectu restituant, et consignent, et si donationem, vel remissionem, aut quietantiam desuper sibi factam praetendant, illam seu illas, videndas, ut decet, et examinandas exhibeant, et producant, ac illorum raptores, usurpatores, seu detentores, vel occupatores scientes revelent.

§ 4. Alioquin lapsis diebus huiusmodi, omnes, et singuli praefati Episcopali, vel Archiepiscopali, aut Patriarchali, ac etiam Cardinalatus honore seu dignitate praediti, interdicti ingressus Ecclesiae poenam, alii vero excommunicationis, et maledictionis aeternae sententiam, quam alias in eos in his scriptis ferimus, et a quibus nisi a Nobis, et eodem Romano Pontifice pro tempore existente, ac satisfactione praevia, praeterquam in mortis articulo constituti, relaxationis, et absolutionis beneficium obtinere non possint, eo ipso incurrant, et si Pontificali aut Cardinalatus honore seu dignitate praediti sub interdicto huiusmodi per octo dies praefatos, seu immediate sequentes

permanere, alii vero inferiores ab eis eamdem excommunicationis sententiam animo, quod absit, indurato sustinere non formidaverint, ex tunc elapsis dictis octo diebus, Pontificali, et etiam Cardinalatus honore, seu dignitate praediti a regimine Ecclesiarum eis commissarum eo ipso suspensi, ac tam ipsi, si alia beneficia Ecclesiastica obtineant, quam inferiores ab eis, omnibus, et singulis Monasteriis, Prioratibus, dignitatibus, administrationibus, canonicatibus, et praebendis, ceterisque beneficiis Ecclesiasticis cum cura, et sine cura, saecularibus, ac Ordinum quorumcumque regularibus, quae in titulum, vel commendam, seu administrationem, aut alias quomodolibet etiam ex quibusvis concessionibus, seu dispensationibus Apostolicis obtinent, ac etiam Officiis Romanae Curiae per eos obtentis, Saeculares vero Feudis, Vicariatibus, Dominiis, et aliis iuribus, ac privilegiis quibuscumque eis per Romanam Ecclesiam aut Sedem praefatam, seu alios quoscumque etiam quacumque alia auctoritate etiam Imperiali, vel Regali eis concessis, etiam eo ipso privati existant, et ad similia beneficia, feuda, privilegia, vicariatus, dominia, et iura obtinenda, necnon ad quoscumque actus legitimos exercendos inhabiles, ac etiam intestabiles similiter eo ipso fiant, possintque beneficia, officia, ac vicariatus, et feuda, aliaque iura huiusmodi tamquam vacantia absque alia declaratione desuper facienda a Nobis, et Sede praefata, ac aliis, ad quos pertinet, illa concedere, et dare, libere impetrari. Scituri quod si ipsi, aut eorum aliqui suae salutis immemores in praemissis morosi fuerint, seu praemissa adimplere non curaverint, aut contempserint, hoc eis pro gravi crimine, et delicto imputabitur, et Iustitia mediante contra eos ad graviores, et tales poenas absque ullo respectu procedetur, quod illorum coercitio eis perpetuo cedat ad noxam, et aliis in exemplum, absque spe alicuius veniae inde consequendae: si vero se humiles, et ad satisfaciendum, aut confitendum promptos exhibuerint, cum omni mansuetudine, et respectu excipientur, et ex eorum spontanea restitutione, seu confessione eis salutaris misericordiae, et gratiae amplexus exuberanti Sedis praefatae in singulos ipsorum pietate provenient. Ac singulas donationes eis desuper factas, prout iustitia suadebit, et ordo dictaverit rationis, admittemus. Ac ut praefertur, scientes, et revelantes, ultra coeleste praemium a Nobis condignam mercedem, et retributionem recipient, cum eorum omnium grata satisfactione.

§ 5. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, II, p. 12-14].

98.

Pius IV, const. *De salute gregis*, 4 sept. 1560.

De salute gregis Dominici Nobis ex alto commissi, attentius cogitantes, ea libenter intendimus, per quae grex ipse continua suorum cum eo residentia Pastorum praeservetur a noxiis, et in devium prolabens, ad rectitudinis tramitem reducatur, ut Pastores ipsi, residentiam ipsam, prout tenentur, commodius facere, ac circa ipsius gregis curam libentius, ac ferventius invi-

gilare, et illum ab errorum praecipitiis praeservare, ac in fide orthodoxa, et devotione nostra continere valeant, opem, et operam efficaces impendimus, prout rerum, et temporum qualitate pensata, conspicimus in Domino salubriter expedire.

§ 1. Hinc est, quod Nos Motu proprio, non ad alicuius Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, universos, et singulos venerabiles fratres nostros Episcopos, Archiepiscopos, Primates, et Patriarchas, ab Ecclesiis, et Dioecesibus suis absentes in virtute sanctae obedientiae, ac sub interdicti ingressus Ecclesiae poena, eo ipso, absque alia declaratione incurrenda, districte praecipiendo monemus, ut omnibus postpositis quantocitius, in Romana Curia videlicet moram trahentes, intra unum, extra eam vero in Italia intra duos, extra vero Italiam existentes intra quatuor menses a die publicationis praesentium in locis infrascriptis faciendam computandos, se itineri committere, et legitimis itineribus ad Ecclesias, seu Dioeceses suas proficisci, et sese personaliter conferre, ac ibidem, ut tenentur, residere, et Pastorale officium exercere debeant.

§ 2. Si quis autem a Patriarchali, Primatiali, Metropolitana, seu Cathedrali Ecclesia sibi quocumque titulo, nomine, seu iure commissa, quacumque illi dignitate, gradu, et praeeminentia praefulgeant, legitimo impedimento, seu iustis, et rationabilibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam Dioecesim morando abfuerit, quartae partis fructuum unius anni, Fabricae Ecclesiae, et pauperibus loci per Superiorem ecclesiasticum applicandorum poenam ipso iure incurrat. Quod si per alios sex menses in huiusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eo ipso amittat, crescente vero contumacia, ut severiori sacrorum Canonum censurae subiiciatur, Metropolitan. Suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitan. vero absentem Suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub poena interdicti ingressus Ecclesiae ipso iure incurrenda, infra tres menses, per literas, vel nuncium Romano Pontifici denunciare teneatur, qui in ipsos absentes, prout cuiuscumque maior, aut minor contumacia exegerit, suae supremae Sedis auctoritate animadvertere, et Ecclesiis ipsis de Pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire.

§ 3. Eosdem autem Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et Episcopos mandatis nostris parentes, et apud suas Ecclesias, seu in earum Dioecesibus personaliter residentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, ut liberius, et commodius eorum officio fungi valeant, eis, et eorum cuilibet, ut quando resederint, etiam praetextu quorumcumque delictorum, et excessuum atrociorum, etiam haeresis, et laesae Maiestatis criminum per eos quomodolibet commissorum, ad comparendum personaliter in Romana Curia per quoscumque Iudices ordinarios, vel delegatos, etiam S. R. E. Cardinales nisi vigore specialis commissionis manu nostra, vel Romani Pontificis pro tempore existentis signatae, trahi, aut citari non possint, nec debeant, atque aliter factas citationes, et censuras in eis appositas, ac inde secuta quaecumque nulla, et irrita, ac nullius roboris, et momenti fore, ac eos minime afficere, aut arctare statuimus, et ordinamus.

§ 5. Et insuper eisdem Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, et Patriarchis sic, ut praemittitur, residentibus, ultra privilegia, et indulta eis per quoscumque Rom. Pont. Praedecessores nostros, ac Sedem Apostolicam, et Generalia Concilia, et Cancellariae Apostolicae Regulas concessa, quae in suo robore permanere volumus, tamquam a dicta Sede delegatis in quibuscumque civilibus, criminalibus, vel mistis causis contra quoscumque clericos saeculares particulares, ac etiam extra eorum Monasteria, seu regularia loca degentes regulares quomodolibet exemptos auctoritate nostra procedere, et causas ipsas cognoscere, fineque debito terminare, ac quidquid terminaverint exequi, et observari facere, ipsosque exemptos pro tempore delinquentes, iuxta eorum excessus, et delicta punire, corrigere, et omnem iurisdictionem in eos exercere, omniaque alia, et singula in praemissis, et circa ea quomodolibet necessaria, et opportuna, quae Nosmet facere, exercere, et exequi possemus, in omnibus, et per omnia facere, exercere, et exequi libere, et licite valeant, plenam, et liberam licentiam, ac facultatem auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et indulgemus.

§ 6. Decernentes ab eorum ordinationibus, interlocutionibus, et decretis ante definitivam sententiam, vel vim definitivae habentem, et ubi agetur de morum correctione, nullatenus etiam ad Nos, et Sedem Apostolicam appellari posse, et nihilominus per appellationes quascumque contra praesentium tenorem quomodolibet interpositas minime causas devolvi, aut etiam per quasvis inhibitiones etiam cum quibusvis censuris, et poenis, eis a quibusvis Iudicibus ordinariis, vel delegatis forsan faciendas, illarum ulteriorem cognitionem, et expeditionem, et ubi de morum correctione agetur, etiam legitimam executionem minime impediri, aut censuris, et poenis huiusmodi ligari, aut irretiri censere.

§ 9. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, II, p. 36-38].

99.

Pius IV, motu propr. *Cupientes*, 11 oct. 1560.

Cupientes unicuique iustitiam, prout par est, aequa lance ministrari, et omnem delinquendi occasionem ab ipsius iustitiae Ministris, praesertim Iudicibus in beneficialibus, ac etiam criminalibus privationem beneficiorum Ecclesiasticorum concernentibus causis, tam a Sede Apostolica, ac eius Legatis, et Vicelegatis, quam alias quomodolibet, et a quibuscumque pro tempore deputatis, seu ad quos illarum cognitio, tam de iure, quam de consuetudine, etiam ratione eorum, quae obtinent, officiorum, et alias quomodolibet pertinet, et pertinebit, seu quibus causae ipsae tam Apostolica, quam alia auctoritate commissae sunt, et pro tempore committentur, penitus removeri, ac eorum fraudibus obviare, et animarum saluti, quantum cum Deo possumus, salubriter consulere.

§ 1. Ex certa nostra scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine decernimus, et declaramus quoscumque Iudices, etiam S. R. E. Cardinales necnon causarum Palatii Apostolici Auditores, seu Locaten., et utriusque, vel alterius Signat. Refer., et quosvis alios etiam Archiepiscopali, Patriarchali, aut alia maiori dignitate etiam Legationis munere fungentes, ad audiendum, cognoscendum, et decidendum causas super quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, et aliis beneficiis Ecclesiasticis, tam in Romana Curia, quam extra eam quomodolibet hactenus motas, etiam privationem earumdem concernentes, et in futurum movendas, tam a dicta Sede, eiusque Legatis, seu Vicelegatis praedictis, ac tam Apostolica, quam ordinaria, aut alia auctoritate, et a quibusvis in dicta Curia, et extra eam, vel alias ubilibet pro tempore deputatos, seu ad quos similium causarum decisio, seu qualiscumque cognitio etiam quomodolibet, ut praefertur, spectat, et spectabit in futurum, aut quibus illas quovis modo audiendas, cognoscendas, et decidendas, et ut praefertur, alias committi contigerit, necnon eorumdem Cardinalium, Auditorum, Locatenentium, Referendariorum, et aliorum, ut praefertur, qualificatorum Iudicum huiusmodi nepotes, consanguineos, affines, procuratores, sollicitatores, ac domesticos, vel familiares, cuiuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis fuerint, et etiam ex quorum sententiis privationes Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, et beneficiorum huiusmodi, aut alias emanaverint, ac emanabunt, eorum per privationem eamdem, aut alias quomodolibet occurrenda vacatione, nullo umquam tempore a Nobis, seu Sede, aut aliis Legatis praedictis, vel quibusvis illorum ordinariis collatoribus impetrare, aut ab aliis impetrari, seu sibi conferri, et de illis provideri facere quoquomodo posse, seu debere, sed illos penitus ad illa in posterum obtinenda inhabiles fore, et esse, ac quascumque impetrationes sic ab eis, etiam ut praefertur, qualificatis, necnon collationes, et provisiones, ac quasvis alias dispositiones, aut alias concessiones de Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, et beneficiis huiusmodi etiam per Nos, aut Praedecessores nostros etiam motu, et potestatis plenitudine similibus hactenus quomodolibet factas, et in posterum faciendas, nullas, irritas, et inanes, nulliusque roboris, et momenti existere, nullumque per illas eis ius quaesitum fuisse, fore, aut esse, seu dici, vel censeri, ac de annali, et triennali possessore, aut alias Cancellariae Apostolicae regulas, seu alias Constitutiones eis adversus praemissa nullatenus suffragari posse, sed illos eis sic impetratis omnino privatos, et ab eis amovendos esse, prout Nos harum serie privamus, et amovemus, ac privatos, et amotos esse denunciamus.

§ 2. Et ita per eosdem Cardinales, Auditores, Locatenentes, ac alios quoscumque Iudices quavis auctoritate fungentes, sublata, etc., iudicari, etc., debere, irritum quoque, etc., decernimus, et declaramus.

§ 3. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, II, p. 41, 42].

100.

Pius IV, const. *Sanctissimus*, 26 oct. 1560.

Sanctissimus in Christo Pater, et Dominus noster, D. Pius divina providentia Papa IV. Cupiens prout suo Pastorali incumbit officio, unicuique, quod suum est, tribui, iustitiamque inter omnes aequa lance ministrari, ac animarum periculis, et fraudibus eorum, qui passim beneficia Ecclesiastica in mensibus, in quibus illorum collatio, et provisio per Constitutiones suas, seu Cancellariae Apostolicae regulas desuper editas, dispositioni suae pro tempore reservata existunt vacantia, seu alias eidem, et Sedis Apostolicae dispositioni generaliter reservata, aut ex generali reservatione Apostolica, vel alias affecta, ordinaria, seu alia auctoritate contra dictarum Constitutionum tenorem, aut alias indebite sibi conferri, et de illis etiam provideri procurant, et in eis praetextu collationum, et provisionum huiusmodi se intrudunt, ad hoc ut illorum fructus suos faciant, et ex eis impetrantes Apostolicos, seu alias iusto titulo provisos molestent, et interim lites adeo in longum protrahant, ut impetrantes, et iustum titulum habentes, aut cum eis concordare, aut eorum iuri cedere, et renunciare, aut in prosecutione litium huiusmodi omnes fere eorum facultates dissipare, et tandem in illarum prosecutione mori cogantur. Quique beneficia in Romana Curia, vel extra eam litigiosa resignant, aut eorum iuri cedunt simpliciter, vel in favorem tertii in memorialibus cum parvis datis, et consensibus desuper praestitis, quae penes se retinent, et nihilominus lites huiusmodi prosequuntur, et dum cognoscunt nullum ius sibi in huiusmodi beneficiis litigiosis competere, ad effugiendum sententiam, et expensas, vel fructuum restitutionem, in quibus condemnandi venirent, supplicationes desuper signari, ac datas, et consensus parvos huiusmodi extendi faciunt, asserentes se iamdiu illa dimisisse, partes foventes bonum ius, et Iudices iustitiam ministrantes deludendo, quantum in eo est obviare, ac omnem penitus talia praesumendi occasionem tollere.

§ 1. Hac sua perpetuo valitura sanctione statuit, et ordinavit, quod quoties in antea aliquem super quovis beneficio Ecclesiastico, ut praefertur, reservato, seu affecto, et dicta auctoritate vel alias nulliter collato, tam in dicta Curia, quam extra litigare contigerit, et Iudici ordinario, seu cui causa desuper commissa fuerit, etiam summarie, et extraiudicialiter, quantum sibi pro rei qualitate sufficere parte legitime citata videbitur, constiterit beneficium ipsum in dictis mensibus vacavisse, aut alias, ut praefertur, reservatum, seu affectum, et nihilominus ordinaria, seu alia auctoritate nulliter collatum, et indebite retentum existere, idem Iudex reproducta citatione, fructus, redditus, et proventus beneficiorum sic nulliter collatorum, et indebite detentorum sequestrari mandet, et faciat, ac alia exequatur in praemissis necessaria, et opportuna. Super quo eidem Iudici omnem potestatem, et auctoritatem impartitus est. Idemque Sanctitas Sua in causis nunc in quavis instantia coram eisdem Iudicibus pendentibus similiter observari mandavit.

§ 2. Praeterea decrevit, et declaravit, sic resignantes, seu cedentes, et nihilominus lites huiusmodi prosequentes, ne eorum malitia illis prodesse, et foventibus bonum ius nocere valeat, ad fructuum, reddituum, et proventuum dictorum beneficiorum per eos perceptorum restitutionem, ac expensarum in litibus huiusmodi factarum refectionem, omniaque, et singula damna, et interesse, in quibus condemnati fuerint, si non cessissent, vel resignassent, per Iudices, tam ordinaria, quam delegata, vel alia auctoritate fungentes, coram quibus lites ipsas pro tempore pendere, seu moveri contigerit, condemnandos fore, et condemnari debere, ac ad id teneri, et obligatos esse. Ipsosque ac etiam in dictis beneficiis successores quoscumque ad paritionem sententiae, seu sententiarum, ac literarum executorialium pro tempore latae, seu latarum, et decretarum, a quibus appellare non liceat, ad restitutionem, seu relaxationem possessionis, ac fructuum, reddituum, et proventuum, necnon refectionem expensarum, ac damnorum, interesse huiusmodi perinde, ac si contra eosdem successores sententia, seu sententiae latae, et literae executoriales huiusmodi decretae fuissent, cogi, et compelli. Sic tamen quod postquam alter ipsorum sententiae, seu sententiis, ac restitutioni, vel relaxationi possessionis, et fructuum, reddituum, et proventuum, necnon damnorum, et interesse huiusmodi refectioni, aliisque praemissis realiter, et cum effectu paruerit, alter desuper molestari non possit.

§ 3. Et ita in praemissis omnibus, et singulis per eosdem, et alios quoscumque Iudices, et etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata, etc., iudicari, et definiri debere, irritum quoque, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, II, p. 48, 49].

101.

Pius IV, const. *Ea quae a praedecessoribus*, 13 nov. 1560.

Ea quae a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, suadentibus legitimis causis emanarunt, libenter approbationis, et innovationis munimine solidamus, ut eo firmius illibata perdurent, quo saepius fuerint Apostolica auctoritate munita, illaque de novo statuimus, et ampliamus prout rationabiles causae persuadent, et hoc in Domino conspicimus salubriter expedire.

§ 1. Dudum siquidem a fel. rec. Clemente Papa VII Praedecessore nostro emanarunt literae, in quibus nonnullae aliae inseruntur tenorum subsequentium.

Clemens Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Consuevit, etc.

Omittitur residuum, quia simpliciter confirmat Iulii II, const. Regis pacifici *(cf. supra, in N. 63) et Leonis X, const.* Quam Deo *(cf. supra, in N. 75).*

§ 2. Cum autem, sicut Nobis innotuit, quamplurimi Duces, Comites, Marchiones, Domicelli, Barones, et alii in temporalibus Domini, Vicarii, Communitates, et Universitates civitatum, terrarum, et locorum eidem Romanae Ecclesiae mediate, vel immediate subiectorum, nonnullique alii singularia

certamina exoptantes, et alii etiam, ut praefertur, subditi illa videre cupientes, suorum status, salutis, et honoris immemores literis praedictorum huiusmodi contravenire, et censuras, ac poenas in illis contentas parvipendere non vereantur, in animarum suarum perniciem, et divinae maiestatis offensam, ac Reipublicae laesionem.

§ 3. Nos quorum est sceleratorum insolentiis, quibus adversum Deum, et proximum, ac dictae Sedis auctoritatem veluti Catholicae professionis inimici saeviunt, salubriter reprimendis, ne ipsorum invalescat praesumptio, et perversitas extollatur, intendere, et ne literae praedictae, quae provida deliberatione ab ipsis Praedecessoribus emanarunt, contemptibiles reddantur, sed illarum transgressores debita animadversione puniantur, providere volentes, Motu proprio, non ad aliquorum Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, et ex certa scientia, singulas Iulii, Leonis, et Clementis, Praedecessorum praedictorum literas cum statutorum, ordinationum, adiectionum, decretorum, declarationum, confiscationum, incorporationis, applicationis, voluntatum, et mandatorum, ac omnibus, et singulis aliis in eis respective contentis clausulis, auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, et innovamus, et perpetuae firmitatis robore subsistere, et singulos, quos literae ipsae concernunt, et concernent, sub excommunicationis, anathematis, maledictionis, perpetuae infamiae, diffidationis, criminis laesae maiestatis, seditionis, rebellionis, confiscationis, et privationis statuum, et dominiorum, ac Feudorum, et Vicariatuum, ac aliorum bonorum suorum, ac depositionis illorum, necnon inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda, ac interdicti, ac aliis censuris, ac poenis ecclesiasticis, et temporalibus, aliisque in eisdem literis contentis, quas contravenientes eo ipso incurrant, et intestabiles fiant, ac ultra poenas praedictas carceribus mancipari, et detineri, et poenis praedictis irremissibiliter puniri debeant, perpetuo observari, et per executores in dictis literis deputatos adversus eosdem contrafacientes ad totalem executionem dictarum poenarum procedi debere decernimus.

§ 4. Illasque tam ad pugiles taliter pugnantes, quam eos ad id tentantes, et provocantes, aut locum, seu campum ad pugnandum dantes, seu concedentes, ac in illis astantes, et interessentes, ac certantes, comitantes, et comitivam praestantes, necnon consulentes, ac adhaerentes, et fautores, necnon chartas certaminis, seu duelli subscribentes, vel affigentes, aut publicantes, etiam si praedictae, seu cuiuscumque alterius dignitatis, nobilitatis, status, gradus, et ordinis, tam Ecclesiasticae, quam mundanae existant, etiam ad hoc ut ipsi ultra poenas praedictas excommunicationis maioris latae sententiae poenam, a qua nonnisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente absolvi possint, eo ipso incurrant, et si Ecclesiastici fuerint, etiam omnibus, et singulis Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, et aliis beneficiis Ecclesiasticis per eos obtentis, seu in quibus, et ad quae ius eis competit, eo ipso privati, et ad illa, ac alia in posterum obtinenda inhabiles existant, necnon illa tamquam per privationem huiusmodi vacantia ab aliis impetrari possint, extendimus, et ampliamus.

§ 5. Et nihilominus praemissa omnia, et singula prout per Iulium, Leonem, et Clementem Praedecessores praefatos, statuta, et ordinata, inhibita,

decreta, et mandata fuerunt, in omnibus, et per omnia de novo statuimus, ordinamus, inhibemus, decernimus, declaramus, et mandamus.

§ 6. Ac omnes concessiones duellorum huiusmodi, et facultates desuper praedictis, seu aliis quibusvis personis per quoscumque Rom. Pont. Praedecessores nostros, sub quibusvis formis, et verborum expressionibus forsan concessas, et approbatas, et innovatas, harum serie revocamus, cassamus, et annullamus.

§ 7. Et insuper cupientes, illa, et tam detestabilem pugnantium, et aliorum loca ad pugnandum, ac alias in praemissis favorem praestantium, et denique tanti sceleris fautorum nequitiam, non solum in terris, et locis eidem Romanae Ecclesiae, ut praefertur, subiectis, sed alias ubilibet penitus reprimi, et aboleri, ac singulorum Christifidelium animarum periculis obviare, per viscera Domini nostri Iesu Christi rogamus, et obtestamur universos, et singulos totius Orbis Imperatorem, Reges, Duces, etiam armorum, Marchiones, Barones, ceterosque Principes Christianos, necnon dominia, potentatus, communitates civitatum, ac universitates oppidorum, castrorum, terrarum, et locorum quorumcumque, illorumque in temporalibus dominos, ac etiam militum, tam equestrium, quam pedestrium capitaneos, et praefatos etiam temporali ditioni ipsius Romanae Ecclesiae non subditos, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, nobilitatis, ac praeeminentiae fuerint, ut divini nominis intuitu, et pro sua in Nos, et hanc Sanctam Sedem Apostolicam devotione, et reverentia, necnon fidei cultu, et conservatione, ac animarum eorum, qui huiusmodi duella diabolica fraude decepti perquirunt salute, dicta duella, seu alia singularia certamina in suis Regnis, Ducatibus, Marchionatibus, Baroniis, Dominiis, terris, et locis nullatenus fieri permittant, immo ne fiant expresse prohibeant, et dissuadeant: districtius praecipientes eis, ne ullo umquam tempore huiusmodi duella, seu certamina, quovis praetextu, seu quavis occasione, vel causa admittere, aut aliquos ad id irritare, seu provocare, vel illis interesse, aut ut fiant pati, seu permittère audeant, vel praesumant; alioquin eos, ac etiam extra terras, et loca ditioni Ecclesiae huiusmodi non subiecta duella, seu singularia certamina huiusmodi, aut diffidationes desuper facientes, et ad id irritantes, provocantes, et auxilium, consilium, vel favorem dantes, ac illis astantes, et interessentes, et similiter chartas desuper subscribentes, aut publicantes, seu de illis se intromittentes, eorumque ac ipsorum singulos ab Imperatore, et Regibus inferiores maioris excommunicationis, et ultra eam, si Ecclesiastici fuerint, privationis, et inhabilitatis poenis praedictis subiacere, illasque incurrere, et ab eis praeterquam a Nobis, seu dicto Rom. Pont. pro tempore existente, ut praefertur, absolvi, aut adversus illas restitui, seu rehabilitari non posse, neque debere decernimus, et declaramus.

§ 8. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, II, p. 51-53].

102.

Pius IV, ep. *Cum sicut nuper*, 16 apr. 1561.[1]

Cum sicut nuper, non sine animi nostri molestia, accepimus, diversos Sacerdotes in Regnis Hispaniarum, atque etiam in eorum Civitatibus, et Dioecesibus curam animarum habentes, sive eam pro aliis exercentes, aut alias audiendis confessionibus poenitentium deputati, in tantam proruperint iniquitatem, ut Sacramento Poenitentiae in actu audiendi confessiones abutantur, nec illi, et qui id instituit Domino Deo, et Salvatori nostro Iesu Christo iniuriam facere vereantur: mulieres videlicet poenitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt confessiones alliciendo, et provocando, seu allicere, et provocare tentando, et procurando, ac loco earum per Sacramentum huiusmodi Creatori nostro reconciliationis, graviori peccatorum mole eas onerando, et in manibus Diaboli tradendo, in Divinae Maiestatis offensam, et animarum perniciem, et Christifidelium scandalum non modicum.

§ 1. Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de Fide Catholica recte sentiunt, Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis iniuram faciant, fraternitati tuae, de cuius eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, et mandamus, quatenus per te, vel per alium, seu alios a te deputandum, seu deputandos contra omnes, et singulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum Civitatum, et Dioecesum de praemissis quomodolibet diffamatos, tam saeculares, quam quorumvis etiam exemptorum, ac Sedi Apostolicae immediate subiectorum Ordinum Regulares, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, et praeeminentiae existant, tam super praemissis, quam super Fide Catholica, et quid de ea sentiant, diligenter inquiras, et iuxta facultatum tibi contra haereticos, aut de haeresi quovis modo suspectos a Sede Apostolica concessarum continentiam, et tenorem procedas, ac culpabiles repertos iuxta excessuum suorum qualitatem, prout iuris fuerit, punias, eos etiam si, et prout de iure fuerit faciendum, debita praecedente degradatione saecularis Iudicis arbitrio puniendos tradendo.

§ 2. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, II, p. 77].

103.

Pius IV, breve 11 aug. 1562.

... Hispaniarum rex catholicus nobis nuper exponi fecit quod in Orientalibus Indiis novoque Hispaniae Regno, propter recentem illius populorum ad fidem orthodoxam conversionem, rarae Sedes episcopales in tanta terra-

[1] Archiepiscopo Hispalensi in Regnis Hispaniarum haereticae pravitatis Inquisitori Generali.

rum amplitudine adhuc institutae reperiuntur: unde fit ut post electionem Praelatorum ad illas vacantes factam, sufficiens Episcoporum numerus ad munus consecrationis illis exhibendum infra tempus de consecrandis Episcopis a iure statutum coadunari nequeant. Quare praefatus Philippus rex nobis humiliter supplicari fecit quatenus in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur sacrorum canonum aequitatem a nemine ultra quam praestari possit exigere perpendentes, ac omnes et singulos Venerabiles Fratres Archiepiscopos et Episcopos in Indiis praefatis constitutos, qui hactenus munus praedictum, numero Praelatorum competenti ad id non adhibito, alias tamen rite susceperunt, ab huiusmodi excessu, et suspensionis aliisque ecclesiasticis poenis, auctoritate Apostolica, tenore praesentium absolventes, secumque super irregularitate, si quam inde contraxerint, et quod munere praefato sic per eos suscepto, suisque etiam presbyteratus Ordinibus ac officio pontificali uti, et in illis etiam in altaris ministerio ministrare, ac suis etiam Metropolitanis et Cathedralibus ecclesiis praeesse libere et licite valeant, de specialis dono gratiae dispensantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, universis et singulis quos ad Cathedrales et Metropolitanas Ecclesias in Indiis praefatis nunc et pro tempore institutos, illarum vacatione occurrente, canonice eligi et assumi contigerit, ut deinceps perpetuis futuris temporibus post eorum electionem et assumptionem huiusmodi, nullo alio sibi obstante canonico impedimento, a quocumque maluerint catholico Antistite gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente: accitis, et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus in dignitate ecclesiastica constitutis seu Cathedralis, aut Cathedralium aut Metropolitanarum ecclesiarum canonicis, praefatum consecrationis munus recipere valeant; ac eidem Antistiti ut idem munus, illius auctoritate praefata, impendere libere possit plenam et liberam auctoritatem et facultatem concedimus et indulgemus. Non obstantibus, etc.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, p. 56, nota (1)].

104.

Pius IV, const. *Sedis Apostolicae*, 18 febr. 1564.

Sedis Apostolicae providentia circumspecta, ne rursus ea, quae in controversiis inter personas Ecclesiasticas, praesertim Altissimo sub regulari professione famulantes exortis, pro tranquillo Religionis statu prudenter ordinavit, in molestos contentionis anfractus relabantur, maiorem solet, dum id res ipsa requirit, adhibere cautionem.

§ 1. Sane nuper postquam, sicut Nobis innotuerat, ab antiquis usque temporibus, etiam supra centum annos retroactos, lis, et causa, seu controversia inter dilectos filios Rectorem generalem, et Canonicos Regulares S. Augustini Congregationis Lateranensis, ex una, ac Monacos S. Benedicti Ordinis Cassinen. alias Sanctae Iustinae de Padua congregationum partibus ex altera, super illorum praecedentia, seu praecedendi suborta, et coram diversis Iudi-

cibus, etiam in nostro Palatii Apostolici Auditorio ventilata, ac demum non sine animi nostri molestia in Oecumenico Concilio Tridentino, inter earumdem congregationum Abbates revocata fuerat.

§ 2. Nos considerantes, lites, et controversias huiusmodi in Ecclesia praesertim inter religiosas, et reformatas personas, quae relictis mundi vanitatibus, votum suum in humilitatis spiritu, Domino, et Deo nostro, qui se pro nobis usque adeo humillavit, ut formam servi acciperet, persolvere profitentur, non modicum illi praeclarae, Deoque praecipue dilectae virtuti, quae est humilitas, labem infundere, populoque scandalum generare, ac propterea illas omni ratione submovendas, publicaeque religionis tranquillitati, ac ministrorum Dei reconciliationi, et mutuae dilectioni quamprimum consulendum esse rati, Motu proprio dictas causas, et controversias ubilibet, et coram quibusvis Iudicibus motas, et in quibusvis instantiis indecisas pendentes, ab eisdem Iudicibus ad Nos avocavimus, illasque dilectis filiis nostris Ioanni Michaeli S. Anastasiae Saraceno, Ioanni Baptistae S. Clementis Cicadae, ac Bernardino Scoto nuncupatis, S. R. E. Presbyteris Card. audiendas, cognoscendas, et decidendas per quamdam Motus proprii schedulam, et deinde illas per aliud nostrum rescriptum eisdem Cardinalibus per eos audiendas tantum, Nobisque referendas commisimus.

§ 3. Qui quidem Cardinales, dictis partibus, earumve procuratoribus, e advocatis pluries auditis, dubiisque emergentibus ad plenum discussis, et resolutis, comperto satis per eos ex compluribus literis Apostolicis, diversisque aliis documentis, rationibus, et probationibus, quod ipsi Canonici fuerunt, et sunt de illis clericis a S. Augustino, quinimmo a Sanctis Apostolis institutis, eosdem Canonicos, tam suae antiquae institutionis huiusmodi, quam etiam dignitatis clericalis, qua eos statim, quod professionem regularem emittunt, insignitos esse oportet, aliarumque qualitatum in eis existentium ratione, dictamque illorum Congregationem Lateranen. praefatos Monacos, et eorum Congregationem Cassinen. praecedere debere censuerunt, et concluserunt, suamque conclusionem huiusmodi ad audientiam nostram iuxta ultimi nostri rescripti praefati tenorem retulerunt.

§ 4. Unde Nos illorum relatione intellecta, eaque per Nos diligenter examinata, quoniam eam in omnibus suis partibus veritati, et iuri consonam comperimus, per nostram definitivam sententiam pronunciavimus, sententiavimus, decrevimus, et declaravimus, Abbates, Praelatos, et Canonicos regulares Congregationis Lateranen. uti clericos dimissa superiori veste, pallio, seu cappa, in linea veste, clericalique habitu incedentes (quod etiam in Alma Urbe consuetum fuerat, et tunc observabatur) in processionibus, et omnibus aliis actibus publicis, et privatis, tam in d. Urbe, nostroque, et aliorum Romanorum Pontificum Successorum nostrorum conspectu, quam alias in universis, et quibuscumque aliis Civitatibus, terris, oppidis, et locis, Abbates, Praelatos, et Monacos Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinen. praedictos praecedere debuisse, et debere, ac eosdem Abbates, Praelatos, et Canonicos Regulares, dictamque eorum Congregationem, ut praefertur, incedentes, dictis Abbatibus, Praelatis, et Monacis S. Benedicti, et eorum Congregationi in omnibus, et singulis praemissis praeferendos, anteponendos, et in digniori loco collocandos fore, et esse.

§ 5. Abbates vero dictarum Congregationum singulariter, et de per se absque eorum conventibus in Conciliis generalibus, provincialibus, et Synodalibus, ac aliis actibus publicis, et privatis, in quibus Abbates de iure, vel consuetudine locum, et votum habent, vel pro tempore quomodolibet habebunt, inter sese iuxta singulorum ipsorum Abbatum ibidem intervenientium priorem, et antiquiorem promotionem ad Abbatiam, ac illorum promotione dumtaxat, non autem Congregatione, et Ordine cuius sint, attentis, praecedere, et praeferri, et in digniori loco collocari debuisse, et debere, prout ex tunc praetulimus, anteposuimus, et collocavimus, praeferrique, anteponi, et collocari mandavimus. Iactationes quoque, molestationes, oppressiones, perturbationes, vexationes, et impedimenta quaecumque per Abbates, Praelatos, et Monacos praedictos, et eorum Congregationem Cassinen. eisdem Abbatibus, Praelatis, et Canonicis Regularibus Congregationis Lateranen. super praefatis omnibus, et singulis, et illorum occasione quomodolibet factas, praestitas, et illatas, factaque, praestita, et illata, fuisse, et esse temerarias, illicitas, indebitas, et iniustas, temerariaque, illicita, indebita, et iniusta, ac de facto praesumptas, et praesumpta, illasque, et illa Abbatibus, Praelatis, et Monacis Congregationis Cassinen. huiusmodi fecisse, et facere minime licuisse, neque licere de iure. Et propterea de, et super illis, ac dicto iure praecedendi, omnibusque, et singulis aliis praemissis perpetuum silentium imponendum fore, et esse, et tunc imposuimus, prout in rescripto, relatione, et sententia praedictis plenius continetur.

§ 6. Ne autem de sententiae, aliorumque praemissorum validitate ullo umquam tempore dubitari, ac propterea, vel alio quovis praetextu rem mature discussam, et iudicatam, rursus in controversiam retrahi, neve denuo in Ecclesia Dei inter tales personas Religiosas contentiones exoriri, ac populo scandala generari contingat, tempestive providere, ac supremam huic negotio manum apponere cupientes, necnon veriores literarum singulorum Praedecessorum, ac rescripti, processus, relationis, sententiaeque praefatorum, et inde secutorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, Motu simili, non ad ipsorum Abbatum, Praelatorum, et Canonicorum Regularium Congregationis Lateranen., vel alterius pro eis Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione, et certa scientia nostra, ac de Apostolicae potestatis plenitudine ad effectum executionis dictae sententiae tantum, omnes, et singulos processus, et sententiae praefatorum defectus etiam substantiales, si qui forsan in eisdem intervenerint, harum serie supplemus, ac eandem sententiam una cum eius processu validos, et efficaces esse, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et inviolabiliter ab omnibus observari debere, nec partes ipsas ab eis ullo umquam tempore quovis praetextu, quaesitove colore resilire posse, sed ad illorum observationem teneri, censurisque, et poenis, tam Ecclesiasticis, quam pecuniariis ad id cogi, et compelli, neque Monacos eorumve Congregationem adversus sententiam, aliave praemissa in pristinum quovis quaesito colore, vel ingenio restitui, nec illa oppugnantes audiri.

§ 7. Praesentesque literas de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, aut alio quovis defectu notari, seu impugnari posse,

sicque, et non aliter per quoscumque Iudices, et Commissarios, etiam S. R. E. Cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, et definiri debere, ac quicquid secus a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, et inane decernimus, praemissaque omnia perpetuo statuimus.

§ 8. Et quod ita fiant, et observentur, volumus, atque mandamus similiter venerabili fratri Episcopo Amerin. et dilectis filiis nostro in Alma Urbe, et eius districtu Vicario in spiritualibus, ac Curiae causarum Camerae Apostolicae Auditori generalibus, per praesentes motu pari mandantes, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, ubi, et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Rectoris generalis, et Abbatum, Praelatorum, ac Regularium Canonicorum S. Augustini Congregationis Lateranen. praefatorum, vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac illis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos suppletione, decreto, statuto, voluntate, et mandato, aliisque praemissis pacifice frui, et gaudere. Non permittentes eos, vel eorum quempiam desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, deturbari, vel inquietari. Contradictores quoslibet, et rebelles per sententias, censuras, et tam Ecclesiasticas, et pecuniarias, etiam arbitrio suo moderandas, et applicandas, quam etiam privationis beneficiorum Ecclesiasticorum per ipsos contradictores obtentorum poenas, aliaque iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis, servatis processibus, illos sententias, censuras, et poenas huiusmodi incurrisse declarando, illosque etiam iteratis vicibus aggravando, et interdictum Ecclesiasticum imponendo, invocato etiam ad hoc, si opus sit, auxilio brachii saecularis.

§ 9. Non obstantibus, etc.

Sequitur tenor sententiae praedictae.

Christi nomine invocato, pro Tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes per hanc nostram definitivam sententiam, quam ferimus in his scriptis, in causa, et causis, quae coram Nobis, et quas dilectis filiis nostris Ioanni Michaeli Saraceno tit. S. Anastasiae, Ioanni Baptistae Cicadae tit. S. Clementis, ac Bernardino Scoto tit. S. Matthaei S. R. E. Cardinalibus primo audiendas, cognoscendas, et per eos decidendas, et terminandas, et deinde per praefatos Cardinales per Apostolica nostra rescripta Nobis referendas commisimus, inter dilectos filios Abbates, Praelatos, et Canonicos Regulares Ordinis S. Augustini, Congregationis Lateranen., et universam Congregationem ex una, et Praelatos, Abbates, et Monacos Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinen. alias S. Iustinae de Padua nuncupatos, et dictam eorum Congregationem, de et super praecedentia, et iure inter eos praecedendi, tam in processionibus, quam in generalibus, et synodalibus, seu provincialibus Conciliis, omnibusque actibus publicis, et privatis, rebusque aliis in actis causae, et causarum huiusmodi latius deductis, et illorum occasione, in prima, seu alia versae fuerint, et vertebantur instantiis, partibus ex altera, causa huiusmodi coram dictis Cardinalibus ad plenum venti-

lata, ac saepius auditis partibus, et dubiis in ea plene discussis, et resolutis, ac visis de iure videndis, et demum per dictos Cardinales Nobis matura desuper facta relatione, pronunciamus, sententiamus, decernimus, et declaramus, Abbates, Praelatos, et Canonicos Regulares Congregationis Lateranen. uti Clericos dimissa superiori veste, pallio, seu cappa, in linea veste, clericalique habitu incedentes (quod etiam in Alma nostra Urbe Romae consuetum fuit, et nunc observatur), in processionibus, et omnibus aliis actibus publicis, et privatis, tam in dicta Alma Urbe nostra, nostroque, et Successorum nostrorum conspectu, quam alias universis, ac quibuscumque aliis civitatibus, terris, oppidis, et locis, dictis Abbatibus, Praelatis, et Monacis Ordinis S. Benedicti Cassinen. praecedere debuisse, et debere, eosdemque Abbates, Praelatos, et Canonicos Regulares, dictamque eorum Congregationem, ut sup. incedentes, dictis Abbatibus, Praelatis, et Monacis S. Benedicti, et eorum Congregationi, in omnibus, et singulis praemissis praeferendos, anteponendos, et in digniori loco collocandos fore, et esse. Abbates vero dictarum Congregationum Lateranen. et S. Benedicti singulariter, et de per se absque eorum conventibus, in Conciliis generalibus provincialibus, et synodalibus, et aliis actibus publicis, et privatis, in quibus Abbates de iure, vel consuetudine locum, et votum habent, vel pro tempore quomodolibet habebunt, inter sese iuxta singulorum ipsorum Abbatum ibidem intervenientium, priorem, et antiquiorem promotionem ad Abbatiam, ac illa promotione dumtaxat, non autem Congregatione, et Ordine cuius fuerint attentis, praecedere, ac praeferri, et in digniori loco collocari debuisse, et debere, prout praeferimus, anteponimus, collocamus, praeferrique, anteponi, et collocari respective mandamus. Iactationes quoque, molestationes, oppositiones, perturbationes, vexationes, et impedimenta quaecumque per praefatos Abbates, Praelatos, et Monacos dicti Ordinis S. Benedicti, et dictam eorum Congregationem eisdem Abbatibus, Praelatis, Canonicis Regularibus dicti Ordinis, et eorum Congregationi, de et super praefatis omnibus, et singulis, et illorum occasione quomodolibet factas, praestitas, et illatas, factaque, praestita, et illata, fuisse, et esse temerarias, illicitas, indebitas, et iniustas, temerariaque, illicita, indebita, et iniusta, ac de facto praesumptas, et praesumpta, illasque, et illa praefatis Abbatibus, Praelatis, et Monacis fecisse, et facere minime licuisse, nec licere de iure. Et propterea de, et super illis, ac dicto iure praecedendi, ut supra, omnibus aliis, et singulis praemissis perpetuum silentium imponendum fore, et esse, ac imponimus. Utramque partem in expensis iustis ex causis absolventes.

[Bull. Rom., tom. 4, II, p. 171-173].

105.

Pius IV, const. *Dominici gregis*, 24 mart. 1564.

Dominici gregis custodiae Domino disponente praepositi, vigilis more pastoris non desistimus ipsi gregi ab imminentibus periculis, quanta maxima possumus cura, et diligentia praecavere, ne propter negligentiam nostram

pereant oves, quae pretiosissimo Domini nostri Iesu Christi sanguine sunt redemptae. Et si autem quae ad fidei veritatem patefaciendam, et ad horum temporum haereses confutandas pertinebant, in Oecumenico, et generali Concilio *Tridentino*, sancti Spiritus assistente gratia, nuper adeo enucleata, ac definita fuerunt, ut facile iam sit unicuique sanam, catholicamque doctrinam a falsa, adulterinaque internoscere; tamen cum librorum ab haereticis editorum lectio, non modo simpliciores homines corrumpere soleat, verum saepe etiam doctos eruditosque in varios errores, et a veritate fidei catholicae alienas opiniones inducere, huic quoque rei esse duximus providendum.

§ 1. Cum autem aptissimum ei malo remedium esse sciremus, si componeretur atque ederetur Index sive Catalogus librorum, qui vel haeretici sint, vel de haeretica pravitate suspecti, vel certe moribus, et pietati noceant, id negocium ad sacram Tridentinam Synodum reieceramus, ea vero ex tanta Episcoporum, et aliorum doctissimorum virorum copia delegit ad eum conficiendum Indicem multos cum doctrina, tum Iudicio insignes Praelatos ex omnibus fere nationibus. Qui quidem non sine maximo labore, plurimisque vigiliis, eum Indicem tandem, Deo iuvante, perfecerunt, adhibitis etiam in consilium lectissimis quibusdam Theologis. Peracto autem Concilio, cum ex ipsius Synodi decreto is Index Nobis oblatus fuisset, ut ne ante ederetur, quam a Nobis approbatus fuisset, Nos doctissimis quibusdam, probatissimisque Praelatis eum accuratissime legendum, examinandumque tradidimus, et ipsi etiam legimus.

§ 2. Cum igitur eum magno studio, acri iudicio, diuturna cura confectum, et praeterea commodissime digestum esse cognoverimus, Nos saluti animarum consulere, eamque ob causam providere cupientes, ne libri, et scripta cuiuscumque generis, quae in eo improbantur, sive ut haeretica, sive ut de haeretica pravitate suspecta, sive ut pietati, ac morum honestati inutilia, aut aliqua correctione saltem indigentia, posthac a Christifidelibus legantur, ipsum Indicem, una cum regulis ei praepositis, auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, imprimique, ac divulgari, et ab omnibus universitatibus Catholicis, ac quibuscumque aliis ubique suscipi, easque regulas observari mandamus, atque decernimus.

§ 3. Inhibentes omnibus, et singulis, tam ecclesiasticis personis saecularibus, et regularibus cuiuscumque gradus, ordinis, et dignitatis sint, quam laicis quocumque honore, ac dignitate praeditis, ne quis contra earum regularum praescriptum, aut ipsius prohibitionem Indicis libros ullos legere, habereve audeat. Si quis autem adversus eas regulas, prohibitionemque fecerit: is quidem, qui haereticorum libros, vel cuiusvis auctoris scripta propter haeresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, habueritve, ipso iure in excommunicationis poenam incidat, eamque ob causam in eum tamquam de haeresi suspectum inquiri, et procedi liceat, praeter alias poenas super hoc ab Apostolica Sede, sacrisque Canonibus constitutas. Qui autem libros alia de causa prohibitos legerit, habueritve, praeter peccati mortalis reatum, Episcoporum arbitrio severe se noverit puniendum.

§ 4. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, II, p. 174, 175].

106.

Pius IV, const. *Romanum Pontificem*, 17 oct. 1564.

Romanum Pontificem in excelsa militantis Ecclesiae specula constitutum, vigiles mentis oculos, non solum in absentium extendere, sed potissimum in praesentium, domesticorumque fratrum, et filiorum suorum mores diligenter perscrutandos, aliquando reflectere, ac eos praesertim, quos in Apostolicae solicitudinis partem evocavit Altissimus, nedum ab omni pactionis illicitae contagione, verum etiam ab eius omnimoda suspicione vacuos, et immunes conservare decet, ut qui ceteros illustris officii sublimitate antecellunt, eosdem prisca etiam illa morum integritate praestare dignoscantur.

§ 1. Sane licet dudum, cum certam simoniacae pravitatis speciem, quam beneficiorum confidentiam vocant, etiam Romanae Curiae, atque adeo in sacrum venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Collegium, quasi per cuniculos irrepsisse, ac nonnullos ex ipsis fratribus, nimia quadam facilitate, seu potius importunis amicorum, familiariumque precibus adductos, beneficia Ecclesiastica in confidentiam huiusmodi recepisse, et frequenter recipere intelleximus, hanc illicitam beneficentiae exercendae, seu amicitiae colendae viam, a tanto saltem Collegio prorsus eliminare cupientes, eosdem fratres in Consistorio nostro secreto, non semel admonuerimus, huic aliena beneficia custodiendi modo ne assuescerent, neve illa hoc pacto reciperent, utque sic recepta dimitterent, nihilominus nuper ad aures nostras pervenit eorum aliquos, monitionis nostrae immo potius suimet oblitos, ea quae custodienda receperant beneficia, nondum tamen dimisisse. Et insuper illos, et nonnullos alios, etiam Patriarchas, Archiepiscopos, et alios Episcopos, ac etiam Camerae Apostolicae Clericos, Ecclesias, Monasteria, dignitates, et alia beneficia huiusmodi, in sui favorem resignata, cessa, vel alias dimissa acceptasse, aut de illis, per obitum, vel alias vacantibus, a Nobis, et Praedecessoribus nostris, seu etiam ab Ordinariis, et aliis inferioribus collatoribus, etiam ad patronorum praesentationem, ad alterius commodum sibi provideri obtinuisse, illaque, ac etiam alia aliter vacantia, sibi in titulum, commendam, vel administrationem, aut alias dicta auctoritate concessa, quandoque in resignantium, vel cedentium, seu etiam aliorum favorem cessisse, vel alias dimisisse. Ac sibi propterea pensiones annuas, ac fructus, redditus, et proventus Ecclesiarum, Monasteriorum, dignitatum, et aliorum beneficiorum huiusmodi, in toto, vel in parte, etiam aliquando cum facultate illas, et illos transferendi, ac etiam collationem, provisionem, praesentationem, et aliam dispositionem beneficiorum ecclesiasticorum ad earumdem Ecclesiarum, Monasteriorum, et dignitatum Praelatos pro tempore existentes, ac alios huiusmodi beneficia pro tempore obtinentes pertinentium, necnon regressus, sive accessus, et ingressus ad Ecclesias, etiam Cathedrales, Monasteria, ac alia diversa beneficia ecclesiastica sibi reservari procurasse, et obtinuisse, ad hoc videlicet, ut confidentes sic Decimarum Aposto-

licarum, vel communis dicti Collegii, et annatae, aliorumque iurium dictae Camerae debitorum solutionem eludant, integrisque beneficiorum, etiam in mensibus Apostolicis vacantium, aut alias dispositioni Sedis Apostolicae generaliter reservatorum collationibus, ac interdum, ut beneficia ipsa, tempore procedente, in aliquorum, tunc forsan de iure inhabilium, et incapacium, vel nondum adhuc natorum favorem, cedantur, seu resignentur, vel ut personae inhabiles, et incapaces huiusmodi, etiam laici, pensionibus, ac fructibus, redditibus, et proventibus Ecclesiasticis fruantur, et gaudeant, seu potius illis, et facultate transferendi praedicta abutantur, in animarum suarum periculum, et perniciosum exemplum.

§ 2. Quare Nos hanc Cardinalium eorumdem in monitionibus nostris parendo incuriam, et tam illorum, quam ceterorum Praelatorum, etiam Clericorum, ac aliorum quorumcumque indignam fallaciam, conniventibus oculis diutius minime dissimulandam, sed huic errori, ne radices altius agat, occurrendum tandem esse censentes. Et quoniam hanc ipsorum, qui monitioni nostrae non parentes, beneficia huiusmodi in confidentiam, ut praefertur, retinuerunt, et fructus ex eis indebite, vel percipiendo, vel per alios nomine suo, etiam per simulatas illorum locationes, et fictas de receptis quietantias, ac donationes, et remissiones percipi sinendo, graviter excesserunt Cardinalium metam, potius ex immoderata erga suos indulgentia, quam aliquo praeceptorum nostrorum spretu processisse facile reputamus. Idcirco omnes, et singulas Ecclesias, etiam Metropolitanas, et alias Cathedrales, ac Monasteria, etiam consistorialia, prioratus, praeposituras, praepositatus, dignitates etiam maiores, et principales, etiam conventuales, personatus, administrationes, et officia, ceteraque beneficia Ecclesiastica, cum cura, et sine cura, saecularia, et quorumvis Ordinum regularia, etiam de iurepatronatus etiam laicorum, etiam nobilium, et illustrium, etiam ex fundatione, et dotatione existentia, per eiusdem Romanae Ecclesiae etiam Episcopos Cardinales, et quoscumque alios, etiam Patriarchas, Archiepiscopos, et alios Episcopos, ac etiam eiusdem Camerae Clericos, in titulum, commendam, vel administrationem, aut alias, in huiusmodi confidentiam iure prohibitam cuiusvis personae, ut praefertur, contemplatione, vel intuitu, quovis modo recepta, illorum liberam collationem, et dispositionem Nobis et Sedi Apostolicae harum serie reservantes, ipso iure a die receptionis eorumdem vacavisse, et vacare. Ac fructuum, et pensionum reservationes, ac facultates transferendi, et collationis beneficiorum concessiones, eis, ut praemittitur, factas, ac regressus, sive accessus, et ingressus concessos huiusmodi cessasse, et cessare, ac extinctos esse.

§ 3. Et eosdem Cardinales, seu quosvis alios, a prima die receptionis beneficiorum huiusmodi, citra fructus, redditus, et proventus earumdem Ecclesiarum, Monasteriorum, dignitatum, et aliorum beneficiorum, ac pensiones praedictas indebite percipere, suosque facere non potuisse, neque debuisse, sed illos omnes, et singulos ad Cameram eamdem devolutos fuisse et esse, illique deberi, ac ipsos Cardinales, et alios, ad quorum manus quomodolibet pervenerunt, et eorum haeredes, ad integram illorum restitutionem in utroque foro teneri, et ad id opportunis iuris remediis compelli debere auctoritate Apostolica, tenore praesen. decernimus, et declaramus.

§ 4. Et insuper universis, et singulis, tam eiusdem Romanae Ecclesiae Cardinalibus, etiam Episcopis, quam Praelatis, et Clericis, ac aliis praedictis, praesentibus, et futuris, ne deinceps ullo umquam tempore aliquas Ecclesias, Monasteria, dignitates, vel alia beneficia, etiam de dicto iurepatronatus, uti praefertur, existentia, aut fructus, vel pensiones, aut regressus, seu accessus, in confidentiam praedictam, aut ad effectum reservationem huiusmodi sibi postmodum cedentibus procurandum, recipere praesumant, Cardinalibus videlicet, et aliis Praelatis huiusmodi, in virtute sanctae obedientiae, et sub interdicti ingressus Ecclesiae, reliquis vero sub maioris excommunicationis latae sententiae poena, per contrafacientes eo ipso incurrenda, a qua nisi a Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant, districtius inhibemus.

§ 5. Ac quascumque collationes, provisiones, praefectiones, commendas, reservationes, facultates, etiam transferendi, ac regrediendi, sive accedendi, et ingrediendi, ac alias dispositiones de Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, et aliis beneficiis, eorumque fructibus, et beneficiorum collationibus, per Nos, et alios Romanos Pontifices Successores Nostros, etiam Motu proprio, seu consistorialiter, aut etiam per Ordinarios, et alios inferiores collatores, etiam ad patronorum eorumdem praesentationem, et alias quomodolibet cum interventu confidentiae huiusmodi expresse, sive occulte, ac de iure praesumpto, et alias contra praemissa pro tempore factas, nullas, et invalidas, nulliusque roboris, vel momenti fore, neque cuiquam suffragari, sed Ecclesias, Monasteria, dignitates, ac alia beneficia huiusmodi, ipso iure vacare, ac nostrae, et Sedis Apostolicae dispositioni reservata, fructusque, et pensiones Camerae Apostolicae applicatos, ut praefertur, esse, et censeri.

§ 6. Sicque in praemissis omnibus, et singulis, per quoscumque Iudices, et Commissarios, etiam ipsius Ecclesiae Romanae Cardinales, sublata eis quavis aliter interpretandi, et iudicandi facultate, etiam per praesumptiones, et coniecturas legitimas, et eorum arbitrio (cum alias confidentias huiusmodi in lucem erui, et probari non posse constet) procedendo, iudicari, et definiri debere, ac quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, et inane similiter decernimus.

§ 7. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papae VIII Praedecessoris nostri de una, et Concilii generalis de duabus dietis, ac aliis Constitutionibus Apostolicis, necnon Collegii praefati iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§ 8. Et ne quisquam ullo umquam tempore, etc.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat, etc.

(Bull. Rom., tom. 4, II, p. 190-192).

107.

Pius IV. const. *In sacrosancta*, 13 nov. 1564.

In sacrosancta Beati Petri Principis Apostolorum Cathedra, meritis licet imparibus, hisce procellosis militantis Ecclesiae tempestatibus constitutos, plurimum Nos oportet esse solicitos, ut Domini gregem curae nostrae commissum, non solum ab apertis rapacium luporum undecumque caulis obstrepentium insultibus, sed etiam a magis formidolosis pestiferarum vulpecularum domi latitantium insidiis, per providum pastoralis officii ministerium, ipso Domino cooperante praeservemus, ac illis omnes nocendi occasiones, quantum cum Deo possumus, ubilibet auferamus.

§ 1. Cum itaque iuxta notum Sanctissimi Vatis oraculum, timor Domini, sine quo vera Religio, et Catholicae Fidei puritas nullibi reperitur, sapientiae sit initium, et qui vel in scientiis proficere, vel eas alios docere parant, supremum illum sapientiae parentem, benignumque largitorem devoto sanae fidei obsequio demereri, veraque sincerae Religionis pietate sibi conciliare debeant.

§ 2. Idcirco hanc Fidei puritatem, scientiis, doctrinisque quibuslibet, tum tradendis, tum addiscendis, tamquam necessariam basim constituere, et ne simplicia nonnullorum adolescentium, res novas audiendi cupidorum ingenia in naufragos blandientium haeresum scrupulos imprudenter impingant, occurrere cupientes: Motu proprio, et ex certa scientia nostra, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, quod deinceps nullus Doctor, Magister, Regens, vel alius cuiuscumque artis, et facultatis professor, sive clericus sive laicus ac saecularis, vel cuiusvis Ordinis regularis sit, in quibusvis Studiorum generalium Universitatibus, aut Gymnasiis publicis, aut alibi ordinariam, vel extraordinariam lectoris Cathedram assequi, vel iam obtentam retinere, seu alias Theologiam, canonicam vel civilem censuram, Medicinam, Philosophiam, Grammaticam, vel alias liberales artes, in quibuscumque civitatibus, terris, oppidis, ac locis, etiam in Ecclesiis, Monasteriis, aut Conventibus Regularium quorumcumque, publice, vel privatim quoquomodo profiteri, seu lectiones aliquas in facultatibus huiusmodi habere, vel exercere.

§ 3. Neque Doctores ipsi, aut Universitatum, seu Gymnasiorum eorumdem Rectores, Cancellarii, vel alii Superiores, sed nec etiam Palatini Comites, aut alii particulares facultatem eruditos viros ad eosdem gradus promovendi, etiam a Nobis, et Apostolica Sede, vel alias undecumque habentes scholares, tam laicos quam clericos, et cuiusvis Ordinis regulares, vel alios quoscumque quantalibet eruditione praeditos, ad ullum gradum in eisdem facultatibus suscipiendum recipere, et admittere.

§ 4. Neque Doctores, Magistri, et Scholares, ad electionem alicuius in Rectorem, vel Cancellarium Universitatis aut Gymnasii procedere. Nec ipsi Scholares, vel alii quantumlibet docti, et alioqui habiles, gradus huiusmodi, vel eorum aliquem, palam, vel privatim, recipere valeant, nisi Doctores vide-

licet, ac Regentes, Magistri, et alii professores iam ad Cathedras, et lecturas recepti, in Italia infra tres, extra vero illam infra sex menses a die publicationis praesentium computandos, reliqui vero ad Cathedras et alias lecturas ibidem in posterum assumendi ante illorum receptionem, in Rectoris, vel aliorum Superiorum, eligendi autem in Rectores vel Cancellarios ante illorum electionem, vel saltem admissionem in Ordinarii loci, vel eius in spiritualibus Vicarii. Ac promovendi Scholares, et alii praefati ante illorum promotionem in eisdem Ordinarii, seu eius Vicarii, aut Doctorum, aliorumque promoventium manibus, praevio etiam processu, vel debita informatione, quantum eis sufficere videbitur, super Religione, Fideque Catholica, Rectorum, Cancellariorum, Doctorum, Lectorum, et promovendorum eorumdem per ipsos locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios rite facta praecedente, eamdem Catholicam fidem, verbis, iuxta formae infrascriptae tenorem conceptis palam, et solemniter profiteri teneantur. Et desuper instrumentum publicum confici, ac de processu, seu informatione, et fidei professione in privilegio Doctoratus, vel alterius gradus huiusmodi specialis, ac de verbo ad verbum mentio et relatio fieri debeat, auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo statuimus, et ordinamus.

§ 5. Ac omnibus, et singulis earumdem Universitatum, et Gymnasiorum Rectoribus, Doctoribus, et aliis Superioribus, ac alias facultatem doctorandi habentibus, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, et praeeminentiae fuerint, etiam si Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, vel maiori dignitate, etiam Cardinalatus honore, ac Ducali, vel alia, etiam Regia, et Imperiali auctoritate praefulgeant, ne quem in Universitatibus, Civitatibus, oppidis, vel aliis locis sibi, in spiritualibus, vel temporalibus subiectis, aliter Cathedras, aut alias lectiones retinere, consequi, vel ad gradus promoveri respective patiantur, in virtute sanctae obedientiae, et sub interdicto ab ingressu Ecclesiae quoad Antistites, quo vero ad inferiores, sub excommunicationis latae sententiae, necnon privationis omnium, et singulorum dignitatum, beneficiorum, officiorum, et feudorum Ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, et inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda, eo ipso per contrafacientes incurrendis poenis districtius inhibemus.

§ 6. Ac quascumque receptiones, promotiones, electiones, et admissiones absque processu, certaque de Religione, et Fide Catholica notitia, ac dicta fidei professione, sic ut praefertur, praecedente, pro tempore factas, nullas, invalidas, nulliusque roboris, vel momenti esse, neque cuiquam in iudicio, vel extra suffragari posse.

§ 8. Non obstantibus, etc.

Forma autem dictae Professionis fidei haec est.

Ego N. firma fide credo, et profiteor omnia, etc., *ut infra, in Pii IV, const.* Iniunctum nobis *(cf. N. 108)*.

[Bull. Rom., tom. 4, II, p. 201-204].

108.

Pius IV, const. *Iniunctum nobis*, 13 nov. 1564. Professio fidei Trident.

Iniunctum nobis Apostolicae servitutis officium requirit, ut ea quae Dominus Omnipotens, ad providam Ecclesiae suae directionem, sanctis Patribus in nomine suo congregatis divinitus inspirare dignatus est, ad eius laudem, et gloriam incunctanter exequi properemus. Cum itaque iuxta Concilii Tridentini dispositionem, omnes, quos deinceps Cathedralibus, et superioribus Ecclesiis praefici, vel quibus de illarum dignitatibus, canonicatibus, et aliis quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, curam animarum habentibus, provideri continget, publicam Orthodoxae Fidei professionem facere, seque in Romanae Ecclesiae obedientia permansuros spondere, et iurare teneantur.

§ 1. Nos volentes etiam per quoscumque, quibus de Monasteriis, Conventibus, Domibus, et aliis quibuscumque locis regularium quorumcumque Ordinum, etiam Militiarum, quocumque nomine, vel titulo providebitur, idem servari, et ad hoc ut unius eiusdem fidei professio uniformiter ab omnibus exhibeatur, unicaque, et certa illius forma cunctis innotescat, nostrae solicitudinis partes in hoc alicui minime desiderari, formam ipsam praesentibus adnotatam, publicari, et ubique gentium per eos, ad quos ex decretis ipsius Concilii, et alios praedictos spectat, recipi, et observari, ac sub poenis per Concilium ipsum in contravenientes latis, iuxta hanc, et non aliam formam professionem praedictam solemniter fieri, auctoritate Apostolica tenore praesentium districte praecipiendo mandamus huiusmodi sub tenore.

Ego N. firma fide credo, et profiteor omnia, et singula, quae continentur in Symbolo Fidei, quo S. R. E. utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem, factorem Coeli, et Terrae, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de Coelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in Coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos, et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et Unam, Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen. Apostolicas, et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes, et constitutiones firmis-

sime admitto, et amplector. Item sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit, et tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, et interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam umquam, nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam, et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vera, et proprie Sacramenta novae legis, a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, et admitto. Omnia, et singula, quae de peccato originali, et de iustificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, et declarata fuerunt, amplector, et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium sacrificium pro vivis, et defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter, Corpus, et Sanguinem, una cum Anima, et Divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter, et Sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi, ac Deiparae semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, et retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, et Magistram agnosco. Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac iuro. Cetera item omnia a Sacris Canonibus, et Oecumenicis Conciliis, ac praecipue a Sacrosancta Tridentina Synodo[1] tradita, definita, et declarata indubitanter recipio, atque profiteor: simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas, et reiectas, et anathematizatas, ego pariter damno, reiicio, et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eamdem integram, et immaculatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime Deo adiuvante retinere, et confiteri, atque a meis subditis, seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, et doceri, et praedicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo, ac iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

[1] Hic formula ita mutari debet: *et ab oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis Primatu et infallibili magisterio, indubitanter*, etc. (Ex S. C. C., decr. 20 ian. 1877).

§ 3. Volumus autem quod praesentes literae in Cancellaria nostra Apostolica de more legantur, et ut omnibus facilius pateant, in eius quinterno describantur, ac etiam imprimantur.

§ 4. Nulli ergo omnino hominum, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, II, p. 204, 205].

109.

Pius IV, const. *In suprema*, 25 nov. 1564.

In suprema militantis Ecclesiae specula meritis licet insufficientibus divina dispositione constituti, cunctos non solum vigilantiae nostrae commissos dominicos greges, sed etiam singulorum Pastorum suorum actus intensa nostrae mentis acie collustrantes, studium efficax, operamque sedulam ad hoc omnino statuimus adhibere, ut quemadmodum operosum Sac. Conc. Tridentini progressum, felicemque exitum, Domino cooperante praestitimus, ita sanctissima illius decreta, ipsorum praesertim, qui in Apostolicae solicitudinis partem vocati sunt, Pastorum officium concernentia, non tepide, neque dissimulanter exequamur.

§ 1. Sane licet in Concilio praefato saluberrima fuerit ordinatione decretum, quod omnes, et singuli venerabiles fratres nostri Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, et Episcopi, et alii beneficiati apud Ecclesias sponsas suas residere teneantur, nonnulli tamen (quod non sine animi nostri moerore referimus) adeo sui, gregumque, quos olim deperditos Salvator Noster proprio sanguine redimere dignatus est, sibi creditorum obliti sunt, ut etiam nunc in Alma Urbe, vel alibi commorantes, et sacrosancta spiritualis matrimonii, inter eos, suasque Ecclesias solemniter contracti iura confundentes, sponsas suas in longa quasi viduitate relictas, et praedictas Ecclesias quomodocumque sibi concessas invisere, et apud illas, ut probos, et providos patresfamilias decet, residere non curent, in perditionem animarum suarum, et subditorum suorum, ac perniciosum exemplum, et scandalum plurimorum.

§ 2. Nos hanc illorum contumaciam alicuius, etiam temporalis poenae metu frangendam, seu convincendam esse censentes, Motu proprio, et ex certa scientia nostra, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, omnibus, et singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis praefatis, ac aliis quibuscumque, etiam quavis auctoritate, dignitate, gradu, vel praeeminentia praefulgentibus, dictas Ecclesias in commendam, vel administrationem, aut alio quovis nomine obtinentibus, et aliis quibuscumque beneficiatis curam animarum habentibus, qui iuxta decreti super Residentia in Concilio praedicto promulgati tenorem, personalem in suis Ecclesiis residentiam facere tenerentur, in virtute sanctae obedientiae, ultra poenas in dicto decreto Concilii contentas, etiam sub privationis eorum, a regimine, et administratione Ecclesiarum suarum, ac aliis nostro, et pro tempore existentis Romani Pontificis Successoris Nostri arbitrio imponen. poenis distincte praecipiendo per

Apostolica scripta mandamus, quatenus omni mora cessante in eisdem suis Ecclesiis, iuxta formam, et tenorem dicti Concilii personaliter resideant.

§ 9. Non obstantibus, etc.

Nulli ergo, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, II, p. 207-209].

110.

S. Pius V, const. *Sanctissimus in Christo*, 29 mart. 1566.

§ 1. Sanctissimus in Christo Pater, et Dominus noster, Dominus Pius divina providentia Papa Quintus. Ad cuius notitiam pervenit, quod nonnulli Cathedralium, etiam forsan Metropolitanarum, Collegiatarum, et aliarum Ecclesiarum, necnon Monasteriorum, conventuum, domorum, et aliorum piorum locorum saecularium, et diversorum Ordinum, ac Militiarum regularium Praelati, Capitula, Clerici, Fratres, aliique superiores, et personae, antiquum Sanctae Romanae Ecclesiae ritum in statutis Missarum celebrandarum temporibus pervertere satagentes, diversas licentias et facultates, Missas, quae media nocte, seu in aurora Nativitatis, ac de mane Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, et forsan aliarum festivitatum iuxta praedictum ritum celebrari consueverant, de sero etiam forsan circa solis occasum vigiliae festivitatum earumdem in suis Ecclesiis, et Capellis celebrandi, seu celebrari faciendi, ab Apostolica Sede, vel eius Legatis, ac etiam maiori Poenitentiario pro tempore existente variis praetextibus impetraverunt, illisque iampridem utuntur. Hoc ab antiquo Catholicae Ecclesiae instituto, Sanctorumque Patrum decretis deviare considerans, ac propterea hunc abusum ab Ecclesia Dei submovere volens, omnes ac singulas licentias, et facultates huiusmodi hactenus, etiam Motu proprio, vel quorumvis etiam Imperatorum, Regum, et aliorum Principum contemplatione, et ex quibusvis causis quomodolibet concessas, ac Apostolicas, et alias literas desuper confectas, illarum omnium tenores pro sufficienter expressis habens, Apostolica auctoritate, ex certa scientia revocavit, ac omnino cassavit, et annullavit.

§ 2. Hac praesenti perpetuo valitura Constitutione quibusvis Praelatis, Capitulis, Clericis, Fratribus, aliisque superioribus, et personis eorumdem Ecclesiarum, Monasteriorum, conventuum, domorum, et aliorum piorum locorum in virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis suae, ac perpetuae suspensionis a divinis poena districtius inhibens, ne deinceps Missas vespertino tempore, huiusmodi licentiarum, et facultatum, aut alio quovis praetextu celebrare, vel celebrari facere praesumant, ac mandans locorum Ordinariis, ut eamdem praesentem Constitutionem sub praedictis, et aliis sibi benevisis poenis per quoscumque Praelatos, Capitula, Clericos, Fratres, Superiores, et personas huiusmodi inviolabiliter observari faciant, contradictores quoslibet auctoritate Apostolica compescendo.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum,

domorum, et aliorum locorum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis eisdem Ecclesiis, Monasteriis, domibus et locis, illorumque Capitulis, Conventibus, Superioribus, et personis, ac Ordinibus sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, necnon irritantibus, et aliis decretis, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, et aliorum Principum instantiam, aut eorum contemplatione, etiam Motu proprio, et ex certa scientia, ac alias quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis, quibus omnibus ipsa Sanctitas Sua illorum tenores pro expressis habens, specialiter, et expresse derogavit, illaque quoad praemissa, cassavit penitus, et annullavit, ceterisque contrariis quibuscumque.

[Bull. Rom., tom. 4, II, p. 283].

111.

S. Pius V, const. *Cum primum*, 1 apr. 1566.

Cum primum Apostolatus officium divina Nobis dispositione commissum suscepimus, statim omnem curam, et cogitationem nostram in Dominici gregis fidei nostrae crediti salute defiximus, et Christifideles Deo iuvante, ita dirigere statuimus, ut a vitiis, et peccatis abstinentes, iter, quod ad vitam aeternam ducit, insistant.

§ 1. Cum autem ad omnia, quae divinam maiestatem aliquo modo possent offendere movenda, mentis nostrae aciem intenderimus, ea primum, et sine mora emendare decrevimus, quae Deo praeter cetera displicere, et iram eius provocare, cum divinae docent scripturae, tum gravissima exempla declarant, nempe divini cultus neglectum, simoniae labem, blasphemiae crimen, et libidinis naturae contrariae vitium execrandum, propter quae populi, et nationes, bellorum, famis, et pestilentiae calamitatibus, iusta Dei ultione saepe plectuntur. Et si autem contra eos, qui tam gravia crimina admiserint, multae a Praedecessoribus nostris, Constitutiones editae fuerunt, tamen quia parum est leges edere, nisi sint, qui eas debitis temporibus exequantur.

§ 2. Idcirco ne qui forsan ex tolerantia sperare impunitatem audeant, scientes plerosque poenarum gravitate magis, quam Dei timore arceri solere a voluntate peccandi, omnes et singulas sententias, censuras, et poenas contra eos, qui talia deliquerint, latas confirmamus, et Apostolica auctoritate innovamus, nec de earum rigore quicquam relaxamus, admonemusque eos, qui talia perpetrare veriti non fuerint, non solum subituros eas poenas, quae sacris sunt Canonibus constitutae, sed eas etiam, quas leges civiles comminantur, et nostri quoque arbitrii discretio pro personarum qualitate constituet.

§ 3. Mandantes Civitatum, et locorum Status nostri Ecclesiastici pro tempore Ordinariis, et Gubernatoribus: illis quidem sub poena suspensionis a divinis, his vero sub poena excommunicationis latae sententiae, ut quos

debitum Deo cultum in Ecclesiis non tribuere, aliisque nefandis criminibus pollutos esse compererint, comprehendi curent poenis afficiendos competentibus. Scituris, etiam ipsis Iudicibus, quod si post hanc nostram Constitutionem in castigandis huiusmodi delictis negligentes fuerint, primum quidem Dei Omnipotentis iudicio obnoxii erunt, deinde nostram quoque incurrent indignationem. Ut autem poenarum certitudo cunctis facilius innotescat, nonnullas hic duximus exprimendas, aliis nihilominus contra huiusmodi criminum reos a iure statutis in suo robore manentibus.

§ 4. Ut igitur Deo Optimo Maximo, Gloriosae Virgini, et Sanctis omnibus debitus honor deferatur, Gregorii X Praedecessoris nostri Constitutionem[1] Innovantes, ac statuta in Tridentino Concilio observari volentes, statuimus, et ordinamus, ut ad Ecclesias sit humilis, et devotus ingressus, quieta conversatio, devotis orationibus insistant, et omnes genibus flexis Sanctissimum Sacramentum adorent, ad nomen Iesu Christi Domini nostri cum exhibitione reverentiae caput inclinent, nullus in dictis Ecclesiis seditionem faciat, tumultum excitet, clamores moveat, impetumve committat, cessent vana, foeda, et profana colloquia, risus immoderati, et strepitus omnes iudiciorum, et alia quaecumque, quae divinum officium perturbare possunt. Nullus intra Ecclesias deambulare audeat, sive praesumat, dum celebrantur sacra Missarum Mysteria, et alia divina officia. Qui vero praedicta petulanti animo contempserint, praeter divinae ultionis acrimoniam, nostri quoque arbitrii poenas incurrent, quae omnia locorum quoque Ordinarii in suis Ecclesiis faciant observari. Quicumque vero in Ecclesiis, dum ibi sacrificium Missae, et divina celebrantur officia, aut verbum Dei praedicatur, deambulare, vociferari aut verso tergo ad Sanctissimum Sacramentum irreverenter sedere, aut aliquid, quod scandalum generet, aut divina perturbet officia, facere praesumpserit, poenam vigintiquinque ducatorum incurret, praeter alias arbitrio nostro imponendas, et moderandas poenas, et qui non habebit in aere, luet in corpore, aut exilio mulctabitur. Qui vero in Ecclesiis cum mulieribus impudicis, sive etiam honestis colloquium scurrile habuerit, aut alios inhonestos actus fecerit, vigintiquinque ducatorum poenam incurrat, et carceris per mensem. Qui in Ecclesiis, ut supra, obscoenis et inhonestis verbis, aut signis usus fuerit, aut alia foeda colloquia cum personis quibuscumque habuerit, decem aureorum poena mulctetur, aut alias corporaliter puniatur. Mandamus praeterea omnibus, et singulis Cathedralium, Collegiatarum, et Parochialium Ecclesiarum Capitulis, Rectoribus, Vicariis, Sacristis, Ostiariis, et aliis ipsarum custodibus, quatenus praefatos omnes in Ecclesiis delinquentes admoneant, et ut in eis vetita fieri non permittant, vel saltem ipsis Ordinariis, vel Officialibus nostris puniendos deferant, quod si facere neglexerint, poenam duorum aureorum vice qualibet incurrent.

§ 5. Pauperes quoque mendicantes, seu eleemosynas petentes per Ecclesias tempore Missarum, praedicationum, aliorumque divinorum officiorum ire non sinant, sed eos ad valvas Ecclesiarum stare faciant, sub poena duo-

[1] C. 2, *de immunitate ecclesiarum, coemeteriorum et aliorum locorum religiosorum*, III, 23, in VI°.

rum aureorum Capitulis infligenda pro qualibet vice, nisi eos eiici curaverint, et Parochis dimidii aurei. Religiosis, etiam claustralibus, sive regularibus praecipimus in virtute sanctae obedientiae, ut in Ecclesiis suis deputent aliquem, qui tales eiiciat, et si negligentes fuerint, gravissime ab Ordinario corripiantur, quod si illi parere recusaverint, gravissimas poenas incurrent, et pro qualitate personarum, etiam corporaliter punientur arbitrio nostro, sive superiorum.

§ 6. Et ut in Ecclesiis nihil indecens relinquatur, iidem provideant, ut capsae omnes, et deposita, seu alia cadaverum conditoria super terram existentia omnino amoveantur, prout alias statutum fuit, et defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur.

§ 7. Cum vero dierum festorum observatio ad Dei cultum maxime pertineat, et in lege divina praecipiatur, cupientes abusus pravos, qui ex eorum inobservantia invaluerunt, omnino corrigere, et antiquorum Canonum statuta renovantes, mandamus, ut omnes dies Dominici, et praecipue in honorem Dei, Beatae Mariae Virginis, Sanctorum Apostolorum feriati, cum omni veneratione observentur, omnes in diebus praefatis Ecclesias frequentent, divinis Officiis devote intendant, ab omni illicito, et servili opere abstineant, mercatus non fiant, profanae negotiationes, et iudiciorum strepitus conquiescant. Qui vero in diebus praefatis opus aliquod illicitum fecisse deprehensus fuerit, praeter divinam ultionem, et amissionem animalium, quibus ad vecturam utetur, etiam graves poenas incurret arbitrio nostro, seu Vicarii nostri in Urbe, in aliis autem locis arbitrio Ordinariorum, vel aliorum Magistratuum, ita ut praeventioni locus sit. Quibus omnibus districte praecipimus, ut haec diligenter observari procurent, illas etiam festivitates, quae iuxta consuetudinem locorum solemniter celebrari consueverunt, iuxta laudabilem consuetudinem debita cum reverentia observari faciant, sub poenis arbitrio ipsorum imponendis, et moderandis.

§ 8. Et ut Simoniacae pravitatis labes prorsus aboleatur, constitutiones Antecessorum nostrorum contra Simoniacos editas, et praesertim Pauli II[1] inviolabiliter, observari mandamus, et delinquentes tam in sacrorum Ordinum receptione, quam in beneficiorum assecutione, statutis etiam inferius poenis nostra auctoritate affici volumus. Quicumque igitur detestabile crimen Simoniacae pravitatis commisisse convictus fuerit in consequendis ordinibus, eo ipso sit ab illorum executione per decennium sine spe dispensationis suspensus, et per annum carceribus mancipetur. Qui dignitates Ecclesiasticas Simoniace acquisiverit, illis sit ipso iure privatus, et in futurum inhabilis ad eas, et quascumque alias obtinendas. Qui beneficium, aut officium Ecclesiasticum Simoniace adeptus fuerit, illis similiter sit ipso iure privatus, et ad fructuum omnium, quos perceperit, restitutionem teneatur, et perpetuo sit inhabilis ad ea, et quaecumque alia beneficia Ecclesiastica obtinenda. Si quis autem tale crimen pluries commisisse convictus fuerit, praeter supradictas poenas, etiam corporaliter puniatur, et ab ordinibus Ecclesiasticis degradatus a fidelium consortio eiiciatur. Qui vero ordines, et bene-

[1] C. 2, *de simonia*, V, 1, in Extravag. com.

ficia Simoniace contulerint, poenis a iure statutis puniantur, cuiuscumque gradus, conditionis, et dignitatis, etiam si Episcopi, Archiepiscopi, vel maiores fuerint.

§ 9. Caveant praeterea quicumque, ne in Sacramentorum exhibitione Simoniacum aliquid faciant, alioquin gravissime puniantur per locorum Ordinarios, qui huiusmodi criminis reos cum maxima severitate coercere procurent, iuxta Con. Triden. statuta.

§ 10. Ad abolendum vero nefarium, et execrabile blasphemiae scelus, quod in antiqua lege Deus morte puniri mandat, et imperialibus quoque legibus receptum est, nunc autem propter nimiam Iudicum in puniendo segnitiem, vel potius desuetudinem, supra modum invaluit, Leonis X Praedecessoris Nostri in novissimo Lateranen. Concilio statuta[1] innovantes, decernimus, ut quicumque laicus Deum, et Dominum nostrum Iesum Christum, vel Gloriosam Virginem Mariam eius genitricem expresse blasphemaverit, pro prima vice poenam 25 ducatorum incurrat, pro secunda poena duplicabitur, pro tertia autem centum ducatos solvet, et ignominia notatus exilio mulctabitur. Qui vero plebeius fuerit, nec erit solvendo, pro prima vice manibus post tergum ligatis ante fores Ecclesiae constituetur per diem integrum, pro secunda fustigabitur per Urbem, pro tertia lingua ei perforabitur, et mittetur ad triremes. Quicumque clericus in hoc blasphemiae crimen incurrerit, pro prima vice fructibus unius anni omnium et quorumcumque beneficiorum suorum, pro secunda beneficiis ipsis privetur, pro tertia omnibus etiam dignitatibus exutus deponatur, et in exilium mittatur. Quod si clericus nullum obtinuerit beneficium, poena pecuniaria, vel corporali pro prima vice puniatur, pro secunda carceribus mancipetur, pro tertia verbaliter degradetur, et ad triremes mittatur. Qui reliquos sanctos blasphemaverit, pro qualitate blasphemiae, atque personae, arbitrio Iudicis puniatur.

§ 11. Si quis crimen nefandum contra naturam, propter quod ira Dei venit in filios diffidentiae, perpetraverit, Curiae saeculari puniendus tradatur, et si clericus fuerit, omnibus ordinibus degradatus simili poenae subiiciatur.

§ 12. Monemus praeterea omnes locorum Ordinarios, et in virtute sanctae obedientiae eis praecipimus, ut statuta Tridentini Concilii contra concubinarios, tam clericos, quam laicos edita, districte faciant observari, reddituri Deo, ac Nobis, si id omiserint, rationem.

§ 13. Et ut praemissorum delictorum simoniae, blasphemiae, ac stupri nefandi notitia facilius habeatur, volumus, quod in singulis casibus, non solum per accusationem, et inquisitionem, sed etiam ad simplicem, et secretam denunciationem procedatur per quoscumque Iudices, alias tamen de iure competentes, tam ratione delicti quam personarum, ita quod inter eos locus sit praeventioni.

§ 14. Monemus praeterea omnes, et singulos, ut solum Dei timorem prae oculis habentes, et non alia animi prava affectione ducti, culpabiles tantum deferant, innocentes non vexent. Quod si aliqui ex calumnia aliquos denunciasse comperti fuerint, eos ad poenam talionis teneri volumus, et mandamus.

[1] Const. *Supernae dispositionis*, § 33. - Cf. supra, in N. 65.

§ 15. Mulctae autem pecuniariae applicabuntur pro duabus partibus locis piis arbitrio nostro in Urbe, extra vero, Ordinariorum, pro tertia accusatori, qui delinquentes detulerit.

§ 16. Mandamus autem Principibus, Comitibus, et Baronibus omnibus, S. R. E. feudatariis, sub poena privationis feudorum, quae ab ipsa Ecclesia Romana obtinent. Reliquos vero Principes Christianos, et Terrarum Dominos hortamur in Domino, et in virtute sanctae obedientiae mandamus, ut pro divini nominis reverentia, et honore, praemissa omnia in suis dominiis, ac Terris exactissime servari faciant, uberrimam ab ipso Deo mercedem pro tam bonis operibus recepturi.

§ 17. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, II, p. 284-286].

112.

S. Pius V, const. *Circa pastoralis*, 29 maii 1566.

Circa pastoralis officii, Nobis, meritis licet imparibus, desuper commissi curam quantum Nobis ex alto permittitur, invigilantes, assidue ad ea, per quae singulis erroribus, et excessibus obviatur, ac personis quibuslibet, praesertim foeminei sexus virginitatem suam Altissimo voventibus, sub religionis iugo Christo Salvatori in castitatis holocausto famulari affectantibus, semita iustitiae, et honestatis declinantibus, ne quicquam in eis reperiatur incongruum, quod in regularis ponat honestatis gloria maculam, et divinam merito possit offendere maiestatem, opportune succurritur, libenter intendimus, ac in his nostrae vigilantiae partes propensius impartimur, prout id in Domino salubriter expedire conspicimus.

§ 1. Hac igitur perpetuo valitura Constitutione, inhaerentes etiam Constitutioni fel. rec. Bonifacii Papae VIII Praedecessoris nostri, quae incipit, *Periculoso*,[1] et decretis Concilii Tridentini[2] super clausura Monialium editis, auctoritate Apostolica tenore praesentium statuimus, atque perpetuo decernimus, universas, et singulas Moniales, praesentes atque futuras, cuiuscumque Religionis, Ordinis, vel militiarum, etiam Hierosolymitan. sint, quae vel iam receptae sint, vel in posterum in quibusvis Monasteriis, sive domibus recipientur, et tacite vel expresse religionem professae, etiam si conversae, aut quocumque alio nomine appellentur, etiam si ex institutis, vel fundationibus earum regulae ad clausuram non teneantur, nec unquam in earum Monasteriis, seu domibus, etiam ab immemorabili tempore ea servata non fuerit, sub perpetua in suis Monasteriis, seu domibus debere de cetero permanere clausura, iuxta formam dictae Constitutionis fel. rec. Bonifacii Papae VIII Praedecessoris nostri, quae incipit *Periculoso*, in sacro Concilio Tridentino approbatam, et innovatam, quam Nos auctoritate praefata etiam approbamus,

[1] C. un., *de statu regularium*, III, 16, in VI°.
[2] Sess. XXV, *de regularibus*, c. 5.

et innovamus, in omnibus, et per omnia, ac illam districte observari mandamus.

§ 2. Quod si aliquae Moniales forsan reperiantur, quae consuetudine etiam immemorabili, aut instituto, vel fundatione regulae suae fretae, animo obstinato huic clausurae resistant, aut quoquomodo reluctentur, Ordinarii una cum superioribus earum, omnibus iuris, et facti remediis compellant easdem tamquam rebelles, et incorrigibiles ad praecise subeundum dictam clausuram, perpetuo observandam.

§ 3. Mulieres quoque quae Tertiariae, seu de Poenitentia dicuntur, cuiuscumque fuerint Ordinis in congregatione viventes, si et ipsae professae fuerint, ita ut solemne votum emiserint, ad clausuram praecise, ut praemittitur, et ipsae teneantur; quod si votum solemne non emiserint, Ordinarii una cum superioribus earum hortentur, et persuadere studeant, ut illud emittant, et profiteantur, ac post emissionem, et professionem eidem clausurae se subiiciant, quod si recusaverint, et aliquae ex eis inventae fuerint scandalose vivere, severissime puniantur.

§ 4. Ceteris autem omnibus sic absque emissione professionis, et clausura vivere omnino volentibus interdicimus, et perpetuo prohibemus, ne in futurum ullam aliam prorsus in suum Ordinem, Religionem, Congregationemque recipiant. Quod si contra huiusmodi hanc nostram prohibitionem, et decretum aliquas receperint, eas ad sic vivendum omnino inhabiles reddimus, ac illarum quaslibet professiones, et receptiones irritas facimus, et annullamus.

§ 5. Porro ne Moniales, vel Tertiariae praedictae propter hanc clausuram, detrimentum aut incommodum aliquod in earum necessitatibus, maxime in pertinentibus ad illarum victum patiantur, sed ut eis opportune consulatur, auctoritate Apostolica praefata statuimus, decernimus, praecipimus, atque mandamus Ordinariis, et Superioribus earum, ut curent colligi fidelium eleemosynas per conversas, quae non sint professae, vel si professae fuerint, sint tamen aetatis annorum quadraginta, et in domibus contiguis, extra tamen Monasterium, degant, et non ingrediantur clausuram aliarum Monialium, nisi in casibus ex earum Constitutionibus permissis, et de earum domibus exire non possint pro huiusmodi eleemosynis colligendis, nisi de licentia Ordinarii, vel earum Superiorum.

§ 6. Et de cetero nullae aliae conversae professae recipi amplius etiam de consensu suorum Superiorum, vel Praelatorum possint; quod si adversus hanc nostram prohibitionem receptae fuerint, illarum receptio nulla, irrita, et inanis sit, prout ex nunc nullam, irritam facimus, et annullamus.

§ 7. Quod si praedicto modo necessitatibus Monialium, et mulierum Tertiariarum praedictarum succurri sufficienter non poterit, mandamus ipsis Ordinariis, et Superioribus earum, ut ipsi provideant de aliis personis piis, et Deo devotis, quae fidelium eleemosynas colligant, vel alias eo meliori, et commodiori modo, quo fieri poterit, etiam ex opere manuum ipsarum Monialium, et mulierum praedictarum, arbitrio Ordinariorum, et Superiorum earumdem, et prout eis congruentius expedire videbitur, provideatur, et succurratur. Et ne propter Monialium numerum excessivum clausurae obser-

vatio violetur, inhaerentes etiam similiter dispositioni dictae Constitutionis Bonifacii, et Concilii Tridentini decreto, Monialibus praedictis, et illarum Superioribus, et Ordinariis districte inhibendo praecipimus, et mandamus, ne plures in earum Monasteriis recipiant, et admittant, sive recipi, et admitti permittant, quam ex propriis redditibus ipsorum Monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commode sustentari possint.

§ 8. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, sub obtestatione divini iudicii, et interminatione maledictionis aeternae, universis venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis, quatenus in Civitatibus, et Dioecesibus propriis, praesentes nostras literas publicari faciant, ac in Monasteriis Monialium sibi ordinario iure subiectis, in iis vero, quae ad Romanam mediate vel immediate spectant Ecclesiam, Sedis Apostolicae auctoritate una cum Superioribus eorumdem Monasteriorum clausuram, ut praemittitur, quamprimum potuerint, servari procurent. Contradictores atque rebelles per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo; invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Ac ut hoc tam salutare decretum facilius observetur, omnes Principes saeculares, et alios Dominos, et Magistratus temporales rogamus, requirimus, et obsecramus, per viscera misericordiae Domini nostri Iesu Christi, eisdem in remissionem peccatorum iniungentes, quod in praemissis omnibus eisdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis, et aliis Monialium Superioribus assistant, ac suum favorem, et auxilium praestent, ac impedientes poenis etiam temporalibus afficiant.

§ 9. Praemissis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, statutis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam per Sedem Apostolicam approbatis, et confirmatis; privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis etiam in fundatione, et institutione eisdem Monasteriis, vel domibus, et Monialibus, sub quibuscumque verborum formis, et clausulis irritantibus, et aliis decretis quibuslibet concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, et innovatis. Quibus omnibus etiam si pro sufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis habentes, quoad effectum validitatis nostrae Constitutionis tantum derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, aut suspendi non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§ 10. Per hoc autem in Monasteriis exemptis, Ordinarii locorum quoad alia nullam sibi credant iurisdictionem vel potestatem aliquatenus eis attributam.

[Bull. Rom., tom. 4, II, p. 292-294].

113.

S. Pius V, const. *Providentia*, 20 aug. 1566.

Providentia Romani Pontificis plurimum circumspecta, nonnumquam ea, quae certis suadentibus causis per eius Praedecessores gesta sunt, ex aliis non minus rationabilibus causis alterat, et ad pristinum statum reducit, prout aequitas suadet, et in Domino conspicit expedire.

§ 1. Sane cum ad notitiam nostram pervenerit, quod nonnulli Presbyteri, tam Graeci, quam Latini antiquum S. R. E. ritum tam in celebratione Missarum, quam aliorum divinorum Officiorum pervertere satagentes, diversas licentias, et facultates, Missas, et alia divina Officia Graeci Latino more, ac Latini Graeco ritu celebrandi ab Apostolica Sede, vel eius Legatis, ac etiam maiore Poenitentiario pro tempore existente variis praetextibus impetrarunt, illisque iampridem utuntur, hoc ab antiquo Catholicae Ecclesiae instituto, Sanctorumque Patrum decretis deviare considerantes, propterea hunc abusum ab Ecclesia Dei extirpare, et submovere volentes, omnes, et singulas licentias, et facultates huiusmodi hactenus etiam Motu proprio, vel quorumvis etiam Imperatorum, Regum, et aliorum Principum contemplatione, et ex quibusvis causis quomodolibet concessas, ac Apostolicas, et alias literas desuper confectas, illarum omnium tenores pro sufficienter expressis habentes, Apostolica auctoritate ex certa scientia hac praesenti nostra perpetuo valitura Constitutione revocamus, cassamus, annullamus, et irritamus, quibusvis Presbyteris, tam Graecis, quam Latinis in virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis nostrae, ac perpetuae suspensionis a divinis poenis districtius inhibentes, ne deinceps Presbyteri Graeci, praecipue uxorati Latino more, et Latini Graeco ritu, huiusmodi licentiarum, et facultatum, aut alio quovis praetextu Missas, et alia divina Officia celebrare, vel celebrari facere praesumant.

§ 2. Mandantes in virtute sanctae obedientiae omnibus, et singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis quatenus in Civitatibus, et Dioecesibus propriis praesentes nostras literas publicari, et sub praedictis, et aliis sibi benevisis poenis per quoscumque Praelatos, Capitula, Clericos, Fratres, Superiores, et personas quaslibet inviolabiliter observari faciant. Contradictores quoslibet auctoritate Apostolica compescendo.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Domorum, et aliorum locorum quorumcumque etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis eisdem Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, et locis, illorumque Capitulis, Conventibus, Superioribus, et personis, ac Ordinibus sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis

clausulis, necnon irritantibus, et aliis decretis, etiam ad Imperatorum, Regum, Reginarum, Ducum, et aliorum Principum instantiam, aut eorum contemplatione, etiam Motu proprio, et ex certa scientia, ac alias quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis, quibus omnibus, illorum tenores pro expressis habentes, specialiter, et expresse derogamus, illaque quoad praemissa cassamus penitus, et annullamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 4. Volumus autem, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, II, p. 309, 310].

114.

S. Pius V, const. *Sanctissimus*, 20 aug. 1566.

Sanctissimus in Christo Pater, et Dominus noster Dominus Pius divina providentia Papa V. Attendens per quandam Constitutionem dudum per fel. rec. Pium Papam IV Sanctitatis Suae Praedecessorem editam, qua cavetur, quod in dispensationibus Matrimonialibus, pro diversis, consanguinitatis, seu affinitatis ex eodem stipite provenientibus gradibus coniunctis non remotioris solum, prout olim fieri solebat, sed etiam propinquioris graduum expressa mentio fieri debeat, alioquin dispensationes, ac desuper confectae literae nullius sint roboris, vel momenti, prout in dicta Constitutione plenius continetur, a dispositione iuris communis, et laudabili, ac antiquo Romanae Curiae stylo nimium recedi, ac favorem matrimonii debitum restringi.

§ 1. Volensque propterea iuri, ac stylo praedictis, necnon piae memoriae Gregorii XI, et Clementis VI Rom. Pont. etiam Sanctitatis Suae Praedecessorum vestigiis inhaerendo, sacramento, et libertati Matrimonii, quantum cum Deo potest favere, statuit, et ordinavit, quod de cetero in quibuscumque dispensationibus, quas pro Matrimoniis contractis, aut contrahendis inter viros, et mulieres, invicem diversis prohibitis consanguinitatis, et affinitatis, aut mixtis, ex communi, seu ab eodem stipite surgentibus, quicumque illi sint, dummodo primum quoquomodo non attingant, cum in eo Sanctitas Sua nunquam dispensare intendat, gradibus coniunctos, ab eadem Sanctitate Sua, et pro tempore existente Romano Pontifice, aut Sede Apostolica impetrari, vel alias concedi contigerit, ac literis, commissionibusque desuper etiam locorum Ordinariis faciendis gradus remotior attendatur, trahatque secum propinquiorem, ac ob id sufficiat remotiorem tantum gradum exprimere, obtentis tamen postea super propinquiore literis declaratoriis iuxta Gregorii, et Clementis Praedecessoris huiusmodi Constitutiones, quas quoad hoc innovavit, et inviolabiliter observari mandavit, dispensationesque, seu dispensandi commissiones, ac desuper confectas literas, et processus habitos per easdem dispensatis, seu Iris cum quibus dispensari mandatur, propter proximioris gradus huiusmodi non expressionem, de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis defectu notari non posse, sed in omnibus, et per omnia suffragari, perinde, ac si in literis, seu commissionibus huiusmodi de proximiore, seu utroque gradu, specialis, et expressa mentio facta fuisset.

§ 2. Sicque per quoscumque Iudices, et Commissarios, etiam S. R. E. Cardinales sublata eis, quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, iudicari, et definiri debere, ac quicquid secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, et inane decrevit.

Constitutione Pii Praedecessoris huiusmodi ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

[Bull. Rom., tom. 4, II, p. 310].

115.

S. Pius V, const. *Regularium*, 24 oct. 1566.

Regularium personarum, quae relicto saeculo Dei se obsequio dedicarunt, pro commisso Nobis officio, quieti consulere cupientes, ad ea removenda, quae religiosum earum propositum impedire possunt, curam nostram libenter intendimus, ut nulla re, quae eas a divino cultu avocet praepeditae, secundum Ordinum suorum regularia instituta, et decretum Sacri Tridentini Concilii, tranquillis mentibus gratum Altissimo impendere possint famulatum.

§ 1. Quia igitur, et Carthusiensium Ordinis, et aliorum regularem vitam professorum quies non parum solet, sicut accepimus, perturbari, propterea quod mulieres modestiae matronalis oblitae, domos, ac Monasteria eorum, contra ipsorum instituta, praetextu confessionalium, aut aliarum literarum Apostolicarum ingredi audeant, ipsis etiam Abbatibus, Praepositis, Prioribus, et aliis praesidentibus aliquando recusantibus, et renitentibus, non sine magna eorum molestia, nec sine gravi aliquorum etiam offensione, ac scandalo, si quando admitti nimis facile videantur.

§ 2. Huic rei providere volentes, Motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, omnes, et singulas facultates, ac licentias ingrediendi Monasteria, ac domos Carthusiensium, et aliorum quorumcumque Regularium Ordinum, etiam Mendicantium, mulieribus cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, et quacumque dignitate, ac praeeminentia praeditis, etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, et cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus, et insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis ab Apostolica Sede quomodocumque concessas, quarum tenores, perinde ac si de verbo ad verbum praesentibus insererentur, haberi volumus pro expressis, tenore praesentium revocamus, et cassas, irritas, et inanes esse decernimus.

§ 3. Districte prohibentes mulieribus quidem praedictas facultates, et licentias praetendentibus, sub excommunicationis, latae sententiae poena, postquam harum literarum notitiam habuerint, a qua non possint nisi a Nobis, aut Romano Pontifice, qui pro tempore fuerit, absolvi, praeterquam in mortis articulo, ne dictas domos, et monasteria ingredi audeant.

§ 4. Ipsis vero Monasteriorum, et Conventuum Abbatibus, Praepositis, Prioribus, et aliis Praesidentibus quocumque nomine vocentur, et eorum Monachis, Canonicis, et Fratribus, sive mendicantibus, sive non mendicantibus, sub privationis officiorum, quae in praesentia obtinent, et inhabilitatis in posterum ad illa, et alia omnia, et suspensionis a divinis ipso facto, sine alia declaratione, incurrendis poenis, ne eas introducere, admittereve praesumant.

§ 5. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, II, p. 318].

116.

S. Pius V, const. *Cum illius*, 28 nov. 1566.

Cum illius vicem, licet minime suffragantibus meritis, geramus in terris, de cuius vultu prodit iudicium, et vident oculi aequitatem, officii nostri debitam prosequimur actionem, si obscuros sacrorum Canonum sensus ita aperire studemus, ut piis Christifidelium mentibus nulla dubitandi occasio relinquatur.

§ 1. Sane licet ex eo quod in Concilio Tridentino decretum fuerit cognationem spiritualem inter eos tantum contrahi, qui suscipiunt baptizatum de baptismo, ac baptizatum ipsum, et illius patrem et matrem necnon baptizantem, et baptizatum, baptizatique patrem et matrem, in reliquis personis, quae per antiquos Canones occasione cognationis huiusmodi contrahere prohibebantur, omne impedimentum sublatum esse videatur, adhuc tamen ab aliquibus dubitari accepimus, an saltem impedimentum cognationis spiritualis huiusmodi inter maritum vel uxorem suscipientis, et baptizatum, necnon inter maritum vel uxorem suscipientis, et patrem ac matrem baptizati vigeat, propterea quod prohibitum de uno coniuge, de altero etiam prohibitum esse videatur.

§ 2. Nos piarum mentium quieti, et matrimoniorum favori (quantum ex alto Nobis permittitur) consulere volentes, a praecisis verbis Concilii minime discedendum in praemissis esse censuimus. Et propterea nullum amplius impedimentum ratione cognationis huiusmodi subesse decernimus, et declaramus, quominus inter dictos maritum vel uxorem suscipientis, et baptizatum, baptizatique patrem, et matrem, et quascumque alias personas tam ex parte suscipientis, quam baptizantis, et baptizati, in dicto Concilio nominatim non expressas, matrimonium libere et licite contrahi possit, et ita ab omnibus iudicari debere mandamus atque statuimus.

§ 3. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, II, p. 311].

117.

S. Pius V, const. *Cum ex Apostolatus*, 27 ian. 1567.

Cum ex Apostolatus officio Nobis (meritis licet imparibus) credito, cura Dominici gregis Nobis immineat generalis, et exinde teneamur, more vigilis pastoris vigilare, et attentius providere, ut Ecclesiis, Monasteriis, et quibusvis aliis beneficiis Ecclesiasticis nunc, et pro tempore propter crimen haeresis vacantibus, et vacaturis, tales viri eis praeficiantur idonei, qui detestandas, ac nefarias haereses diabolo disseminante contra verae, et orthodoxae fidei puritatem exortas, de agro Domini extirpare, et populos sibi commissos ad Catholicae Ecclesiae veritatem reducere, doctrina, verbo, et boni operis exemplo valeant.

§ 1. Praemissorum itaque consideratione inducti, et aliis ad id suadentibus rationabilibus causis, nonnullis, etiam Praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerendo, Motu proprio, non ad alicuius Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera nostra voluntate, et deliberatione, omnia, et singula beneficia Ecclesiastica, cum cura et sine cura, saecularia, et quorumvis Ordinum etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, et aliarum quarumvis Militiarum regularia quaecumque, et qualiacumque sint, etiam si saecularia, canonicatus, et praebendae, dignitates, personatus, administrationes, vel officia in cathedralibus etiam Metropolitanis, vel collegiatis, et dignitates ipsae in cathedralibus, etiam Metropolitanis post Pontificales maiores, seu collegiatis Ecclesiis huiusmodi principales, Regularia vero beneficia huiusmodi, Monasteria, etiam consistorialia, Prioratus, Praeposituræ, praepositatus, dignitates, etiam conventuales, personatus, administrationes, vel officia, etiam claustralia, ac Hospitalia, et praeceptoriae, et alia quomodocumque qualificata fuerint, ordinationi, et dispensationi nostrae, et Sedis Apostolicae hac perpetuo valitura Constitutione auctoritate Apostolica tenore praesentium reservamus.

§ 2. Declarantes omnes, et quascumque impetrationes de beneficiis, ut praefertur, quomodocumque qualificatis certo modo in futurum faciendas, et obtinendas, beneficia huiusmodi propter haeresim vacantia, et in futurum vacatura non comprehendere, nisi specialiter, et dispositive vacationis modus propter crimen haeresis expressus fuerit, et illum nullo modo sub quibusvis clausulis, et decretis comprehendi quantumcumque generalibus in quibusvis gratiis, et concessionibus per Nos, et Romanos Pontifices Successores nostros faciendis, etiam per fiat signatis, et concessis; ac decernentes omnes, et quascumque impetrationes de quibusvis beneficiis, ut praefertur, qualificatis hactenus factas, et obtentas, nisi earum vigore in iudicio per impetrantes crimen huiusmodi deductum fuerit, et super eo sententiam favorabilem obtinuerint, vel dictorum beneficiorum possessionem assequuti fuerint, ad vacationem huiusmodi propter crimen haeresis se non extendere, et illum neminem comprehendere.

§ 3. Sicque per quoscumque Iudices, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, II, p. 348].

118.

S. Pius V, const. *Etsi Dominici*, 8 febr. 1567.

Etsi Dominici gregis saluti semper intenti, singulis cum humilitate poscentibus ea benigne concedere Nos, et Praedecessores nostri studuerint, per quae peccatorum mole deposita, salus ipsis succedat, et hostis humani generis servitute ereptas animas lucrifaciant Altissimo, qui eas Nobis sua bonitate commisit; id tamen propensiori studio Nos praecavendum esse censemus, ne cuiusvis Indulgentiae, remissionis, vel facultatis obtentu, Christifideles procliviores ad illicita in posterum committenda reddantur, aut facilitas veniae eis peccandi tribuat incentivum, et exinde clavium auctoritas deducatur in contemptum, et Christifideles quamplurimum scandalizentur.

§ 1. Sane cum ad auditum nostrum ex diversis mundi partibus quamplurimae querelae perlatae fuerint, quod vigore diversarum Indulgentiarum, et facultatum per Praedecessores nostros, ac etiam Nos, vel auctoritate nostra, tam fabricae nostrae Basilicae Principis Apostolorum, et Ecclesiae S. Ioannis Lateranensis de Urbe, ipsiusque Ecclesiae, necnon S. Ioannis, et S. Lazari Hierosolymitani, ac S. Spiritus in Saxia, et S. Ioannis Lateranen. ac S. Iacobi Incurabilium, de eadem Urbe, necnon S. Elmi, et S. Bovis, ac S. Gothardi, et Leuguzioni, necnon S. Nicolai, et S. Bernardi Montis Iovii, necnon S. Leonardi, ac S. Marthae, necnon Sanctiss. Crucifixi Siracusan., ac S. Mariae de monte Serrato, Hospitalibus, ac etiam S. Sebastiani prope, et extra muros dictae Urbis, necnon Sancti Antonii de S. Antonio Viennen. Dioecesis, et Redemptionis captivorum nuper Neapoli instituto Monasteriis, illorumque, ac diversis aliis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, Militiis, Confraternitatibus, Societatibus, et piis locis concessarum, multi quaestores ex eisdem Indulgentiis lucrum temporale tantum quaerentes, nominibus fabricae Ecclesiarum, Hospitalium, Monasteriorum, Militiarum, Confraternitatum, Societatum, et piorum locorum praedictorum in diversis Civitatibus, et Dioecesibus quaestas facere, Confratres describere, Capellas, et Oratoria erigere, illisque erectis Indulgentias huiusmodi communicare, et in diversis gradibus a iure prohibitis dispensare, ac plura etiam concedere, quam eis vigore facultatum praedictarum licitum sit, ipsique lucro intenti, pecuniasque potius, quam Christifidelium salutem quaerentes, ac eisdem Indulgentiis sic abutentes, quaestum ex illis particularem facere conantur, variosque, et diversos Quaestores, Commissarios, Procuratores, Receptores, Thesaurarios, Factores, Nuncios, et alios ministros constituere, qui non solum supradicta, sed etiam plura alia eis numquam concessa, facere, et concedere, necnon locorum Ordinarios, illorumque in spiritualibus Vicarios generales, et Officiales, ac Ministros, Ecclesiarumque, et Ordinum Praelatos, Superiores, et personas, quaestas huiusmodi impedientes censuris Ecclesiasticis innodare, et alias in pluribus graviter excedentes in Divinae Maiestatis offensam, ac suarum, et Christifi-

delium animarum perniciem, ac Ordinariorum perturbationem, et piarum mentium scandalum, praesumant.

§ 2. Nos qui Deo propitio gregis Dominici, meritis licet insufficientibus, curam gerimus, et illum spiritualis Thesauri elargitione cupimus ipsi Deo reddere acceptabilem, ex praemissis, et aliis rationabilibus causis animum nostrum moventibus, fel. record. Callisti Quarti, Clementis VII, Pauli III, Iulii similiter III, et diversorum aliorum Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, Motu proprio non ad alicuius Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera nostra voluntate, et deliberatione, omnes, et singulas Indulgentias, etiam perpetuas, et peccatorum remissiones fabricae, et Ecclesiae huiusmodi, necnon S. Ioannis Hierosolymitani, etiam pro constructione, et aedificatione illius novae Civitatis praedictis, in quibusvis aliis Hospitalibus, Monasteriis, Ecclesiis, Domibus, Militiis, Ordinibus, etiam Mendicantium, Congregationibus, Confraternitatibus, et Universitatibus, et piis locis, illorumque Ordinibus, Capitulis, Conventibus, Magistris, Superioribus, et tam saecularibus, quam quorumvis, etiam Mendicantium Ordinum Regularibus personis, tam singulariter, quam universaliter per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac etiam Nos, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiam Motu proprio, et ex certa scientia, ac ex quibusvis, etiam urgentissimis causis, etiam causa redemptionis captivorum, et alias quomodolibet concessis: pro quibus consequendis manus sunt porrigendae adiutrices, et quae quaestuandi facultatem quomodolibet continent, illarum omnium tenores, formas, derogationes, et decreta praesentibus pro expressis habentes, auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo revocamus, cassamus, irritamus, et annullamus, ac viribus vacuamus.

§ 3. Et insuper perpetuo hac nostra valitura Constitutione decernimus, quod ex nunc de cetero sub indignationis nostrae poena, praetextu Indulgentiarum, et facultatum per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac Nos, et Sedem Apostolicam, etiam Motu simili, ac Sedis Apostolicae Legatos, et alias quomodolibet concessarum, et quas a Nobis, et Sede praedicta in posterum verbo, literis, aut quavis alia scriptura, etiam manu nostra signata, etiam cum clausula, quod sola signatura sufficiat, etiam in favorem fidei, aut Cruciatae sanctae, vel cuiuscumque alterius piae causae etiam privilegiatae concedi quomodolibet contigerit, nullus quavis etiam Episcopali, Archiepiscopali, et Patriarchali, aut maiori dignitate, etiam Cardinalatus honore, seu etiam regali, vel temporali excellentia praefulgeat, audeat, vel praesumat quaestas facere, aut Nuncios, Quaestores, Commissarios, Thesaurarios, Receptores, pro illis recipiendis in dictis Hospitalibus, Ecclesiis, Domibus, Monasteriis, Militiis, et aliis supranominatis, vel pro eis, aut illorum nominibus alibi constituere, et deputare, nisi ex speciali licentia, et ex certa scientia nostris, et Romani Pontificis pro tempore existentis, de qua per literas nostras, et eiusdem Romani Pontificis pro tempore existentis, locorum Ordinariis, vel eorum in spiritualibus Vicariis, seu Officialibus derogationem praesentis nostrae Constitutionis illius tenore, de verbo ad verbum inserto expresse continentes.

§ 4. Nos enim ex nunc irritum decernimus, et inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, constare debeat.

§ 5. Mandantes in virtute sanctae obedientiae omnibus, et singulis Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis, quatenus in Civitatibus, et Dioecesibus suis, praesentes nostras literas publicare, et observare debeant; rogantesque omnes, et singulos Principes saeculares, et alios Dominos, et Magistratus temporales, eisque per viscera misericordiae Domini nostri Iesu Christi in remissionem peccatorum suorum iniungentes, quatenus in praemissis eisdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis assistant, et suum auxilium, et favorem praestent, cum auxilio brachii saecularis.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis Apostolicis, necnon in Provincialibus, et Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, necnon fabricae Ecclesiae, Hospitalium, Monasteriorum, Militiarum, Confraternitatum, Ordinum, Capitulorum, Conventuum, aliorumque locorum praedictorum, et quorumvis illorum membrorum, Ecclesiarum, etiam Cathedralium, et Metropolitanarum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, stabilimentis, usibus, et naturis, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis, illis, et praesertim S. Ioannis, et S. Lazari, ac S. Spiritus in Saxia Hospitalibus, necnon S. Antonii de S. Antonio, et Sanctorum Nicolai, et Bernardi Montis Iovii Monasteriis, ipsorumque Monasteriorum Hospitalibus, singulorumque eorum Conventibus, Superioribus, et personis praefatis, per quoscumque Rom. Pontifices Praedecessores, ac Nos, et Sedem Apostolicam, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, necnon irritantibus, et aliis decretis, etiam Motu simili, et ex certa scientia, ac quavis etiam Imperiali, vel Regali consideratione, vel instantia, et alias quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis, quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, et expressa, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, Motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus specialiter, et expresse derogamus, et sufficienter derogatum esse volumus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

[Bull. Rom., tom. 4, II, p. 348-350].

119.

S. Pius V, const. *In conferendis*, 18 mart. 1567.

In conferendis beneficiis Ecclesiasticis, et praesertim Parochialibus Ecclesiis personis dignis, et habilibus, quae in loco residere, et per se ipsos curam exercere valeant, quantam diligentiam adhiberi oporteat, Alexandri III Lateranen.[1] et Gregorii X Lugdunen.[2] generalibus Conciliis, ac Innocentii similiter III[3] et aliorum Romanorum Pont. Praedecessorum nostrorum editae Constitutiones testantur.

§ 1. Quod ut diligentius, ac rectius perficiatur, statuit etiam Synodus Tridentina,[4] ut occurrente vacatione parochialis Ecclesiae, etiam generaliter, vel specialiter, etiam vigore indulti in favorem S. R. E. Cardinalium, aut alias quomodolibet reservatae, vel affectae, debeat Episcopus habita notitia vacationis Ecclesiae, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiae sustineat, donec ei de Rectore provideatur. Et deinde Episcopus, et qui iuspatronatus habet, intra decem dies, aut aliud tempus ab Episcopo praescribendum, aliquos clericos ad regendum Ecclesiam idoneos Examinatoribus iuxta formam eiusdem Synodi deputatis, nominet, et nonnisi ab eisdem Examinatoribus per concursum aliorum Examinatorum etiam tanquam magis idoneo ab Episcopo iudicato, et electo de Ecclesia provideatur, alias provisiones, seu institutiones omnes praeter formam praedictam factae, surreptitiae censeantur.

§ 2. Sed quoniam res humanae semper in deterius prolabuntur, nisi sit qui eas retineat, ac debitae executioni demandet, et verendum sit ne propter Constitutionum huiusmodi transgressionem maximi abusus oriantur, Nos, ad quorum notitiam non sine gravi nostra molestia pervenit nonnullos ex venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis, et Episcopis, occurrente vacatione Parochialium Ecclesiarum, eas nullo, aut minus rite servato examine, praesertim illo quod per concursum fieri debet ex Concilio Tridentino, vel etiam examine rite servato, personis minus dignis, carnalitatis, aut alium humanae passionis affectum non rationis iudicium sequentes contulisse, et de eis providisse, volentes quantum cum Deo possumus, huiusmodi, ac etiam futuris periculis occurrere.

§ 3. Eorumdem Praedecessorum nostrorum Constitutiones praefatas etiam innovando, auctoritate Apostolica tenore praesentium omnes, et singulas collationes, provisiones, institutiones, et quasvis dispositiones Parochia-

[1] C. 7, X, *de electione et electi potestate*, I, 6.

[2] C. 14, *de electione et electi potestate*, I, 6, in VI°.

[3] C. 14, X, *de officio iudicis ordinarii*, I, 31; c. 29-31, X, *de praebendis et dignitatibus*, III, 5.

[4] Sess. XXIV, *de ref.*, c. 18.

lium Ecclesiarum ab eisdem Episcopis, et Archiepiscopis, ac quibusvis aliis collatoribus, tam ordinariis, quam delegatis, etiam S. R. E. Cardinalibus, ac Sedis Apostolicae Legatis, vel Nunciis, praeter, et contra formam ab eodem Concilio Tridentino, praesertim in examine per concursum faciendo, praescriptam factas aut in futurum faciendas, nullas, irritas, ac nullius roboris, vel momenti fore, et esse, nullumque provisis ius, aut titulum, etiam coloratum possidendi praebere, et parochiales Ecclesias huiusmodi, ut prius collationes huiusmodi vacabant, ex nunc vacare statuimus, decernimus, et declaramus, easque omnes pro tempore sic vacantes nostrae, et Sedis Apostolicae, seu eorum quibus ius conferendi eas, praeterquam Episcopis, et Archiepiscopis, qui curam dicti examinis iuxta decretum Concilii habere debent, competet, dispositioni reservamus.

§ 4. Insuper ne Parochiales Ecclesiae diu in suspenso maneant in maximum animarum periculum, quarumcumque Parochialium Ecclesiarum, quarum dum pro tempore vacant, ad Episcopos, Archiepiscopos, Primates, et Patriarchas, et quosvis alios Ordinarios collatores, in mensibus ordinariis, collatoribus, etiam per nostras regulas assignatis provisio, et collatio spectat, et pertinet, de quibus iidem Episcopi, et Ordinarii praedicti intra sex mensium spatium a die vacationis earumdem, perfecto examine iuxta formam Concilii Tridentini praefati non providerint, ac illarum etiam, quarum collationes Nobis, et dictae Sedi generaliter, vel specialiter, et ex quavis causa reservatae, seu affectae existunt, aut alias ex indulto Sedis Apostolicae competunt, ad quas occurrente illarum vacatione Episcopi, et Archiepiscopi praefati personas per examen concursu mutuo habito iuxta dicti Concilii Tridentini formam approbatas, et magis idoneas non elegerint, aut electas Nobis, vel Successoribus nostris, aut iis, ad quos collatio spectabit, pro collatione obtinenda intra quatuor mensium spatium a die illius vacationis non significaverint, necnon Parochialium Ecclesiarum similium, quae Iurispatronatus Ecclesiastici, vel aliorum, seu clericorum et laicorum simul fuerint, si praesentatus intra tempus eisdem patronis a iure praefixum praevio examine iuxta formam dicti Concilii approbatus, petatur institui, institutioque ipsa per duos menses a die praesentationis dilata fuerit, collationem, provisionem, institutionem, ac omnimodam dispositionem Nobis, et ipsi Sedi, ac personis indulta huiusmodi conferendi, providendi, seu instituendi obtinentibus respective reservamus, data tamen in Parochialibus Iurispatronatus optione ipsis patronis, ut si institutio ad Ordinarios spectabit, ipsis Ordinariis illam facere negligentibus, et ultra dictos duos menses differentibus, possint pro huiusmodi institutione obtinenda habere recursum ad Metropolitanum, vel viciniorem Ordinarium, aut ad Sedem Apostolicam.

§ 5. Prohibentes etiam eisdem Ordinariis, ne tempus decem dierum eisdem Ordinariis, et patronis ab eodem Concilio Tridentino ad nominandum idoneos clericos coram deputatis Examinatoribus praefixum, ultra alios decem dies prorogare audeant, vel praesumant.

§ 6. Districtius inhibentes, ne quis praeter Romanos Pontifices, aut alios indulta huiusmodi obtinentes, ut praefertur, quaecumque sit super hoc auctoritate munitus, de huiusmodi beneficiis sic reservatis (ut praefertur) dispo-

nere, vel circa illa, etiam per viam permutationis, vel alias innovare quoquo modo praesumat.

§ 7. Ut autem non solum dignis, sed magis idoneis repertis iuxta eiusdem Concilii decretum Parochiales Ecclesiae conferantur, volumus, et eadem auctoritate decernimus, quod si Episcopus minus habilem posthabitis magis idoneis elegerit, possint ii, qui reiecti fuerint, a mala electione huiusmodi ad Metropolitanum, vel si ipse eligens Metropolitanus, aut exemptus fuerit, ad viciniorem Ordinarium uti nostrum, et Sedis huiusmodi delegatum, aut alias ad ipsam Sedem Apostolicam appellare, ac praeelectum ad novum examen coram ipso appellationis Iudice, et eius Examinatoribus provocare, et constito de prioris eligentis irrationabili iudicio, eoque revocato, Parochialis, magis idoneo per eumdem Iudicem appellationis auctoritate nostra (quatenus collatio ad Episcopum, a quo appellatum fuit spectaret) conferatur, alias eidem magis idoneo per Iudicem appellationis approbato conferenda remittatur ad eum, ad quem collatio, provisio, vel institutio spectabit.

§ 8. Haec tamen appellatio interposita interim non impediat, aut suspendat quo minus electio per Ordinarium primo loco facta interim debitae demandetur executioni, et provisus ab eadem Ecclesia causa appellationis huiusmodi dependente non amoveatur.

§ 9. Et si quis a sententia per Iudicem appellationis lata duxerit appellandum, is tunc ad Sedem ipsam Apostolicam appellabit. Si secus in praemissis omnibus, et singulis actum, aut attentatum fuerit, irritum decernimus, et inane.

[Bull. Rom., tom. 4, II, p. 362, 363].

120.

S. Pius V, const. *Admonet nos,* 29 mart. 1567.

Admonet nos suscepti cura regiminis universalis Ecclesiae, cui auctore Domino praesidemus, ut Civitates, Terrae, Oppida, et loca, Nobis, et Sed Apostolicae in temporalibus mediate, et immediate subiecta perpetuo in iure, dominio, et proprietate, ac possessione dictae Sedis conserventur.

§ 1. Sane licet nonnulli Romani Pontifices Praedecessores nostri, per eorum Constitutiones, rerum Ecclesiasticarum alienationes prohibuerint, et iam factas revocaverint, et annullaverint; nihilominus cum retroactis temporibus nonnulli nimium ambitiosi, et dominandi cupidi, sub variis praetextibus, coloribus, et causis, saepe etiam falsis (quod non sine maximo animi nostri moerore referimus) aliquibus Romanis Pontificibus suggestionibus, et insinuationibus suis conati sint ostendere, et persuadere magis utile, et expediens S. R. E., et Sedi praefatae fore, si aliquae Civitates, Terrae, Oppida, Castra, Arces, et loca, ad ius, et proprietatem eiusdem Sedis pertinentia, in feudum, gubernium, vicariatum, ducatum, aut quemvis alium titulum perpetuum, vel ad tertiam generationem, seu ad vitam, aut alias ad longum tempus concederentur, vel etiam ex eo quod alias in feudum data, aut quovis alio

titulo huiusmodi alienata fuerint, et propterea tamquam ad Sedem praedictam devoluta, vel devolvenda posse, et debere de iure iterum infeudari, et alienari, atque inde nonnullas alienationes, infeudationes, et concessiones a Sede Apostolica emanasse, ex quibus illa non mediocrem diminutionem non solum patrimonii, sed etiam existimationis recepisse dignoscitur.

§ 2. Hinc est quod Nos considerantes omnium Civitatum, et locorum praedictorum singularem fidem, et promptam devotionem eidem Sedi exhibitam omni tempore valde utilem, et salutarem fuisse, et esse, ac volentes non solum alienationes huiusmodi (quas tempore nostro omnino exulare intendimus) de medio tollere, et quod Nobis licere non patimur, nostris Successoribus indicamus, quos non immemores fore speramus ante Domini nostri Iesu Christi in examine diei magni adventus tribunal, villicationis nostrae rationem reddituros Nos esse, sed ut omnis alienationum huiusmodi fiendarum occasio penitus aboleatur, quautum cum Deo possumus, per amplius providere, Constitutionibus Praedecessorum nostrorum huiusmodi etiam inhaerendo, illasque innovando, Motu proprio, et ex certa nostra scientia, non ad alicuius super hoc Nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex mera animi nostri deliberatione, et de Apostolicae potestatis plenitudine, habita etiam super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, in Consistorio nostro secreto consultatione matura, de eorum consilio, et unanimi assensu (qui etiam iuraverunt praesenti Constitutioni non contravenire, nec Pontificibus alienationes contra tenorem praesentium attentantibus consentire, et absolutiones a iuramento huiusmodi non petere, nec acceptare) hac nostra perpetuo valitura Constitutione decernimus, et declaramus, Civitates, et loca praedicta etiam hactenus in feudum, aut quemvis alienationis titulum dari solita, vel consueta, ad Nos, et Sedem praefatam quomodolibet devoluta, et pro tempore devolvenda, absque alia ulteriori declaratione, et illorum possessionis apprehensione eo ipso Sedi, et Camerae Apostolicae incorporata, ac ad ius, et proprietatem, et dominium pristinum, ac possessionem rediisse censeri, perinde ac si per quadraginta annos et ultra, Civitates, et Loca praefata, a Nobis, et Sede praefata immediate possessa, et numquam in feudum, aut titulum concessa fuissent.

§ 3. Statuimusque, et decernimus, quod omnes, et singulae, tam Communitates, et Universitates, quam Cives, et incolae Civitatum, Terrarum, et Locorum praedictorum, aliaeque quaecumque personae, tum Ecclesiasticae, tum saeculares, cuiusvis dignitatis, et Ordinis, etiam Episcopalis, vel maioris existentes, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, tam publice in consiliis Civitatum, et Locorum praefatorum, quam privatim alibi in quibusvis locis, etiamsi Civitatum, et Terrarum earumdem Gubernatores, aut Sedis Apostolicae Legati, vel Prolegati existant, tractantes, consulentes, aut alias verba facientes de infeudationibus, aut alienationibus de Civitatibus, et locis praefatis immediate ad Nos, et Sedem praefatam spectantibus, et pertinentibus, etiam devolutis, etiam in feudum communiter, et pluries dari solitis, etiam ex causa permutationis, vel sub annuo censu, aut canone, aut alias quomodolibet, etiam contemplatione meritorum erga Sedem praefatam, aut sub praetextu necessitatis, vel evidentis utilitatis faciendis, seu de postulandis a

Nobis, et Sede praefata quibusvis personis cuiusvis dignitatis, status, gradus, etiam Nobis, et Successoribus nostris secundum carnem coniunctis, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, aut quavis alia temporali, vel Ecclesiastica dignitate fungentibus, in Duces, Vicarios, Gubernatores, seu quemvis alium titulum, ad vitam, vel in perpetuum, vel longum tempus, aut etiam Sedis Apostolicae beneplacitum, Civitatum, et Locorum praefatorum, ac propterea de eligendis Oratoribus ad Nos, et Successores nostros super praemissis, vel illorum occasione mittendis proponentes, tam ipsi quam Oratores munus huiusmodi recipientes, aut alii quicumque alienationes huiusmodi Romano Pontifici pro tempore existenti, per se, vel alium, seu alios insinuantes, vel suadentes, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, a qua nisi ab ipso Pontifice, praeterquam in mortis articulo, absolvi nequeant. Et insuper Sanctae Romanae Ecclesiae, et Sedis Apostolicae praefatae rebelles, etiam in primo capite laesae maiestatis, et proditores Civitatum, et Locorum praefatorum, ac bona eorum Fisco, et Camerae nostrae Apostolicae ipso iure devoluta, et incorporata sint, et esse censeantur, omnibusque Ecclesiis, Monasteriis, et aliis per eos quomodolibet obtentis beneficiis Ecclesiasticis eo ipso privati existant, neque ad Civitates, et Loca praefata ullo umquam tempore remitti possint. Et si aliquando eos reintegrari contigerit, nihilominus infames remaneant, illisque bonorum, et dignitatum portae perpetuo claudantur.

§ 4. Et quoniam intelleximus aliquos etiam Cardinales, Civitates, Terras, Oppida, Castra, Arces, et Loca ad vitam, seu tertiam, vel aliam generationem, aut alias a dicta Sede, etiam ex causa onerosa, obtinere, habere, et possidere, cum facultate faciendi in illis melioramenta, ita quod ab eis amoveri non possint, nisi restitutis sibi prius pecuniis in melioramenta huiusmodi expositis, omnes, et singulas facultates faciendi melioramenta praefata quibusvis personis etiam Cardinalibus, per eosdem Praedecessores nostros, aut alios ad id facultatem habentes quomodolibet concessas harum serie revocamus, et annullamus, et nemini deinceps suffragari posse, neque debere, ac cuicumque facultatem faciendi melioramenta huiusmodi habenti, illa, etiam pro munitione, et tuitione, nisi ex causa necessariae conservationis locorum eorumdem facta fuerint, post publicationem praesentium facere omnino interdicimus, ac prohibemus, et si secus a quoquam factum, attentatumve fuerit, melioramenta quaecumque per eos contra tenorem praesentium facta locis ipsis cedere, et Cameram ad illorum satisfactionem minime teneri, et obligatam esse volumus, et declaramus.

§ 5. Decernentes praesentes literas sub quibusvis revocationibus, cassationibus, derogationibus, et aliis contrariis dispositionibus, sub quibusvis tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis pro tempore quomodolibet factis minime comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, et de novo concessas esse, et censeri debere.

§ 6. Irritum quoque, et inane, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, II, p. 364-367].

121.

S. Pius V, const. *Etsi mendicantium*, 16 maii 1567.

Etsi mendicantium Ordines, qui sedulum in vinea Domini quotidie exhibere non cessant famulatum, summo semper studio, etiam dum in minoribus essemus, amplexi sumus, ad summi tamen Apostolatus apicem, meritis licet imparibus, divina favente clementia assumpti, dum id mente recolimus, facere non possumus, quin eos propensiori caritate, et paterno affectu amplectamur, ac exinde pro suis sanctis studiis, honestisque laboribus, proque salute animarum, ab Apostolica Sede, cuius continue pacem, et dignitatem Ordines ipsi fortiter tutati sunt, tam spiritualia, quam temporalia subsidia, ornamentaque acceperint, et accipiant, quibus et sancta sua Officia, ac vitam suam regularem facilius, atque expeditius exequi, et transigere possint, et ceterae religiosae personae, Ordinesque alii, exemplo ipsorum promptiores, alacrioresque ad sua Officia persolvenda reddantur.

§ 1. Hinc est quod Nos attendentes plerosque ex venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis, et Episcopis, qui eosdem Ordines praecipue tamquam fructiferos in agro Domini palmites, et colere, et adiuvare deberent, non solum id exequi negligere, verum etiam Concilii Tridentini decretis in pravum sensum retortis, eos, et eorum quemlibet variis afficere incommodis, et perturbationibus, eorumque privilegiis non modicum afferre gravamen conantur.

6. Quidam [Episcopi] sub praetextu exquirendi voluntates puellarum, ante professionem earum volunt eas extrahere a Monasteriis, et per longum tempus alibi detinere, ipsasque puellas, seu novitias de plerisque rebus interrogant, neque necessariis, neque in decreto Concilii Tridentini desuper contentis, ex quibus non modica potest oriri occasio scandali.

9. Ac insuper in quibusdam omnem ordinem, et quietem perturbant, dum controversias iamdiu sopitas, et extinctas super praecedentia excitarunt, et ubi nullae erant, pepererunt, dum pro arbitrio, et voluntate eorum hos illis praeferre noluerunt.

10. Quidam etiam Episcopi volunt regulares a cura animarum excludi, et illam solis Presbyteris saecularibus committi.

15. Alii etiam in quibusdam partibus pauperes Mendicantes eleemosynas petere prohibent pro eorum dumtaxat sustentatione, et si invenerint eos panem, vel aliquid aliud simile amore Dei sibi collatum portantes, quandoque ab eis auferre minantur, afficientes gravi iniuria, et contumelia. Nonnulli vero Episcopi, vel Capitula Canonicorum pauperes Mendicantes, tam Fratres, quam Moniales suorum Ordinum, tam de redditibus bonorum, si quae habent, quam de possessionibus, vineis, agris, et aliis suis bonis quibuscumque, non solum largitione fidelium sibi concessis, sed etiam alias iustis de causis ab eis acquisitis, ac pecuniis emptis, sibi decimas, ac primitias aliis respective solvere cogunt.

16. Alii autem ausi sunt inquirere, et processus facere contra aliquos regulares, intra claustra delinquentes, vel de quorum delictis aliqua erat suspicio, non expectata suorum Superiorum censura. Alii vero Episcopi Monialium Monasteria ingredi, et illa ingrediendi licentias aliis concedere, et adversus illas processus formare ipsorum Ordinum superioribus irrequisitis praesumunt. Aliqui etiam dominium temporale super Moniales habere praetendunt. Nonnulli vero frequentissime regulares citant, et iurisdictioni suae subiicere tentant, ac eorum Conventum occupant, ipsos expellendo, ac in ipsos iurisdictionem, vel potestatem exercent. Aliqui vero ipsos carceribus, absque causae cognitione mancipant, ac manibus pedibusque laborant, ut regulares Mendicantes suae ditioni subiiciant, et usque adeo se intromiserunt in gubernatione Conventuum, et in correctionibus Fratrum, ut Provincialibus, et Generalibus nullus amplius videatur relictus locus, aut ulla iurisdictio.

17. Aliqui autem, Conventuum Priores, et Guardianos rationes, et computa facere cum Syndicis Conventuum huiusmodi prohibent.

23. Aliqui etiam pro licentia danda aedificandi quamdam domum regularem, triginta, vel quadraginta ducatos exigere non erubuerunt.

§ 2. Ac propterea volentes praemissis, ac aliis similibus excessibus, et gravaminibus, ex nostri pastoralis officii debito providere, attendentes etiam illos qui onus diei et aestus, tam in praedicationibus, quam in ceteris spiritualibus muneribus quotidie sustinent, nisi etiam aliquantisper subleventur, facile fore, ut oppressi a suis officiis omnino desistant, ne in posterum eis aliquod inferatur gravamen, Concilii Tridentini huiusmodi decreta, quorum falsa, seu minus vera intelligentia praemissa irrepserunt, quorumque declaratio non nisi ad Nos spectat, modo, et forma infrascriptis declaranda censuimus.

6. Volumus ..., quod puellarum Deo dicandarum, an scilicet coactae, vel seductae fuerint, examen faciendum, nonnisi infra quindecim dies, postquam iuxta Concilium Tridentinum Episcopi, vel eorum Vicarii requisiti fuerint, fieri possit; quibus elapsis amplius in hoc illis se intromittere non liceat, cuius occasione, nec Episcopus, nec eius Vicarius intra septa Monasteriorum ingrediantur, sed stent ante cratem ferream, et interrogationes alias, quam eas, quae praefatum Concilium Tridentinum iubet eis fieri omnino prohibemus, ac similiter volumus, quod puellae, seu novitiae ipsae ad alias interrogationes respondere minime teneantur.

9. Controversias autem omnes de praecedentia, quae ... sessione 25, cap. vero 13, per Episcopum terminari mandantur, non nisi durantes per illum diriuni, finitas autem nullo pacto innovari posse statuimus.

10. Cumque licet cap. 11, sessionis 25, statuat, quod in domibus virorum, seu mulierum, quibus animarum personarum saecularium cura imminet, nulli etiam ad nutum amovibiles, inibi deputentur, nisi de Ordinarii consensu, ac praevio examine huiusmodi praecedente, ad curam huiusmod admitti posse omnino volumus praefatos regulares.

15. Quod vero de usu quaestorum eleemosynarum auferendo loquitur sess. 21, cap. 9, id ad Mendicantium Ordines nullo modo referri posse, vel debere, etiam decernimus, quin potius cum eleemosynis huiusmodi vivere cogantur, eis id facere liberum omnino esse declaramus.

16. Quoniam vero ex nimia Episcoporum sibi irrogata auctoritate, ipsi personas regulares suae iurisdictioni subiicere omnino student, ac decreto Concilii praefati, sess. 25, cap. 14, edito, quo cavetur, quod si regularis intra claustra existens, et extra ea, ita notorie deliquerit, ut populo scandalosus sit, termino ab Episcopo praefigendo, a suo superiore omnino puniatur, sin minus, ab Ordinario delinquens puniri possit, confisi, variis indebitisque gravaminibus regulares afficiunt, Ordinarios praefatos aliquid contra regulares occasione, vel causa innovare non posse, vel debere in claustris degentes huiusmodi, quovis praetextu, nec aliquos processus contra ipsas personas regulares formare, aut facere posse volumus, nisi propter manifestum scandalum, et suorum Ordinum superioribus prius consultis, et negligentibus, alioquin omnia, et singula contra praemissa facta, et gesta, ac facienda in futurum pro nullis, et infectis habeantur.

17. Neque etiam se intromittant ullo pacto, aut aliqua ratione in gubernatione conventuum, tam Fratrum, quam Monialium huiusmodi, et illorum correctionibus, sed omnia ista, et alia necessaria ad correctionem, et gubernationem Fratrum, aut Monialium huiusmodi, eorum Generalibus, ac Ministris, seu Provincialibus, vel aliis eorum, aut earum respective superioribus, etiam ratione computa faciendi cum Syndicis Conventuum huiusmodi, omnino relinquatur, nec ullo modo in praedictis, per se, vel alios se intromittant.

23. Licentias vero pro construendis domibus regularibus, quae 3 cap., 25 sessionis, nisi de Ordinarii licentia construi prohibentur, gratis omnino dari, et nonnisi legitima subsistente causa, Superioribus explicanda illas recusari posse.

§ 3. Postremo quod cap. 13, sess. 25, cautum fuit, quod omnes, scilicet tam clerici, quam regulares quicumque ad publicas processiones vocati, accedere compellantur, id quoad Fratres praefatos de illis tantum processionibus intelligi volumus, ad quas secundum consuetudinem antiquam locorum soliti sunt accedere, vel quae pro bono pacis Ecclesiae, vel pro victoria contra infideles indicuntur, quod etiam de illis Conventibus, qui Collegia nuncupantur, minime intelligi volumus, in quibus Fratres sub arctiori clausura degunt, ita ut nec in Choro cantent, nec ad mortuos accedant, sed tantum studiis, et lectionibus vacent.

§ 4. Praeterea si forte inter Episcopos, vel Collegia, aut Capitula, vel alias quasvis personas, et praefatos Fratres, seu Moniales, aut eorum aliquos, super praemissis vel aliquo eorum, coram quocumque, seu quibuscumque iudicibus, etiam causarum Palatii Apostolici Auditoribus, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, tam in Romana Curia, quam extra eam ubilibet lis, seu lites respective pendeant, Nos litem seu lites, et causam vel causas huiusmodi ad Nos advocamus, ac illam, et illas, quarum statum, ac nomina, et cognomina iudicum, et collitigantium, praesentibus haberi volumus pro sufficienter expressis, cassamus, et extinguimus, ac partibus ipsis perpetuum silentium desuper imponimus.

§ 5. Ac insuper ut facilius praemissa omnia illibata persistant, omnia, et singula privilegia, immunitates, indulgentias, facultates, libertates, indulta, dispensationes, favores, et gratias, quae decretis Concilii Tridentini alias,

quam ut superius est dictum, concessum, et declaratum, non contrariantur expresse, eisdem Fratribus, necnon Monialibus quibuscumque, et Sororibus Tertii Ordinis praedictorum Ordinum respective Ordinibus, ac illorum Ecclesiis, domibus, et personis, etiam vivae vocis oraculo, in genere vel in specie, tam per rec. mem. Eugenium IV, Sixtum IV, Leonem X, Paulum III, ac Paulum IV, et Pium etiam IV, quam alios quoscumque Romanos Pontifices etiam Praedecessores nostros, ac Nos, et Sedem eamdem quomodolibet concessa, confirmata, et innovata, necnon nostras, et Praedecessorum nostrorum, ac alias quascumque desuper confectas literas, quarum omnium tenores, ac eorumdem Praedecessorum nostrorum nomina, et alia de necessitate exprimenda, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, etiam praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo approbamus, et confirmamus, illisque perpetuae, et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, eaque perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari debere, ac Fratribus, Superioribus, et personis Ordinum huiusmodi, necnon aliis quibuscumque quos illa concernunt, suffragari debere, seu posse volumus. Necnon privilegia, immunitates, facultates, libertates, indulta, dispensationes, exemptiones, favores, et gratias, tam spirituales quam temporales, modo, et forma quibus concessa sunt, etiam per viam communicationis, et extensionis, active, et passive, inter se, et alios quoscumque Ordines respective, de novo concedimus, illaque omnia, et singula ad domos, et loca quaecumque dictorum Mendicantium Ordinum, et Monialium quarumcumque, ac sororum de tertio Ordine nuncupatarum in Congregatione viventium dictorum Ordinum, ut praefertur, hactenus recepta, et in posterum recipienda. Necnon eorum personas, et bona, etiam si privilegiorum, et aliarum gratiarum praefatorum authentica originalia, propter temporis antiquitatem, vel varias Urbis ruinas deperdita existant, dummodo de eis alias legitime constet, extendimus, et ampliamus.

§ 6. Et sic in praemissis omnibus, et singulis, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, II, p. 373-379].

122.

S. Pius V, const. *Ex supernae*, 16 aug. 1567.

Ex supernae dispositionis arbitrio gregi Dominico praesidentes, inter curas multiplices, quas ex ministerio nostri pastoralis officii Nobis incumbere censemus, illam per quam personarum quarumlibet, earum praesertim, quas sub suavi Religionis iugo sedulum in dies Altissimo famulatum exhibere conspicimus, statui, et quieti rite consulitur, libenter amplectimur, ac ut personae ipsae idem exoptantes a Nobis, gratias, et favores reportasse laetentur, grato intendimus animo, ac in his nostri pastoralis officii partes favorabiliter impartimur, prout temporum qualitate pensata, id perspicimus in Domino salubriter expedire.

§ 1. Nuper siquidem a Nobis emanarunt literae tenoris subsequentis: Etsi mendicantium, etc.

Omittitur tenor, quia est insertus supra, in N. 121.

§ 2. Et deinde pro parte dilectorum filiorum Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Congregationum Lateranensis, et S. Salvatoris, ac S. Crucis Olimbrien., et Monacorum S. Benedicti Congreg., et Ordinum Cassinen., Montis Oliveti, Vallis Umbrosae, necnon etiam Congreg. Cisterciensis et Carthusiensis necnon S. Hieronymi Hispaniarum, ac Camaldulen. et fratrum Militiae Iesu Christi Reformatorum nuncupatorum Regni Portugalliae, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsi etiam iuxta eorum cuiuslibet regularia instituta, tum vita eorum exemplari, tum doctrina, ac verbi Dei praedicatione, aliasque summis eorum laboribus, et studiis animarum salutem ac Sanctae Sedis Apostolicae dignitatis, et auctoritatis augmentum haetenus semper procuraverunt, et in dies circa hoc tam laudabile ministerium magis, ac magis versari non cessantes, sibi favente superni Numinis auxilio, suavissimum cunctisque fidelibus gratissimum suae probitatis, et diligentiae latius diffundunt odorem, pariterque in vinea Domini laborare non desinunt; ac proinde eos aliqua ratione indignos censeri non posse, quin ipsi quoque gratiarum, facultatum, privilegiorum, et aliorum praefatis fratribus Mendicantibus concessorum participes fieri, necnon Monasteria, etiam Monialium, et alia loca quaecumque ad gratias, facultates, privilegia, ac alia in eisdem praeinsertis literis contenta quaecumque extendi, ac illis gaudere debeant. Quare pro eorumdem Canonicorum, Monacorum, et Fratrum parte Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eorum statui, et tranquillitati consulentes, eos et eorum singulos, necnon suorum Ordinum, et Congregationum Monasteria, etiam Monialium, ac domos, et loca alia quaecumque, ad declarationes, statuta, exemptiones, voluntates, prohibitiones, approbationes, extensiones, et decreta, ac alias gratias, facultates, et privilegia quaeque praedictis Fratribus Mendicantibus concessa praedicta, ita ut illis omnibus, et singulis aeque, et pariformiter absque ulla penitus differentia, frui, et gaudere possint et debeant, extendere, et quatenus opus sit, illa eis de novo concedere, aliasque sibi desuper opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

§ 3. Nos igitur qui omni, qua fieri potest ratione commodiori personarum quarumlibet, praesertim Deo dicatarum animi quietem sinceris exoptamus affectibus, singulos Canonicos, Monacos, et Fratres praedictos a quibusvis censuris, et poenis Ecclesiasticis, quavis occasione latis, si quibus innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Canonicos, Monacos, et Fratres praedictos, si professionem regularem iuxta eorum statuta, et laudabiles consuetudines, ac privilegia, et indulta eis concessa emiserint respective, illorumque Monasteria, etiam Monialium, necnon domos, et loca alia quaecumque, ad singula declarationes, statuta, et immunitates (a contributione Seminariorum pauperum Clericorum iuxta ordinationem dicti Concilii Tridentini erigendorum, et instituendorum, necnon subsidiorum Apostolica auctoritate pro tempore impositorum, ac

quaestuatione eleemosynarum dumtaxat exceptis) exemptiones, voluntates, prohibitiones, approbationes, extensiones, decreta, et alia quaecumque, gratias, facultates, et privilegia eisdem Fratribus Mendicantibus, ut praefertur, concessa, et facta, ac alia in praeinsertis literis contenta, et inde secuta quaecumque, dicta auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo extendimus, et ampliamus, illosque declarationibus, statutis, exemptionibus, voluntatibus, prohibitionibus, approbationibus, extensionibus, decretis, et aliis gratiis, facultatibus, et privilegiis huiusmodi pariformiter, et absque ulla penitus differentia, prout dicti Fratres Mendicantes utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere poterunt, libere et licite uti, potiri, et gaudere posse, atque debere; illaque omnia, et singula sibi, eorumque Monasteriis, domibus, et locis huiusmodi, eorumque superioribus, et personis quibuscumque, quas illa concernunt, et pro tempore concernent, suffragari, necnon modo, et forma quibus praedictis Fratribus Mendicantibus concessa, et facta sunt, concessa factaque esse; necnon ad singula Monasteria, domos, et loca quaecumque dictorum Canonicorum, Monacorum, et Fratrum, necnon Monialium, Congregationum, et Ordinum praedictorum in Congregatione viventium, extensa, et ampliata censeri.

§ 4. Sicque in praemissis omnibus, et singulis, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, II, p. 379-381].

123.

S. Pius V, const. *Romani Pontificis*, 30 aug. 1567.

Romani Pontificis providentia circumspecta ad ea sollicitudinis suae partes potissimum convertit, per quae singulis Ecclesiis debita obsequia, et opportuna subventionis auxilia minime subtrahantur. Cum itaque, sicut accepimus, nonnulli Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, et Abbates, seu Commendatarii, ac alii beneficia Ecclesiastica obtinentes, proprii honoris, et salutis immemores, etiam praetextu facultatum testandi eis per Sedem Apostolicam concessarum, in eorum ultimis voluntatibus res sacras, ac vasa, ornamenta, et paramenta Ecclesiastica, aliaque cultui divino dicata quandoque ex fructibus Ecclesiasticis per eos acquisita, non Ecclesiis, et Monasteriis, ac beneficiis, quibus praefuerunt, seu a quibus proventus Ecclesiasticos, et stipendia acceperunt, prout rationi, et honestati consentaneum foret, sed aliis locis, etiam aliquando non piis, ac interdum eorum consanguineis, et affinibus relinquere; ac Camerae Apostolicae Collectores praetextu, quod illa sub appellatione spoliorum veniant, tamquam eiusdem Camerae spolia exigere, et percipere non erubescant, in maximum religionis dedecus, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, et beneficiorum eorumdem detrimentum, ac relinquentium animarum periculum, scandalumque plurimorum.

§ 1. Nos abusibus, scandalisque huiusmodi providere, ac singularum Ecclesiarum, et Monasteriorum, ac beneficiorum indemnitati, animarumque quorumlibet saluti consulere volentes, Motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura Constitu-

tione statuimus, ordinamus, decernimus, et declaramus, quod de cetero omnia et singula ornamenta, et paramenta, ac vasa, necnon Missalia, et Gradualia, ac Cantus firmi, et Musicae aliquae quomodolibet nuncupati libri, et aliae res sacrae, etiam auri, et argenti, ac quaecumque alia bona per quoscumque Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, seu Commendatarios, et alios quoscumque, quaecumque, et qualiacumque beneficia Ecclesiastica, cum cura et sine cura, saecularia, et quorumvis Ordinum regularia, in titulum, vel commendam, aut alias quomodolibet obtinentes, quocumque nomine, vel titulo censeantur, etiam si de illis, et eorum qualitatibus specialis, et expressa mentio habenda foret, ad usum et cultum divinum, etiam in eorum privatis aedibus, et Capellis, vel Oratoriis destinata, tempore eorum obitus ex testamento, vel ab intestato relicta, sub quibusvis facultatibus testandi, et alias disponendi de bonis per eos ex altari, vel alias quomodolibet acquisitis, per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores, et Successores nostros, ac Nos sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiam Motu proprio, et alias quomodolibet concessis, et concedendis, minime comprehendantur, nec sub appellatione spoliorum veniant, sed ad singulas Ecclesias, Monasteria, etiam Conventu carentia, et beneficia huiusmodi, in quibus resederint, aut quibus praefuerint, seu quae alias obtinuerint, omnino spectent, et pertineant, ac spectare, et pertinere.

§ 2. Illaque post eorum obitum eisdem Ecclesiis, Monasteriis, et beneficiis, etiam si in Romana Curia, et procul ab illis decesserint, vel ad illa numquam accesserint, etiam si antea Ecclesiarum, et Monasteriorum regimini cesserint, vel beneficia huiusmodi renunciaverint, eo ipso applicata, et incorporata sint, et esse censeantur. Ita quod liceat illis defunctis, in eisdem Ecclesiis, Monasteriis, et beneficiis successoribus, ac Ecclesiarum, et Monasteriorum huiusmodi Capitulis, et Conventibus respective, illa propria auctoritate libere apprehendere, ac eorum Ecclesiis, et Sacristiis applicare, et incorporare.

§ 3. Ac quaecumque donationes, ac relicta, et legata, testamenta, et codicilli, et aliae ultimae voluntates, seu spolia desuper, contra praesentis Constitutionis nostrae tenorem quomodolibet pro tempore facta, quoad praemissa, nulla et invalida, nulliusque roboris, et momenti existant, et personis, etiam Ecclesiasticis, seu locis, etiam piis, aut Ecclesiasticis aliis quibuscumque, in quarum, seu quorum favorem pro tempore facta fuerint, minime suffragentur, nec per ea eisdem personis, seu locis, vel aliis Ecclesiis huiusmodi aliquod ius in rebus praedictis, vel ad illas acquiri posse.

§ 4. Quinimmo res sacras, ac alia bona praedicta quocumque nomine, vel titulo pro tempore detinentes, ad illa Ecclesiis, et Monasteriis, ac beneficiis, per defunctos quomodolibet acquisitis, ut praefertur, iuxta praesentium tenorem realiter, et cum effectu restituendum, et consignandum, quibusvis dispositionibus de illis in contrarium quomodolibet factis minime attentis, omnino teneantur, et ad id per censuras, et poenas, etiam furti, et sacrilegii, ac alia, iuris et facti remedia opportuna cogi, et compelli possint, et debeant.

§ 5. Insuper ne deinceps contingat insolentia spoliorum Camerae Apostolicae Collectorum, vel subcollectorum aliquas Ecclesias, nec hominum

quemquam damno, et iniuria affici, nec cuiquam de cetero vertatur in dubium, quae res habendae sint nomine spolii, simili modo statuimus, decernimus, et declaramus, quod quaecumque scamna, cathedrae, arcae, et etiam ligneae, vel lapideae, etiam marmoreae, mensae, et tabulae, ac quaecumque dolia, seu vasa vinaria vacua, et alia similia supellectilia domestica per quosvis presbyteros, seu clericos ab humanis pro tempore decedentes, tempore eorum obitus in Ecclesiis, seu eorum domibus Ecclesiarum earumdem, vel alibi ubivis locorum relicta, etiam si ex fructibus, et proventibus beneficiorum, quae dum viverent, obtinebant, acquisita fuerint, sub spoliorum appellatione minime veniant, nec pro spoliis ullo modo reputari possint.

§ 6. Praeterea quod nullum spolium Camerae praefatae fieri, nec quicquam a quibusvis spoliorum Camerae huiusmodi Collectoribus, vel subcollectoribus exigi possit per obitum illius, qui dum viveret, unum, vel plura beneficia Ecclesiastica obtinuerit, cuius, vel quorum simul fructus, redditus, et proventus, triginta ducatorum auri de Camera secundum communem aestimationem, valorem annuum non excesserint, aut qui pensiones annuas super quibusvis fructibus Ecclesiasticis usque ad dictum valorem annuatim perceperit, dummodo tamen is se ab omni illicita negotiatione, et a sacris canonibus prohibita abstinuerit. Ita quod si quis dictorum Collectorum aliquid ex bonis quorumvis defunctorum, qui similia beneficia obtinuerint, seu similes pensiones perceperint, praetextu spoliorum eiusdem Camerae percipere, aut alias contra praesentes nostras literas attentare praesumpserit, ad totalem bonorum per eum perceptorum restitutionem teneatur, ac ad viam iuris, etiam per similes censuras, et poenas, cogi, et compelli possit, et debeat.

§ 7. Districtius inhibentes quibusvis Camerae praefatae spoliorum collectoribus, nunc et pro tempore existentibus sub indignationis nostrae, et privationis eorum officiorum poena, ne in ornamentis, et paramentis, ac vasis, et libris praefato cultui divino dicatis, ac alias in rebus sacris, necnon supellectilibus praefatis quomodolibet se intromittant, nec in eorum inventariis tamquam spolia redigant, seu describant, sed ornamenta, et paramenta, necnon vasa, et libros, aliaque divino cultui dicata huiusmodi Ecclesiis, et Monasteriis, Capellis, et aliis beneficiis huiusmodi, eorumque Rectoribus, et aliis praefatis libere admittant, et consignent, ac consignari faciant cum effectu, ac suppellectilia praedicta in locis, ubi constiterint, relinquant.

§ 8. Ac decernentes sic in praemissis omnibus, et singulis per quoscumque Iudices, et Commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, et definiri debere, ac irritum et inane, quicquid secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ 9. Quocirca dilectis filiis Curiae causarum Camerae Apostolicae generali Auditori, et singulis locorum Ordinariis, ac maiorem dignitatem post Pontificalem in universis Ecclesiis Cathedralibus, et Metropolitan. pro tempore obtinentibus per Apostolica scripta Motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, ubi, et quando opus fuerit, quoties pro parte quorumcumque in praemissis interesse habentium, ut praefertur, fuerint requisiti, solemniter

publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes literas, et in eis contenta quaecumque firmiter observari, ac singulos, quos literae ipsae concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes eos desuper quomodolibet indebite molestari. Contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo.

§ 10. Non obstantibus Apostolicis, ac in Provincialibus, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, necnon Ecclesiarum, et Monasteriorum huiusmodi iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, facultatibus testandi, aliisque privilegiis, indultis, et literis Apostolicis, quibusvis concessis, approbatis, et innovatis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, et expressa mentio facienda esset, illorum tenores pro sufficienter expressis habentes, illis in reliquis in suo robore permanentibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 11. Volumus autem quod si aliquis ex Patriarchis, Episcopis, Abbatibus, seu Commendatariis, et aliis beneficiatis praefatis pluribus Ecclesiis, seu Monasteriis, pro tempore simul, vel successive praefuerit, seu plura beneficia obtinuerit, ornamenta, et paramenta, ac res, et bona praedicta ad illa omnia, habita ratione fructuum, et temporis quo eadem beneficia possedit, omnino pertineant, et proportionaliter inter ea dividantur.

[Bull. Rom., tom. 4, II, p. 394-396].

124.

S. Pius V, const. *Ex omnibus afflictionibus*, 1 oct. 1567, errores Michaelis Baii, damn.

[Cf. infra, in N. 221, Urban. VIII const. *In eminenti*, 6 mart. 1641, § 1-3].

125.

S. Pius V, const. *Quanta Ecclesiae*, 1 apr. 1568.

Quanta Ecclesiae Dei incommoda omni tempore attulerit, et nunc quotidie magis afferat ministrorum in eam ingressio vitiosa, iam late perspiciant, et cum moerore expendant Praesules omnes, et Pastores, quando haec pernicies ceterarum omnium maxima, tam multas Orbis Ecclesias impie violarit.

§ 1. Quia vero hoc malum cum in ceteris frequens, tum maxime in beneficiorum, et officiorum Ecclesiasticorum dimissione admittitur, nemini molestum esse debet, quod perinde de reprimendis quotidianis fraudibus, quae hac in re frequentiores internoscuntur, certam aliquam rationem tandem inituri, Officii nostri partes in prohibenda omnibus interim resignationum huiusmodi acceptione paulo severius interposuerimus, omnesque benefi-

ciorum interim resignandorum dispositiones, quae fierent, in irritum revocaverimus, ac etiam decreverimus, nullum per eas in illis ius, neque titulum, vel coloratum, tam in petitorio, quam in possessorio ipsis provisis tribuere, quin etiam eos ad illa deinceps obtinenda perpetuo inhabiles fore. Collatores vero alias in illorum dispositione, etiam tamquam devolutionis iure sese interponere non posse, sed de eis ut vere vacantibus, sive per Romanos Pontifices, sive alios collatorum eorumdem Superiores uti praeventum esset, libere provideri.

§ 2. Nunc autem intendentes institutum hoc nostrum, quo sanctuarium Domini cupimus illibatum, auctore Domino persequi, ac simul, quantum in Nobis est, cavere, ne resignationes ipsae dehinc pro cuiusque arbitrio, nullisque vel certe levibus causis passim, et temere admittantur, prohibitionem, et alia praedicta, ac cetera omnia nostris super his literis contenta eatenus relaxamus, ut posthac.

§ 3. Episcopi, et alii facultatem habentes, eorum dumtaxat resignationes recipere, et admittere possint, qui aut senio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti, vel vitiati, aut crimini obnoxii, censurisque Ecclesiasticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent Ecclesiae, vel beneficio inservire; seu qui unum illud, vel plura beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoveri; religionem quoque ingressuri, vel matrimonium contracturi, si statim postea id re ipsa exequantur; denique cum quis ex aliis casibus acciderit, qui Constit. fel. record. Innocentii Papae Tertii[1] de dimittendis Cathedralibus Ecclesiis edita continentur. Qui etiam ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco beneficii residere securi. Sed nec horum ullus sacro ordini mancipatus, nisi religionem ingressurus valeat ullo modo beneficium, vel officium Ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit, quo in vita possit commode sustentari. Ad haec beneficiorum, et officiorum permutationes admittere, quae Canonicis sanctionibus, et Apostolicis Constitutionibus permittuntur.

§ 4. Caveant autem Episcopi, et alii praedicti, itemque omnes electores, praesentatores, et patroni, tam Ecclesiastici, quam laici quicumque sint, ne verbo quidem, aut nutu, vel signo, futuri in huiusmodi beneficiis, et officiis, successores, ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum significatione, vel hortatu designentur, aut de his assumendis, promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscumque intercedat.

§ 5. Ceterum praecipimus atque interdicimus, ne ipsi Episcopi, aut alii collatores de beneficiis, et officiis resignandis praedictis, aut suis, aut admittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum audeant providere; quod si secus, ac etiam quicquid praeter, vel contra formam praedictorum fuerit a quocumque temere attentatum, id totum ex nunc vires, et effectum decernimus non habere.

§ 6. Qui vero contrafecerint, ut in eo quo deliquerint puniantur, a beneficiorum, et officiorum collatione, necnon electione, praesentatione, confir-

[1] C. 10, X, *de renunciatione* 1, 9.

matione, et institutione, prout cuique competierit, tamdiu suspensi remaneant, donec remissionem a Romano Potifice meruerint obtinere; et qui talia beneficia, seu officia receperint, eos praedictis poenis volumus subiacere. Et nihilominus in eos, qui sic suspensi conferre, eligere, praesentare, confirmare, vel instituere, ausi fuerint, excommunicationis quo ad personas, quo vero ad Capitula, et Conventus, a divinis suspensionis sententias ipso facto promulgamus: quibus etiam nullus alius quam ipse Romanus Pontifex, sive absolutionis, sive relaxationis gratiam (excepto mortis articulo) valeat impertire. Prohibitione, et literis nostris praedictis nihilominus in ceteris omnibus perpetuo valituris.

§ 7. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, III, p. 10, 11].

126.

S. Pius V, const. *Quamvis,* 1 iun. 1568.

Quamvis a Sede Apostolica, ad quam negotiorum multitudo undique confluit, curis omnino plena innumeris nonnulla interdum ex iustis causis concedantur, quae successivis temporibus in publicum detrimentum, et alieni iuris praeiudicium tendere noscuntur, non debet reprehensibile videri, si Romanus Pontifex, ad cuius providentiam pro debito pastoralis officii spectat super iis debite providere, illa rationabilibus, et iuridicis supervenientibus causis deinde cognitis, quandoque revocat, et annullat, ac in statum redigit rationis.

§ 1. Sane cum fide digna plurimorum relatione non sine animi nostri molestia intellexerimus, nonnullos Comites Palatinos, et diversos alios praetextu facultatum sibi a Romanis Pontificibus, et Sede Apostolica concessarum quamplurimos, tam laicos quam clericos, tam iure civili quam canonico, et Theologia, nullo, aut non debito examine praevio, indoctos, et inhabiles, Doctores, Licentiatos, et Magistros creasse, et promovisse, uti ad dignitates, ceteraque beneficia Ecclesiastica facilius assumerentur, et de eis providerentur, in animarum suarum iacturam, et quamplurimorum scandalum.

§ 2. Nos huiusmodi scandalis, quantum in Nobis est, obviare, et alias, ne de cetero inhabiles ad huiusmodi gradus admittantur providere volentes. Motu proprio, non ad alicuius super hoc Nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione, et ex certa scientia nostris, ac de Apostolicae potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura Constitutione, omnia, et singula facultates, et indulta eisdem Comitibus, ac etiam quibusvis Officialium Romanae Curiae Collegiis, singulisque aliis personis cuiuscumque status, gradus, ordinis, et praeeminentiae existentibus, ad Doctoratus, Licentiaturae, et Magisterii gradum promovendi per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores nostros, et Sedem Apostolicam, ac etiam Nos etiam Motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus quomodolibet concessa, confirmata, et innovata, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes,

auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo revocamus, cassamus, et annullamus.

§ 3. Ac decretis Concilii Tridentini inhaerentes, decernimus, et declaramus, eos qui a Comitibus, et aliis praefatis promoti fuerunt, quoad dignitates, ceteraque beneficia Ecclesiastica, nulla gradus praerogativa frui, et gaudere posse, vel debere.

§ 5. Et sic in praemissis omnibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, III, p. 15, 16].

127.

S. Pius V, const. *Cupientes,* 8 iul. 1568.

Cupientes pro nostri Pastoralis Officii munere Christifidelium animarum saluti, quantum cum Deo possumus, salubriter consulere, Parochialibus Ecclesiis ab earum Parochis, prout tenentur, in divinis debite, et laudabiliter deserviri, inhaerendo etiam decretis sacri Concilii Tridentini.

§ 1. Motu proprio, et ex mera deliberatione, certaque scientia nostra, ac de Apostolicae potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura Constitutione, omnes, et singulos Rectores Parochialium Ecclesiarum cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, et praeeminentiae fuerint, in quibuscumque Regnis, Provinciis, Civitatibus, Dioecesibus, ac aliis Christiani Orbis partibus consistentes, qui Parochialem Ecclesiam, ac Canonicatum, aut dignitatem, etiam post Pontificalem maiorem, seu principalem in quibusvis Patriarchalibus, aut Metropolitanis vel Cathedralibus, seu Collegiatis Ecclesiis, seu aliud quodcumque beneficium Ecclesiasticum, etiam quarumcumque dispensationum a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, seu etiam a Nobis hactenus quomodolibet impetratarum, ac literarum Apostolicarum desuper expeditarum titulo, quas omnes hac praesenti Constitutione abolemus, et revocamus, seu quocumque alio praetextu obtinent, cum prima, et praecipua debeat esse cura animarum, eos ad residendum in Ecclesia Parochiali, et ibi in divinis deserviendum, debitoque eorum officio fungendum omnino teneri, et obligatos esse, ac ad id per Episcopos, et aliorum locorum Ordinarios, etiam tamquam Apostolicae Sedis delegatos, sub sententiis, et censuris Ecclesiasticis, ac pecuniariis, arbitrio eorum declarandis, ac etiam privationis dictarum Parochialium, et aliorum quorumcumque beneficiorum poenis, quacumque appellatione remota, cogi, et compelli posse, et debere auctoritate Apostolica tenore praesentium statuimus, praecipimus, et ordinamus. Eos tamen sic residentes in Ecclesiis Parochialibus, omnes, et singulos fructus, redditus, et proventus, etiam Canonicatus sui, vel dignitatis, seu alterius cuiuscumque beneficii, exceptis dumtaxat quotidianis distributionibus, et aliis, quae ex iusta causa absentes percipere non solent, lucrari volumus.

§ 2. Sicque per quoscumque Iudices, et Commissarios etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, interpretari, iudi-

cari, et definiri debere, necnon irritum, et inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel in posterum contigerit attentari, decernimus, et declaramus.

§ 3. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, III, p. 24].

128.

S. Pius V, const. *Horrendum*, 30 aug. 1568.

Horrendum illud scelus, quo pollutae foedataeque Civitates a tremendo Dei iudicio conflagrarunt, acerbissimum Nobis dolorem inurit, graviterque animum nostrum commovet, ut ad illud, quantum potest, comprimendum, studia nostra conferamus.

§ 1. Sane Lateranensi Concilio dignoscitur constitutum,[1] ut quicumque Clerici, illa incontinentia, quae contra naturam est, propter quam ira Dei venit in filios diffidentiae, deprehensi fuerint laborare, a Clero deiiciantur, vel ad agendam in Monasteriis poenitentiam detrudantur.

§ 2. Verum ne tanti flagitii contagium, impunitatis spe, quae maxima peccandi illecebra est, fidentius invalescat, Clericos huius nefarii criminis reos, gravius ulciscendos deliberavimus, ut qui animae interitum non horrescunt, hos certe deterreat civilium legum vindex gladius saecularis.

§ 3. Itaque quod Nos iam in ipso Pontificatus nostri principio hac de re decrevimus,[2] plenius nunc, fortiusque persequi intendentes, omnes, et quoscumque Presbyteros, et alios Clericos saeculares, et regulares, cuiuscumque gradus, et dignitatis, tam dirum nefas exercentes, omni privilegio clericali, omnique officio, dignitate, et beneficio Ecclesiastico praesentis canonis auctoritate privamus. Ita quod per Iudicem Ecclesiasticum degradati, potestati statim saeculari tradantur, qui de eis illud idem capiat supplicium, quod in laicos hoc in exitio devolutos, legitimis reperitur sanctionibus constitutum.

Nulli ergo, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, III, p. 33].

129.

S. Pius V, const. *Romanus Pontifex*, 14 oct. 1568.

Romanus Pontifex sacrorum Conciliorum auctor, et interpres, illa quae in huiusmodi Conciliis a prudentibus patribus in Spiritu Sancto legitime congregatis salubriter sancita sunt, pro sui pastoralis officii debito, cum

[1] C. 4, X, *de excessibus praelatorum et subditorum*, V, 31.

[2] Const. *Cum primum*, 1 apr. 1566, § 11. - Cf. supra, in N. 111.

aequitas, honestas, et decus suadet, sicuti declarare, et moderari, ita etiam ad alios casus extendere consuevit.

§ 1. Sane cum non deceat divino ministerio adscriptos cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quaestum exercere, a sacro Tridentino Concilio inter alia decretum fuit,[1] ne quis deinceps Clericus saecularis, quamvis alias moribus, scientia, et aetate esset idoneus, ad sacros Ordines promoveretur, nisi prius legitime constaret eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficeret, pacifice possidere, vel alias ordinari non posset, nisi iuxta decreti ab ipso Concilio desuper editi formam et tenorem.

§ 2. Cum autem nulla in huiusmodi decreto Religiosorum Clericorum mentio facta fuerit, ac propterea nonnulli, uti moleste accepimus, certorum Ordinum Religiosi, seu Canonici, vel Clerici, intra claustra Monasteriorum, seu domorum more regularium in communi viventes, qui numquam, seu non nisi ad certum tempus professionem emittunt, et ex claustro exire, vel dimitti, et ad saeculum redire libere, et licite possunt, Religionis praetextu titulo sufficientis beneficii, nec iuxta dicti decreti tenorem, ad sacros Ordines se promoveri praetendunt, et a nonnullis Episcopis passim promoveantur, atque inde plerumque illud inconveniens eveniat, ut sic promoti, et e claustro exeuntes, et per saeculum vagantes, vel mendicare, vel sordidum quaestum exercere, non sine ipsorum dedecore, ac Ordinis vilipendio, et quampluri-morum Christifidelium scandalo cogantur.

§ 3. Nos igitur, qui singulorum Dei ministrorum honorem, et decus, quantum in Nobis est, sinceris exoptamus affectibus, Motu proprio, et ex certa nostra scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura sanctione, decretum praedictum de Clericis saecularibus loquens, ad omnes, et singulos, etiam cuiuscumque Ordinis Clericos Religiosos, sive saeculares more Religiosorum viventes in communi, non professos, harum serie extendimus, et ampliamus, ac Religiosis, et aliis praedictis non professis, ut ad sacros Ordines promoveri, necnon omnibus, et singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis, gratiam, et communionem Sedis Apostolicae habentibus, ut Ordines ipsos huiusmodi Religiosis personis impendere, nisi observata forma dicti decreti Nos virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis nostrae poena, interdicimus, et prohibemus, ac contrafacientes per annum a praestatione talium Ordinum ipso iure suspendimus.

§ 4. Statuentes, et decernentes promotiones quarumlibet Religiosarum personarum praedictarum ad Ordines huiusmodi contra ipsius decreti Concilii Tridentini formam, etiam cuiusvis licentiae illis ab Apostolica Sede, vel illarum Superioribus cuiuscumque dignitatis, status, gradus, et praeeminentiae existant, si Pontificali dignitate fungantur, vel Cardinalatus honore praefulgeant concessae, praetextu factas, executione praedictorum Ordinum omnino carere, nullasque prorsus, et irritas existere, sicque promotas personas in altaris Ministerio ministrare non posse. Quinimmo ministrantes, privilegiis.

[1] Sess. XXI, *de ref.*, c. 2.

exemptionibus, immunitatibus, et aliis gratiis Clericis concessis omnino privari, et irregularitatis, aliasque in dicto decreto contentas poenas eo ipso incurrere, a quibus nisi a Romano Pontifice, vel in mortis articulo minime absolvi possint.

§ 5. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, III, p. 46, 47].

130.

S. Pius V, const. *Intolerabilis*, 1 iun. 1569.

Intolerabilis multorum perversitas, qui Sacrosanctas Constitutiones novis quotidie fraudibus eludere nituntur, saepe illarum auctores in necessitatem adducit, cautius providendi, quo pertinacium animi ab improbis conatibus graviore sanctione postposita reprimantur.

§ 1. Bene quidem, et providenter fel. rec. Pius Papa IV Praedecessor noster ad tollendam fiduciariae mancipationis beneficiorum Ecclesiasticorum corruptelam, statuit, et decrevit.

Ut supra in const. Romanum Pontificem. *Cf. N. 106.*

§ 2. Verumtamen propter improbas multorum cupiditates praedictas, quae ad purgandam hac pernicie Ecclesiam, et animarum salutem ab ipso Praedecessore edita sunt, in multis deprehendimus viam apperuisse gravius delinquendi. Siquidem cum frequentibus plurium querelis pridem concitati, quod Iudices in causis huiusmodi confidentiarum expediendis remissiores essent, omnes, et singulas causas ipsas ubicumque, inter quoscumque motas ad Nos advocavissemus, ac omnimodam huiuscemodi causarum, praesentium, et futurarum, rerumque omnium ex ipsis resultantium cognitionem Nobis, et Successoribus nostris reservavissemus, et super quibusdam coram Nobis processum fuisset, variis inde, nec levibus coniecturis intelleximus, vitium quidem confidentiae occulte irrepsisse, sed plerisque causis praesumptiones, et coniecturas, quae ad illud probandum deducuntur, minime sufficere, eiusque rei causa plurimos, qui ante literarum praedictarum editionem huiusmodi confidentias exercebant, ubi cognoverunt obstructam veritatem propter difficultates probandi in iudiciis confidentias ipsas, contempta Constitutione praedicta, Ecclesias, Monasteria, et beneficia sic recepta, ut prius retinere, alios fructus, pensiones, et alias res accipere, alios eorum exemplo ad similia, et graviora fidentius commoveri. Multi enim ipsa beneficia iure retinere nequeuntes, alii ne cogantur ad sacros Ordines, ad residentiam, ad incedendum in habitu Clericali, ut ad bellum proficiscantur, ut inimicos occidant, alii ut alieno nomine lites agant, aut defendant, alii propter crimina incapaces, quidam ut purgato delicto vel absolutione consecuta, illa repetant, eadem in alios deponunt, et in plerisque fructus ipsorum aut eis ministrantur, aut quibus ipsi statuunt, saepe laicis, et inhabilibus. Plerique vel senes, vel infirmi, ut beneficia in domibus suis perpetuent, illa renunciarunt, et renunciant in alios, qui vel profanam familiam cedentium de fructibus

Ecclesiasticis alant, vel illa etiamnum infantibus, aut nascituris asservent, facto interdum circuitu retrocessionis, cum reservatione fructuum, et aliarum rerum, aut accessu, praesertim ab illis, qui praestandorum iurium Camerae Apostolicae sunt immunes; alii aut incapaces, aut aliis beneficiis Ecclesiasticis onusti, aut Ecclesiastico Ordini sese mancipare refugientes, aut mere laici beneficia Ecclesiastica aliis conferenda procurant, ut de illis postmodum ad libitum suum disponatur, fructus etiam percipientes illorum. Ad haec plerique Ordinarii, et Collatores, ac etiam patroni laici curant deponenda beneficia, ut fructus, seu pensiones capiant eorumdem, aliisve faciant ministrari. Alia item permulta eiuscemodi admittuntur, quibus immaculata rerum divinarum puritas imple violatur, disciplinae Ecclesiasticae nervus dirumpitur, et imminens patratur exitium animarum.

§ 3. Quare Nos volentes periculosam talium audaciam novi iuris subsidio cohibere, praesentium auctoritate statuimus.

1. Ut si quis quacumque auctoritate, Ecclesiam, vel Monasterium, aut aliud beneficium Ecclesiasticum qualecumque ex resignatione, vel cessione cuiuscumque personae, simpliciter aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu, vel accessu, etiam sola dimittentis intentione receperit, ut illa, vel illud etiam in eventum regressus, vel accessus, eidem dimittantur, vel alteri postea conferatur, aut illius fructus, vel eorum pars alii vel aliis concedantur, vel pensiones solvantur, ex eisdem haec confidentia censeatur.

2. Itidem si Ordinarius, vel alius collator contulerit ante hac, aut conferat in futurum beneficium Ecclesiasticum quovis modo vacans, ea conditione, tacita vel expressa, ut postea in alterum pro arbitrio Collatoris, seu alterius cuiuscumque contra iuris communis ordinationem disponatur; sive ut de eo provisus, fructus illius, vel partem ad utilitatem vel conferentis, vel decedentis, aut alterius relinquat, et remittat, seu pensionem illi vel illis, quem vel quos idem collator, aut cedens, vel alius per se, vel alium, scripto aut verbo iusserit, seu significaverit, persolvat, et pariter si a patrono etiam laico, vel alteri praesentatori, seu electori contigerit, aut contingat id fieri.

3. Ad haec si Clericus praedictae Camerae, aut Cardinalis, aut alius a solutione iurium ipsius Camerae, vel etiam Cancellariae Apostolicae exemptus, post resignationem, vel cessionem alicuius extranei, de Ecclesia, Monasterio, vel alio beneficio Ecclesiastico in se, Apostolica, vel alia auctoritate factam, et admissam, illam, vel illud etiam confectis literis Apostolicis, et possessione apprehensa, in eumdem resignantem, vel cedentem, modico spatio interiecto, veluti duorum, vel trium mensium retrocesserit, aut retrocedat in futurum, et ex illa retrocessione fructus Ecclesiae, seu Monasterii, aut beneficii, vel eorum pars, seu pensio, seu quid aliud super his reservatum, aut regressus, seu accessus, et ingressus ad illam, vel illud, ipsi Clerico, vel Cardinali, aut alii exempto sit, fueritve concessus.

4. Postremo si quis crimine aliquo absolutus, aut cum quo super irregularitate dispensatum est, denuo receperit quacumque auctoritate Ecclesiam, Monasterium, vel aliud beneficium Ecclesiasticum, quod ante, vel post commissum delictum, aut contractam irregularitatem dimiserit, in quibus horum casuum confidentiae pravitas sit contracta, casusque huiusmodi literis prae-

dictis comprehendantur, ac si illis speciatim expressi fuissent, licet ipsum confidentiae crimen alterius tantum partis conscientia sit admissum.

§ 4. Ad probandum vero plene confidentiarum abusum, inter alias, etiam hae praesumptiones, et coniecturae habeantur legitimae, videlicet.

1. Si quis post cessam ab se Ecclesiam, vel Monasterium, aut beneficium, et publicatam resignationem, seu cessionem, captamque a Successore possessionem, sese in illa, vel illo, seu rebus illius, per se, vel alium, seu alios, de facto ingesserit, aut fructus perceperit, aut quicumque Successor illi, vel eius propinquis, ipsos, aut partem aliquam remiserit eorumdem.

2. Si recipiens beneficium constituerit dimittentem, vel eius parentes, aut propinquos procuratores ad percipiendum, vel locandum fructus beneficii dimissi, et illi, vel illis de fructibus perceptis, aut percipiendis donationem fecerit.

3. Si vel sola procuratoris dispositione, vel libris rationalibus mensariorum ex parte dimittentis, expeditio, quae personam recipientis concernit, prosecuta sit, simulque expensae pro ea necessariae ab illo factae fuerint.

§ 5. Denique si quis pro concessione alicui facta, quacumque auctoritate de beneficio ecclesiastico, per se, vel alium, seu alios intercesserit, vel alias in negotio concessionis sese immiscuerit quoquo modo, deinde aliquid de fructibus talis beneficii de facto, etiam per manus possessoris, ac etiam simplicis donationis titulo perceperit, seu de illo postmodum ad voluntatem intercessoris fuerit dispositum quandocumque.

§ 6. Testes autem de quaque re singulares singulas probare valeant praesumptiones, et coniecturas, pluresque huiusmodi praesumptiones, et coniecturae plenam probationem faciant in praedictis.

§ 7. Ceterum criminosi, et ceteri omnes, qui ad perhibendum in casibus simoniae testimonium recipi possunt, ad praedicta omnia admittantur.

§ 8. Sed ne quisquam, etiam vana fiducia fretus, non intendendi contra se iudicii, in crimine perseveret, utque hoc malum gravioris censurae stimulo usquequaque prohibeatur, omnes, et singulos qui hucusque Ecclesias, Monasteria, beneficia, fructus, pensiones, aliasve res, intercedente hoc confidentiae vitio receperunt, ac retinent, nisi statim ad se reversi, et resipiscentes celeri dimissione sibi prospexerint, et qui quid tale admiserint in futurum, etiam omnibus, et singulis aliis Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, administrationibus, officiis, et beneficiis obtentis, quae pariter sub dicta reservatione comprehendi volumus, necnon fructibus, pensionibus, et aliis rebus Ecclesiasticis, ac etiam Romanae Curiae, et aliis officiis temporalibus praesentium auctoritate privamus, et ad futura inhabiles decernimus, et in iuris subsidium excommunicationis sententia innodamus, a qua nullus, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio, quam a Romano Pontifice, absolutionis beneficium valeat obtinere. Nos enim advocatione causarum huiusmodi, et reservatione cognitionis illarum, rerumque omnium inde emergentium, Nobis, et praedictis Successoribus, ut praedictum est facta, causis illis dumtaxat exceptis, quae iam coram Nobis pendere noscuntur, ac etiam iis quas ratione Ecclesiarum, et Monasteriorum, quorum dispositio in Consistorio fieri consuevit, aut debet, itemque contra Ordinarios, Collatores, Episcopos, et alios Superiores Praelatos, etiam Cardinales haberi contigerit, uti iam aliis nostris literis

statutum est audiendis, decidendis, et terminandis, harum serie prorsus relaxata, decernimus, ita deinceps quoscumque Iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac praedictae Romanae Ecclesiae Cardinales, sublata eis, et ipsorum cuicumque, quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, ubique iudicari, interpretari, et definiri debere, necnon irritum, et inane quidquid secus in praedictis per quoscumque quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ 9. Quocirca omnibus locorum Ordinariis districtius iniungimus, ut in suis quisque Ecclesiis, Civitatibus, Dioecesibus, et locis, etiam exemptis, ad praedicta studiose attendat, et quatenus illis relaxavimus, in delinquentes severe animadvertant, si divinae Maiestatis iudicium, dictaeque Sedis censuram voluerint evitare. In ceteris vero causis, et negotiis (Nobis, et praedictis Successoribus exceptis) eosdem locorum Ordinarios praesentium auctoritate delegamus, ut gratia, et favore postpositis, pro se quisque, cum venerit usus, contra praedictos omnes sub ipsa exceptione comprehensos diligenter inquirant, suasque inquisitiones omnes sigillo obsignatas ad praedictam Sedem quamprimum transferant, ut Nos, et praedicti Successores in causis huiusmodi procedentes, quod iustum fuerit, decernamus. Nos enim singulis Ordinariis ipsis praedictos omnes, et quoscumque alios etiam exemptos, etiam per editum publicum, constito prius summarie, et extraiudicialiter de non tuto ad illos accessu, citandi, et monendi, eisque ac Iudicibus ordinariis, et delegatis, aliisque personis quibuscumque, ne praedictorum executionem quoquo modo impediant, vel alias in illis sese interponant, etiam per simile edictum inhibendi, eosdem, ac alios contradictores, et rebelles quoscumque per censuras, et poenas ecclesiasticas, ac omnia alia iuris, et facti remedia opportuna compellendi, auxilium brachii saecularis, quandocumque opus erit, invocandi, ceteraque in praedictis omnibus, et singulis necessaria faciendi, et exequendi, plenam, et liberam tenore praesentium concedimus facultatem.

§ 10. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papae Octavi Praedecessoris nostri de una, et in Concilio generali edita de duabus dietis, aliisque Apostolicis Constitutionibus, et Ordinationibus, quodque Episcopis, Collatoribus, et Praelatis praedictis, etiam Cardinalibus, vel quibusvis aliis, communiter, vel divisim a praedicta sit Sede indultum, vel in posterum indulgeri contingat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut contra indulta huiusmodi ad iudicium trahi non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, et expressam, et ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, et literis Apostolicis, generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa, aut in totum non inserta, effectum praesentium, aut attributae praedictis Ordinariis iurisdictionis explicatio, seu exercitium, vel executio impediri valeat quomodocumque, vel differri, et de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 11. Literis Praedecessoris huiusmodi nihilominus in suo robore duraturis.

[Bull. Rom., tom. 4, III, p. 67-69].

131.

S. Pius V, const. *Hodie*, 14 nov. 1569.

Hodie in Consistorio nostro secreto, ut moris est, accepto, quod a nonnullis praetendebatur S. R. E. Cardinales obtentu privilegiorum sub Constitutione nostra de confidentiis beneficialibus,[1] saltem quo ad privationem, censuras, et alias poenas in dicta Constitutione contentas, propter non factam in clausula impositionis illarum specialem, et expressam de dictis Cardinalibus, et privilegiis mentionem, minime comprehendi, licet aliter mentis, et intentionis nostrae fuerit, quemadmodum, et ex literis dictae Constitutionis colligi possit.

§ 1. Ad tollendum tam omne dubium atque impedimentum, quo minus Constitutio praefata commune bonum, et salutem animarum concernens, plenarium effectum sortiatur, declaravimus, omnes S. R. E. Cardinales, in Constitutione, et literis praefatis, ac singulis earum partibus, etiam quo ad privationes, omnesque, et singulas alias censuras, et poenas, in ipsis literis contentas, comprehendi, ac contrafacientes, privationes, censuras, et poenas ipsas incurrere, prout Nos illos omnes includi, et incurrere volumus eo ipso.

§ 2. Decernentes sic per quoscumque, etc., etiam Cardinales, in quavis causa, et instantia, sublata, etc., iudicari, etc., debere, necnon irritum, etc., attentari.

§ 3. Ac privilegia praefata, necnon exemptiones, conservatorias, et indulta omnia, per quoscumque Romanos Pontifices, etc., etiam Motu proprio, et ex certa nostra scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, ac etiam consistorialiter, et ex quibuscumque causis in genere, vel in specie concessa, confirmata, extensa, et moderata, et quantocumque tempore observata, ad effectum praefatorum revocavimus, et annullavimus, viribusque, et effectu quo ad haec prorsus carere decrevimus. Volumusque, et statuimus, tenores privilegiorum, etc., qualiacumque sint, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis haberi.

§ 4. Solamque hanc schedulam manu nostra signatam, et in Cancellariae Apostolicae libro ad perpetuam rei memoriam registratam, absque alia literarum confectione, sufficere, eamque, et eius exempla ubique locorum in iudicio, et extra illud fidem facere.

§ 5. Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Cancellariae praefatae regulis editis, et edendis, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

[Bull. Rom., tom. 4, III, p. 69].

[1] Cf. N. 130.

132.

S. Pius V, const. *Quam plenum*, 2 ian. 1570.

Quam plenum sit periculi noxia populis ingerere, nimium his temporibus afflicta Religio testatur, quod malum cum in ceteris ministris, tum praecipue in Ecclesiarum Praelatis animadvertendum est, quod ab his temere profecta longe maxima Ecclesiae Dei conferant detrimenta. Rem sane indignam audivimus, quod non solum quondam Gometius Tello Giron temporarius administrator Ecclesiae Toletanae, sed etiam quidam Hispaniae Ecclesiarum Praesules Officii paterni praetextu, facultates sibi a sacris canonibus concessas excedentes, literas suas in ipsorum Civitatibus, ac Dioecesibus ausi sunt publicare, quibus inter cetera periculosa deprehenditur, quod cuicumque illas accipienti certa soluta pecunia licitum sit, quem voluerit, sibi sumere Sacerdotem, qui confessione audita ipsum absolvere valeat, non in eis tantum casibus, in quibus simplex sacerdos absolvere potest, sed etiam in iis quae solis Episcopis reservata reperiuntur, aliquo praeterea casu admixto veluti simoniae reatu, qui ad examen huius Sanctae Sedis esset referendus. Non animadvertentes ipsi Praesules, et administratores, quam periculosum sit, ea passim incertis personis committere, quae ad Episcoporum iudicium arbitriumque idcirco deferuntur, ut qui melius lepram a lepra discernere norint, causis, et circumstantiis subtili indagine exploratis, salutaria cuique morbo remedia valeant adhibere. Ad haec ipsi in dispensandis coelestis gratiae donis nimium prodigi, iis sic literas praedictas accipientibus indulgentias, et poenitentiarum iniunctarum remissiones, nulla cum re temporali conferendas, profusius, et indiscrete largiuntur, quibus, et aliis licentiis praedictis non pauci fluctuantes, et infirmi, veniae facilitate inducti ad peccandum procliviores fiunt, quando tot et tantorum delictorum remissionem certo, et vilissimo pretio acquirere posse confidant. Indicem praeterea casuum, et indulgentiarum aedibus sacris appendi iusserunt, quo palam significatur solventibus suprascripta concedi, et inter alia absolvendi facultatem ab esu prohibitorum tribui, itemque indulgeri Missae sacrificium, et sepulturam tempore interdicti, assumptionem duorum, pluriumve compatrum ad sacrum Baptisma praeter eos, qui synodalibus, ut dicunt, Constitutionibus asciscuntur, reparationem Ecclesiarum, erectionem Confraternitatum, et alias pias causas praetexendo.

§ 1. Cum igitur inter cetera scandala, etiam Simoniae pravitas redoleat, et praedictis Sacri Tridentini Concilii decretis, et aliis sanctionibus Canonicis, nostrae praeterea Constitutioni[1] de indulgentiis ad quaestum non emittendis, adversetur, clavium auctoritas evilescat, et poenitentialis satisfactio enervetur, Nos his malis celeri remedio occurrendum, eademque opera futuris praecavendum fore censentes, de Apostolicae potestatis plenitudine supra-

[1] Cf. N. 118.

dicta omnia, quae in ipsa Toletana, et quibuscumque aliis Civitatibus, Dioecesibus, et locis, tam Hispaniae, quam aliarum quarumcumque Provinciarum, et Regionum quocumque praetextu hucusque emanarunt, perpetuo abolemus, ac nulla, et irrita nunciamus; iubemusque literas, et indices, necnon scripturas, et monumenta quaecumque, publica et privata, per ipsos locorum Ordinarios, et alios Ecclesiarum Rectores, ubicumque reperiuntur, dilacerari, penitusque deleri. Et ne talia de cetero a quoquam fiant, publicentur, vel concedantur, districtius prohibemus,

§ 2. Quicumque secus egerint, seu attentaverint, Antistites, etiam si Cardinalatus honore praefulgeant, ab ingressu, et perceptione fructuum suarum Ecclesiarum tamdiu suspensi iaceant, donec satisfactione praevia illis per Sedem praedictam suspensio relaxetur. Inferiores vero ab Episcopis sententiam excommunicationis incurrant, a qua, nisi in mortis articulo constituti, ab alio, quam Romano Pontifice absolutionis beneficium nequeant obtinere. Decernentes etiam irritum, et inane quicquid secus per quoscumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

[Bull. Rom., tom. 4, III, p. 91].

133.

S. Pius V, const. *Decori*, 1 febr. 1570.

Decori et honestati omnium Sanctimonialium, quarum Iesus Christus Dominus noster sponsus est, ut in puritate, et castitate superaedificantes, in ipso feliciter inhabitare valeant, consulentes, ea quae illarum existimationi detrahere possent, decet Nos consulto submovere.

§ 1. Sane periculo, et scandalo plena res est, ac regulari observantiae vehementer adversatur, Sanctimoniales aliquando parentes, fratres, sorores, aut alios agnatos, vel cognatos, necnon Monasteria, et alia filiationes nuncupata, etiam eis subiecta visitandi, aut infirmitatis causa, aliove praetextu a Monasteriis exire, et per saecularium personarum domos discurrere, et vagari, quo veluti colore eximium quoque honestatis, et pudicitiae decus in discrimen committunt.

§ 2. Unde Nos malo huic pro nostro Pastoralis officii debito salubriter occurrere volentes, inhaerentes etiam decreto sacri Concilii Tridentini[1] de clausura Monialium disponenti, ac aliis nostris literis super huiusmodi clausura editis adiicientes, volumus, sancimus, et ordinamus nulli Abbatissaram, Priorissarum, aliarumve Monialium, etiam Carthusiensium, Cisterciensium, S. Benedicti, et Mendicantium, et quorumcumque aliorum Ordinum, etiam Militiarum, ac statuum, graduum, et conditionum, dignitatum, ac praeeminentiarum existentium, etiam a Regia, vel illustri prosapia ortarum, de cetero etiam infirmitatis, seu aliorum Monasteriorum, etiam eis subiectorum, aut domorum, parentum, aliorumve consanguineorum visitandorum, aliave

[1] Sess. XXV, *de regularibus*, c. 5.

occasione, et praetextu, nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis leprae, aut epidemiae, quae tamen infirmitas, praeter alios Ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, etiam si praedicta Monasteria ab Episcoporum, et Ordinariorum iurisdictione exempta esse reperiantur, cognita, et expresse in scriptis approbata sit, a Monasteriis praefatis exire, sed nec in praedictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus stare licere. Aliter autem quam, ut praefertur, egredientes, seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes, necnon comitantes, ac illarum receptatrices personas, sive laicas, aut saeculares, vel Ecclesiasticas, consanguineas, vel non, excommunicationis maioris latae sententiae vinculo statim eo ipso absque aliqua declaratione subiacere, a quo praeterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi nequeant. Et insuper tam egressas, quam praesidentes, et alios Superiores praedictos eis licentiam huiusmodi concedentes, dignitatibus, officiis, et administrationibus, per eas, et eos, tunc obtentis privamus, et illas, et illos ad obtenta, et alia in posterum obtinenda inhabiles.

§ 3. Necnon licentias, et facultates, seu indulta, et privilegia exeundi a Monasteriis, et extra illa standi, a Nobis, seu alio Romano Pontifice Praedecessore nostro, ac Sedis Apostolicae Nunciis, et Legatis, etiam de latere, ac Maiore Poenitentiario, aut Ordinum praedictorum Superioribus, aliisque personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis restitutivis, praeservativis, mentis attestativis, etiam novam gratiam, et datam concernentibus, aliisque efficacioribus, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam Motu proprio, et ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, et aliorum Principum, necnon Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium intuitu, et contemplatione, ac instantia, vel alias quomodolibet concessa (quae prorsus abolemus), ac literas desuper confectas, et in posterum concedendas, et conficiendas, nullas, et invalidas, nulliusque roboris, ac momenti fore, nec illas habentibus, et habituris suffragari posse.

§ 4. Et ita per quoscumque Iudices, et Commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, et definiri debere, irritum quoque, et inane, quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§ 5. Mandantes universis, et singulis Venerabilibus fratribus nostris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, et aliis locorum Ordinariis, in virtute sanctae obedientiae, et sub obtestatione divini iudicii, et interminatione maledictionis aeternae, quatenus per se, vel alium, seu alios praesentes literas in Civitatibus, et Dioecesibus propriis, quolibet anno publicent, omniaque in illis contenta, necnon praefatum decretum ipsius Concilii, quod incipit Bonifacii VIII, diligenter, et inviolabiliter sub censuris Ecclesiasticis, aliisque praefatis poenis, et in eodem decreto contentis, observent, et observari faciant, et procurent. Contradictores quoslibet, et rebelles, ac praemissis non parentes, etiam aliis poenis auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo; necnon legitimis super his habendis servatis pro-

cessibus poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, interdictum Ecclesiasticum apponendo; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque.

[Bull. Rom., tom. 4, II, p. 294, 295. - Cf. etiam tom. 4, III, p. 96, 97].

134.

S. Pius V, const. *Durum nimis*, 1 iun. 1570.

Durum nimis, et incommodum arbitramur, quod Ecclesiarum ministri in iis, quae ad ipsorum sustentationem suppeditant, dispendia patiantur. Quocirca cum hanc ad rem, simulque prohibendam ab Ecclesia Dei avaritiae pravitatem, editas ante hac sanctiones minime satis esse intelligimus, novae Constitutionis subsidio cogimur providere.

§ 1. Cum itaque alias ex plurium Ecclesiarum Cathedralium, et Collegiatarum Constitutionibus, aut ex prava consuetudine observari intelligeretur, ut in electione, praesentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem alicuius Cathedralis Ecclesiae, vel beneficii, canonicatuum, aut praebendarum, vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas certae conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesve illicitae, aut etiam quae in aliquibus Ecclesiis dicuntur Turnorum lucra, interponerentur, licet Sancta Synodus[1] haec detestata mandaverit Episcopis, ut quaecumque huiusmodi, quae in usus pios non converterentur, atque ingressus eos, qui simoniacae labis, aut sordidae avaritiae suspicionem haberent, fieri non permitterent, ipsique diligenter de eorum Constitutionibus, sive consuetudinibus super praedictis cognoscerent, et illis tantum, quas probarent, exceptis, reliquas ut pravas, et scandalosas reiicerent, eos vero, qui adversus praedicta quavis ratione commisissent, poenis contra simoniacos editis teneri decreverit, multorum tamen indomita cupiditate, tam praedicta, quam alia ad beneficium, et commodum ipsorum ministrorum edita, aut omnino contemnuntur, aut in varios sensus traducta, perperam eluduntur.

§ 2. Quare Nos pro divini cultus exercitio, simulque evocatorum ad illum auxilio plenius evidentiusque consulendum fore rati, revocamus, et abolemus omnia, et quaecumque privilegia, consuetudines, et statuta quarumcumque Ecclesiarum Cathedralium, et Metropolitanarum, ac maiorum, nenon Collegiatarum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, aut alio quovis praesidio munita, ac etiam supra hominum memoriam, et longissimo, ac quantocumque tempore etiam continuo observata, sive pro solvendis Ecclesiarum, vel Praelatorum debitis, sive pro supportandis illorum oneribus, sive aliis

[1] Conc. Trident., sess. XXIV, *de ref.*, c. 14.

etiam maioribus, maximis, et urgentissimis causis concessa, et approbata, ac etiam multiplicatis vicibus innovata, extensa, et moderata, quod vacantibus ipsarum Ecclesiarum dignitatibus, canonicatibus, praebendis, portionibus, beneficiis, et officiis, fructus ac etiam quotidianae distributiones ex eis primo ab ipsa vacatione anno, aut longiore, vel etiam breviore tempore proventuri, mensae Episcopali, seu Capitulari, aliove loco, integre vel partim remaneant, seu applicentur, aut in communes usus cedant, seu inter alios Canonicos, et personas Ecclesiae, seu Capituli dividantur. Quodque nullus etiam Apostolica auctoritate provisus in Canonicum recipi, aut ad dignitatem, seu portionem, beneficium, vel officium admitti, vel alias in eius possessionem induci possit, nisi prius de observandis huiusmodi privilegiis, consuetudinibus, et statutis iuramentum praestiterit, et obtentae illorum derogationi, ac fructuum, et distributionum perceptioni renunciaverit, seu Capitulo, et personis praedictis cesserit, seu (ut appellant) dulciaria, aut quid aliud praestiterit; quorum omnium tenores, causas, et effectus habemus praesentibus pro expressis, quibuscumque illa concepta sint formulis, necnon irritantibus, et aliis decretis roborata. Volentes ea omnia vires, et effectum de cetero non habere.

§ 3. Praecipimus igitur, et interdicimus omnibus Episcopis, Capitulis, Collegiis, et personis, ad quos id pertinet, ne posthac fructus, aut distributiones huiusmodi, nec prorsus ullam eorum partem retineant, neve ipsorum cessionem, vel renunciationem, aut dulciaria, vel alia quomodocumque petant, vel exigant, aut quemquam sive Ordinaria, sive Apostolica auctoritate provisum, ad praestandum huiusmodi iuramentum inducant, aut illi praedicta non facienti possessionem impediant, vel remorentur. Quicumque contrafecerint, si Ecclesiarum Antistites, tamdiu a Pontificalis officii exercitio sint suspensi, donec satisfactione praevia illis per Sedem Apostolicam suspensio relaxetur. Capitula vero, et Collegia quaecumque ecclesiastico subiaceant interdicto, ac singulares personae in excommunicationis sententiam incurrant, a qua, nisi in mortis articulo constituti, ab alio quam a Rom. Pont. absolutionis beneficium nequeant obtinere. Decernentes huiusmodi praestita iuramenta non tenere, nec quemquam illis obligari, quinimmo iurantes in huiusmodi censuram incidere, necnon irritum, et inane quicquid secus super his per quoscumque scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ 4. Et nihilominus statuimus, ut ubicumque huiusmodi fructus, et distributiones Fabricae, vel Sacristiae, aut alterius pii loci usibus ultra semestre tempus reperiuntur concessi, horum dumtaxat dimidia pars ipsi Sacristiae, vel Fabricae, aut pio loco deinceps tribuatur, alteram vero beneficiati praedicti integre percipiant.

§ 5. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, decreto praedictae Synodi, ac Constitutione fel. rec. Ioannis Papae XXII quae incipit, *Suscepti*,[1]

[1] C. 2, *de electione et electi potestate*, tit. 1, in Extravag. Ioan. XXII.

et aliis iuribus hac de re disponentibus nihilominus alias in suo robore duraturis.

§ 6. Ceterum per praedicta non intendimus illis praeiudicare Capitulis, Collegiis, mensis, aut personis, fructus, et distributiones inter vacationem beneficiorum, et eorum collationem, sive possessionis apprehensionem provenientes ex statuto, consuetudine, vel privilegio huiusmodi percipientibus, vel retinentibus, quo minus ipsi illos interim ut antea exigere valeant, et habere.

[Bull. Rom., tom. 4, III, p. 108, 109].

135.

S. Pius V, const. *Quo primum*, 14 iul. 1570.

Quo primum tempore ad Apostolatus apicem assumpti fuimus, ad ea libenter animum, viresque nostras intendimus, et cogitationes omnes direximus, quae ad Ecclesiasticum purum retinendum cultum pertinerent, eaque parare, et Deo ipso adiuvante omni adhibito studio efficere contendimus.

§ 1. Cumque inter alia sacri Tridentini Concilii decreta, Nobis statuendum esset de sacris libris, Catechismo, Missali, et Breviario, edendis, atque emendandis, edito iam, Deo ipso annuente, ad populi eruditionem Catechismo, et ad debitas Deo persolvendas laudes Breviario castigato, omnino ut Breviario Missale responderet, uti congruum est, et conveniens (cum unum in Ecclesia Dei psallendi modum, unum Missae celebrandae ritum maxime deceat) necesse iam videbatur, ut quod reliquum in hac parte esset, de ipso nempe Missali edendo quamprimum cogitaremus.

§ 2. Quare eruditis delectis viris onus hoc mandandum duximus, qui quidem diligenter collatis omnibus cum vetustissimis nostrae Vaticanae Bibliothecae, aliisque undique conquisitis, emendatis, atque incorruptis codicibus, necnon veterum consultis ac probatorum auctorum scriptis, qui de sacro eorumdem rituum instituto monumenta nobis reliquerunt, ad pristinam Missale Sanctorum Patrum normam, ac ritum restituerunt. Quod recognitum iam, et castigatum matura adhibita consideratione, ut ex hoc instituto, coeptoque labore fructus omnes percipiant, Romae quamprimum imprimi, atque impressum edi mandavimus, nempe ut Sacerdotes intelligant, quibus precibus uti, quos ritus, quasve caeremonias in Missarum celebratione retinere posthac debeant. Ut autem a Sacrosancta Romana Ecclesia ceterarum Ecclesiarum matre et magistra, tradita ubique amplectantur omnes, et observent, ne in posterum perpetuis futuris temporibus, in omnibus Christiani Orbis provinciarum Patriarchalibus, Cathedralibus, Collegiatis, et Parochialibus, saecularibus, et quorumvis Ordinum Monasteriorum, tam virorum, quam mulierum, etiam Militiarum regularibus, ac sine cura, Ecclesiis, vel Capellis, in quibus Missa Conventualis alta voce in Choro, aut demissa celebrari iuxta Romanae Ecclesiae ritum consuevit, vel debet, alias, quam iuxta Missalis a Nobis editi formulam, decantetur, aut recitetur, etiamsi eaedem Ecclesiae

quovis modo exemptae Apostolicae Sedis indulto, consuetudine, privilegio, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel aliis quibusvis facultatibus munitae sint, nisi ab ipsa prima institutione a Sede Apostolica approbata, vel consuetudine, quae vel ipsa institutio supra ducentos annos Missarum celebrandarum in eisdem Ecclesiis assidue observata sit, a quibus, ut praefatam celebrandi constitutionem, vel consuetudinem, nequaquam auferimus, sic si Missale hoc, quod nunc in lucem edi curavimus, iisdem magis placeret, de Episcopi, vel Praelati, Capitulique universi consensu, ut quibusvis non obstantibus, iuxta illud Missas celebrare possint permittimus, ex aliis vero omnibus Ecclesiis praefatis eorumdem Missalium usum tollendo, illaque penitus et omnino reiiciendo.

§ 3. Ac huic Missali nostro nuper edito, nihil umquam addendum, detrahendum, aut immutandum esse decernendo, sub indignationis nostrae poena, hac nostra perpetuo valitura Constitutione statuimus, et ordinamus. Mandantes, ac districte, omnibus et singulis Ecclesiarum praedictarum Patriarchis, Administratoribus, aliisque personis quacumque Ecclesiastica dignitate fulgentibus, etiam si Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, aut cuiusvis alterius gradus, et praeeminentiae fuerint, illis in virtute sanctae obedientiae praecipientes, ut ceteris omnibus rationibus, et ritibus ex aliis Missalibus quantumvis vetustis hactenus observari consuetis, in posterum penitus omissis, ac plane reiectis, Missam iuxta modum, ac normam, quae per Missale hoc a Nobis nunc traditur, decantent ac legant, neque in Missae celebratione alias caeremonias vel preces, quam quae hoc Missali continentur, addere vel recitare praesumant. Atque ut hoc ipsum Missale in Missa decantanda aut recitanda in quibusvis Ecclesiis absque ullo conscientiae scrupulo, aut aliquarum poenarum, sententiarum, et censurarum incursu posthac omnino sequantur, eoque libere, et licite uti possint, et valeant, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, etiam perpetuo concedimus et indulgemus. Neve Praesules, Administratores, Canonici, Capellani, et alii quocumque nomine nuncupati Presbyteri saeculares, aut cuiusvis Ordinis regulares, ad Missam aliter, quam a Nobis statutum est, celebrandam teneantur, neque ad Missale hoc immutandum a quolibet cogi, et compelli.

§ 4. Praesentesve literae ullo umquam tempore revocari, aut moderari possint, sed firmae semper et validae in suo existant robore, similiter statuimus et declaramus.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac in Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, necnon Ecclesiarum praedictarum in usu longissima, et immemorabili praescriptione, non tamen supra ducentos annos roborata, statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque.

§ 6. Volumus autem, et eadem auctoritate decernimus, ut post huius nostrae Constitutionis, ac Missalis editionem, qui in Romana adsunt Curia Presbyteri post mensem, qui vero intra montes, post tres; et qui ultra montes incolunt, post sex menses, aut cum primum illis Missale hoc venale propositum fuerit, iuxta illud Missam decantare, vel legere teneantur.

§ 7. Quod ut ubique terrarum incorruptum, ac mendis, et erroribus purgatum praeservetur, omnibus in nostro et S. R. E. dominio, mediate, vel immediate subiecto commorantibus Impressoribus, sub amissionis librorum ac centum ducatorum auri Camerae Apostolicae ipso facto applicandorum, aliis vero in quacumque orbis parte consistentibus, sub excommunicationis latae sententiae, et aliis arbitrii nostri poenis, ne sine nostra, vel specialis ad id Apostolici Commissarii in eisdem partibus a Nobis constituendi, ac nisi per eumdem Commissarium eidem impressori Missalis exemplum, ex quo aliorum imprimendorum ab ipso impressore erit accipienda norma, cum Missali in Urbe secundum magnam impressionem impresso collatum fuisse, et concordare, nec in nullo penitus discrepare, prius plena fides facta fuerit, imprimere, vel proponere, vel recipere ullo modo audeant, vel praesumant, auctoritate Apostolica, et tenore praesentium similibus inhibemus.

[Bull. Rom., tom. 4, III, p. 116, 117. - Cf. etiam Missale Romanum, initio].

136.

S. Pius, V, const. *Decet,* 16 iul. 1570.

Decet Romanum Pont. certissimum mentis suae interpretem, si quando quippiam dubietatis in literis ab eo emanatis occurrit, suae declarationis oraculo quamprimum explanare.

§ 1. Cum alias a Nobis emanaverint quaedam literae in simili forma brevis sub die 24 Octobris 1566. Pontif. nostri anno primo. [1] In quibus, mulieribus quibuscumque Monasteriorum Regularium ingressus cum derogatoriis clausulis, et irritantibus decretis prohibetur, et alias, prout in illis plenius continetur.

§ 2. Nos intuitu, et in favorem Congregationis Montis Virginis aliquas dubitationes, quae circa dictarum literarum, et mentis nostrae intelligentiam oriri possent, elucidare, et submovere volentes, supplicationibus dictae Congregationis, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Apostolica auctoritate tenore praesentium dicimus, et declaramus, fuisse, et esse mentem, et intentionem nostram, quod dictae literae non solum comprehenderent, et comprehendant mulieres habere praetendentes facultatem, et indulta ingrediendi Monasteria, sed etiam omnes, et quascumque mulieres alias, tam in genere, quam in specie.

§ 3. Significantes nihilominus, prout significamus, quod propter hoc, et praedictas nostras literas, non intelleximus, nec intelligimus, quod mulieribus praecluderetur, nec praecludatur aditus ad Monasteria, et loca Regularia dictae Congregationis, ac eorum claustra, quando in eis Missae, et alia divina officia celebrantur, ac dum processiones fiunt, et quando Christi fidelium cadavera ibi sepeliuntur, ac etiam pro eis suffragia fiunt, sed libere

[1] Cf. N. 115.

perpetuo concedimus eisdem omnibus mulieribus facultatem, ut ad illa loca dictae Congregationis, in quibus dicta pia opera exercentur, cum aliis Catholicis personis accedere libere, et licite possint, et valeant.

§ 4. Et similiter quod quando divinum verbum in Claustris Monasteriorum, et Regularium locorum Congregationis huiusmodi proponitur, vel per aliam quamcumque causam tantus concursus populi fuerit, quod commode ingredi non possint, et egredi per portam Ecclesiae, perpetuo concedimus, ut dictae mulieres, una cum aliis saecularibus personis possint ingredi, et egredi per portam Claustri Monasteriorum, et locorum Regularium Congregationis huiusmodi, dummodo recto tramite accedant ad portam, qua exitur e Monasterio, sicque volumus pariter, et indulgemus.

§ 5. Decernentes praesentes de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quovis alio defectu notari, vel impugnari non posse, sicque in praemissis ab omnibus censeri, et ita per quoscumque Iudices, et Commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, et diffiniri debere; irritum quoque, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 6. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, II, p. 318, 319].

137.

S. Pius V, const. *Cum ex Ordinum*, 23 dec. 1570.

Cum ex Ordinum universitate, qui in Dei Ecclesia reperiuntur, illa castrorum aciei comparetur, illius autem gubernium Rom. Pontif. Beati Petri vero successori sit demandatum, mirum nemini videri debet, si ille curae sibi divinitus commissae invigilans, cuilibet quod suum est, benigne concedendo, et quae clara etiam sui ipsorum natura sunt, ne in recidivae contentionis scrupulum relabantur, opportunae declarationis, ac novae concessionis remedio consolidat, ut quibusvis sublatis obstaculis, quilibet pacis amoenitate frui libere possit, ac scandalorum occasio penitus tollatur.

§ 1. Cum itaque sicut accepimus, dilecti filii universi Canonici Regulares Ordinis S. Augustini Congregationis Lateranensis, qui ab Apostolis originem traxerunt, quique ab eodem S. Augustino eorum reformatore, iterum per reformationis viam mundo geniti, merito praetendere possunt, se, omnes alias personas Ecclesiasticas, tam saeculares, quam regulares, in processionibus, et aliis actibus publicis praecedere debere.

§ 2. Cum tamen non liceat membra a capite separare; sed tamen eis locum debitum assignare, ipsorumque indemnitati, ut sine populi scandalo in publicum prodire, exemploque potius ceteris Christifidelibus esse possint, consulere volentes, ac omnium, et singularum litium, quae forsan super praemissis exortae sint, aut exoriri quoquomodo possint, status, et merita, nominaque, et cognomina Iudicum, et colligantium, praesentibus pro

expressis habentes, Motu proprio, non ad dictorum Canonicorum, vel alicuius alterius pro eis super hoc Nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia nostra, et de Apostolicae potestatis plenitudine, omnes, et singulos Canonicos praedictos, ubicumque locorum existentes, quos deinceps processionibus, et aliis actibus publicis vel privatis, interesse contigerit, statim ipsum Clerum saecularem non exemptum subsequi, dum ipsi subsequendo praecedunt, dum vero praecedendo praecedunt, illum immediate sequi debere, auctoritate Apostolica per praesentes declaramus. Ac insuper in omnibus locis, in quibus talis viget consuetudo in processionibus, ut dicti Clerici non exempti, praecipue quando Canonici alicuius Ecclesiae Cathedralis, paramenta Ecclesiastica induunt, ut cultus divinus magis vigeat, ac ut Sanctissimum Corpus Christi, seu aliae reliquiae, quae processionaliter deferuntur, decentius, et honorificentius associentur, aut quando hoc ipsius Ordinarii mandato continget, ipsi Canonici similiter, ac illi, Pluvialia, Planetas, Tunicellas, et alia paramenta super eorum Clericalem habitum deferre, necnon pro cruce associanda quaecumque luminaria deferre, libere, et licite possint, statuimus, et ordinamus.

§ 3. Districtius inhibentes quibusvis locorum Ordinariis, etiamsi Patriarchali, Provinciali, Archiepiscopali, Episcopali, aut alia dignitate perfulgeant sub excommunicationis maioris, et indignationis nostrae poena, ne eosdem Canonicos, seu aliquem eorum molestare, aut praemissa quovis modo declarare, vel interpretari audeant.

§ 4. Decernentes praesentes literas nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo quod locorum Ordinarii, aut alii forsan interesse habentes, vocati non fuerint, aut nullitate notari, imputari, invalidari, ad terminos iuris deduci, in ius, vel controversiam vocari, causamque, vel causas quare praemissa a Nobis emanaverint, verificandum nullatenus teneri, nec ob id viribus carere; minusque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, sustentationibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi; sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, ac plenarie reintegratas, etiam sub Data per ipsos Canonicos eligenda esse; sicque ab omnibus censeri. Et ita per quoscumque Iudices, et Commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, et ipsosmet Ordinarios, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, et definiri debere, irritum quoque, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ 5. Quocirca dilectis filiis dictae Congregationis Protectori, seu eius Viceprotectori, et causarum Curiae Camerae Apostolicae generali Auditori, ac Vicario Venerabilis Fratris nostri Episcopi Lauden. in spiritualibus generali, per Apostolica scripta motu simuli mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Cano nicorum praedictorum, vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publi-

cantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra eosdem Canonicos, illorumque singulos, praemissis omnibus, et singulis vi praesentium continentia, et tenore pacifice frui, et gaudere. Non permittentes eos, seu eorum aliquem desuper per quoscumque indebite molestari, perturbari, et inquietari, contradictores quoslibet, et rebelles, ac praemissis non parentes, per censuras, et poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postposita compescendo, necnon legitimis super his habendis servatis processibus, illos censuras, et poenas ipsas incurrisse declarando, necnon eas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 6. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, III, p. 141, 142].

138.

S. Pius V, const. *Romani Pontificis*, 2 aug. 1571.

[Cf. Codicis Iuris Canonici Docum. VII. - Cf. etiam Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, p. 493, nota (1)].

139.

S. Pius V, const. *Romani Pontificis*, 6 aug. 1571.

Romani Pontificis providentia circumspecta nonnumquam gesta per eum, rationabilibus, et honestis suadentibus causis, moderatur, et commutat in melius, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

§ 1. Nuper siquidem quasdam declarationes, et moderationes circa nonnulla Concilii Tridentini decreta regulares personas Ordinum Mendicantium, eorumque instituta concernentia edidimus, et promulgavimus.[1] Et quia, uti accepimus, illarum vigore, sacerdotes regulares praedictorum Ordinum quandoque minus idonei, et inhabiles confessionibus saecularium audiendis ab eorum superioribus praepositi, absque aliqua Episcoporum, sed sola Magistri Ordinis Generalis, aut Provincialium ministrorum approbatione admittuntur.

§ 2. Nos super his pro debito Pastoralis Officii, prout tenemur, salubriter providere volentes, tenore praesentium hac nostra Constitutione perpetua sancimus, decernimus, et declaramus, decretum Concilii Tridentini[2] de approbatione Regularium audiendis confessionibus saecularium praepositorum ab Episcopis facienda, observari debere etiam in omnibus Regularibus, quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, etiam sub regulari disciplina viven-

[1] Cf. N. 121.
[2] Sess. XXIII, *de r. f.*, c. 15.

tibus, etiam si sint lectores, aut in Theologia, etiam de superiorum suorum licentia, graduati, vel promoti, vel a suis Magistris Generalibus, vel Provincialibus Ministris, saecularium confessionibus audiendis expositi. Volumus tamen eos, qui semel ab Episcopo in Civitate, et Dioecesibus suis praevio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari. Ab Episcopo autem successore pro maiori conscientiae suae quiete examinari de novo poterunt.

§ 3. Inhibentes quibuscumque Regularibus quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ut praefertur, ne vigore deputationis, et approbationis ab eisdem Magistris, et Ministris provincialibus, etiam quod illarum occasione ab Ordinariis hucusque tolerati fuerint, absque speciali in posterum licentia, et approbatione ab Ordinariis obtinenda, saecularium confessiones audire praesumant. Decernentes irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, III, p. 177].

140.

S. Pius V, const. *Ex proximo*, 20 sept. 1571.

Ex proximo Lateranen. Concilio[1] ea salubris sanctio emanavit, ut quicumque habens beneficium Ecclesiasticum, cum cura, et sine cura, si post sex menses, quam illud obtinuerit, divinum Officium, legitimo cessante impedimento non dixerit, beneficiorum suorum fructus, pro rata omissionis Officii, et temporis, suos non faciat, sed eos tamquam iniuste perceptos, in fabricas ipsorum Beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Verumtamen multorum animi suspensione tenentur, cuiusmodi ratae praedictae ratio sit habenda.

§ 1. Nos huic rei evidentius atque expressius providere volentes statuimus, ut qui horas omnes Canonicas, uno, vel pluribus diebus intermiserint, omnes beneficii, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur, qui vero Matutinum tantum, dimidiam, qui ceteras omnes horas, aliam dimidiam, qui harum singulas sextam partem fructuum eiusdem diei amittat; tametsi aliquis choro addictus non recitans omnibus horis Canonicis cum aliis praesens adsit, fructusque, et distributiones forte aliter assignatas, sola praesentia iuxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel alias sibi lucrifecisse praetendat, etiam praeter fructuum, et distributionum amissionem. Item ille, qui primis sex mensibus Officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligat admisisse. Declarantes praestimonia, praestimoniales portiones, et qualiacumque alia beneficia, etiam nullum omnino servitium habentia obtinentes, cum praedictis pariter conveniri. At quicumque pensionem,

[1] Leo X, const. *Supernae dispositionis*, 5 maii 1514, § 38. - Cf. N. 65.

fructus, aut alias res Ecclesiasticas, ut Clericus percipit, eum modo praedicto ad dicendum Officium parvum Beatae Mariae Virginis decernimus obligatum, et pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissione obnoxium.

§ 2. Nulli ergo, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, III, p. 179, 180].

141.

S. Pius V, const. *Ex debito*, 6 oct. 1571.

Ex debito pastoralis Officii, Nobis, meritis licet imparibus, ex alto commissi, ad ea libenter intendimus, per quae divinus cultus, fideliumque devotio ubique suscipiat incrementum, ac ipsos fideles ad id indulgentiis, et remissionibus incitamus, ut Christifideles ipsi per temporalia, quae egerint, consequi valeant praemia felicitatis aeternae.

§ 1. Nos igitur attendentes, quod infantes, et pueri bonis moribus, et exercitiis educati, quasi semper vitam pudicam, honestam, et exemplarem, ac aliquando sanctam agunt, e converso autem qui parentum carentia, seu paupertate, aut incuria, vel ignavia, non sic educati, persaepe ducuntur in exitium, et quod peius est, secum ducunt plures in interitum, unde si diligenter educati, et in doctrina Christiana instructi fuerint, a vitiis, et multis aliis erroribus retraherentur. Considerantes etiam, prout ex fide dignis relatibus intelleximus, quod nonnulli approbatae vitae Christifideles, caritate omnium suprema virtute, circa hoc tam pium, tamque Reipublicae saluberrimum opus accersiti, in singulis festivitatibus, et Dominicis diebus in diversis Ecclesiis, et locis, hoc opus sanctissimum amplexi sunt, et ibi eosdem infantes, et pueros, ac alias miserabiles personas Christianae veritatis ignaras congregari faciunt, et eos bonis moribus, et sana doctrina instruunt, ac diligenter in via mandatorum Domini dirigunt, ex quo salutiferi fructus hactenus provenerunt, et in dies magis auxiliante Domino speramus. Et quod si ad hoc opus sanctissimum ubique locorum exercendum, praefatos Christifideles paternis favoribus, et indulgentiarum muneribus invitaremus, proculdubio non solum eorumdem infantium, et puerorum, ac personarum aliarum saluti consuleretur, verum etiam devotio Christifidelium omnium ad praefatum opus amplectendum multo magis augeretur.

§ 2. Cupientes igitur tam pio, tamque laudabili operi viribus totis favere, et animas lucrifacere Creatori, ex certa nostra scientia universos, et singulos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, ceterosque Ecclesiarum Praelatos, et locorum quorumcumque ordinarios, ubilibet constitutos praesentes, et futuros rogamus, et hortamur attente, eis, ac eorum in spiritualibus, et temporalibus Vicariis, seu Officialibus generalibus per Apostolica scripta mandantes, quatenus hoc opus sanctissimum toto pectore amplectentes, aliquas Ecclesias in suis Civitatibus, et Dioecesibus respective, seu loca honesta, in quibus praefati infantes, et pueri ad audiendum doctrinam Christianam convenire possint, deputent, et viros ad id idoneos, vita et moribus approbatos, qui diebus

saltem Dominicis eosdem infantes, et pueros, ac alias personas divinae legis expertes, in articulis fidei, et praeceptis Santae Matris Ecclesiae instruant, confirment, et eligant, atque tot Societates, seu Confraternitates, quot ad hoc tam sanctissimum opus exercendum eis opportunae videbuntur, inibi auctoritate nostra erigant, et instituant.

§ 3. Nos enim ut promptius, et alacrius ad hanc curam subeundam omnes Christifideles alliciantur, et eo libentius curam ipsam suscipiant, quo ex hoc dono coelestis gratiae conspexerint se uberius refectos: De omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, seu statutis a iure temporibus firmum confitendi propositum habentibus, qui in aliqua dictarum Societatum, seu Confraternitatum ubilibet constitutarum intraverint, et adscripti fuerint, illis videlicet tam qui alios docuerint, quam qui ab aliis in articulis fidei, et praeceptis Ecclesiae huiusmodi instructi fuerint, quotiescumque in praefato sanctissimo exercitio se occupaverint, quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis auctoritate Apostolica tenore praesentium misericorditer in Domino relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

[Bull. Rom., tom. 4, III, p. 181, 182].

142.

Gregorius XIII, const. *Inter caetera*, 26 maii 1572.

Inter caetera, quae ad Romani Pontificis curam, ac sollicitudinem pertinent, illud quoque non mediocri studio providendum est, ut res Ecclesiastica sarta tecta usquequaque conservetur, quod cum de aliis omnibus, tum praecipue de iis, quae specialis iurisdictionis Romanae Ecclesiae sunt, curare debet, ne ulla usquam illorum imminutio fiat.

§ 1. Cuius rei causa fel. record. Pius Papa V Praedecessor Noster, ut talium distractionibus omnem viam, quantum in ipso erat, in perpetuum praecluderet, literas edidit in haec verba: Pius Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Admonet nos suscepti.

Omittitur tenor, quia eum habes supra, in N. 120.

§ 2. Cum autem eae literae ad retinendam Sedis Apostolicae dignitatem valde pertineant, Nobis nihil optabilius fuit cum primum ad Summi Apostolatus apicem, divina Nos clementia evocavit, quam ut ipsis primo quoque tempore praesentium nostrarum robur adiungeremus. Quocirca praedictas literas, et omnia in eis contenta auctoritate Apostolica tenore praesentium comprobamus, confirmamus, et innovamus, volumusque eas perpetuo observari.

§ 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae comprobationis, confirmationis, innovationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

[Bull. Rom., tom. 4, III, p. 233, 234].

143.

Gregorius XIII, const. *Deo sacris*, 30 dec. 1572.

Deo sacris virginibus, quae contemptis illecebris saeculi divinis se obsequiis manciparunt, aequissimum est praecipua quadam a Nobis, ac singulari solicitudine provideri, tum ut ab eis omnia, quae sanctum ipsarum propositum impedire possent, removeantur, tum etiam ut eis in cultu Dei caste, ac religiose permanentibus, quae ad victum necessaria sunt, subministrentur.

§ 1. Et quidem post sacri Concilii Tridentini decretum,[1] quo Constitutio fel. recordationis Bonifacii Papae VIII Praedecessoris nostri, quae incipit, *Periculoso*,[2] renovatur, prohibens ne aut ipsis Monialibus ex Monasteriis suis egredi, aut ulli cuiuscumque sexus, aut ordinis personae ad eas ingredi liceat. Et praeterea universis Episcopis praecipitur, ut in omnibus Monasteriis sibi subiectis ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicae auctoritate clausuram sanctimonialium, ubi violata, diligenter restitui, ubi vero inviolata, conservari maxime procurent, piae mem. Pius Papa V etiam Praedecessor noster,[3] victui quoque, et necessitatibus ipsarum prospicere cupiens, cum superiora illa approbasset atque innovasset, eademque omnia etiam in Moniaiibus quarumcumque militiarum, etiam Hierosolymitanae, omnibusque aliis tacite, vel expresse religionem professis, quocumque nomine censerentur, locum habere decrevisset; ne illae quicquam detrimenti in necessitatibus suis hac occasione paterentur, etiam praecepit locorum Ordinariis, et superioribus earum, ut fidelium eleemosynas per conversas non professas, vel professas quidem, sed aetatis saltem quadraginta annorum, et iampridem conversas, quae in domibus contiguis, extra tamen Monasterium degerent, colligendas curarent; ita tamen ut praedictae conversae neque clausuram aliarum Monialium, nisi in casibus permissis ingrederentur, nec ex illis ipsis habitationibus suis ad tales eleemosynas colligendas sine permissu Ordinariorum, aut superiorum suorum exire possent. Quod si ne hoc quidem sufficere videretur, idem Pius Praedecessor mandavit ipsis Ordinariis et Superioribus, ut negocium darent aliquibus personis piis tales eleemosynas colligendi, aliaque arbitratu suo prospicerent, quae ad sublevandam Monialium inopiam expedire iudicarent.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, multae Moniales, etiam quae Tertiariae vocantur, sub solemni Religionis voto, perpetuaque clausura degentes, aliaeque talibus literis comprehensae, et in ipsa clausura permanentes, multis praeterea ad se sustentandas necessariis egeant, neque usque ad hoc tempus ullo sufficienti remedio earum necessitatibus subventum sit. Quin etiam aliae Tertiariae citra ullum solemne hucusque votum vivant, quae ad suas, suorumve domos neutiquam rediturae essent, sed sub solemni religionis voto, et clausura praedictis permanerent, si earum congruae sustentationi provide-

[1] Sess. XXV, *de regularibus*, c. 5.
[2] C. un., *de statu regularium*, III, 16, in VIo.
[3] Cf. N. 112.

retur, Nos, qui illas necessariis rebus destitui nolumus, certioresque facti sumus in multis Civitatibus, Oppidis, villis, aut locis, tam in Ecclesiis, et Monasteriis, quam Hospitalibus, Collegiis, Confraternitatibus, et aliis locis piis, etiam quae a privatis hominibus, tum Ecclesiasticis, tum laicis multas, ac diversas eleemosynas Christi pauperibus erogari, considerantes in eiusmodi personas, vel in primis exercendam esse charitatem, quae voluntaria paupertate suscepta ab omni hominum commercio segregatae Deo serviunt, et assiduis precibus iram ipsius ob peccata conceptam, Christiano populo deprecantur; illud quoque cogitantes, si eis ad tales eleemosynas petendas ad loca praedicta conferre se liceret, via fore, ut praedicta Monasteria, Ecclesiae, loca, ac personae eis singulis non tantum saltem tribuerent, quantum singulis aliis pauperibus eodem concurrentibus solent, universo illi Deo devotarum mulierum generi de opportunae, ac sufficientis subventionis auxilio providere cupientes.

§ 3. De Nobis attributae potestatis plenitudine statuimus, et ordinamus, ut omnes, et quicumque Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, et alii Ecclesiarum Praelati, necnon Abbates, Priores, Praepositi, et alii Ecclesias Patriarchales, Primatiales, Metropolitanas, Cathedrales, et alias Ecclesias, necnon Monasteria, Prioratus, Praeposituras, Canonicatus, praebendas, dignitates, personatus, administrationes, officia, ceteraque beneficia Ecclesiastica, cum cura et sine cura, saecularia et S. Benedicti, S. Augustini, Cistercien., Cluniacen., Praemonstraten., Cartusien., Camaldulen., S. Basilii, Cassinen., alias S. Iustinae, Montis Oliveti, S. Salvatoris, ac Lateranen., et Cruciferorum, seu Fratrum S. Hieronymi, necnon Praedicatorum, Minorum, Minimorum, et Carmelitarum, Eremitarum eiusdem S. Augustini, Servorum B. Mariae, S. Clarae, et quorumcumque aliorum tam virorum, quam mulierum, etiam Mendicantium Ordinum, et Congregationum, et Militiarum regularia, etiam de iure patronatus laicorum, etiam Nobilium, Ducum, Regum, et aliorum Principum existentia, in titulum, commendam, administrationem, et alias quomodocumque obtinentes; necnon Rectores, Gubernatores, Confratres, Administratores, ceterique omnes, qui ratione illorum, necnon Capitulorum, Conventuum, mensarum, Hospitalium, etiam laicorum, et per laicos administrari solitorum, Christifidelium confraternitatum, scholarum, collegiorum, ac aliorum piorum locorum quocumque nomine nuncupatorum, et in quibusvis mundi partibus consistentium, quae singulis annis, mensibus, hebdomadis, vel diebus ex Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, officiorum, dignitatum, et beneficiorum, ac Congregationum, Hospitalium, Confraternitatum, Scholarum, Collegiorum, piorum, et aliorum locorum praedictorum fructibus, redditibus, et proventibus, pauperibus Christi aliquas eleemosynas in pane, frumento, farina, vino, eduliis, pecunia, seu aliis ad victum, vel vestitum pertinentibus, etiam ad supplicationem, et preces, et per cedulas, et bolettina, aut alias distribuere, et elargiri ab immemorabili tempore consueverunt, aut alio quocumque iure tenentur ex dictis fructibus, redditibus, et proventibus, et quoad Hospitalia praedicta, ex iis quae servata in illis actuali hospitalitate supersunt, seu supererunt, necnon quaecumque personae particulares, etiam laicae, vel universitates, etiam laicorum, quod testamento, ultima

voluntate, vel alia dispositione, etiam inter vivos, aliquales tales eleemosynas facere tenentur, dimidiam partem omnium, et quarumcumque eleemosynarum, et largitionum huiusmodi, quocumque nomine nuncupatarum, quocumque tempore, et modo distribui solitarum, etiam si speciali nota dignae, et secundum pias defunctorum, aut aliorum voluntates, sub certa forma ab eis in testamento, vel alia quacumque dispositione distribuendae sint (dummodo non in certas personas, nec ad certos usus pios alios quam victus, et alimenta pauperum distribuantur) quibuslibet praedictarum Monialium, etiam Tertiariarum sub solemni Religionis voto, et perpetua clausura de cetero viventibus, et in terris, et locis, quorum pauperibus, huiusmodi eleemosynae distribuuntur, consistentibus, vere, realiter, et cum effectu, et absque ulla eleemosynarum, et largitionum huiusmodi petitione, exactione, et conquisitione, aut alia desuper a Nobis expectata iussione, aut mentis nostrae declaratione, ac quibusvis mora, subterfugio, ac exceptione cessantibus, et eiectis, dare atque distribuere omnino teneantur, et quam dimidiam partem Nos illis applicamus.

§ 4. Ut autem praemissa omnia, cum caritate, et pietate procedant, et efficaciter suum effectum sortiantur, universis, et singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, et aliis locorum Ordinariis per Apostolica scripta mandamus, ut quisque per se, vel alium, seu alios ad praesentium executionem in suis Civitatibus, et Dioecesibus procedens, ab Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, Confraternitatibus, Scholis, Collegiis, et locis, Ecclesiasticis, ac laicis personis praedictis, etiam quomodolibet exemptis, dimidium eleemosynarum huiusmodi exigant, ac pro portione, ut Ordinariis ipsis locorum aequum esse videbitur, singulis pauperum Monialium, etiam Tertiariarum Monasteriis huiusmodi suarum Civitatum, et Dioecesum, etiam si aliis superioribus subiectae sint, cum effectu distribuant. Nos enim eisdem locorum Ordinariis, etiam tamquam Apostolicae Sedis delegatis, ac cuilibet illorum tam per se, quam alium, vel alios, praemissa faciendi, ac etiam contradictores quoslibet, et rebelles per poenas pecuniarias eorumdem Ordinariorum, et cuiuslibet illorum arbitrio infligendas, et applicandas, ac in subsidium sententias, censuras, et poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, et facti remedia, quacumque appellatione postposita respective compescendi, auxiliumque brachii saecularis invocandi, aliaque in praemissis, et circa ea necessaria, et opportuna faciendi, gerendi, mandandi, et exequendi: plenam, et liberam facultatem, et auctoritatem concedimus, et impartimur.

§ 5. Insuper, quia valde rationi consonum est, ut etiam ii, qui ipsis Monialibus, etiam Tertiariis indigentibus praefatis consanguinitate aliqua sunt coniuncti, aliquod in praemissis subsidium conferant, cum ratio sanguinis, et debitum caritatis, et honestatis id postulet, singulis locorum Ordinariis committimus, ut omni eos officio, et diligentia monere, eisque persuadere studeant, parentes vero, et fratres, ac alios, ad quos illas, si in saeculo permansissent, dotare pertinebat, vel ad quos bona, et successiones devenerunt, et etiam si eas nuptui tradidissent, multo amplius, quam ingredientibus Monasterium dedissent, qui si eas nunc domi retinerent, vel si ad illorum domos redirent, eas alere tenerentur, quibuscumque viis ipsis benevisis

inducant, ut Monialibus, etiam Tertiariis praedictis iuxta eorum facultates caritative subveniant, sciturí id sibi, etiam ad animarum salutem plurimum profuturum.

§ 6. Ceterum quod attinet ad Conversas professas, quas praedictus Pius Praedecessor per praedictas literas sub certis conditionibus ibi contentis permisit posse manere extra Monasteria pro colligendis eleemosynis, eisdem locorum Ordinariis iniungimus, ut quibus Monasteriis praedictarum Monialium quotidianis laboribus computatis, supradicta, vel alia qualibet ratione de sufficienti subventione, et sustentatione provisum esse cognoverint, easdem Conversas sub eadem clausura cum aliis Monialibus reducant, neque a suis Monasteriis amplius exire permittant. Conversas vero non professas, et profiteri nolentes, dimisso habitu domum remittant, neque alias in futurum, nisi professionem suo tempore emissuras, atque sub perpetua clausura mansuras in Monesteria huiusmodi recipi permittatur. Quod autem id. Pius Praedecessor statuit, de cetero nullas alias Conversas professas recipi amplius, etiam de consensu suorum Superiorum posse, ita esse intelligendum declaramus, praeter illas Conversas, quae extra Monasterium in domibus contiguis degerent. Eleemosynarum vero praedictarum contributionem, et applicationem durare, et valere decernimus, ac suos effectus ad plenum sortiri debere, donec numerus Monialium, etiam Tertiariarum huiusmodi (quem per ipsos locorum Ordinarios, etiam in Monasteriis ab eorum cura, et regimine quomodocumque exemptis, cum illarum Superiorum interventu stabiliri, et ordinari, neque supra illum numerum alias recipi posse, etiam de consensu Superiorum suorum, volumus, et mandamus) ita imminutus fuerit, ut reliquae Moniales, et Tertiariae ex propriis redditibus Monasteriorum ipsorum, vel consuetis eleemosynis se commode sustentare queant: super quo eorumdem Ordinariorum conscientiam oneramus, ita tamen, ut decedentibus singulis ex tribus earumdum Monialium partibus, tertiae quoque earumdem eleemosynarum partis distributio, et sic successive in totum extinguatur, atque in pristinum statum sub debitis aut solitis oneribus revertantur, et remaneant. Declaramus praeterea nullis Monialibus, etiam Tertiariis licere habere ostium, per quod ex Monasterio introiri possit ipsarum Monialium Ecclesiam exteriorem, in quam saecularibus ad Missas, et divina Officia patere solet accessus, sed omnino muro obstruendum, neque itidem licere Monialibus, etiam Tertiariis egredi a ianua Monasterii, quae est pro clausura ipsius Monasterii, etiam ad claudendum aliam ulteriorem ianuam, qua patere solet aditus saecularibus venientibus, vel ad rotam, vel ad crates, seu loca colloqulis destinata, quae vulgo parlatoria vocantur, vel ad pulsandum ipsam ianuam clausurae; quae loca, cum saltem pro causis praedictis patere soleant saecularibus, extra clausuram censeri debent, etiam quo tempore clausa sun‘

§ 7. Insuper quoscumque dominos, et magistratus temporales in Domino hortamur, monemus, et requirimus, ut ad omnem ipsorum Ordinariorum, aut alicuius ipsorum petitionem, vel simplicem requisitionem, illis in praemissis assistentes, omnem opportunum favorem, et auxilium praestent, et exhibeant.

§ 8. Ipsis denique Patriarchis, Archiepiscopis, et aliis locorum Ordinariis praecipimus, et mandamus, ut has praesentes nostras literas (quarum

transumptis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eamdem ubique fidem, in iudicio, et extra adhiberi debere volumus, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae) singuli in sua Civitate, et Dioecesi publicent, ac publicari, easque iuxta earum continentiam, et tenorem, una cum praedictis, ac aliis praedicti Pii V, et aliorum Praedecessorum nostrorum literis, et Constitutionibus, et iussionibus pro integra clausurae instauratione, custodia, et firmitate editis, inviolabiliter observent, et observari faciant.

§ 9. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, III, p. 244-247].

144.

Gregorius XIII, const. *Cum interdum*, 11 mart. 1573.

Cum interdum contingat Romanum Pontificem aliquas concessiones, et gratias elargiri, quas postmodum experientia rerum magistra docet in alterius praeiudicium resultare, mirum nemini videri debet, si tandem praeiudicio cognito gratiae ipsae sic concessae in melius reformentur, prout et populi devotio exposcit, ac rerum, et temporum qualitate pensata conspicitur in Domino salubriter expedire.

§ 1. Dudum siquidem fel. rec. Pio Papae V Praedecessori nostro pro parte dilecti Ioannis Gallo Ordinis Praedicatorum, et Theologiae professoris exposito, quod licet in omnibus fere Conventibus provinciae Hispaniae Ordinis praedicti, solemniter fieri consuevisset processio Sanctissimi Sacramenti Corporis Christi die Dominica infra octavam illius festivitatis, idque ab immemorabili consuetudine, propterea quod dicti Ordinis religio, utpote a B. Thoma de Aquino docta peculiarem semper gesserat devotionem erga Sanctissimam Eucharistiam, unde cum magno apparatu, et frequentia populi eadem festivitas a Fratribus Ordinis huiusmodi celebrari solebat. Nihilominus ante aliquot annos aliqui alii partium illarum Religiosi, praesertim in Civitate Salamantina contendebant eisdem die, et hora festivitatem, seu processionem huiusmodi celebrare, populum ad se trahentes, et ornamenta, quae ipsis Fratribus Ordinis huiusmodi concedi solebant conquirentes, unde et populi devotio minuebatur, et aliquando viri timorati videntes religiosos pro huiusmodi rebus inter se contendere, offendebantur, eiusdem Ioannis supplicationibus inclinatus eidem Ordini Praedicatorum, ut in omnibus, et singulis Civitatibus, terris, Oppidis, et locis, tam dictae Provinciae, quam extra, et alias ubilibet, in quibus ab immemorabili consuetudine Fratres dicti Ordinis processionem huiusmodi dicta die Dominica infra octavam eiusdem Corporis Christi solemniter celebrari soliti fuerunt, eisdem Fratribus Ordinis Praedicatorum dumtaxat, eadem die Dominica solemnem processionem eiusdem Corporis Christi celebrare liceret, ita ut nulli super eo, illos impedire, seu eodem tempore, vel die eamdem processionem facere possent, et deberent,

perpetuo concessit, et indulsit, ac aliis praedictis desuper districtius inhibuit, aliaque fecit, prout in dictis literis plenius continetur.

§ 2. Nos tamen attendentes id non sine divini cultus diminutione esse aliquo modo posse, cum omnes ad unam, et eamdem dumtaxat Ecclesiam confluentes, in ea commode recipi, sicque processioni huiusmodi interesse nequeant, praeter id quod inibi saepe contingit, ut propter populi frequentiam sic confluentem, varia scandala, et iurgia oriantur, et populus ipse spirituali venerationis Sacramenti huiusmodi multiplici fructu privetur. Neque propterea diutius discussa honestum esse censentes, literis praedictis modum aliquem praebere, illarum tenorem, ac si de verbo ad verbum, presentibus insertus foret, pro plene, et sufficienter expresso habentes, Motu proprio non ad alicuius Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione, et certa scientia nostris, universis, et singulis, Clero et Clericis, ac personis Ecclesiasticis, tam saecularibus, quam quorumvis Ordinum, religionum, et Militiarum Regularibus, ut literis Pii Praedecessoris huiusmodi non obstantibus, liceat ipsis, tam die ipsa Dominica infra octavam Corporis Christi, quam aliis totius octavae praedictae diebus processiones suas celebrare, nec super eo iam ab Ordinis Praedicatorum huiusmodi, quam aliis quibuscumque personis, etiam praedictarum, aut quarumvis aliarum literarum, privilegiorum, vel concessionum praetextu, seu alias quomodolibet molestari, inquietari, vel perturbari, nec etiam aliquibus censuris, vel poenis, etiam Ecclesiasticis innodari, seu illas incurrere possint, tenore praesentium concedimus, et permittimus.

§ 3. Et nihilominus pro potiori praemissorum cautela, literas Pii Praedecessoris huiusmodi harum serie penitus, et omnino, quo ad effectum prohibitionis celebrandi processiones huiusmodi cassamus, irritamus, et annullamus, viribusque, et effectu evacuamus, et tamquam tales minime attendi, vel eisdem Fratribus Praedicatoribus suffragari posse volumus.

§ 4. Districtius inhibentes eisdem Fratribus Ordinis Praedicatorum, et quibusvis aliis personis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis maioris latae sententiae, necnon suspensionis, et interdicti, aliisque arbitrio nostro moderandis, infligendis, et imponendis poenis, ne contra praesentium literarum tenorem venire, aut suprascriptos, vel quoscumque alios, quorum interest, intererit, aut interesse poterit quomodolibet in futurum, quo minus praemissa libere fieri possint, per se, vel alium, seu alios publice vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel expresse, quovis quaesito colore vel ingenio, impedire audeant, vel praesumant.

§ 5. Decernentes quoque praesentes literas nullo umquam tempore de subreptionis, aut obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo quod interesse habentes vocati non fuerint, notari, impugnari, invalidari, ad terminos iuris reduci nullatenus posse, minusque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, et de novo concessas esse.

[Bull. Rom., tom. 4, III, p. 252-254].

145.

Gregorius XIII, const. *Officii nostri*, 6 aug. 1574.

Officii nostri partes sedulo praestare tenemur, ut dubia, quae variis doctorum opinionibus hinc inde diversa sentientibus agitantur, et ad iurisdictionem Sanctissimi Officii Inquisitionis haereticae pravitatis pertinent, nostrae declarationis oraculo (prout ratio ipsa suadere videtur) dilucidentur, ut nulla cuiquam dubitandi occasio in posterum relinquatur.

§ 1. Ad aures nostras siquidem nuper pervenit multos esse, qui dubitent, an contra eos, qui in sacro Presbyteratus ordine non constituti, Missas celebrare, confessiones, ac absolutionem impartiri, ausi fuerint, per officium Sanctissimae Inquisitionis haereticae pravitatis, in Hispaniarum Regnis institutum, et illius Inquisitores procedendum, vel etiam animadvertendum sit, ac hi, qui talia patraverint, per Inquisitores praedictos puniri debeant. Nam etsi multorum sententia affirmetur, praedictum delictum ab Inquisitoribus plectendum esse, hisce praesertim temporibus, quibus haeretici temere audent proferre, vel saeculares eorum Sacramentorum ministros esse posse, non desunt tamen hi, qui contrariae adhaerent opinioni, unde plerumque per eorumdem Regnorum Inquisitores diversa feruntur in huiusmodi causis suffragia.

§ 2. Nos itaque, ut omnis difficultas, dubitatioque tollatur, animadvertentes, eos, qui Presbyteratus ordine non sunt insigniti, et se in administrandis dictis Sacramentis ingerunt, facto catholicam veritatem impugnare, quae solos Presbyteros ministros eorumdem Sacramentorum constituendo, illis dumtaxat, quibus eadem munera congruere existimavit, committi voluit, eorum qui in Presbyteratus ordine non constituti Missas celebrant, ac confessiones, ut praefetur, audiunt, cognitionem, et punitionem, etiam ad Inquisitionis officium, et Inquisitores ante dictos pertinere, ita ut huiusmodi delicti ratione adversus eos inquirere, procedere, ac culpabiles repertos punire, officium, et Inquisitores praedicti valeant, Apostolica auctoritate praesentium tenore perpetuo declaramus, et definimus.

§ 3. Et ita ab omnibus, et singulis Ordinariis, et delegatis iudicibus, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, iudicari, et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§ 4. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, III, p. 281].

146.

Gregorius XIII, const. *Sanctissimus*, a. 1575, Professio fidei Graecis praescr.

Sanctissimus Dominus Noster Dominus Gregorius, etc.

Ego N. firma fide credo, et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet.

§ 1. Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem Coeli, et Terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine: Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas, et ascendit in coelum; sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos; cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem: qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur: qui loquutus est per Prophetas. Et Unam, Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

§ 2. Credo etiam, suscipio, atque profiteor ea omnia, quae sacra oecumenica Synodus Florentina super unione Occidentalis, et Orientalis Ecclesiae definivit et declaravit, videlicet, quod Spiritus Sanctus a Patre, et Filio aeternaliter est, et essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter, tamquam ab uno principio, et unica Spiratione procedit. Cum id quod Sancti Doctores, et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendat, ut per hoc significetur Filium quoque esse, secundum Graecos quidem, causam, secundum Latinos vero, principium subsistentiae Spiritus Sancti, sicut et Patrem. Cumque omnia quae Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dederit, praeter esse Patrem; hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter habet, a quo aeternaliter etiam genitus est. Illamque verborum illorum, Filioque explicationem, veritatis declarandae gratia, et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.

§ 3. Item in azymo, sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici. Sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae, sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.

§ 4. Item si vere poenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint, et omissis, eorum animas

poenis Purgatorii post mortem purgari, et ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, et eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta. Illorumque animas, qui post Baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutae corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatae, in coelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum sicuti est, meritorum tamen diversitate alium alio perfectius; illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

§ 5. Item Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in actis oecumenicorum Conciliorum, et in sacris Canonibus continetur.

§ 6. Insuper profiteor, ac recipio alia omnia, quae ex decretis sacrae oecumenicae Generalis Synodi Tridentinae, sacrosancta Romana, et Apostolica Ecclesia, etiam ultra contenta in supradicto fidei Symbolo, profitenda ac recipienda proposuit, atque praescripsit, ut sequitur.

§ 7. Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes, et Constitutiones firmissime admitto et amplector.

§ 8. Item Sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, et interpretatione sacrarum scripturarum, admitto, nec eam umquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam, et interpretabor.

§ 9. Profiteor quoque septem esse vere et proprie sacramenta novae legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, et Matrimonium: illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem, sine Sacrilegio reiterari non posse.

§ 10. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione, recipio, et admitto.

§ 11. Omnia et singula, quae de peccato Originali, et de Iustificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, et declarata fuerunt, amplector, et recipio.

§ 12. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium Sacrificium pro vivis, et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter Corpus, et Sanguinem, una cum anima, et divinitate D. N. Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat.

§ 13. Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

§ 14. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter, et Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque Orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

§ 15. Firmissime assero imagines Christi, ac Deiparae semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, et retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam.

§ 16. Indulgentiarum etiam potestatem, a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

§ 17. Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem, et Magistram agnosco, Romanoque Pontifici, Beati Petri Apost. Principis successori, ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac iuro.

§ 18. Cetera item omnia a sacris Canonibus, et Oecumenicis Conciliis ac praecipue a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia, et schismata, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas, et reiectas, et anathematizatas, ego pariter damno, reiicio, anathematizo, et abiuro.

§ 19. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eamdem integram, et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adiuvante, retinere, et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, Ego idem N. Spondeo.

§ 20. Voveo, ac iuro: Sic me Deus adiuvet; et haec Sancta Dei Evangelia.

[Bull. Rom., tom. 4, III, p. 311, 312].

147.

Gregorius XIII, const. *Ubi gratiae*, 13 iun. 1575.

Ubi gratiae, et indulta ab hac Sede concessa, successu temporis incommodum afferre noscuntur, expedit illa salubri praesidentis consilio submoveri.

§ 1. Proinde Sanctimonialium quieti, et tranquillitati consulere, ac omnia quae illas a spiritualium rerum cogitatione, et exercitio avocant, impedimenta tollere, periculaque, et scandala ab eis removere cupientes, auctoritate praesentium revocamus, et abolemus omnes, et quascumque licentias, ac facultates ingrediendi Monasteria, Domos, et loca Monialium, ac etiam virorum quorumvis Ordinum, quibusvis, etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, et aliis cuiuscumque status, et conditionis mulieribus, ac etiam omnes, et quascumque licentias ingrediendi Monasteria, Domos, et loca ipsarum San-

ctimonialium, quibuscumque viris, etiam eiusdem status, et dignitatis, tam a Praedecessoribus nostris, quam etiam a Nobis, et Sedis Apostolicae Legatis, aut aliis ex quibusvis quantumcumque urgentibus causis sub quibuscumque tenoribus, et etiam derogatoriarum derogatoriis, revocatorum restitutoriis, aliisque efficacioribus clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, etiam Motu proprio, et ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, atque ad Imperatoris, Regum, Reginarum, aliorumve Principum contemplationem, vel supplicationem concessas, confirmatas, et etiam iteratis vicibus renovatas. Cassamusque, et annullamus literas desuper confectas, et processus habitos per easdem.

§ 2. Inhibentes eisdem, qui illas obtinuerunt, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda, super qua a nemine nisi a Romano Pontifice (praeterquam in mortis articulo) absolutionis beneficium possit impetrari, ne ipsarum licentiarum praetextu Monasteria huiusmodi quovis modo ingredi audeant.

§ 3. Abbatissis vero necnon Abbatibus, Conventibus ac aliis Monasteriorum utriusque sexus superioribus, et personis quocumque nomine vocentur, districte praecipimus sub eadem excommunicationis poena, necnon privationis dignitatum, beneficiorum, et officiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda, ne in Monasteria, Domos, et loca sua, quemquam praetextu huiusmodi licentiarum, et facultatum ingredi faciant, vel permittant.

§ 4. Quin etiam sub eisdem poenis ipso facto incurrendis prohibemus, atque interdicimus omnibus, et quibuscumque personis Ecclesiasticis, et saecularibus, ac etiam Ordinum quorumcumque, etiam Mendicantium Regularibus, ne praetextu licentiarum ab Episcopis, vel Superioribus, quibus illas concedendi in casibus necessariis tantum ex decreto Concilii Tridentini tribuitur, ne Monasteria ipsa Monialium pro libito, sed necessitatibus urgentibus dumtaxat ingredi, neve Moniales sub eisdem poenis illos aliter admittere praesumant.

§ 5. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, III, p. 298, 299].

148.

Gregorius XIII, const. *Dubiis*, 23 dec. 1581.

Dubiis, quae emergunt, declarationis remedium expedit adhibere. Cum igitur super eo quod optima primum ratione Concilium sanxit Tridentinum,[1] deinde in Constitutione fel. rec. Pii Papae V Praedecessoris nostri nonis Iulii, Pontificatus sui Anno tertio, atque item nostra Idibus Iunii, Pontificatus nostri Anno quarto editis,[2] fuit provisum, ne cui in posterum, nisi in

[1] Sess. XXV, *de regularibus*, c. 5.
[2] Cf. N. 147.

casibus necessariis septa Monasteriorum Monialium ingrediendi concederetur licentia, a nonnullis dubitatum fuisse sciamus circa personas, quae alterius ad id licentia non indigent, sed sui auctoritate officii nituntur, an liceat eis pro libito suae voluntatis huiusmodi septa ingredi, vel potius servare debeant ipsi quoque regulam a Concilio praescriptam.

§ 1. Nos omnem haesitationis materiam tollere, et viam scandalis praecidere, ac Sanctimonialium quieti consulere volentes, harum tenore auctoritate Apostolica declaramus, Praelatos omnes, tam saeculares, quam regulares, quibus cura et regimen Monasteriorum Monialium quovis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi Monasteria praedicta ita demum uti posse, si id faciant in casibus necessariis, et a paucis, iisque senioribus, ac religiosis personis comitati. Quocirca universos et singulos Episcopali, seu maiori, ac etiam Cardinalatus dignitate praeditos, necnon quorumvis Ordinum Abbates, Priores, Ministros, et alios quoscumque Superiores regulares serio monemus, ut facultate huiusmodi, qui eam habent, praeterquam in casibus, ut praefertur, necessariis neutiquam utantur.

§ 2. Quod si contrafecerint, eadem auctoritate Apostolica statuimus, atque decernimus, qui Pontificalis dignitatis fuerint, eos pro prima vice, qua contrafecerint, ingressu Ecclesiae interdictos, pro secunda a munere Pontificali, et a divinis suspensos, ac deinceps ipso facto absque alia declaratione excommunicatos existere, regulares vero omni officio, ac ministerio privatos excommunicationi subiacere.

§ 3. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, III, p. 299, 300].

149.

Gregorius XIII, const. *Ad tollendum*, 5 dec. 1582.

Ad tollendum detestabilem Duellorum usum, Concilium Tridentinum, excommunicationem, et alias gravissimas poenas in concedentes locum ad Monomachiam, ac pariter in pugnantes, necnon Patrinos, consulentes, suadentes, et spectatores salubriter quidem decrevit: [1] sed crescente hominum malitia facinorosi non desunt, qui quod publice prohibitum est, privatim exequi non dubitent, dum se poenas praedictas hoc modo eludere posse arbitrantur.

§ 1. Nos ad haec coercenda plenius evidentiusque providendum esse rati, considerantesque, Duellum privatum non minus cruentum, et animae, et corpori noxium esse, quam quod publice perpetratur, auctoritate Apostolica statuimus, omnes illos, qui ex condicto statuto tempore, et in loco convento Monomachiam commiserint, etiam si nulli Patrini, sociique ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullaeve provocatoriae literae, aut denunciationis chartulae praecesserint, censuris, et poenis omnibus a dicto Concilio

[1] Sess. XXV, *de ref.*, c. 19.

propositis teneri, perinde ac si publico, et consueto abusu singulare certamen inivissent. Volentes etiam locorum Dominos, si certamen ex condicto huiusmodi permiserint, aut quantum in se fuerit, non prohibuerint, omnesque illud fieri mandantes, instigantes, auxilium, consilium, vel favorem dantes, equos, arma, pecuniam, commeatum, et alia subsidia scienter subministrantes, aut ex composito spectatores, vel socios quovis modo sese praebentes, eisdem censuris, et poenis subiacere, etiam si illi, qui ad locum destinatum pugnaturi accesserunt, impediti pugnam non commiserint, si per se ipsos non steterit, quo minus illa committatur.

§ 2. Non obstantibus privilegiis, immunitatibus, et exemptionibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 3. Constitutionibus tamen, et aliis sanctionibus Apostolicis hac de re disponentibus in suo robore duraturis.

[Bull. Rom., tom. 4, IV, p. 19, 20].

150.

Gregorius XIII, const. *Quanto fructuosius*, 1 febr. 1583.

Quanto fructuosius in colenda Domini Vinea exercet veneranda Iesu Societas, dignisque aeterna mercede operariis abundare conatur, tanto propensius contendimus eam, religiosamque subinde, quam instituit prolem, unde tota Respublica Christiana ubique sublevatur, prosequi, et confovere, simulque omnia removere, quibus et spiritualis ipsorum profectus retardari, et charitatis fervor, qui ab eisdem in regeneratas pretioso Domini nostri Iesu Christi Sanguine animas se diffundit, alicubi frigescere, aut in lubricum defluere posset.

§ 1. Cum enim sicuti iuxta dictae Societatis constitutiones, et laudabile institutum a felicis recordationis Paulo Tertio, et Iulio etiam Tertio confirmatum, ac etiam a Paulo Quarto Rom. Pont. Praedecessoribus nostris diligentissime examinatum, et a Concilio Tridentino commendatum Societas ipsa non solum professis, et Novitiis, sicuti et reliqui Regulares Ordines constet, sed varii in eadem Societate religiosarum personarum gradus sint, in quibus singulis iuxta commissi cuique a magno Patre-familias talenti mensuram, et praepositorum suorum directionem altissimo famulantur, sicut enim finis dictae Societatis est, Fidei propagatio, et defensio, animarumque in vita, et Doctrina Christiana progressus, ita etiam gratiae eius vocationis proprium est, diversa loca ex Rom. Pontificis, ac Praepositi Generalis eiusdem Societatis directione peragrare, vitamque in quavis mundi parte agere, ubi laboriosa eorum opera, et industria fructuosa copiosiores salvandarum animarum proventus ad Dei Aeterni gloriam consequi posse sperant, ad quem finem Spiritus Sanctus qui bonae memoriae Ignatium Loyolam ipsius Societatis Institutorem, eiusque socios excitavit, media etiam praeclara, maximeque opportuna huius Sedis ministerio eis tribuit, atque confirmavit, publicarum scilicet praedicationum Verbi Dei ministerii cuiuscumque spiritualium exer-

citiorum, et charitatis operum, poenitentiae, et Eucharistiae Sacramentorum administrationis, ac frequentis usus, ad quae pro dignitate exequenda, et ad difficultates superandas, subeundaque pericula, quibus dictae Societatis Religiosi in huiusmodi excursionibus, et ministeriis exponuntur, cum haec magnum, tum virtutis, tum devotionis praesidium postulent, statutum est, ut, et Novitii in Societate praedicta per biennii spatium probentur, et qui expleto Novitiatu literis operam dederint, illarum studiis absolutis tertium etiam annum probationis in humilitatis exercitiis expendant, ut si qua in re, vel huius virtutis amor, vel pietas, ac devotionis fervor, per literarum occupationem distractus intepuerit, per earumdem virtutum frequentiorem exercitationem, et divinae gratiae ardentiorem invocationem restauretur; qui enim professionem emittere debent, eos vocatio haec viros in vitae puritate, ac literis conspicuos, diuturnisque, et diligentissimis experimentis probatos, eosque Sacerdotes, et in Verbi Dei, ac Sacramentorum administratione diu multumque versatos exigit, ut et Constitutionibus dictae Societatis, et a Summis Pontificibus est decretum.

§ 2. Sed neque omnes ad eamdem professionem idonei esse possunt, neque qui temporis progressu futuri sunt, tales evadere, aut cognosci sine longa exercitatione atque experimento, quapropter Societatis Corpus in sua membra, ordinem, et gradus idem Ignatius divino instinctu, ita duxit disponendum, ut biennio Novitiatus absoluto, omnes qui in Societate perseverare voluerint, tria vota substantialia quidem Paupertatis, Castitatis, et Obedientiae, simplicia tamen emittere debeant, ac Novitii esse desinant; quibus votis emissis in Corpus eiusdem Societatis cooptati, et quantum ex parte ipsorum perpetuo obligati remanent. Quod si iniussi discedant, apostasiae notam, et excommunicationis, ac alias, quibus ipsi professi subiacent, poenas incurrant, quamvis rationabili ex causa, iuxta constitutiones easdem ab ipso Praeposito Generali dimitti, et votis huiusmodi liberari possint: quare omnia ipsis primo ingressu per aliquot dies in separata habitatione constitutis, ante quam ad aliorum Novitiorum communêm convictum admittantur in ipsius Societatis privilegiis, constitutionibus, et Regulis consideranda traduntur.

§ 3. Biennio itaque Novitiatus completo, et emissis votis simplicibus una est omnibus omnino vivendi, et obediendi ratio, debentque omnes in communi vivere, ac in omnibus obedire, non secus ii, qui professionem non emiserunt, quam professi, quod vero paupertatem attinet, quamvis bonorum suorum ius, atque dominium iustas ob causas pro superiorum arbitratu, ad tempus retinere valeant, ut in pios usus, iuxta evangelicum consilium distribuant, in illorum tamen usu religiosam paupertatem servent, nec ulla re tamquam propria, et sine superioris facultate uti possunt; peractis igitur huiusmodi probationibus, et experimentis cum dictae Societati fuerit per ea in Domino satisfactum, quos idem Praepositus Generalis idoneos iudicat, eos vel ad professionem per vota solemnia, vel ad gradus coadiutorum formatorum spiritualium, si Sacerdotes, vel temporalium, si laici sint, per vota eadem publice emissa quamvis non solemnia iuxta Constitutiones admittit. Quibus emissis eo ipso nihil omnino proprii amplius, vel domi, vel foris habere possunt, fiuntque incapaces cuiusvis haereditariae successionis, nec

propter emissa huiusmodi vota publica, aut per mortem ab intestato in illorum, sicuti nec in professorum bonis Domus ulla, aut Ecclesia, vel Collegium dictae Societatis succedere potest. Et licet eos, qui post biennium Novitiatus emensum dicta tria vota simplicia sicuti ab hac Sede probata sunt, emittentes, et extra Novitiorum numerum habiti, ac in Corpus ipsius Societatis cooptati, illiusque meritorum, et privilegiorum non secus, atque ipsi professi, ex praedictae Sedis dispositione participes effecti, quique quantum in eis est, et professionem emittere parati, si ipse Praepositus Generalis praedictae Societatis instituto congruere iudicaverit, et in perpetuo Dei servitio consecrati, et sua sorte, prout illorum laudabile institutum exigit, contenti, ac denique excommunicationis, et aliis apostatarum poenis subiecti sunt, vere et proprie religiosos esse.

§ 4. Compertum sit; nonnullorum tamen animos, qui pii alioqui, et utiles operarii existunt, solicitari, et affligi interdum contingit, quasi non sint religiosi, eo quod non sint professi...

§ 5. Ad haec dictam Societatem firmo declarationis nostrae praesidio communire volentes, statuimus, ac etiam decernimus, non modo eos, qui in Coadiutorum formatorum, sive temporalium, sive spiritualium gradus, et ministeria admittuntur, sed etiam alios omnes, et quoscumque, qui in ipsa Societate admissi biennio probationis a quoquam peracto tria vota praedicta, tametsi simplicia emiserint, emittentque in futurum, vere, et proprie Religiosos fuisse, et esse, et ubique semper, et ab omnibus censeri, et nominari debere, ac si in professorum praedictorum numerum adscripti fuissent; praecipimusque, et interdicimus, ne quisquam scrupulum de hoc neutiquam iniicere, neque illud in controversiam, dubium, vel suspicionem ponere audeat quoquo modo.

[Bull. Rom., tom. 4, IV, p. 23-25].

151.

Gregorius XIII, const. *Exposcit*, 15 iul. 1583.

Exposcit Pastoralis officii munus, cui disponente Domino praesidemus, ut ad ea sollicite intendamus, per quae discordiarum, et litium, ac controversiarum quarumlibet, praesertim inter personas Ecclesiasticas materia tollatur.

§ 1. Sane Nobis nuper innotuit, quod in multis Civitatibus, et Dioecesibus diversarum Mundi partium nonnullae lites, causae, et controversiae inter Fratres Mendicantes, aliae etiam similes lites, et controversiae inter Confratres Confraternitatum Christifidelium, super praecedentia vel iure praecedendi, ortae iam sint, et oriri facile possint.

§ 2. Nos considerantes lites, causas, et controversias huiusmodi in Ecclesia, praesertim inter religiosas personas, quae relictis mundi vanitatibus famulatum, et votum suum in humilitatis spiritu Domino, et Deo nostro, qui se pro nobis usque adeo humiliavit, ut formam servi acciperet, exhibere, et

persolvere profitentur, non modicam illi praeclarae, Deoque praecipue dilectae virtuti, quae est humilitas, labem infundere, populoque scandalum generare, ac propterea illas omni ratione submovendas, publicaeque Religionis tranquillitati, ac Ministrorum Ecclesiasticorum reconciliationi, et mutuae dilectioni quamprimum consulendum esse rati, ac supremam huic negocio manum apponere volentes, necnon causas, lites, seu controversias huiusmodi ubilibet, et coram quibusvis Iudicibus motas, et in quibusvis instantiis indecisas pendentes ab eisdem Iudicibus harum serie ad Nos advocantes, illasque penitus extinguentes, eisdemque Fratribus Mendicantibus, ac Confratribus super praemissis perpetuum silentium imponentes.

§ 3. De Nobis attributae potestatis plenitudine volumus, et Apostolica auctoritate decernimus, quod quicumque ex dictis Fratribus Mendicantibus inter se de praecedentia huiusmodi contendentibus, aut Confratribus Confraternitatum praedictarum, inter quos lites, et causae praemissorum occasione ortae iam sint, seu oriri contigerit in futurum, qui in quasi possessione praecedentiae ac iuris praecedendi sunt, ii, (quibuscumque reclamationibus, protestationibus, appellationibus, et aliis subterfugiis prorsus remotis, et cessantibus, et postpositis) in processionibus tam publicis quam privatis praecedere debeant. Quando vero non probetur, aut non constet de quasi possessione praecedentiae huiusmodi, inter Fratres quidem Mendicantes, ii, qui antiquiores in loco controversiae, inter Confratres vero inter se litigantes, ii, qui prius saccis usi sunt, in processionibus tam publicis quam privatis praecedere debeant, ita ut si contigerit nova Monasteria, aut domus alicuius Ordinis Mendicantium in loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Mendicantibus Monasteria aut domus prius erecta, et instituta sint, ille Ordo, qui prius Monasterium, seu domum in loco habuerit, praecedat.

§ 4. Praeterea quia inter praedictos Ordines plerumque alia in processionibus, et alia in Conciliis Generalibus, et aliis actibus publicis sive privatis, ratio circa modum praecedendi servatur, nolumus per praesentes praerogativis dictorum Ordinum, quoad praecedentias huiusmodi, quae propriis Ordinibus, praeterquam in processionibus praedictis debentur, aut Fratribus Capuccinis nuncupatis, qui in processionibus publicis sub Conventualium Sancti Francisci, aut Minorum de Observantia Fratrum nuncupatorum, Cruce, ut solent, incedere possint, aliquod praeiudicium generari.

§ 5. Sicque, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, IV, p. 38].

152.

Gregorius XIII, const. *Humano vix iudicio*, 5 ian. 1584.

Humano vix iudicio ita bene quicquam, et providenter sanciri potest, quin usus saepe aperiat, doceatque id, quod salubre fore credebatur, minus experiendo prodesse, quod in illis Constitutionibus, quas ad prohibendas simulatas, occultasve beneficiorum Ecclesiasticorum resignationes divers

Romani Pontifices multifariam ediderunt, et fel. rec. Pius Papa V, Praedecessor noster novissime promulgavit,[1] cognoscimus accidisse.

§ 1. Nos hoc malum, prout occasio necessitasque postulat, coercere volentes statuimus, ut posthac omnes, et quaecumque resignationes, etiam causa permutationis, ac commendarum, et etiam literis Apostolicis non confectis, et possessione non habita, necnon litis, et iurium quorumcumque concessiones, et retrocessiones, quae deinceps de quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, in nostris, seu Romani Pontificis pro tempore existentis manibus, ac etiam coram Notario publico, et testibus fient, et a Nobis, vel illo, seu nostro, vel illius mandato admittentur, et super eis provisiones, et quaecumque aliae dispositiones, sive temporales, sive perpetuae, aut ad hoc mandata Apostolica, sub quacumque forma, et quibuscumque etiam S. R. E. Cardinalibus, ac piis locis quocumque privilegio suffultis facta publicari debeant cum literis Apostolicis desuper confectis, intra sex menses, si beneficium citra montes fuerit, ultra vero intra novem a data concessionis gratiae, non autem a die praestiti super ea consensus numerandos, etiam si postea concessio gratiae huiusmodi ex quavis causa, diversisque subsequentibus datis, ac quotiescumque, et quovis modo reformata, et valida reddita fuerit, pluresque, et quotquot in alium, vel alios cessiones, ac etiam in ipsummet primum resignantem, vel cedentem, retrocessiones termino praedicto nondum elapso intercesserint, ita ut unicus dumtaxat terminus omnibus his successivis cessionibus, ac retrocessionibus decurrat, ut qui postremus gratiam habuerit, publicationem huiusmodi facere, ceteraque omnia hic praescripta intra eumdem terminum praestare teneatur.

§ 2. Ipsa autem publicatio in Cathedrali, et in beneficii Ecclesia, vel Ecclesiis, si in pluribus illud sit, fiat ubique, dum frequens populus ad Missarum solemnia convenerit, palam omnibus literae Apostolicae praedictae, earumve transumptum authenticum exhibeatur claraque, et intelligili voce resignatio, seu cessio huiusmodi, ac beneficii qualitas, invocatio, nominaque, et cognomina resignantis, seu cedentis, ac illius in cuius favorem gratia huiusmodi facta est, pronuncientur, ita ut haec omnia possint ad notitiam omnium ibi existentium verisimiliter pervenire, scriptoque de his omnibus exemplo collato valvis dictarum Ecclesiarum affixum relinquatur. Si vero Ecclesia beneficii ruralis sit, aut populo, conventuque careat, eo casu in Parochiali, intra cuius Parochiae limites beneficium ipsum consistit, et in Cathedrali Ecclesia, vel si locus bello, seu peste, aliisve manifestis periculis subiaceat, tunc in proxima parochiali, ac etiam in Cathedrali Ecclesia, vel si aditus ad illas, aut utramvis minime sit securus, in alia Cathedrali, vel Parochiali viciniori periculorum immuni publicatio huiusmodi peragatur.

§ 3. Is quoque in quem disponi, vel mandari de beneficio etiam litigioso, vel accedente non possesso, sub quacumque forma contigerit, possessionem beneficii intra dictum tempus vigore literarum Apostolicarum desuper confectarum, nec alias apprehendere debeat, et si propter litem aut aliud legitimum impedimentum nequiverit, saltem literas Apostolicas cum earum publicatione.

[1] Cf. N. 130, 131.

si tunc facta erit, Iudici, seu executori illarum, vel aliis, ad quos pertinet, per se, vel procuratorem suum legitimum intra idem tempus praesentare, et apud illum, vel illos pro ipsarum literarum executione instare, et possessionem huiusmodi instanter petere teneatur.

§ 4. Ceterum modus, et forma hic tradita, semper, et ubique debeat observari, nec alia, vel aequipollens ullo modo admitti in omnibus huiusmodi resignationibus, cessionibus, et retrocessionibus, de quibuscumque Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, tam virorum quam mulierum, dignitatibus, officiis, et beneficiis ecclesiasticis, saecularibus, et quorumvis Ordinum, etiam militiarum regularibus, etiam electivis, et manualibus, ac etiam de iure patronatus laicorum illustrium, et alias quomodocumque existentibus, sive pacificis, sive in petitorio, sive in possessorio litigiosis, etiam de quibus in Consistorio nostro disponi consuevit, seu debet, quae posthac ex quacumque causa fient, et per Nos ac praedictos Successores, extra tamen dictum Consistorium admittentur, etiam cum reservationibus nominis, tituli, administrationis, possessionis, fructuum, etiam omnium, ac rerum, et iurium quorumcumque. Ad praedictorum tamen observationem eum, in quem iuris fit cessio beneficii, quod tempore eessionis huiusmodi, et ante illam vigore literarum Apostolicarum, ut supra, si ad id tenebatur, publicatarum realiter possidebat, nolumus obligari.

§ 5. Quod si quicquam praedictorum omnium omissum fuerit, dictis terminis, ut cuique praescripti sunt, elapsis, omnes dispositiones, et gratiae resignatorum, et cessorum beneficiorum, aut iurium huiusmodi, cum omnibus inde secutis, sive de pacificis, sive de litigiosis, sint irritae, et inanes, nullaque alia gratia super huiusmodi beneficio, sive iure cesso, iis quibus concessa fuerit suffragetur, sed ipsi tales inhabiles, et incapaces sint ad huiusmodi beneficia sic resignata, et cessa, quandocumque obtinenda, illaque sive iura ab ipsa statim prima resignatione seu cessione, etiamsi illae alias nullae, et invalidae essent, vacavisse, et vacare censeantur eo ipso, nec resignantibus, seu cedentibus, si postea in sua possessione remanent, constitutiones de annali, et triennali possessione, nec praesumptae, aut tacitae retrocessiones, etiam propter diuturnam continuatae possessionis huiusmodi tolerantiam, nec omnino aliud ius, vel beneficium ullo tempore suffragetur, sed ipsa beneficia, sive iura sic a principio vacantia, a Sede Apostolica praedicta dumtaxat impetrari valeant, ac concedi. Illorum vero impetrationes, vel etiam Motu proprio concessiones, quibuscumque derogationibus suffultae numquam sub clausulis generalibus, aut vacationum modis conditionalibus, vel implicitis comprehendantur, sed specialiter, et expresse ob non servatam praesentis Constitutionis formam, ac cum declaratione nominum, et cognominum resignantis, seu cedentis, et gratiam habentis dispositive, et non conditionaliter fieri omnino debeant, et quicumque sic impetrans, aut gratiam, etiam Motu simili habens praefinitum cuique casui tempus praedictum a data concessionis gratiae sibi factae huiusmodi, ea omnia quae cadens a iure praedicto debebat, praestare teneatur, et si pluribus gratiam huiusmodi fieri contigerit, is prae omnibus obtineat, qui primus publicationem suae impetrationis fecerit, et possessionem adeptus fuerit, aut petierit, omniaque requisita praedicta adimpleverit, quamvis

in data sit postremus, et possessio ab alio in publicando negligentiore prius apprehensa fuerit, vel petita. Reservationibus omnibus nominis, administrationis, fructuum etiam omnium, ac pensionum, et aliarum rerum quarumcumque, necnon facultatibus, indultis, et aliis concessionibus, tam ipsis resignantibus, seu cedentibus, qui tamen possessionem ab initio re ipsa dimiserint, quam aliis, ex huiusmodi resignationibus, seu cessionibus a Sede Apostolica factis nihilominus validis, plenumque effectum sortituris.

§ 6. Sed ne in beneficiis super possessione, vel proprietate litigiosis litis prosecutio turbari valeat, vel differri, in causis huiusmodi contra cedentem ad ulteriora, etiam ad sententiam definitivam, et rem iudicatam, ac illius executionem quousque ille, qui gratiam ex resignatione, seu cessione, aut ex omissa forma publicationis huiusmodi obtinuit, ad causam, per se, vel procuratorem legitimum accesserit, litemque huiusmodi susceperit, eodem modo, et ordine procedi possit, quo potuisset legitime, si cessio huiusmodi facta non fuisset, ac quicquid interim sic procedendo decretum, et expeditum fuerit, sive cum cedente, sive contra eum, etiam postquam ipse, vel quivis alius incumbentia sibi secundum praedicta praestiterit, non solum circa fructus, sed etiam circa possessionem, et ipsum ius, quod cessum est, valeat omnino, et vim obtineat, illumque ipsum, cui gratia facta est, non minus afficiat, quam si ipso legitime citato contra eum decretum, et expeditum fuisset, nec ipse adversus haec, praetextu non acceptatae gratiae, vel etiam illius ignoratae, aut citationis, vel intimationis executioni contra ipsum minime demandatae, aliave ratione valeat excusari. Possit tamen ipse, etiamsi in lite, et causa huiusmodi subrogatus non sit, quandocumque ad illius prosecutionem, et terminationem venire, et a Iudice, coram quo causam ipsam, etiam ex delegatione pendere contigerit, in illis ipsis statu, et terminis, in quibus tunc eam esse repererit, etiam absque rescripto speciali admitti.

§ 7. De beneficiis autem, quae deinceps in manibus ordinariorum collatorum, etiam Cardinalium, etiam indulta, et facultates ad hoc ab Apostolica Sede habentium, ac Legatorum, etiam de latere, et delegatorum, etiam specialium eiusdem Sedis extra Romanam Curiam resignari, etiam ex causa permutationis contigerit, ipsi intra mensem negocium universum admissionis, vel reiectionis resignationis huiusmodi, et si per eos facienda erit, provisionis resignati beneficii, iuxta Apostolicas, et alias canonicas sanctiones omnino absolvant. Et qui sic provisus fuerit, intra tres menses a die sibi factae provisionis illam publicet, et possessionem beneficii capiat modo, et forma supradictis, alioquin illis elapsis nulla sit eius provisio, et beneficium vacare censeatur eo ipso.

§ 8. Ordinariique, et alii praedicti, qui haec, uti eis praescribuntur, non perfecerint, eo casu potestate disponendi de ipsis beneficiis sint ea vice privati, eorumque dispositio eo ipso ad Sedem Apostolicam devoluta existat, aut aliis idoneis ab ipsa Sede dumtaxat, modo, et forma praedictis concedantur. Decernentes sic per quoscumque iudicari debere, necnon irritum, et inane, quicquid secus super his per quoscumque scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

[Bull. Rom., tom. 4, IV, p. [illegible]].

153.

Gregorius XIII, const. *Ascendente Domino*, 25 maii 1584.

Ascendente Domino, et Salvatore nostro in naviculam, ecce motus magnus factus est in mari, ipse autem a discipulis rogatus ventis imperavit, et facta est tranquillitas, quam Nos in Petri navicula collocati, turbinibus excitatis ab eodem Domino assiduis precibus postulantes, nostram interea operam, et laborem in frangendis procellosis fluctibus impendere non desistimus, cumque tanti laboris socios, et validos remiges divina Nobis providentia praeparaverit, eorum opera in superandis saevientis pelagi tempestatibus Nos maxime sublevat, qui pro communi fluctuantium animarum salute propria commoda nihil pendunt, seque ad omnia discrimina exponunt.

§ 1. In quo cum aliarum Religionum studia, tum Societatis Iesu assiduus pro Christo labor, necnon usque ad finem perseverantia promptam se ostendit; cumque proiem catholicae Religioni valde proficuam, et ad omnia pericula pro universali Ecclesia subeunda paratam procreaverit, aliam atque aliam a prima non degenerem praestante gratia Dei quotidie substituit, ut Nobis eorum alumni per multiplices probationum gradus altius provecti, semper praesto sint, quos in rebus arduis suscipiendis fructuosos operarios asciscamus, eos autem ut firmiorem Nobis opem ad praedicta navare possint, ab omni non modo iniuria, sed etiam calumnia studemus intactos conservare. Quod ut a Nobis efficiatur, ipsius instituta tamquam fundamenta eius praesidii, quod Catholicae Religioni impendunt, immota atque inconcussa, aliorum etiam Romanorum Pontificum exemplo, debemus Apostolica auctoritate tueri.

§ 2. Quorum fel. rec. Paulus III et Iulius etiam Tertius Constitutiones, et laudabile dictae Societatis institutum confirmarunt.

§ 3. Paulusque idem eam ipsam ab omni quorumcumque Ordinariorum iurisdictione exemit.

§ 4. Quo instituto per Paulum Quartum examinato, et a Synodo Tridentina commendato, Pius Quintus item praedecessor noster Societatem ipsam Ordinem esse mendicantem declaravit.

§ 5. Quae omnia non immerito ab eis sunt concessa ob egregias virtutes, et dona Societati antedictae divinitus elargita, cuius praecipuus finis catholicae est Religionis defensio, ac propagatio, animarumque in Christiana vita, et doctrina profectus: gratiae quoque eius vocationis est proprium diversa Orbis terrarum loca ex Romani Pontificis, seu Praepositi Generalis eiusdem Societatis directione peragrare, vitamque in quavis mundi parte agere, ubi salvandarum sua opera animarum copiosior proventus ad Dei gloriam speretur. Ad quem finem Spiritus sanctus, bon. mem. Ignatii Loyolae Societatis ipsius Institutoris, eiusque sociorum excitator, media quoque praedicationum, ac cuiuscumque ministerii verbi Dei, doctrinaeque Christianae, et spiritualium exercitiorum, aliorum item caritatis operum, et sacramento-

rum administrationis, ac praecipue Poenitentiae, et Eucharistiae, horumque frequentioris usus accommodavit. Ad quae sufficienter et pro dignitate praestanda, difficultates superandas, periculaque adeunda, quibus dictae Societatis Religiosi in huiusmodi discursionibus, et ministeriis exponuntur, necesse est, ut ipsi talia obituri, magno virtutis, et devotionis praesidio muniantur, quod illis gratia in primis Omnipotentis Dei, simulque educatio ipsa, longa item in Societate probatio, necnon regularum, et constitutionum observantia praestare noscuntur.

§ 6. Quibus Constitutionibus, ut tantae ponant rudimenta virtutis, ad quam aluntur, statutum est, ut Novitii in Societate biennio probentur, quo expleto, si ipsi perseverare voluerint, et Societati fuerit ab eis satisfactum (quoniam Societas ipsa non solis Novitiis et professis, ut reliqui regulares Ordines constat), tria substantialia vota simplicia, nisi quis interdum ad professionem, vel gradum Coadiutorum formatorum admittendus videretur, Paupertatis, Castitatis, et Obedientiae in eadem Societate ex Apostolico indulto, ac iuxta vovendi formulam in eisdem Constitutionibus expressam emittunt, ac secundum illas promittunt se eamdem Societatem ingressuros, hoc est ulteriorem aliquem illius gradum, prout Praeposito videbitur Generali.

§ 7. Quibus votis emissis Novitii esse desinunt, et in Societatis corpus, qui literis operam dederint, vel daturi sunt, ut Scholares approbati, alii vero ut coadiutores temporales nondum formati cooptantur, ac quantum est ex parte ipsorum perpetuo, ex parte vero Societatis, iuxta Apostolica indulta, et Constitutiones praedictas, tamdiu obligati sunt, quamdiu Praepositus Generalis eos in Societate retinendos esse censuerit. Quod ad Societatis conservationem maxime est necessarium, idque ab illius exordio praevisum, et post experimento comprobatum est, idque initio ingressus illis explicite manifestatur, atque ipsi conditionem hanc amplectuntur, quae eis, si quos dimittere oporteat, multo est commodior, ut liberi potius quam votis obligati dimittantur, aliisque iustis, et rationabilibus de causis.

§ 8. Coadiutores temporales non formati, qui non ad studia literarum, sed ad domestica munia curanda destinantur, post aliquot annos, quibus Generali Praeposito, et Societati satisfecerint, per tria item Paupertatis, Castitatis, et Obedientiae vota licet publica, et in manibus Superioris emissa, non tamen solemnia, sed tum ex Constitutionum praescripto, tum ex voventis, et admittentis intentione simplicia existunt, in Coadiutorum temporalium formatorum gradum admittuntur.

§ 9. Scholares vero studiis in Societate absolutis, antequam professi, vel Coadiutores spirituales formati fiant, non solum tertium adhuc ulterioris probationis annum, in devotionis, et humilitatis exercitiis impendunt, ut, si qua fortasse in re harum virtutum fervor per literarum occupationem intepuerit, per earumdem virtutum frequentiorem exercitationem, ardentioremque divini auxilii invocationem recalescat, sed etiam in verbi Dei, sacrarum, et Scholasticarum lectionum, Poenitentiaeque et Eucharistiae Sacramentorum, Societatis ministeriis tamdiu probantur, quamdiu Praeposito Generali videtur, nec antequam ipsi Praeposito sint plane perspecti, eique in omnibus satisfecerint, ad huiusmodi gradus promoveantur.

§ 10. Qui enim ad professionem quatuor votorum admittendi sunt, eos iuxta Constitutiones easdem, et Apostolica decreta, et indulta, viros omnino humiles ac prudentes in Christo, et in vitae puritate, ac literis conspicuos, diuturnisque ac diligentissimis experimentis probatos, atque Sacerdotes, et in ministeriis huiusmodi prius diu multumque versatos vocatio haec requirit, utpote quos ardua maneant ministeria. Quo fit, ut non omnes ad eamdem professionem idonei esse, nec tales sine longa exercitatione atque experimento fieri, aut etiam cognosci possint. Quapropter Societatis corpus in sua membra, et gradus idem Ignatius divino instinctu ita duxit disponendum, ut praeter eos, quos Praepositus Generalis ad professionem quatuor votorum idoneos esse censuerit, et nonnullos, quos interdum ad professionem trium admittere potest, reliqui etiam Sacerdotes, quorum vita, et doctrina in Societate diu probata esset, ac Praeposito Generali perspecta, et de ipsius licentia in Coadiutorum spiritualium formatorum gradum, per tria illa vota similiter publica, sed simplicia in superioris manibus emissa admitterentur.

§ 11. Quibus emissis tam hi, qui spirituales, quam qui temporales Coadiutores formati fuerint, certum in Societate gradum habent, suntque omnis haereditariae successionis incapaces, nihilque omnino proprii iuxta Constitutiones easdem habere possunt. Nec propter emissa huiusmodi vota publica, aut per mortem ab intestato in illorum, sicuti nec in professorum bonis domus ulla, aut Ecclesia, vel Collegium dictae Societatis succedere potest.

§ 12. Qui vero quatuor votorum professi futuri sunt, ii tribus illis solemnibus substantialibus votis quartum similiter solemne addunt, specialis Summo Pontifici obedientiae circa missiones praestandae, ob certiorem Spiritus sancti in missionibus ipsis directionem, ac maiorem ipsorum mittendorum Sedi Apostolicae obedientiam, maioremque devotionem, humilitatem, mortificationem, ac voluntatum abnegationem.

§ 13. Post emissam vero professionem sive quatuor, sive trium votorum, professi ad Paupertatis, quae regularis instituti murus est, et propugnaculum, perfectionem tuendam, omnemque ambitionis occasionem excludendam, nonnulla alia simplicia vota emittunt, quibus promittunt se numquam quacumque ratione acturos, vel consensuros, ut quae in constitutionibus Societatis circa paupertatem ordinata sunt, immutentur, nisi quando ex iusta rerum exigentium causa paupertas magis restringenda videretur, neque praetensuros ne indirecte quidem, ut in aliquam praelationem, vel dignitatem, intra, vel extra Societatem, eligantur, nec extra Societatem in sui electionem, quantum in eis fuerit, consensuros, nisi coacti obedientia eius, qui id ipsis possit sub poena peccati praecipere. Item Societati, vel eius Praeposito manifestaturos, si quem sciant aliquid huiusmodi moliri.

§ 14. Porro non solum professi, et Coadiutores formati, sed ex aliis, quicumque absoluto probationis biennio praedicta tria substantialia vota, etiam simplicia emiserint, si absque expressa licentia a Societate discedant, etiamsi praetextu melioris frugis, et transitus ad alium quemcumque Ordinem (Carthusiensium dumtaxat excepto) id faciant, apostasiae, et excommunicationis ex Apostolicae Sedis decreto poenas incurrunt, a quibus nonnisi a Summo Pontifice, vel a Generali Praeposito absolvi possunt. Inique enim

cum Societate ipsa ageretur, si viris multo labore ad ardua ministeria eruditis, cum religionis Catholicae, et huius Sedis detrimento privaretur, praesertim cum Societatis Constitutiones, et Privilegia, quae supradicta continent, in separata, antequam ad Novitiorum convictum admittantur, habitatione eis maturius consideranda tradantur.

§ 15. Biennio Novitiatus completo, et emissis votis simplicibus, una est omnibus omnino vivendi, et obediendi ratio, debent enim omnes in omnibus obedire, et in communi vivere, non secus alii, atque ipsi professi, et Coadiutores formati, idque in domibus quidem probationum, et Collegiis ex redditibus, in domibus vero professorum, quae nullos omnino redditus habere possunt, et eleemosynis tantum.

§ 16. Et licet, qui ad gradus professorum, et Coadiutorum formatorum nondum pervenerunt, bonorum suorum ius atque dominium, tum alias ob iustas causas, tum etiam ut maiorem Societas habeat libertatem, illos, si opus fuerit, cum minore offensione dimittendi, ad tempus Generalis Praepositi iudicio praescribendum valeant retinere, ut in pauperes tandem, seu alios pios usus pro ipsorum devotione distribuant, iuxta evangelicum consilium, ac promissionem, quam initio Novitiatus faciunt, interim tamen, quantum ad illorum usum religiosam paupertatem servant, nec ulla re tamquam propria, et sine Superioris facultate uti possunt.

§ 17. Et quamvis ii omnes, qui post biennium Novitiatus dicta tria vota simplicia, ut praefertur, emiserint, ac in corpus Societatis cooptati, illiusque meritorum, et privilegiorum, non secus atque ipsi professi participes effecti, quique quantum in eis est, et professionem emittere parati, si ipse Praepositus Generalis id praedictae Societatis instituto congruere iudicaverit, et in perpetuum Dei servitio votis simplicibus consecrati, ac sua sorte, prout laudabile Societatis institutum exigit, contenti, vere, et proprie religiosi existant, et si a Societate deficiant, excommunicationis, et aliis apostatarum poenis sint subiecti.

§ 18. Tamen cum non ita pridem intellexissemus nonnullorum animos, qui pii alioqui, et utiles operarii existebant, sollicitari interdum, et affligi, quasi non essent religiosi, eo quod non essent professi; nec etiam deesse, qui religionis praetextu transfigurante se in angelum lucis Satana, non solum ea occasione inquieti existerent, sed etiam aliorum pacem, et vocationem disturbare, eosque in fraudem, et defectionem deducere conarentur, unde fructuosa haec religio gravissima potuisset accipere detrimenta. Idcirco cum divina providentia pro temporum necessitate, varia, et salutaria Ordinum Instituta in Ecclesia sua produxerit, novisque subinde in ea nascentibus morbis, nova remedia, novisque emergentibus hostium impugnationibus, nova regularium Ordinum auxilia excitarit, et cuique illorum, iuxta cuiuslibet peculiaris gratiae vocationem, peculiares quasdam notas, propria insignia, ac opportuna ad finem, quem intendit, media suggesserit, et nunc maxime (ut felicissimi toto Orbe successus testantur) mirificos in agro Dominico fructus praedicto Societatis Iesu instituto proferat, quae Societas (quemadmodum, et alia nascentium regularium Ordinum exordia) a spiritu contradictionis impugnatur, cumque ipsi Ordines Romanorum Pontificum propterea

Constitutionibus circummuniri consueverint, cuius rei Sanctorum Dominici, et Francisci praeclarissimi Ordines exempla abunde suppeditarunt, ita Nos, licet alias Institutum praedictum, privilegia, et constitutiones ipsius Societatis confirmaverimus, et declaraverimus, Motu proprio statuentes, eos qui biennio Novitiatus peracto, tria vota, tametsi simplicia emiserunt, esse vere, et proprie Religiosos, cum praecepto, ne quis haec in dubium revocare audeat, ac cum irritante, et aliis decretis, prout in nostris super hoc confectis literis [1] plenius continetur. Quia tamen non defuit temeraria quorumdam audacia, qui post declarationem, decretum, praeceptum, et interdictum nostrum huiusmodi, non solum multa ex praedictis, et fortasse alia ad Societatis Institutum, ac vivendi formam spectantia labefactare, sed, et ipsa Apostolica decreta, ac praecepta, publice, et ex cathedra, ausu temerario impugnare, mentemque nostram perverse interpretari non erubescunt, disputantes, et praedicta in dubium revocantes, omniaque ex aliorum Ordinum communibus rationibus, formis, ac statutis metientes Societatis Institutum, peculiares constitutiones, ac vim votorum simplicium illius, a Sede Apostolica in eadem Societatis Religione probata admissorum penitus ignorantes, ac nonnulla iure antiquo, quae post illud successu temporum huius Sedis auctoritate, approbatione, et confirmatione, ac peculiaribus privilegiis sancita, et roborata esse dignoscuntur, perperam interpretantes, convellere nituntur, quin etiam Nos supradicta, Motu simili, et ex certa scientia, de Apostolicae potestatis plenitudine decernentes, ac praecipientes privato sensu loquutos fuisse, ac tamquam privatos doctores errare potuisse, immo vere, et de facto ob falsam supradictorum informationem errasse, ideoque praeceptum nostrum nullam ad obligandum vim habere. Neminem praeterea eorum, qui solemnem professionem in dicta Societate non emiserunt, de illius corpore religiosos esse posse, sed eos mere saeculares, ac Ordinariorum iurisdictioni subiectos existere, nec Societatem ipsam, aut illius superiores, immo nec Nos ius in eos ullum ex vi votorum huiusmodi, habere, vel acquirere, aut superioribus ipsis conferre posse, non considerantes voti solemnitatem sola Ecclesiae constitutione inventam esse, triaque huiusmodi Societatis vota tametsi simplicia, ut substantialia Religionis vota ab hac Sede fuisse admissa, illaque emittentes, in statu Religionis vere constitui, quippe qui per ea ipsa se Societati dedicant, atque actu tradunt, seque divino servitio in ea mancipant. In quibus votis nullus praeter Romanum Pontificem potest manum apponere, aliisque atque aliis modis Societatem ipsam impetunt universali Ecclesiae perutilem, quae diversis functionibus, et personarum gradibus distributa, a Romanis Pontificibus presbyterorum, a Tridentina Synodo clericorum Religio appellata, habitu, nomine, plerisque personarum gradibus, votorumque differentiis ab aliis regularibus Ordinibus distinguitur. Quibus etiam adiungunt licere iisdem non professis, etiam invitis dictae Societatis Superioribus, ad quosvis alios regulares Ordines se transferre. Transgressoresque horum votorum, ac inobedientes, aut etiam uxorem ducentes, nullam ipsi Societati iniuriam facere, immo posse Episcopos cum eis dispensare, ut invitis etiam

[1] Cf. N. 150.

superioribus eisdem uxorem ducant. Quibus, cum glossatores, et obtrectatores huiusmodi sua falsa doctrina favere pergunt, horum votorum naturam, et poenarum vim, vel non intelligentes, vel eludere conantes, eo sunt progressi, ut etiam vi facultatum, quae literis indulgentiarum Cruciatae sanctae nuncupatarum continentur, omnes transfugas, et ab ipsa Societate deficientes non professos, quoties ab ea defecerint, ab excommunicationis latae sententiae poena a quocumque confessario absolvi posse, nullamque ipsi Societati suis operariis privatae iniuriam fieri, aut praeiudicium generari existiment, sed et votorum substantialium Religionis praedictae, ac decretorum contra eosdem Apostatas Sedis huius auctoritate editorum vim, quantum in eis est, enervare contendant. Insuper asserunt non posse vota aliqua in saeculo emissa in tria haec substantialia Societatis commutari (cum tamen haec vota sint status, ut praefertur, religiosi alio utilis, et perfecti, ut illa in haec possint, haec vero in aliorum Ordinum, etiam solemnia vota commutari, sit ab hac Sede iustis de causis interdictum). Nec etiam desunt alia, quae in animarum suarum praeiudicium, Societatis perturbationem, et scandalum plurimorum comminiscantur.

§ 19. Nos universalis Ecclesiae utilitati, quam ex inviolato, et inconcusso dictae Societatis Instituto, et religiosae sobolis educatione sentimus, et maiorem in dies speramus, prospicientes, et praeterea eiusdem Societatis indemnitati, paci, quieti, et incremento consulere volentes, Motu simili, et ex certa scientia nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, laudabile ipsius Societatis Institutum, et quae illud concernunt, praemissa omnia, et singula, praedictaque illius, ac quaecumque alia privilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias, et indulta a praedictis praedecessoribus nostris, et a Nobis etiam per communicationem concessa, constitutiones quoque, ac statuta, et decreta qualiacumque, ac si ad verbum praesentibus insererentur, pro expressis habentes, tenore praesentium approbamus, et confirmamus, supplentes omnes iuris, et facti defectus, si qui intervenerint in praedictis Constitutionibus, et statutis.

§ 20. Ad haec dictam Societatem firmo Sedis huius praesidio communire volentes, hac nostra perpetua Constitutione, Motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, statuimus, atque decernimus, tria vota huiusmodi etsi simplicia, ex huius Sedis institutione, ac nostra etiam declaratione, et confirmatione esse vere substantialia Religionis vota, ac in dicta Societate tamquam in religione approbata per Sedem eamdem admissa fuisse, et esse, ac per Nos admitti, nec in illis a quoquam praeter Nos, et Sedem huiusmodi dispensari, nec ea ullo alio modo quam per legitimam dimissionem a Societate cessare posse.

§ 21. Et non modo eos, qui in Coadiutorum formatorum, sive spiritualium sive temporalium gradus, et ministeria, ut praefertur, admittuntur, sed et Scholares ipsos ac supradictos alios omnes, et quoscumque, qui in ipsam Societatem admissi, biennio probationis a quolibet eorum peracto, tria vota substantialia praedicta, tametsi simplicia emiserint, aut emittent in futurum, vere, et proprie religiosos fuisse, et esse, ac fore, et ubique semper, et ab omnibus censeri, et nominari debere, non secus atque ipsos tum Societatis,

tum quorumvis aliorum Regularium Ordinum Professos, suisque Praepositis in omnibus, et per omnia obedire, et huic Sedi immediate subiectos, et a quorumvis Ordinariorum, et delegatorum, seu aliorum iudicum iurisdictione omnino exemptos, prout Nos etiam vigore praesentium eximimus.

§ 22. Denique ut omnium Societatis privilegiorum iuxta Generalis Praepositi dispositionem sunt participes, ita quoque excommunicationis maioris latae sententiae, et aliis Apostatarum poenis, si qui a Societate deficiant, subiacere, ac tamquam veros Apostatas puniri posse, nec a quoquam, nisi per Nos, et Sedem praedictam, aut Generalem Praepositum ab eisdem poenis absolvi, nec ante huiusmodi absolutionem, et a Societate dimissionem Matrimonium contrahere, quinimmo eos omnes ad contrahendum inhabiles, ac contractus huiusmodi nullos, et irritos esse, prout irritos facimus, et annullamus.

§ 23. Et ut contradicentium audacia coerceatur, praemissas omnes, et quasvis alias illis similes assertiones contra dictae Societatis Institutum, vel quomodolibet in illius praeiudicium pronuntiatas, aut scriptas, falsas omnino, et temerarias esse, et censeri debere.

§ 24. Praecipimus igitur in virtute Sanctae Obedientiae ac sub poenis excommunicationis latae sententiae, necnon inhabilitatis ad quaevis officia, et beneficia, saecularia, et quorumvis Ordinum regularia, eo ipso absque alia declaratione incurrendis, quarum absolutionem Nobis, et Successoribus nostris reservamus, ne quis cuiuscumque status, gradus, et praeeminentiae existat, dictae Societatis Institutum, Constitutiones, vel etiam praesentes, aut quemvis earum vel supradictorum omnium articulum, vel aliud quid supradicta concernens, quovis disputandi, vel etiam veritatis indagandae quaesito colore, directe vel indirecte impugnare, vel eis contradicere audeat, districtius inhibentes, ne quis, sive extra, sive intra dictam Societatem, nisi de illius Generalis aut inferiorum Praepositorum licentia, notationes, declarationes, glossas, vel scholia ulla super praemissis facere, vel ea, nisi quantum verba ipsa sonant, interpretari, aut de eis disceptare, seu scrupulum cuiquam iniicere, vel in controversiam aut dubium revocare audeat quoquomodo, nec glossas, aut interpretationes, sive impressas, seu scriptas, ad id pertinentes legere, docere, aliisque tradere, vendere, vel apud se retinere praesumat.

§ 25. Si quid vero dubii de eisdem oriri contigerit, ad Sedem praedictam, vel ad Generalem Praepositum dictae Societatis, aut ad eos, quibus id ipse commiserit, referatur.

§ 26. Sicque in praemissis omnibus, et singulis, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, IV, p. 55-60].

154.

Gregorius XIII, const. *Inter Apostolicas*, 5 sept. 1584.

Inter Apostolicas, et alias Canonicas sanctiones, quae de iurisiurandi Religione variis temporibus prodierunt, fel. rec. Nicolaus Papa III intelligens in nonnullis Ecclesiis de earum consuetudine observari, ut earum Praelati ad

Ecclesias ipsas primo accedentes, et in negocio receptionis novorum Canonicorum, nec Praelatos admitti, nec Canonicos aliter recipi in dictis Ecclesiis, nisi iurato ab eis, statuta, et consuetudines ipsarum Ecclesiarum, scripta, et non scripta inviolabiliter observare, inter Laicos etiam multarum Civitatum, Castrorum, et Terrarum eum consuetudinis morbum in assumendis Potestatibus, Rectoribus, vel Officialibus suis irrepsisse, ut ipsi Potestates, Rectores, et Officiales ad huiusmodi Potestarias, Rectorias, et Officia, nullo modo admittantur, nisi prius se statuta ipsorum locorum clausa iuraverint servaturos.

§ 1. Et quia in statutis, et consuetudinibus supradictis interdum aliqua reperiebantur illicita, seu impossibilia, vel obviantia Ecclesiasticae libertati, idcirco ne sub tali generalitate iurandi, sic iurantibus peccandi occasio praeberetur, cum iuramentum non ideo fuerit institutum, ut vinculum esset iniquitatis, praedictus Nicolaus Papa animarum periculis obsistere cupiens, frugifera, et salubri Constitutione[1] praecepit quibuscumque scientibus contineri in praedictis consuetudinibus, et statutis illicita, impossibilia vel libertati Ecclesiasticae obviantia, huiusmodi iuramenta ab eis nullo modo praestari, et iuramenta ea intentione facienda, vel facta ut etiam illicita, vel impossibilia, seu libertati Ecclesiasticae obviantia observentur, cum etiam sub tali intentione praestari non possent absque divinae Maiestatis offensa, decrevit in huiusmodi illicitis, impossibilibus, seu libertati Ecclesiasticae obviantibus non servanda, quin potius pro animarum salute, si sub forma praedicta vel simili aliquos ignorantes praedicta illicita, seu impossibilia, vel libertati Ecclesiasticae obviantia iurare contingeret, ad observanda dumtaxat licita, possibilia, et libertati Ecclesiasticae non obviantia iuramentorum intentio referri deberet, declarans iuramenta sub huiusmodi generalitate qualitercumque, et sub quacumque verborum forma praestita vel praestanda, ad licita, possibilia, ac Ecclesiasticae libertati non obviantia dumtaxat extendi, ipsosque iurantes ad alia per praestationem iuramenti huiusmodi non teneri. Verumtamen multi infirmi, cupidique census sese in huiusmodi iuramenta cum animarum suarum periculo praecipitant.

§ 2. Nos quoniam haec sanctorum quoque Patrum institutis, et salubri rerum Ecclesiasticarum directioni adversantur, et tamquam de radice ambitionis procedentia omne bonum in Ecclesiis, rebusque publicis pervertunt, ea novae provisionis subsidio prohibere volentes, praesentium auctoritate innovamus praedictam Constitutionem Nicolai Papae, itidemque alias omnes Canonicas sanctiones de abusu, et reprobatione huiusmodi iuramentorum promulgatas, volumusque eas ubique ab omnibus etiam quoad praeterita inviolabiliter observari.

§ 3. Ac etiam praecipimus, et interdicimus Praelatis, Canonicis, et aliis supradictis, necnon Ecclesiarum Capitulis, et Monasteriorum ceterisque Conventibus, Civitatum quoque, Castrorum, et Terrarum Communitatibus, et personis quacumque dignitate praeditis, ne ulla omnino iuramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel libertati Ecclesiasticae, aut decretis Concilii Tridentini obviantia, sive ante sive post electiones, confirmationes, provisiones,

[1] C. 1, *de iureiurando*, II, 11, in VI°.

receptiones, admissiones, aut alios actus, ubicumque ac quocumque tempore, etiam praetextu cuiusvis consuetudinis quantocumque tempore observatae, quae potius corruptela est censenda, sive in genere, sive in specie praestare, reddere, vel exigere, neve super praestitis, redditis, vel exactis hucusque quemquam, in iudicio vel extra inquietare audeant quoquomodo, vel turbare; illos enim qui iuramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel Ecclesiasticae libertati, aut decretis dicti Concilii obviantia, exigere contenderint, Episcopos videlicet, et alios quoscumque Pontificali dignitate praeditos suspendimus a divinis, Capitula vero, et Conventus, eorumque Ecclesias, et loca omnia interdicto Ecclesiastico supponimus, ac singulares personas excommunicationis sententia innodamus, inhabilesque facimus ad obtenta, et alia obtinenda eo ipso, Nobisque, et Romano Pontifici pro tempore existenti relaxationem suspensionis, et interdicti, necnon absolutionem ab excommunicationis sententia huiusmodi perpetuo reservamus.

§ 4. Decernentes eos, qui talia iuramenta scienter praestiterint, usu, et commodo rei, et gratiae cuius causa iuraverint, eo ipso privatos esse: alios vero ignorantes ad praestitorum iuramentorum huiusmodi observationem minime teneri. Necnon irritum, et inane quicquid secus per quoscumque, scienter vel ignoranter attentatum est hactenus, et deinceps contigerit attentari.

§ 5. Non obstantibus praemissis, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, IV, p. 75, 76].

155.

Gregorius XIII, const. *Populis*, 25 ian. 1585.

[Cf. Codicis Iuris Canonici Docum. VIII. - Cf. etiam Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, p. 256, nota (1)].

156.

Sixtus V, const. *Romanus Pontifex*, 20 dec. 1585.

Romanus Pontifex, Beatissimi Petri Apostolorum Principis Successor, in altissima militantis Ecclesiae specula, divina dispositione collocatus, ex credito sibi Apostolicae servitutis officio omnium Ecclesiarum solicitudinem habere, totiusque Dominici Gregis, qui unius sanctae Catholicae. et Apostolicae Ecclesiae per universum Orbem terrarum diffusae, sacro ovili concluditur, curam gerere tenetur. Huius vero tam gravis, et ingentis oneris, Angelicis plene humeris formidandi magnitudinem, ut facilius ferre posset, venerabiles fratres suos Catholicos Episcopos in partem suae solicitudinis advocavit; qui tamquam seniores in populo Dei, pleni sapientiae spiritu, in sua quisque pastorali vigilia excubantes, illius supremi in terris pastoris immensos labores sublevarent, in quo uno, Deo auctore, plenitudo residet potestatis.

Nimirum, ut Episcoporum opere, et adiumento, ubique locorum gregis sibi commissi vultum agnosceret, et spiritualium ovium morbos intelligeret, curationesque adhiberet; atque ex sui muneris officio, perdita requireret, abiecta reduceret, confracta alligaret, infirma consolidaret, pingula, et fortia custodiret: denique assiduis pastorum vocibus admonitus, de toto Ecclesiarum singularum statu certior redderetur, ne quicquam omnino illum lateret earum rerum, quas ad Dei gloriam augendam, ad Christianam religionem propagandam, ad animarum salutem procurandam necessario eumdem scire, atque intelligere oportet, ut omnibus cognitis, et examinatis, pro ea, quae sibi a Christo Domino tributa est, summa potestate, alia in vinea Domini Sabaoth evellat, alia plantet, alia aedificet, alia destruat, quamadmodum ex rerum, et temporum conditione salubrius in Domino viderit expedire.

§ 1. Ob quas sane causas iure optimo, et Spiritus Sancti instinctu, a sanctissimis Pontificibus Praedecessoribus nostris iam ab antiquissimis temporibus institutum est, et per multas aetates magno Ecclesiae Dei commodo observatum, ut singuli Episcopi, Archiepiscopi, Primates, et Patriarchae, certis praescriptis temporibus, per se ipsos, vel per certum eorum Nuncium, omni occasione seposita, Beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli, qui hanc Almam Urbem suo sanguine consecrarunt, limina, tamquam fidei petram, et totius sacerdotalis unitatis fontem iureiurando se visitaturos pollicerentur, atque ita S. R. E. matris suae complexu recreati, et paterno Summi Pontificis colloquio roborati, ad Ecclesias suas regendas, alacriores, et instructiores redirent.

§ 2. Ceterum haec tam salutaris, atque necessaria constitutio, partim hominum negligentia, partim antiqui humani generis hostis astutia, variis etiam insurgentibus temporum calamitatibus, valde refriguit, aliis alia atque alia impedimenta praetexentibus, in grave animarum suarum periculum, et quibus praesunt Ecclesiarum detrimentum. Nec vero dubitandum est, quod sine maximo animi moerore commemorare non possumus, perniciosissimas haereses, quibus multis iam annis, hominum peccatis ita promoventibus, Ecclesia vexatur, et Christi Domini vestis dilaceratur, ex eiusmodi saluberrimae visitationis intermissione partim ortas esse, partim latenti progressione magnum incrementum accepisse. Nam si celeriter in ipso nascentis mali initio, ab ipsis Episcopis pro rei gravitate ad Romanum Pontificem relatum esset, sane illius providentia, et auctoritate, statim venenatae stirpes ex agro Domini evulsae essent, et diabolici ignis scintillae subito oppressae, atque restinctae, in tot flammas, et luctuosa incendia non erupissent.

§ 3. Haec, atque alia gravissima incommoda, cum primum ad summi Apostolatus apicem, meritis licet imparib. Deo ita volente, vocati sumus, attentius considerantes, non solum ex intimis animi sensibus indoluimus, sed statim de adhibendo remedio, divina gratia adiutrice, cogitare coepimus. Urget enim Nos Dei amor, et acres animo nostro stimulos, dies noctesque subnecit, quemadmodum in tremendo illius iudicio, administrationis nostrae rationem reddamus. Nam si huic tanto malo, quod magis quotidie ingravescit, non occurramus, non possumus Nobis ipsis non valde timere, cum crebro in mentem veniant, et quasi aures nostras personent sacrae illae voces

comminationis, et terroris plenae: Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel, et sanguinem eius de manibus tuis requiram. Et quod Petro a Domino dictum est: Confirma fratres tuos. Et illud Apostoli Pauli, quod tanto magis ad Nos pertinet, quanto maiorem praeter ceteros, pastoralis officii curam sortiti sumus: Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Quocirca eorumdem Praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, simulque modum, et temporum spatia Ecclesiarum earumdem Praesulibus, pro cuiusque intervallo, et locorum distantia moderantes, hac perpetua Constitutione sancimus, decernimus, et mandamus, ut omnes Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, per universum terrarum Orbem constituti a Nobis deinceps ordinandi, etiamsi Cardinalatus honore praefulgeant, antequam munus consecrationis suscipiant, seu eis consecratis Pallium de Beati Petri corpore sumptum tradatur, aut si ad aliam Ecclesiam transferantur, antequam illius regimini, et administrationi se immisceant, si quidem praesentes in Curia fuerint, manibus S. R. E. Diaconi Cardinalis ordine prioris, si vero absentes in manibus Antistitis, qui ad impendendum munus praedictum, aut ad tradendum Pallium huiusmodi a Sede Apostolica delegabitur, iurent iuxta formulam in libro Cancellariae Apostolicae quinterno appellato, nuper descriptam, se Beatissimorum Apostolorum Petri, et Pauli limina, statutis in hac nostra Constitutione temporibus, personaliter, ac per se ipsos visitaturos, ac Nobis, et Successoribus nostris pro tempore existentibus Romanis Pontificibus rationem reddituros de toto eorum pastorali officio, deque rebus omnibus ad ipsarum, quibus praesunt, Ecclesiarum statum, ad Cleri, et Populi disciplinam, animarum denique, quae illorum fidei creditae sunt, salutem quovis modo pertinentibus, et vicissim mandata Apostolica recepturos, et quam diligentissime executuros.

§ 4. Quod si legitimo impedimento detenti fuerint, iurent se praedicta omnia adimpleturos per certum nuncium ad id speciale mandatum habentem, et de gremio suorum capitulorum, aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem, aut si huiusmodi hominem ecclesiastica dignitate, et personatu praeditum non habeant, per dioecesanum Sacerdotem, et si Clero careant, omnino per aliquem alium presbyterum, saecularem, vel regularem spectatae probitatis, et religionis, de supradictis omnibus plene instructum. De huiusmodi autem impedimento docere debeant per legitimas probationes, ad dictum primum Diaconum Cardinalem, per supradictum Nuncium transmittendas.

§ 5. Quin etiam Principes temporales, si quid pro eorum pietate, et erga hanc Apostolicam Sedem observantia, Romano Pontifici voluerint significare, eosdem, sive Episcopos, sive alios, qui ab eis mittentur, fidos habebunt nuncios, ac relatores, quorum opera ab eadem Sede pro illorum dominiis, ditionibus, et rebus firmandis, ac stabiliendis, et cum Dei, et sanctae religionis causa, sine qua tuto consistere haud possunt, coniungendis, opportuna sincerae caritatis officia, consilia, atque subsidia expectare certo poterunt.

§ 6. Ad hoc autem debitum visitationis officium commode explendum supradicti omnes Patriarchae, Primates, Archiepiscopi et Episcopi, Itali vide-

licet, vel ex Italicis Insulis, unde in Italiam commodius traiici potest, veluti Siculi, Sardi, Corsi, et alii adiacentium Provinciarum Italiae, ac etiam Dalmatiae, et Graecarum, quae e regione ipsis Italiae, et Siciliae oris sunt, tertio anno, Germani vero, Galli, Hispani, Belgae, Bohemi, Ungari, Angli, Scoti, Iberni, et ceteri omnes, qui in Europa sunt citra mare Germanicum, et Balticum, ac omnium Insularum Maris Mediterranei, quarto anno, et qui intra Europae fines sunt, his Provinciis remotiores, ac etiam Africani littoribus nostris adversi, ac insularum maris Oceani Septentrionalis, et Occidentalis Europae, et Africae citra continentem novi Orbis, tam qui nunc sunt, quam qui ad Catholicam fidem per misericordiam Dei aliquando redierint, quinto anno, Asiatici vero, et qui extra Asiam, et in aliis novis terris Orientalibus, Meridionalibus, Occidentalibus, et Septemtrionalibus, tam in Insulis quam in continentibus, et denique in quibuslibet mundi partibus decimo anno iter suscipiant; et Deo concedente perficiant. Idemque institutum tertio quoque, quarto, quinto, et decimo anno repetant, et observent. Haec autem annorum spatia tempore suscepti muneris consecrationis, vel pallii traditionis, aut translationis, ut praefertur, incipiant. Quae ne longius differatur, volumus quod tempus qualecumque excursum alicui supradictis Praesulibus, qui sive morte praeventus, sive alia quacumque de causa ob non finitum tempus ei praescriptum dicta limina non visitaverit, ita illius successori effluxisse, et excurrisse intelligatur, ut termino ipso iuxta Praedecessoris sui iusiurandum completo debitam tunc visitationem quamprimum conficere teneatur.

§ 7. Hi vero ex supradicti Antistitibus, qui hactenus ab hac sancta Sede ordinati sunt, aut dictum pallium ab ea susceperunt, aut ad aliam Ecclesiam translati sunt, prout cuique distantia locorum, et temporum intervalla praescripta sunt, ad supradicta omnia observanda a die publicationis praesentis Constitutionis omnino teneantur. Iubemus igitur in virtute sanctae obedientiae supradictis omnibus Antistitibus, praesentibus, et futuris, ut visitationem praedictam, sibi, suisque Ecclesiis adeo utilem, ac necessariam, iuxta praescriptam formulam omnino conficiant.

§ 8. Si vero, quod absit, non egerint, eos ab ingressu Ecclesiae, ac etiam ab administratione, tam spiritualium quam temporalium, necnon a perceptione fructuum suarum Ecclesiarum, a Capitulis eorum omni exceptione, et mora cessante, interim libere exigendorum, et in opus fabricae, seu ornamentorum Ecclesiae emptionem, prout maior exegerit necessitas, insumendorum, ipso facto tamdiu suspensos esse volumus, donec a contumacia resipiscentes relaxationem suspensionis huiusmodi a Sede praedicta meruerint obtinere.

§ 9. Non obstantibus privilegiis, absolutionibus, indulgentiis, et aliis concessionibus de non visitandis liminibus eiusmodi quibuscumque Ecclesiarum Praelatis, et per quoscumque Rom. Pont., ac etiam Nos, et dictam Sedem ex quibusvis causis, perpetuo, vel ad tempus, concessis, extensis, et innovatis, quae omnia contra praemissa cuiquam nolumus suffragari, aliisque contrariis quibuscumque. Ceterum Nos saluti, et conscientiae securitati eorum Praesulum, qui ad huiusmodi visitationem obligati, eam contra iusiurandum hucusque distulerunt, consulere volentes, eos singulos a periurii

reatu, et Canonicis, Apostolicisque omnibus sententiis, quas propterea incurrerint, auctoritate praesentium absolvimus, quos tamen pro excessu huiusmodi eleemosynam, quantam, et cui, vel quibus eorum Confessarius statuerit applicandam, volumus erogare.

[Bull. Rom., tom. 4, IV, p. 173-176].

157.

Sixtus V, const. *Coeli et terrae*, 5 ian. 1586.

§ 1. Coeli et terrae Creator Deus, quem unum Omnipotentem corde credimus ad iustitiam, et ore confitemur ad salutem, etsi homini, quem ad imaginem, et similitudinem suam creavit, mentem dederit, quae non solum divino fidei lumine illustrata, mysteria illa cognosceret, quae humanam intelligentiam superant, sed etiam naturae suae vi, magno licet cum labore, praeclara multa investigaret, atque intelligeret, tamen ut superbum animal homo non altum saperet, sed timeret, et immensam Conditoris sui maiestatem humi stratus veneraretur, sibi soli eorum, quae eventura sunt, scientiam, et futurarum rerum cognitionem reservavit. Solus enim ipse, cuius oculis omnia nuda, et aperta sunt, et ad intimas hominum cogitationes penetrat, et consequenter eorum actiones intuetur, solus ipse, qui vocat ea quae non sunt, tamquam ea quae sunt, omnia praesentia, et ante oculos posita habet, solus denique omnia, et singula quaecumque totius temporis decursu, et saeculorum aetatibus futura sunt, ab omni aeternitate novit, et admirabili providentia disposuit, quae non modo humanae mentis imbecillitas ignorat, sed nec daemones ipsi praesentire possunt. Quare idolorum in futuris annunciandis falsitatem, et imbecillitatem, et eorum, qui eis cultum adhibebant vanitatem irridet Spiritus Sanctus apud Isaiam illis verbis: Annunciate quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia Dii estis vos; et in novo testamento Christus Dominus discipulorum suorum de futuris eventibus paulo cupidius inquirentium interrogationem gravi illa responsione retudit, qua etiam omnium fidelium suorum curiositatem coercuit: Non est vestrum scire tempora, vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate. Nec vero ad futuros eventus, et fortuitos casus praenoscendos (futuris eventibus ex naturalibus causis necessario, vel frequenter provenientibus, quae ad divinationem non pertinent, dumtaxat exceptis) ullae sunt verae artes, aut disciplinae, sed fallaces, et vanae improborum hominum astutia, et daemonum fraudibus introductae, ex quorum operatione, consilio, vel auxilio omnis divinatio dimanat, sive quod expresse ad futura manifestanda invocentur, sive quod ipsi pravitate sua, et odio in genus humanum, occulte etiam praeter hominis intentionem se ingerant, et intrudant vanis inquisitionibus futurorum, ut mentes hominum perniciosis vanitatibus, et fallaci contingentium praenunciatione implicentur, et omni impietatis genere depraventur. Quae quidem ipsis cognita sunt, non divinitate aliqua, nec vera futurarum rerum scientia, sed naturae subtilioris acumine, et aliis quibusdam modis, quod hominum obtu-

sior intelligentia ignorat. Quamobrem dubitandum non est, in huiusmodi futurorum contingentium, et fortuitorum eventuum inquisitione, et praecognitione, diaboli operationem se fallaciter immiscere, ut sua fraude, ac dolis miseros homines a via salutis avertat, et laqueo damnationis involvat. Quae cum ita sint, nonnulli haec fideliter, et religiose, ut debent, non attendentes, sed curiosa sectantes, graviter Deum offendunt, errantes ipsi, et alios in errorem mittentes; tales in primis sunt Astrologi olim Mathematici, Genethliaci, et Planetarii vocati, qui vanam falsamque syderum, et astrorum scientiam profitentes, divinaeque dispositionis ordinationem suo tempore revelandam praevenire audacissime satagentes, hominum nativitates, seu genituras ex motu syderum, et astrorum cursu metiuntur, ac iudicant futura, sive etiam praesentia, et praeterita occulta, atque ex puerorum ortu, et natali die, sive quavis alia temporum, et momentorum, vanissima observatione, et notatione, de uniuscuiusque hominis statu, conditione, vitae cursu, honoribus, divitiis, sobole, salute, morte, itineribus, certaminibus, inimicitiis, carceribus, caedibus, variis discriminibus, aliisque prosperis, et adversis casibus, et eventibus praecognoscere, iudicare, et affirmare temere praesumunt, non sine magno periculo erroris, et infidelitatis; cum S. Augustinus praecipuum Ecclesiae lumen, eum qui haec observat, qui attendit, qui in domum recipit, qui interrogat, Christianam fidem, et baptismum praevaricasse affirmet, ut illos merito Apostolus arguat, atque increpet illis verbis: Dies observatis, et menses, et tempora, et annos, timeo vos ne forte sine causa laboraverim in vobis. Hi igitur levissimi, et temerarii homines in miserandam animarum suarum ruinam, grave fidelium scandalum, et Christianae fidei detrimentum, futuros rerum eventus, et quaecumque prospere, vel adverse obventura sunt, ac actus humanos, ea denique quae ex libera hominum voluntate proficiscuntur, astris, syderibusque adscribunt, eisque eam facultatem, vim, seu virtutem, et efficaciam tribuunt significandi futura, et ad praecognita ita inclinandi, ut sic omnino, nec aliter eventura sint, atque ob eam causam de iis rebus omnibus iudicia facere, prognostica, praedictiones, et praecognitiones sibi assumere, et palam venditare non dubitant; quibus pauci rudes, et imperiti, aliique nimis creduli, et imprudentes tantam fidem praestant, ut ex huiusmodi iudiciorum, et praedictionum praescripto, aliquid certo esse credant, aut sperent; quorum sane et mendacium Magistrorum temeritas, et infelicium discipulorum credulitas magnopere deploranda est, qui vel divinis literis admoniti non intelligunt hominis praestantiam, cui Coeli, et Stellae, et clarissima Coeli sydera, Sol, et Luna, Deo ita disponente, non imperant, sed inserviunt, sic enim Moyses populum Dei, ut hunc errorem caveret, praemonebat. Ne forte elevatis oculis ad Coelum, videas Solem, et Lunam, et omnia astra Coeli, et errore deceptus adores ea, colas, quae creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quae sub Coelo sunt. Sed quid sydera mirandum est homini servire? nonne nobilissimae intelligentiae Angeli ipsi, omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis? nam rationales oves ita diligit Deus, ut non solum Episcopos, quemadmodum a S. Ambrosio scriptum est, ad tuendum gregem ordinaverit, sed etiam Angelos destinaverit. Praeclare etiam

S. Hieronymus: Magna dignitas animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum. Quod si Angeli homines custodiunt, quid adversus Angelorum custodiam, et tutelam astra moliri, aut efficere poterunt, quae cum ipsis Angelis nullo modo sint comparanda? Nec sane hoc loco praetereunda est eximii Ecclesiae Doctoris, et Beatissimi Pontificis Magni Gregorii sententia, qui Priscillianistas haereticos unumquemque hominem sub constitutionibus stellarum nasci putantes, magno rerum, et verborum pondere confutat. Absit, inquit, a fidelium cordibus, ut aliquid esse Fatum dicant, vitam quippe hominum solus hanc conditor, qui creavit administrat, neque enim propter stellas homo, sed stellae propter homines factae sunt, et si stella fatum hominis esse dicitur, ipsis suis ministeriis subesse homo perhibetur. Utinam insani homines haec saperent, et intelligerent, ac Dei monitis obtemperarent in Levitico dicentis: Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos. Neque enim quae Christiana, et vera pietas repellit, ac damnat, tanto studio investigarent, iisdemque misere se decipi, atque Irretiri paterentur. Sunt etiam inanes quidam homines, et curiosi, vel impii, et irreligiosi, qui futurarum, et occultarum aliarum rerum notitiam adeo anxie habere student, ut ob eadem praenoscenda, et investiganda in divinae legis offensionem multipliciter incurrant. Alii enim Geomantiae, Hydromantiae, Aeromantiae, Pyromantiae, Onomantiae, Chiromantiae, Necromantiae, aliisque sortilegiis, et superstitionibus, non sine Daemonum saltem occulta societate, aut tacita pactione operam dare, seu illis, ac sortibus illicitis taxillorum, granorum triticeorum, vel fabarum iactu uti non verentur. Alii vero aliquas pristinae, et antiquatae, ac per Crucis victoriam prostratae idololatriae reliquias retinentes, quibusdam auguriis, auspiciis, similibusve signis, et vanis observationibus ad futurorum divinationem intendunt. Alii autem sunt, qui cum Morte foedus ineunt, et pactum faciunt cum Inferno, qui similiter ad occultorum divinationem, ad inveniendos thesauros, vel ad alia facinora perpetranda, etiam expressa cum Diabolo pactione facta, in manifestam suarum perniciem animarum, nefariae magicae artis incantationes, instrumenta, et veneficia adhibent, circulos, et diabolicos characteres describunt, Daemones invocant, aut consulunt, ab eis responsa petunt, aut accipiunt, eis preces, et thuris, aut aliarum rerum suffimenta, seu fumigationes, aliave sacrificia offerunt, candelas accendunt, aut rebus sacris, vel Sacramentis, aut Sacramentalibus sacrilege abutuntur, adorationis, genuflexionis, aut quaevis alia impietatis obsequia praestant, cultum venerationemve tribuunt; aut annulum, vel speculum, aut parvas phyalas sibi fabricant, aut fabricari curant ad Daemones in eis alligandos, seu includendos, ut putant, ad responsa ab ipsis inde petenda, aut habenda. Alii praeterea etiam in corporibus obsessis, vel lymphaticis, et phanaticis mulieribus Daemones, de futuris, vel occultis rebus, aut factis exquirunt, ut merito ab his, quos Dominus in Evangelio tacere imperavit, vanas mendacesque referant responsiones. Alii quoque praestigiatores, frequentius vero mulierculae quaedam superstitionibus deditae, in phyalis, seu vasculis vitreis aqua plenis, vel in speculo accensis candelis, etiam benedictis sub nomine Angeli Sancti, et Albi, Diabolum omnium malorum satorem supplices adorantes, vel in ungui-

bus, aut palma manus, quandoque etiam oleo perunctis eumdem omnium, fallaciarum Architectum orant, ut similiter futura, vel occulta quaevis per spectra, et apparentes imagines, seu phantasticas visiones sibi ostendat, aut ab eodem patre mendacii Diabolo aliis incantationibus, aut variis superstitiosis observationibus, futurorum, et occultorum huiusmodi veritatem quaerunt, et hominibus praedicere contendunt. Quorum omnium, quos supra enumeravimus, consimilis impietas parem exitum habet, nimirum, quod Daemonis praestigiis, ac dolis, tum qui divinant, tum qui divinationem expetunt, illusi ac delusi miserrime reperiuntur. Itaque cum futuros eventus in seipsis considerare, antequam fiant, sit Dei proprium, illud necessario consequitur, ut Astrologi, et alii praedicti, qui huiusmodi futura praenunciare, aut praenoscere quocumque modo, nisi Deo revelante audent, iniuste, atque imprudenter, quod Dei est, sibi assumant, et usurpent. Sic fit, ut dum ab eis, quod solius est Creatoris, perperam creaturis tribuitur, divina maiestas graviter laedatur, fidei integritas violetur, et animabus pretioso Christi sanguine redemptis, pestis, atque exitium importetur.

§ 2. Et licet iampridem regulis Indicis librorum prohibitorum ex decreto Sacri Generalis Tridentini Concilii confecto, illud inter cetera constitutum fuerit, ut Episcopi diligenter providerent, ne huiusmodi Astrologiae iudiciariae libri, tractatus, et indices legerentur, vel haberentur, qui de futuris contingentibus successibus, fortuitisve casibus, aut iis actionibus, quae ab humana voluntate pendent, certo aliquid eventurum affirmare audent, permissis tamen iudiciis, et naturalibus observationibus, quae navigationis, agriculturae, sive medicae artis iuvandae gratia conscripta fuissent. Libros vero omnes, et scripta Geomantiae, Hydromantiae, Chiromantiae, Necromantiae, sive in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicae, prorsus reiici, et aboleri curarent. Non tamen errorum, corruptelarum, delictorum, et abusuum praedictorum extirpationi usque adeo provisum est, quin etiam adhuc in nonnullis locis, et apud plurimos curiosius vigeant, cum valde frequenter, detectis diaboli insidiis, divinationum, sortilegiorum, et variarum superstitionum omnia plena esse in dies detegantur.

§ 3. Nos igitur, qui pro nostro Pastoralis Officii munere fidei integritatem inviolatam conservare debemus, et animarum saluti prospicere, quantum divina gratia adiutrice possumus, ex paternae caritatis visceribus optamus, damnantes, et reprobantes omne genus divinationum, quae diabolo auctore ad fidelium deceptionem e praedictis curiosis, vel perditis hominibus fieri solent. Cupientes praeterea sanctam illam Christianae Religionis simplicitatem, praesertim ubi agitur de summa Creatoris Dei potestate, sapientia, et providentia, ab omni erroris labe, integram atque incorruptam, ut par est, retineri. Volentes quoque praedictae falsae credulitati, ac huiusmodi illicitarum divinationum, et superstitionum, detestabili studio, et execrandis flagitiis, atque impuritatibus occurrere, ut de Christiano populo merito dici possit, quod de antiquo Dei populo scriptum est: Non est augurium in Iacob, neque divinatio in Israel, hac perpetuo valitura Constitutione, Apostolica auctoritate statuimus, et mandamus, ut tam contra Astrologos, Mathematicos, et alios quoscumque dictae iudiciariae Astrologiae artem, praeterquam circa

agriculturam, navigationem, et rem medicam in posterum exercentes, aut facientes iudicia, et nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus successibus fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid eventurum affirmare audent, etiam si id se non certo affirmare asserant, aut protestentur, quam contra alios utriusque sexus, qui supradictas damnatas, vanas, fallaces, et perniciosas divinandi artes, sive scientias exercent, profitentur, et docent, aut discunt, quive huiusmodi illicitas divinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes, ac praemissa detestanda scelera, et delicta, ut praefertur, faciunt, aut in eis se quomodolibet intromittunt, cuiuscumque dignitatis, gradus, et conditionis existant, tam Episcopi, et Praelati, Superiores, ac alii Ordinarii locorum, quam Inquisitores haereticae pravitatis ubique gentium deputati, etiamsi in plerisque ex his casibus antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentius inquirant, et procedant, atque in eos severius canonicis poenis, et aliis eorum arbitrio animadvertant.

§ 4. Prohibentes omnes, et singulos libros, opera, et tractatus huiusmodi iudiciariae Astrologiae, Geomantiae, Hydromantiae, Pyromantiae, Onomantiae, Chiromantiae, Necromantiae, Artis Magicae, aut in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, execrabiles incantationes, ac superstitiones continentur, ac ut supra in memorato Indice interdictos sub censuris et poenis in eo contentis a quibuscumque Christifidelibus legi, aut quomodolibet retineri, sed illos Episcopis, et Ordinariis locorum, vel Inquisitoribus praedictis praesentari, et consignari debere. Et nihilominus eadem auctoritate statuimus, et mandamus, ut contra scienter legentes, aut retinentes libros, et scripta huiusmodi, seu in quibus talia continentur, similiter iidem Inquisitores libere, et licite procedant, ac procedere, et poenis condignis punire, et coercere possint.

§ 5. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

[Bull. Rom., tom. 4, IV, p. 176-179].

158.

Sixtus V, const. *Quanta Apostolicae*, 18 mart. 1586.

Quanta Apostolicae Sedis dignitati detrimenta, et eius subditis incommoda, ex Civitatum, Terrarum, et locorum Status Ecclesiastici distractione obvenerint, assidua mentis nostrae cogitatione revolventes, Pastoralis sollicitudinis Nobis divinitus commissae zelo urgemur, illorum conservationi solertioris diligentiae studio incumbere, et quae propterea a Praedecessoribus nostris maturo consilio, ac optima ratione sunt sancita, approbationis nostrae robore communire. Alias siquidem a fel. rec. Pio Papa V, Praedecessore nostro, emanarunt literae tenoris subsequentis, Pius Episcopus, etc. Admonet nos.

Omittitur tenor huius Constit., quia habetur supra, in N. 120.

§ 1. Et deinde piae mem. Gregorius Papa XIII, etiam Praedecessor noster, literas praedictas, Apostolica auctoritate approbavit, et confirmavit, prout in ipsius Gregorii Praedecessoris literis desuper confectis[1] plenius continetur.

§ 2. Quocirca ne literae Pii Praedecessoris huiusmodi labentis temporis cursu valeant labefactari, sed eo validius subsistant, quo multiplici firmitatis vinculo saepius fuerint stabilitae, vestigiis ipsorum Praedecessorum inhaerendo, easdem literas Pii V Praedecessoris, et in eis contenta quaecumque ex certa scientia nostra, auctoritate praedicta tenore praesentium approbamus, et confirmamus, ac etiam innovamus, easque inviolabilis firmitatis robur obtinere, ac perpetuo observari debere volumus, et mandamus.

Nulli ergo, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, IV, p. 192].

159.

Sixtus V, const. *Postquam*, 3 dec. 1586.

Postquam verus ille atque aeternus Pastor, et Episcopus animarum Christus Dominus ad gubernandam universalem Ecclesiam, quam suo pretioso sanguine acquisivit, Apostolorum Principi B. Petro coelestis simul ac terrenae tradidit plenitudinem potestatis, eique suas in terris vices commisit, sicut in cathedra ipsius Petri successor, et verus Christi Vicarius Romanus Pontifex divina praeordinatione, eiusdem supremae Apostolicae dignitatis fastigium, et locum in terris tenet, ita etiam Sacrosanctae Romanae Ecclesiae Cardinales repraesentantes personas sanctorum Apostolorum, dum Christo Salvatori regnum Dei praedicanti, atque humanae saluti mysterium operanti ministrarent, eidem Pontifici in executione Sacerdotalis officii, et in dirigenda ipsa Ecclesia Catholica, cui praeest, consiliarii, et coadiutores assistunt, quasi oculi, et aures, ac nobilissimae sacri capitis partes, et praecipua illius membra a Spiritu Sancto constituta, qui in hac ipsa Ecclesiastica Hierarchia divina dispositione, instar illius caelestis, cui ex altera parte respondet, ordinata, ad altissimum gradum evecti cum ipso Romano Pontifice communi patre ac pastore, ad quem ex omnibus undique gentibus ac nationibus, in gravissimis, maximeque arduis rebus fideles omnium generum, omnium ordinum, summi, infimi quotidie confluunt, tanti ponderis molem atque onus populorum sustineant, et pro animarum salute, pro fide, pro iustitia, pro unitate assidue invigilent ac laborent, qui circa ipsum universali Ecclesiae serviendo, singularum Ecclesiarum commoditatibus se impendant, quorum consilio idem Pontifex agenda disponat, quorum opera, et necessaria, et plurimum fructuosa universae Reipublicae Christianae in secundis rebus ornamento, et commodo, in dubiis praesidio, et adiumento esse possit. Qui denique pro exaltatione Catholicae Religionis, pro pace, et quiete Christiani Populi, pro aug-

[1] Cf. N. 142.

mento, et honore sanctae Sedis Apostolicae sanguinem, si ita res ferat, et spiritum constanter effundant.

§ 1. Cum itaque ipsi veri cardines sint, et clarissima Ecclesiae lumina, templi Dei bases, firmamenta, et columina Christianae Reipublicae singulari quadam pietate ac doctrina, nec vulgari, aut mediocri, sed insigni atque eximia virtute abundare debent, ut, quam gerunt, personam digne, et honorifice valeant sustinere. Ac quemadmodum praecipuae sunt partes summi Romani Praesulis in iis asciscendis exquisitam adhibere diligentiam, et accurata circumspectione providere, ut viri optimi, ac lectissimi assumantur, et vel in hoc potissimum necessitati atque utilitati totius Ecclesiae sibi commissae consulatur, ita etiam Praelati ceteraeque personae Ecclesiasticae ad tantae dignitatis sublimitatem promovendi, anteactae vitae laude, atque excellenti quadam, et rara meritorum commendatione prae ceteris fulgeant, necesse est, ut hoc amplissimo honore digni habeantur. Siquidem eorum vita ac mores ceteris exemplo esse debent, verba, et responsa pro oraculis, monita ac praecepta ab universis Christianis regulae, et norma recte vivendi, recteque sentiendi existimantur, ab iis quasi sapientissimis magistris Ecclesiasticae disciplinae forma suscipitur, quae ad mores, vitamque cunctorum fidelium componendos longe lateque diffusa propagetur. Ipsi denique vere sunt sal terrae, ac lucernae positae super candelabrum, ut inter sanguinem, et sanguinem, causam, et causam, lepram, et lepram discernant, ac doctrinae opportunitate, et veritate, infirma confirment, disrupta consolident, depravata convertant, luceant omnibus qui in domo Domini habitant, ac primae huic Sedi assistentes cunctos pastores, dum in gravioribus negotiis eamdem Sedem consulunt, eiusve opem implorant, suo iudicio, consilio, et auctoritate instruere, dirigere, ac docere non cessent. Ceterum, cum non solum ad eos spectet plurima, et maxima momenti negotia, et causas, quae eis in dies committuntur, praeclara fide, et prudentia cognoscere, ac Legationibus in Provinciis gubernandis, et in gravioribus rebus, saepius ad Reges, et Imperatores perfungi.

§ 2. Sed, quod omnium caput, et summa est, ex eorum corpore, numero, et Collegio, ille ipse, qui cunctis pastoribus est praeficiendus, ac totius Dominici gregis curam habiturus, Summus Pontifex deligatur, iidemque illum suis suffragiis creent, qui tunc demum publico bono Christiani populi, optimus sine ulla dubitatione existet, si e numero, et suffragiis bonorum deligetur, in hac sacra electione censendi sunt veri interpretes, atque internuntii voluntatis Dei, cuius spiritu sicut universum Ecclesiae corpus sanctificatur, et regitur, ita maxime hoc totum huiusmodi electionis opus eiusdem afflatu, et instinctu absolvi certissimum est, atque omnibus exploratum, ut vel ex hoc ipso perspici possit, quanta in eis requiratur puritas, et sinceritas ab omni carnis affectu, privatorum commodorum cura, et factionum studiis aliena, quorum pectora, et voces, templa, et organa futura sint Spiritus Sancti, et ex quibus quasi seminibus is sit proditurus, in quem totius Apostolicae potestatis plenitudo Deo annuente merito conferatur.

§ 3. Quapropter, ut tanti muneris amplitudo ea, qua decet, observantia, et admiratione apud cunctos mortales honoretur, et in quos ob celsitudinem gradus, omnium oculi, omnium ora convertuntur, in eis summae dignitati

par claritas, et splendor eluceat, atque in eis glorificetur Deus, honorificetur Sacerdotale ministerium, et animae fidelium laetificentur, certe sacris amplissimis huius honoris insignibus ii demum decorandi videntur, qui eximia eruditione, innocentia, ac sanctitate, et omni virtutum genere a vero solidorum bonorum largitore Deo supra ceteros fuerint illustrati. Proinde Nos, postquam placuit divinae bonitati imbecillitatem nostram ad summi Apostolatus apicem vocare, inter ceteras, quas pro bono universalis Ecclesiae his maxime turbulentis temporibus, dies noctesque suscipimus, curas, et cogitationes, hanc ipsam Pontificia nostra solicitudine dignissimam iudicavimus, ut ad communem salutem, et profectum Christiani populi nostrae curae crediti, ac ad ipsius Sanctae Romanae Ecclesiae decus, et ornamentum circa Cardinalium electionem, atque assumptionem, tam a Praedecessoribus nostris, quam a Nobis hactenus editas sanctiones, et decreta expenderemus; in quibus licet pleraque salubriter, ac prudenter disposita, et ordinata fuerint, quia tamen res humanae facile in deterius prolabuntur, nisi sit qui eas assidue renovet, atque conservet, easdem illas sanctiones, et decreta partim innovando, partim declarando, partim pro rerum, et temporum exigentia supplendo, et in melius reformando, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris eiusdem S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, de eorumdem fratrum consilio, et unanimi consensu, hanc nostram perpetuo valituram Constitutionem duximus promulgandam, qua et nosmetipsos in re tam gravi nostri muneris admonemus, et quam Nobis legem imponimus, eamdem nostris successoribus indicamus, quos, et sui officii non immemores fore confidimus, et se aliquando in districto, ac tremendo Dei iudicio suae villicationis rationem esse reddituros, Apostolo dicente: Omnes stabimus ante tribunal Christi, et unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.

§ 4. Primum igitur, cum ita exposcente rerum, ac temporum qualitate, et occasione recessum fuerit a veteri illo more admodum paucos viros in sacrum Collegium adscribendi, iamque plures nostra aetate Cardinales, quam antiquitus in ipsum Collegium cooptari consueverint, tum ut iuxta generalis Concilii Tridentini decretum[1] omnium Christianitatis Nationum ratio habeatur, tum quia in eodem Collegio multi, quae est humani corporis infirmitas, senectute, vel morbis frequenter gravati, haud commode tanto oneri assidue substinendo sufficere queunt, ut in hoc moderatio congrua adhibeatur, et certi limites praescribantur, ne vel ad veterem illam paucitatem eos redigamus, vel rursus eorum honor nimia, ac superflua numerositate vilescat, quod interdum Nos ipsi dum in minoribus essemus, vidimus, et experti sumus. Ac ut veteris Synagogae figura Sanctae, et Apostolicae Ecclesiae veritati respondeat, sequi cupientes mandatum Domini factum ad Moysen, de congregandis septuaginta viris de senibus Israel, quos nosset senes populi esse, et magistros, ut secum onus populi sustentarent, et non ipse solus gravaretur, super quos ad ostium tabernaculi ductos, loquente Domino, Spiritus requievit: de praedictorum fratrum nostrorum consilio, perpetuo statuimus, et ordinamus, ut in posterum connumeratis omnibus cuiusque ordinis Episcopis,

[1] Sess. XXIV, *de ref.*, c. 1.

Presbyteris, et Diaconis Cardinalibus, qui nunc sunt, quique in futurum creabuntur, cuncti simul numerum Septuaginta nullo umquam tempore excedant, ac talis numerus quovis praetextu, occasione, vel causa etiam urgentissima minime augeatur. Quod si unum, vel plures a Nobis, vel pro tempore existente Romano Pontifice in futurum ultra dictum numerum eligi in Cardinalem, aut creari, aut pronunciari contigerit, decernimus huiusmodi electionem, creationem, et pronunciationem nullam, irritam, et inanem fore, et censendam esse, nullumque ius, seu titulum re aut nomine sic electo, seu electis acquiri, neque eorum quemquam pro Cardinali haberi, aut reputari posse, aut debere, neque dictam electionem, creationem, pronunciationem ab initio invalidam, et ultra numerum factam, si postea ad praescriptum numerum moriente uno, vel pluribus Cardinalibus ipsum Collegium redigatur, propterea ex post facto convalescere, sed uti a principio sic deinceps in perpetuum nullius fore roboris, vel momenti.

§ 5. Quoniam vero iam inde ab antiquissimis etiam Apostolorum temporibus Diaconorum ordo ad inserviendum, et ministrandum in Ecclesia Dei ex magna providentia dignoscitur institutus, et pro temporum varietate modo maior, modo minor numerus esse consuevit, ita ut aliquando septem, interdum quatuordecim, quandoque vero decem, et octo Diaconi fuerint, et tamen hoc tempore tum propter eorum parvum numerum, tum propter aliquorum absentiam a Romana Curia, adeo pauci reperiuntur, ut eorum officio satisfacere nequeant, immo saepius Presbyteri Cardinales loco Diaconorum, contra Patrum instituta Pontifici assistere, et ministrare cogantur. Idcirco statuimus, ut ex praedicto numero Cardinalium, Diaconi quatuordecim, reliqui omnes praeter sex Episcopos, Presbyteri sint, et esse debeant.

§ 6. Neque posthac quispiam in Diaconum Cardinalem assumi possit, nisi saltem in vigesimo secundo suae aetatis anno fuerit constitutus, ita ut omnino intra annum ad sacrum Diaconatus ordinem valeat, et debeat promoveri, alioquin si anno elapso ad ipsum Diaconatus ordinem promotus non fuerit, eo ipso tam in consistorialibus, et omnibus aliis actibus, et negotiis Cardinalitiis, quam etiam iuxta Constitutionem fel. rec. Pii Papae Quarti Praedecessoris nostris super reformatione Conclavis editam,[1] in electione Romani Pontificis voce activa, et passiva omnino careat, ac privatus existat.

§ 7. Diaconorum autem numerus sic praefinitus perpetuo retineatur, ac Diaconi in eodem ordine semper remaneant, et si qui eorum ex devotionis fervore ad Presbyteratus ordinem promoti fuerint, semper tamen in eodem Diaconatus ordine, et officio ministrent, et suum locum inter Diaconos Cardinales teneant, donec ex Cardinalibus de novo creandis sive eligendis, alii Diaconi praedictum numerum suppleant, et in eorum locum subrogentur, ac substituantur. Quo casu antiquiores Diaconi ad Presbyteratus ordinem promoti, ad Presbyteros Cardinales transire, atque inter eos sedere valeant, et connumerari.

§ 8. Ut vero Diaconos Cardinales, qui in sua vocatione permanserint, et in ministerio ordinis sui perseveraverint, maioribus honoribus prosequa-

[1] *In eligendis*, 9 oct. 1562, § 25. - Bull. Rom., tom. 4, II, p. 145-148.

mur, volumus ut cum aliquam ex sex Cathedralibus Ecclesiis, quibus Episcopi Cardinales praesunt, primo, secundo, et tertio per obitum, vel translationem, aut alias pro tempore vacare contigerit, antiquior quidem presbyter Cardinalis praesens, salvo cuique Episcopo Cardinali iure transeundi ad eam, dimissa priore cui praeerat, ut moris est, promoveatur, sed ubi post tres vacationes, tres itidem ex ipsis Presbyteris Cardinalibus in Episcopos praefecti fuerint, tunc si quarta alicuius harum Ecclesiarum vacatio contigerit, excluso, ea tantum vice, antiquiore Presbytero, Prior Diaconorum Cardinalium, qui praesens fuerit, et in aetate legitima constitutus, vel si ille noluerit, aut nequiverit assumi, sequens Diaconus eisdem qualitatibus praeditus, ad eam promoveatur, et ita deinceps in huiusmodi vacationibus sex Ecclesiarum praedictarum perpetuo observetur, ut post tres Presbyterorum ad dictas Ecclesias promotiones, quarta occurrente vacatione, Prior Diaconorum, aut sequens, ut praefertur, in Episcopum praeficiatur.

§ 9. Inter hos Septuaginta Cardinales, praeter egregios utriusque iuris, aut Decretorum Doctores, non desint aliquot insignes viri in sacra Theologia Magistri, praesertim ex Regularibus, et Mendicantium Ordinibus assumendi, saltem quatuor, non tamen pauciores.

§ 10. Antiquum vero Clementis, Anacleti, Evaristi, Alexandri, et aliorum Sanctorum Pontificum Praedecessorum nostrorum morem, per sexcentos, et amplius annos continuata serie observatum sequi volentes, ac decretum alias per Nos in nostro Consistorio editum innovantes, perpetuo sancimus tempus creandorum Cardinalium, seu promotionis ad Cardinalatus honorem faciendae, mense Decembri dumtaxat in ipsis temporibus, seu diebus ieiuniorum, et non aliis esse debere.

§ 11. Ut autem ipsi Cardinales in regimine universalis Ecclesiae Nobis, et pro tempore existenti Romano Pontifici utiliter assistere valeant, ac de omnibus Christianorum Regnorum, Provinciarumque moribus, rebus, et negotiis prompte, et fideliter certa ab eis notitia, pro rerum emergentium opportunitate habeatur, praedicti Concilii Tridentini decreto inhaerentes, statuimus, ut ex omnibus Christianitatis nationibus, quantum commode fieri poterit, idonei assumantur.

§ 12. Praeterea, qui Cardinales creandi erunt, legitimis, et honestis sint exorti natalibus, neque ulla prorsus labe, aut illegitimorum natalium suspicione quovis modo laborent, sed omni macula, et impuritate careant, alioquin ad tam eminentem dignitatis gradum, penitus inhabiles, et illius incapaces sint, et esse censeantur. Quocirca considerantes, quod licet tanta sit vis, et efficacia Sacramenti Matrimonii, quod Apostolo teste, Magnum est in Christo, et in Ecclesia; ut qui antea geniti erant, ex soluto, et soluta, inter quos rite Matrimonium constare poterat, post illud contractum legitimi habeantur, in nonnullis tamen Provinciis, et Dominiis, nobilitatis privilegiis non gaudent, nec ad saecularia officia, honores, et dignitates, neque ad nobilium feudorum, et statuum successiones admittuntur, quodque multo magis indecorum videretur, et ab Apostolicae Sedis dignitate alienum, si huiusmodi illegitimi per sequens Matrimonium, ut praefertur, legitimati, in Cardinales assumerentur, ac Cardinalatus celsitudo, et splendor, qui dignitati Regiae com

paratur, facile deprimi, commaculari, aut quodammodo inobscurari posset. Ideo ut puriori dignitati puriores natales respondeant, quoscumque illegitime natos, quorumvis, etiam Magnorum Principum, etiam Ducali, aut maiori, etiam Regia, et Imperiali auctoritate fulgentium filios quocumque gradu, dignitate, et praeeminentia praeditos, etiam genitos ex soluto, et soluta, inter quos tunc Matrimonium constare poterat, ac postea per subsequens Matrimonium, etiam rite, et solemniter in facie Ecclesiae contractum, vel alias legitimatos, et quomodolibet habilitatos, et natalibus restitutos, ac quorumvis bonorum capaces effectos, etiam si cum eis, ut hanc ipsam dignitatem obtinere valeant, super defectu natalium fuerit expresse, et in specie auctoritate Apostolica quomodolibet dispensatum, nihilominus praedictae Cardinalatus dignitatis prorsus incapaces, et ad eam obtinendam perpetuo inhabiles decernimus, ac declaramus.

§ 13. Sed et insuper prohibemus, ne ii, quos propter defectus, vitia, aut impedimenta quaecumque ad sacros ordines secundum canonicas sanctiones promoveri fas non est, etiamsi cum ipsis dicta auctoritate Apostolica fuerit dispensatum, neve alicuius criminis, aut infamiae nota respersi, in Cardinales ullo umquam tempore assumantur.

§ 14. Ceterum, ut non solum honore, sed etiam re ipsa cardines sint, super quibus ostia universalis Ecclesiae tuto nitantur, divinaque, et humana ministeria sibi commissa utilius exequi possint, statuimus, ut lectissimi, et praecellentes viri in ipsum Collegium adscribantur, et quorum vitae probitas, morum candor, praestans doctrina, et eruditio, eximia pietas, et erga salutem animarum ardens studium, et zelus, in dandis consiliis sincera fides, et integritas, in rebus gerendis singularis prudentia, constantia, et auctoritas, et aliae qualitates a iure requisitae, tam ipsi Pontifici, quam universo Collegio cognitae, et probatae sint.

§ 15. Ac proinde ne homines sacrarum rerum plane imperiti, et rudes atque Ecclesiasticarum functionum ignari, quasi in Ecclesia Dei hospites, et peregrini statim huiusmodi muneri praeficiantur, iuxta decretum iam pridem a Nobis in praedicto Consistorio nostro sancitum, quod pariter harum serie innovamus, districte interdicimus, ne quis ullatenus ad Cardinalatus honorem assumi queat, nisi qui antea clericali charactere insignitus, et in quatuor minoribus ordinibus constitutus, per annum saltem habitum, et tonsuram gestaverit clericalem.

§ 16. Cum autem ad honorem adeo sublimem promovendi omni virtutum, et praesertim castimoniae laude supra ceteros plurimum eminere debeant, qui vero filios, etiam legitimos, ex uxore sua alias dignoscitur suscepisse, certum nequeat suae testimonium continentiae exibere, et pater erga proprios filios naturali affectu nimia quadam propensione feratur, verendumque sit ne propterea variis propriae domus negotiis, ac multiplici liberorum cura distractus, Ecclesiae negotia sibi credita, aut negligenter tractet, aut minus solicite, et fideliter quam par est, eiusdem Ecclesiae iura tueatur, prohibemus, ne aliquis, qui utriuslibet sexus filium, seu filios, etiam ex legitimo matrimonio susceptos, vel nepotem, seu nepotes ex eis habeat, ullatenus in Cardinalem assumi, aut promoveri possit.

§ 17. Insuper, ut factionum fomitem, et simultatum ansam, ex sacro hoc coetu, quantum cum Domino possumus, amputemus, decretum piae mem. Iulii Papae III Praedecessoris nostri in sacro olim Consistorio editum[1] approbantes, et declarantes, similiter perpetuo interdicimus, ne ullo umquam tempore assumatur aliquis posthac in eiusdem S. R. E. Cardinalem, qui frater ex utroque, vel alterutro parente germanus existat alterius Cardinalis viventis, ita ut eodem tempore duo fratres germani in eodem Collegio nullatenus esse possint. Quinimmo idem decretum extendentes, et ampliantes, prohibemus quoque ne patruele, vel amitino, aut consobrino Cardinale vivente, alter eius patruelis, vel amitinus, aut consobrinus ad Cardinalatum valeat promoveri.

§ 18. Sed, et pari ratione sancimus, ne patruo, aut avunculo Cardinali vivente, eius ex fratre, vel sorore nepos, nec rursus nepote ex fratre, vel sorore Cardinali existente, illius patruus, aut avunculus, nec ullus denique alius, qui primo, aut secundo tantum consanguinitatis gradu alicui Cardinali viventi coniunctus sit, quamdiu is vixerit, in Cardinalem assumi possit. Ita ut omnes, et singuli praedicti tam pater filios, aut nepotes habens, quam fratres germani, patrueles, amitini, consobrini, patruus, avunculus, nepos ex fratre, vel sorore, et quivis ut supra primo, aut secundo gradu coniunctus alter altero Cardinali vivente, ad Cardinalatum inhabiles, et illius incapaces sint, et censeantur, neque eorum aliquis Cardinalis creari valeat, neque adversus hanc prohibitionem ex quacumque etiam urgentissima causa cum eis liceat dispensari. Et nihilominus electio, creatio, ac pronunciatio Cardinalium huiusmodi contra praesentem prohibitionem, aut interdictum facta, et attentata, nulla, irrita, et inanis sit eo ipso, ac cum omnibus inde secutis nullius sit roboris, vel momenti.

§ 19. Postremo attendentes proprium esse eorumdem Cardinalium munus assistere, ut praemittitur, Christi in terris Vicario, eique in regenda Ecclesia Catholica consilium, et operam assidue praestare, atque cum eo Ecclesiae necessitatibus providere, ipsosque tum ad id ex ipsius officii debito, tum ex sanctorum Patrum decretis teneri, ac propterea absurdum esse Cardinales procul ab ipso Pontifice vitam agere, et locum mansionemque suam in Ecclesia Dei adeo praecelsam contra huiusmodi officii debitum, et in suarum perniciem animarum negligere, ac deserere, inhaerentes decreto similiter a Nobis in Consistorio nostro dudum desuper promulgato, de eorumdem Fratrum consilio statuimus, et ordinamus, ne quis in posterum a Romana Curia absens Cardinalis creetur, aut pronuncietur, nisi hac adiecta conditione, ut intra annum in Romanam Curiam venire, et Apostolorum limina visitare teneatur, necnon, antequam Biretum rubrum, quod a Romano Pontifice de more benedici, ac per certum nuncium mitti solet, ei tradatur, illiusve capiti imponatur, iuret in manibus personae alicuius in dignitate ecclesiastica constitutae, cui id negocii datum fuerit, se intra annum a die praestiti iuramenti numerandum omni mora postposita, et impedimento remoto, ad Urbem, vel alio, ubi Rom. Cur. eo tempore fuerit, personaliter adventurum, ut sistat se

[1] Cf. N. 87.

Nobis, aut pro tempore existenti Rom. Pontifici, et Sanctae Sedi Apost. cuius obsequiis erit ascriptus, et quandiu ipsi Pontifici visum fuerit, muneri suo incumbat: atque ita de legibus, moribus, consuetudinibus, ac toto statu eiusdem Sedis plene instruatur, atque ad Ecclesiae, seu Provinciae, cui forsan praeerit, necessitates sublevandas, abusus tollendos, mores reformandos, ecclesiasticam disciplinam, si qua ex parte labefacta fuerit, restituendam opportuna, et salutaria consilia ab ipsius Pontificis paterna caritate, sapientia, et vigilantia recipiat, et pro viribus exequatur. Cuius quidem iuramenti postquam per eum praestitum fuerit, publicum inde instrumentum conficiatur, et in forma authentica ad Nos, vel nostri pro tempore successorem nulla interposita mora transmittatur. Quod si forte id iurare recusaverit, volumus, ut biretum rubrum ei omnino denegetur, ac nequaquam tradatur, sed ipso facto, absque alia declaratione, vel decreto Cardinalatus honore privatus existat, atque habeatur, in omnibus, et per omnia, ac si numquam in Cardinalem assumptus, vel promotus fuisset. Inhabilis quoque ad eamdem dignitatem postea obtinendam, et illius incapax efficiatur. Sin autem iuret, ac biretum rubrum accipiat, sed tamen postea ad Urbem, et Romanam Curiam, ut praefertur, intra annum a die praestiti iuramenti non comparuerit, tunc pariter absque alia declaratione Cardinalatus dignitate, officio, titulo, denominatione, atque omnibus, et quibuscumque illius insignibus, facultatibus, privilegiis, aut auctoritatibus careat eo ipso, et perpetuo privatus sit, et esse censeatur, perinde, ac si numquam inter Cardinales cooptatus fuisset, nec biretum rubrum accepisset. Quod quidem biretum post id tempus confestim deponere omnino teneatur.

§ 20. Decernentes sic in praemissis omnibus, et singulis per quoscumque Iudices, et Commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, et ipsos S. R. E. Cardinales, in quavis causa, et instantia, sublata eis, et eorum cuique quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, et definiri debere, necnon irritum, et inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ 21. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, IV, p. 279-285].

160.

Sixtus V, const. *Religiosa*, 13 apr. 1587.

Religiosa Sanctorum Pontificum Praedecessorum nostrorum providentia institutum olim fuit, iam inde vetustissimis temporibus, et posteris traditum, ut Sanctae Romane Ecclesiae Presbyteris, certae in Urbe Roma Ecclesiae, Tituli appellatae, quasi quaedam cuiusque propriae dioeceses; Diaconis vero, Urbis regiones, ad Christianae Religionis propagationem, et conservationem assignarentur. Quae quidem sancta institutio plurium saeculorum continuata serie, ac pro temporum varietate susceptis incrementis, ad nostram usque aeta-

tem servata, ita viget, ut praeter sex Episcopos Cardinales, qui certis Cathedralibus Ecclesiis Urbi finitimis praesunt, singulis Presbyteris, et Diaconis Cardinalibus propriae in Urbe Ecclesiae, Tituli videlicet, et Diaconiae cum suis Clero, et Populo, ac quasi Episcopali iurisdictione in spiritualibus, et temporalibus regendae, et administrandae committantur.

§ 1. Proinde Nos, postquam per nostram nuper editam Constitutionem,[1] creandorum Cardinalium numerum, computatis sex Episcopis praedictis, quatuordecim Diaconis, reliquis vero Presbyteris Cardinalibus, ad septuaginta praescripsimus, nunc quoque ad Dei honorem, atque ad ipsius Sanctae Romanae Ecclesiae decus, et ornamentum, ac Romani Cleri, et Populi bonum regimen, salubremque directionem, eisdem Presbyteris, et Diaconis Cardinalibus totidem Titulos, et Diaconias, ipsorum amplitudini, et dignitati maxime congruentes, duximus assignandos. Ac licet pleraeque ex antiquis Ecclesiis in Titulos, et Diaconias concedi solitis, aut a Praedecessoribus nostris successu temporum additis, adhuc integrae, et illaesae permaneant, tamen quia nonnullae, tum diuturnitate, et iniuria temporum, tum diversis, quae olim contigerunt, eiusdem Urbis direptionibus, incendiis, et ruinis collapsae sunt; Nos antiquae pietatis, et Religionis Christianae monumenta conservare cupientes, sicuti Sacrosanctas Basilicas, et augustiora templa antiquitate ipsa veneranda, nedum sarta tecta custodiri, sed et ingenti nostro sumptu refici, instaurari, et ornari in dies magis curamus, ita etiam primo quidem loco veteres, et nobiles Ecclesias, priscis temporibus in Titulos Presbyterorum Cardinalium, ut praefertur, institutas delegimus, easque omnes, quae adhuc extant, voluimus omnino in Titulos pro modernis, et futuris Presbyteris Cardinalibus retinere. Deinde ex iis, quae recenti memoria in Titulos erectae fuerunt, praetermissis quibusdam, propter loci incommoditatem, aut alias minus idoneis, ceteras itidem retinere, ac demum, ne Titulorum numerus Presbyteris Cardinalibus desit, exemplo nonnullorum nostrorum Praedecessorum, alias partim antiquas, nondum tamen huiusmodi honore decoratas, partim vero recentiores, celebres tamen Ecclesias, dignitate Praesulum maiorem in modum illustrare, et in similes Titulos erigere, et instituere, ac pro numero Presbyterorum Cardinalium tot Titulos addere, et supplere, ex Diaconiis quoque antiquitus institutis, quatuordecim magis insignes pro totidem Diaconis Cardinalibus seligere, et congrua distinctione confusionem perpetuo tollere decrevimus, eosdem nimirum Titulos, et Diaconias proprios cuiusque ordinis certos, et distinctos assignando, ita ut numquam in posterum, quod hactenus saepe factum est, Presbyteris Diaconiae, neque Diaconis Tituli Presbyterales, perturbato ordine, aut promiscue concedantur. Quod quidem rationi consentaneum videtur, ut quemadmodum Summus Pontifex universali Ecclesiae praesidens, et omnium totius Orbis Ecclesiarum solicitudinem gerens, specialiter tamen Urbis Romae Episcopus existit, et in ea divina dispositione supremam Sacerdotalis potestatis Cathedram tenet, pari quoque ratione Cardinalibus, quos uti speciales S. R. E. filios, in Apostolici muneris functione, atque in universae Reipublicae Christianae administratione prae-

[1] Cf. N. 159.

cipuos, sibique maxime coniunctos habet consiliarios, et cooperatores in eadem Urbe Roma, quae olim Beati Petri Sede in ea constituta, ipsius, et Coapostoli eius Pauli doctrina, et martyrio consecrata, et caput Christiani Orbis, et Religionis effecta est certa Sedes, mansionem, et locum unicuique proprium assignet, cuius quidem loci concessione, iidem Cardinales, et sui officii admoneantur, et residentiae, quam assistendo ipsi Romano Pontifici servare debent, et vel ex hoc magis tamquam in unum corpus compacta membra, sacro capiti connexa esse, ab illo dependere clarius dignoscantur.

§ 2. Habita igitur cum Venerabilibus fratribus nostris eiusdem S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, de eorum consilio, et assensu, statuimus, et ordinamus in posterum perpetuis futuris temporibus, Presbyteris Cardinalibus has tantum, quae infra descriptae sunt, Ecclesias, neque alias in Titulos assignari debere, videlicet, ex antiquis S. Crucis in Hierusalem, SS. Marcellini, et Petri, SS. Quatuor Coronatorum, SS. Ioannis, et Pauli, S. Anastasiae, S. Sabinae, S. Stephani in Coelio Monte, S. Clementis, SS. Nerei, et Achillei, S. Susannae, S. Pudentianae, S. Sixti, S. Petri ad Vincula, S. Martini in Montibus, S. Eusebii, S. Priscae, Sancti Vitalis, S. Marci, S. Marcelli, S. Laurentii in Lucina, Basilicae duodecim Apostolorum, S. Laurentii in Damaso, quae S. R. E. Vicecancellario pro tempore existenti perpetuo concessa, et assignata est, S. Balbinae, Sanctae Ceciliae, S. Chrysogoni, S. Praxedis, S. Mariae Transtiberim. Ex posterioribus vero SS. Quirici, et Iulitae, S. Ioannis ante Portam Latinam, S. Agnetis in Agone, S. Laurentii in Palisperna, S. Thomae in Parione, S. Silvestri in Campo Martio, S. Pancratii, S. Bartholomaei in Insula, S. Matthaei in Merulana, S. Mariae de Aracaeli, S. Mariae in Via, S. Mariae supra Minervam, S. Mariae Angelorum in Thermis, S. Hieronymi Illyricorum, necnon quas supradictis antiquis, et posterius institutis addimus, et ex nunc in Titulos Presbyterorum Cardinalium, cum honoribus, insignibus, privilegiis, auctoritatibus, et praeeminentiis debitis, et consuetis, instar aliarum Ecclesiarum, quae in similes Titulos per nostros Praedecessores antiquitus erectae, et institutae fuerunt, sine alicuius praeiudicio, perpetuo erigimus, et instituimus, ac Titulorum nomine, et dignitate insignimus, et decoramus, S. Honuphrii in Ianiculo, mutato illius statu ex Diaconia, quae hactenus fuit, in Titulum Presbyteralem, S. Augustini, S. Mariae de Populo, S. Alexii in Aventino, S. Blasii de Annulo, S. Mariae de Pace, S. Salvatoris de Lauro, S. Petri in Monte Aureo, Sanctissimae Trinitatis in Monte Pincio, S. Mariae Transpontinae.

§ 3. Ex Diaconiis vero antiquis statuimus retinendas esse tantummodo quatuordecim infrascriptas, videlicet Sanctae Mariae in Aquiro, S. Mariae in Cosmedin, Sanctorum Cosmae, et Damiani, Sanctae Mariae Novae, S. Hadriani, S. Mariae in Via lata, S. Mariae in Porticu, S. Angeli in foro Piscario, S. Nicolai in Carcere Tulliano, S. Mariae in Dominica, S. Eustachii, S. Viti in Marcello, S. Agatae, ac S. Georgii ad Velabrum Ecclesias, quae insigniores existunt, et praescriptum a Nobis Diaconorum Cardinalium numerum exaequant.

§ 4. Ita ut computatis Ecclesiis Cathedralibus, videlicet Ostiensi, et Veliterna invicem unitis, Portuensi, et S. Rufinae itidem unitis, Albanensi, Sabi-

nensi, Tusculana, et Praenestina, quibus sex Episcopi Cardinales praesunt, et Titulis Presbyterorum superius designatis, numerum septuaginta Ecclesiarum constituant.

§ 5. Et alter praeterea Titulus supra numerum additus sit, ut si quando contingat Diaconum, vel Episcopum Cardinalem Vicecancellarium esse, et ideo eumdem dictae Ecclesiae Sancti Laurentii in Damaso, quae Vicecancellario pro tempore existenti per literas fel. recor. Clementis Papae VII Praedecessoris nostri perpetuo, ut praefertur, concessa, et assignata fuit,[1] praeesse, alicui Presbytero Cardinali proprius Titulus non desit.

§ 6. Omnes vero illas Ecclesias, quae per praesentem nostram Constitutionem Presbyteris Cardinalibus in Titulos assignatae sunt, nunc vero : Diaconis Cardinalibus, etiam forsan ex dispensatione Apostolica, pro Diaconia obtinentur; itidem omnes, et quascumque ex quatuordecim superius enumeratis Diaconiis, quae Presbyteris Cardinalibus in Titulos forsan, etiam ex simili dispensatione concessae alias fuerunt, et ab iis obtinentur; demum omnes, et quascumque Ecclesias superius non expressas, ipsis Presbyteris, aut Diaconis Cardinalibus, in Titulos, aut Diaconias commissas, et assignatas, ac per ipsos obtentas volumus, et decernimus per praesentes, ex nunc eo ipso vacare, et quascumque illarum assignationes, concessiones, necnon dispensationes desuper, etiam Motu proprio, et consistorialiter, ac de simili fratrum consilio expeditas, quae a Praedecessoribus nostris, quaeque a nobismetipsis emanarunt, literasque Apostolicas desuper confectas, processusque habitos per easdem, et inde secuta quaecumque cassamus, irritamus, et annullamus, irritaque, et nulla, ac nullius roboris, vel momenti esse nunciamus, mox assignaturi eisdem Cardinalibus, ex quorum personis Ecclesiae in Titulos, aut Diaconias per eos hactenus obtentae, vigore huius nostri decreti vacant, et eorum cuilibet alios Titulos, aut Diaconias ex supradicto numero, proprio cuiusque ordini congruentes.

§ 7. In aliis vero, praeterquam supranominatis Ecclesiis, etiamsi earum aliquae in Titulos Presbyterorum, aut denominationes Diaconorum Cardinalium concedi solitae sunt, et Cardinales iis praefici consueverunt (quarum singularum situationes, et invocationes praesentibus haberi volumus pro expressis), nomina, insignia, denominationes, et statum huiusmodi Titulorum, aut Diaconiarum perpetuo supprimimus, et extinguimus; ac districte etiam interdicimus, ne de cetero umquam perpetuis futuris temporibus, alia quam ex suprascripta numero Ecclesia, in Titulum, aut denominationem Cardinalatus, cuipiam Presbytero, aut Diacono Cardinali, concedatur, aut assignetur, neque aliis quam supranominatis Titulis, aut Diaconiis, Presbyteri, vel Diaconi Cardinales praeficiantur, neve umquam aliqua ex supradictis Diaconiis, Presbytero, neque contra, ullus ex dictis Titulis Diacono Cardinali quomodolibet concedatur, vel assignetur, neque cum iis, aut eorum aliquo, ex quavis causa, desuper dispensetur.

§ 8. Sed et decreta alias in Consistorio super hoc edita, innovantes, et ampliantes, pari ratione, etiam perpetuo prohibemus, ne in posterum alicui

[1] Cf. const. *Etsi ad singula*, 5 iul. 1532. – Bull. Rom., tom. 4, I, p. 99, 100

Presbytero, aut Diacono Cardinali, qui alterum Titulum, aut Diaconiam quomodolibet assecutus fuerit, quive ex ordine Diaconorum ad ordinem Presbyterorum, vel ad Episcopalem dignitatem transierit, aut ex ordine presbyteratus in Episcopum pariter promotus fuerit, licentia, et facultas retinendi priorem Ecclesiam sui Tituli, vel Diaconiae in administrationem, aut in Titulum, neve Canonicatuum, praebendarum, dignitatum, officiorum, aut beneficiorum dimissi Tituli, vel Diaconiae collatio, neque Palatii, domus, vineae, hortorum, aut fructuum, reddituum, et proventuum, aut iurium quorumcumque ad huiusmodi Titulos, seu Diaconias pertinentium, ad tempus, seu ad vitam retentio, aut ulla alia reservatio, quovis praetextu, occasione, vel causa, etiam melioramentorum, et sumptuum in illarum reparationem, necessitatem, sive utilitatem factorum, concedantur; sed volumus ut ipsi Tituli, et Diaconiae, cum illis annexis, iuribusque, et pertinentiis suis universis libere dimittantur.

§ 9. Insuper praecipimus, et perpetuo ordinamus, ut de cetero in quibuscumque literis Apostolicis, in quibus Cardinalium subscriptio manu propria facienda erit, iidem Cardinales, etiam Tituli, seu Diaconiae, vel Episcopatus sui Cardinalatus nomine expresso se subscribant.

§ 10. Decernentes per huiusmodi erectionem, et institutionem, decem praedictas per Nos in Titulos erectas Ecclesias tantummodo, novis privilegiis, et dignitate auctas, decoratas, et insignitas, nihil autem omnino praeiudicii cuiquam illarum, nihil alieni iuris detractum, aut immutatum censeri posse, aut debere; sicque per quoscumque Iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, et Cardinales praedictos, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et in quavis causa, et instantia, iudicari, et definiri debere, necnon irritum, et inane, si secus super praemissis, eorumque aliquo a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ 11. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum supradictarum, et aliarum quarumcumque, necnon Ordinum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis, illis, ac quibusvis personis quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 12. Sic igitur ipsi Cardinales, quibus huiusmodi Ecclesiarum regimen, cura, et administratio pro tempore commissa erunt, eas in spiritualibus, et temporalibus solicite, fideliter, et prudenter, regant, et gubernent, ac iuxta Constitutionem piae memoriae Leonis Papae Decimi Praedecessoris nostri, in Concilio Lateranensi novissime celebrato, editam,[1] frequenter visitent, circa cultum divinum invigilent, mores, ac vitam Cleri, et populi eis subiecti diligenter explorent, eosque ad recte, et honeste vivendum paterno moneant affectu; bonorum, ac temporalium reddituum curam gerant, sic ad Dei gloriam, et fidelis populi aedificationem, pia, et magnifica structura, et fabrica, suas quique

[1] *Supernae dispositionis*, 5 maii 1514, § 19. - Cf. N. 65.

Ecclesias instaurare studeant, et exornare, et tam in vita quam in mortis articulo, pro divini cultus augmento, et salute animarum suarum, ac congrue sustentandum aliquem Presbyterum, qui inibi in divinis deserviat, sive alias erga ipsas Ecclesias, si reparatione indigeant, vel alia subventione, de bonis sibi a Deo collatis, prout cuique pro modo facultatum conscientia dictaverit, munificos se exibeant, et liberales, ut earumdem Ecclesiarum decora, et ornamenta, tantorum Praesulum respondeant dignitati, ac ipsae Ecclesiae tam sublimibus personis gaudeant se commissas, et eorum amplitudine illustratas, iidemque Cardinales exinde ipsius S. R. E., cuius nobilissima membra sunt, maiestatem, sua pietate, solicitudine, et prudentia in dies magis extollant, et reverentiam omnium gentium erga illam exemplis bonorum operum insigniter augeant, ac denique praeter aeternae retributionis praemia, digna quoque laudum praeconia, a Nobis, et Apostolica Sede valeant promereri.

§ 13. Mandamus vero, ut praesentes literae in quinterno Cancellariae Apostolicae de more describantur.

§ 14. Nulli ergo omnino hominum, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, IV, p. 295-298].

161.

Sixtus V, ep. *Cum frequenter*, 27 iun. 1587.[1]

Cum frequenter in istis regionibus Eunuchi quidam, et Spadones, qui utroque teste carent, et ideo certum ac manifestum est, eos verum semen emittere non posse, quia impura carnis tentigine, atque immundis complexibus cum mulieribus se commiscent, et humorem forsan quemdam similem semini, licet ad generationem, et ad matrimonii causam minime aptum effundunt, Matrimonia cum mulieribus, praesertim hunc ipsum eorum defectum scientibus contrahere praesumant, idque sibi licere pertinaciter contendant, et super hoc diversae lites, et controversiae, ad tuum, et Ecclesiaticum forum deducantur, requisivit a Nobis Fraternitas tua, quid de huiusmodi connubiis sit statuendum.

§ 1. Nos igitur attendentes, quod secundum Canonicas sanctiones, et naturae rationem, qui frigidae naturae sunt, et impotentes, iidem minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur, quodque praedicti Eunuchi, aut Spadones, quas tamquam uxores habere non possunt, easdem habere ut sorores nolunt, quia experientia docet, tam ipsos dum se potentes ad coeundum iactitant, quam mulieres, quae eis nubunt, non ut caste vivant, sed ut carnaliter invicem coniugantur prava, et libidinosa intentione, sub praetextu, et in figura Matrimonii turpes huiusmodi commixtiones affectare, quae cum peccati, et scandali occasionem praebeant, et in animarum damnationem tendant, sunt ab Ecclesia Dei prorsus exterminandae. Et insuper con-

[1] Venerabili Fratri Episcopo Navarien., nostro, et Sedis Apostolicae in Regnis Hispaniarum Nuncio.

siderantes, quod ex Spadonum huiusmodi, et Eunuchorum coniugiis nulla utilitas provenit, sed potius tentationum illecebrae, et incentiva libidinis oriuntur, eidem Fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut coniugia per dictos, et alios quoscumque Eunuchos, et Spadones, utroque teste carentes cum quibusvis mulieribus, defectum praedictum sive ignorantibus, sive etiam scientibus, contrahi prohibeas, eosque ad Matrimonia quomodocumque contrahenda inhabiles auctoritate nostra declares, et tam locorum Ordinariis, ne huiusmodi coniunctiones de cetero fieri quoquomodo permittant, interdicas, quam eos etiam, qui sic de facto Matrimonium contraxerint, separari cures, et Matrimonia ipsa sic de facto contracta, nulla, irrita, et invalida esse decernas.

§ 2. Eos etiam qui sic iam contraxerunt, si appareat illos non ut caste simul vivant, contraxisse, sed actibus carnalibus, et libidinosis operam dare, simulve in uno, et eodem lecto cum praedictis mulieribus dormire convincantur, omnino similiter separari cures.

§ 3. Nos enim ita in praemissis, et non aliter, per quoscumque Iudices, et Commissarios, quacumque auctoritate, et dignitate fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, in quacumque causa, et instantia iudicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel attentari in posterum contigerit, irritum, et inane decernimus.

§ 4. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, IV, p. 319].

162.

Sixtus V, const. *Cum de omnibus*, 20 nov. 1587.

Cum de omnibus Ecclesiasticis Ordinibus, in ea, qua convenit, puritate, et dignitate conservandis, praecipuam geramus sollicitudinem, tum vero illud praeter cetera Nobis cordi est, ut a Regularium personarum Congregationibus, quas tamquam Deo dicatas, maxime candor, sanctitasque decet, cuiuscumque criminis, aut turpitudinis labes, et scandali occasio quam longissime arceantur. Siquidem res ipsa Nos admonet, quam indecorum sit, et ab ea, quae divinae Maiestati, eique consecratis personis debetur, reverentia alienum, si eiusmodi homines, qui propter sua scelera, poenas graves sibi in saeculo propositas timent, quive propter immunditiam, et peccata, ex quibus orti sunt, notati perpetua ignominia, ab omni mundano honore, et a paterna haereditate repelluntur, iidem omnipotenti Deo, tamquam hostiae offerantur, atque ad habitandum in domo, quam decet honor, et sanctitudo, inter ministros Domini, cui servire regnare est, ad sacras functiones, quacumque prophana praeeminentia multo nobiliores sine ullo delectu admittantur. Cum etiam secundum legem Moysi, immundi ab ingressu Sanctuarii excluderentur, ac sacerdos habens maculam, panes Deo suo offerre non posset, nec acce-

dere ad ministerium eius, et quod in holocaustum Domini, aut victimam pacificorum offerebatur, id immaculatum esse deberet, ut acceptabile foret, nec ulla macula esset in eo, quod si maculam habuisset, neque offerendum, neque acceptabile futurum esset.

§ 1. Ne igitur contingat illegitime genitos, qui ut plurimum parentum vitia, et incontinentiam imitari solent, nec pietatis studio, sed temporalium commodorum intuitu, (quia haereditates maiorum, aut dignitates aliquas consequi non possunt) ad Religionem confugiunt, vitam quam animo a Religione alieno susceperunt, ab institutis Religiosis alienam, plerumque cum dedecore, et propriae salutis dispendio ducere, suisque corruptis moribus, et malis exemplis, quietem, et statum ceterorum Deo famulantium perturbare, aut hac quasi faece, et colluvie, ipsarum Religionum honorem, et existimationem laedi, ut denique homines, qui hac spe ad filios spurios in peccato gignendos essent propensiores, eo magis abstineant ab huiusmodi carnis flagitiis, quo suae proli hoc quoque refugium praeclusum viderint.

§ 2. Hac nostra in perpetuum valitura Constitutione districte interdicimus, et prohibemus, ne illegitimi procreati ex incestu, aut ex sacrilegio, quorum scilicet parentes consanguinitate, vel affinitate, intra tertium gradum invicem coniuncti fuerint, vel quorum alteruter parens castitatem Deo voverit, etiam Apostolica, Imperiali, vel Regia, aut quavis alia auctoritate legitimati, aut natalibus restituti, ad aliquam quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium, et non Mendicantium, Fratrum, Monacorum, Eremitarum, vel Canonicorum, aut Clericorum regularium, Congregationum, aut Hospitalium Religionem, neque ad habitum, nec professionem regulares, recipi, vel admitti quoquo modo possint. Quod si eorum quispiam habitum post publicationem praesentis Constitutionis in futurum receperit, vel professionem posthac emiserit, decernimus habitus susceptionem, et professionem, ex nunc prout ex tunc, irritam, nullam, et invalidam, nulliusque roboris, vel momenti fore, ac nullum exinde aut ex huiusmodi voto penitus annullato, obligationis vinculum oriri posse, quinimmo illos habitu regulari, ad quem reassumendum perpetuo inhabiles sint, quamprimum exui, et ab ipsa Religione eiici, exterminarique debere. Et nihilominus quicumque Superiores, tam Monasteriorum, Prioratuum, Praepositurarum, Domorum, Collegiorum, et locorum regularium, quam etiam praefatorum Ordinum, Congregationum, Hospitalium, et quarumcumque Religionum Provinciales, vel Generales, quovis nomine nuncupati, qui ex praedictis incestu, vel sacrilegio genitos post dictam publicationem, ad habitum receperint, vel ad professionem admiserint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, a qua eorum nemo, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio quam Romano Pontifice absolutionis beneficium valeat obtinere. Sed ne iis, qui in humilitatis Spiritu, Deo, et Religioni servire, et poenitentiam agere intra Monasteria, vel Domos regulares cupiunt, ad sanctum huiusmodi propositum via penitus praecludatur, permittimus, ut praefati illegitimi, ex dictis incestu, aut sacrilegio geniti, ad habitum conversorum, seu famulorum in Monasteriis, vel Domibus regularibus servientium recipiantur, et in ipsis Monasteriis, seu Domibus regularibus, ad servilia ministeria, viliora obsequia, humiles functiones, atque abiecta servitia admitti

possint; ea tamen conditione, ut ad habitum religiosorum, vel ad professionem, quam Religiosi emittere solent, emittendam, necnon ad omnes non modo sacros, sed etiam minores Ordines, vel ad clericalem characterem, denique ad cuncta Ecclesiastica officia, et functiones, et ad ascendendum altiores gradus sint eis portae perpetuo clausae, et obseratae.

§ 3. Quoad reliquos vero non ex incestu praefato, nec sacrilegio, sed ex quovis alio minus legitimo toro natos, spurios, vel naturales, etiam, ut praefertur, vel alias legitimatos, qui ob meliorem vitae frugem, Religionem ingredi cupiunt, statuimus, et ordinamus, eos ad Religionem admitti non posse, aut debere, nisi prius illorum vita, et moribus diligenter cognitis, et circumstantiis universis, quae circa idoneitatem personae attendendae erunt, consideratis, ac de Religionis zelo, pietate, integritate, et doctrina fide dignis testimoniis adeo commendati fuerint, adeo bonam indolem, et specimen virtutis praeseferant, ac tot merita eis suffragentur, ut defectum natalium suppleant, eorumque receptio universae Religionis commodo, et utilitati profutura videatur. Et super hoc ipso in Generali, vel Provinciali Capitulo matura deliberatione habita, Generalis, vel Provincialis Superioris, ac Definitorum unanimi consensu approbati, et ad habitum regularem admissi extiterint. Et tamen hi sic recepti ad gradus, honores, et dignitates sui Ordinis obtinenda perpetuo inhabiles, et illorum incapaces remaneant, nisi super hoc cum eis fuerit auctoritate Apostolica specialiter dispensatum. Si quis autem eorum alias quam ut praefertur, recipietur, professio similiter nulla sit, atque ipsi habitu privari, et a Religione eiici debeant, eorumque receptores, excommunicatione, ut supra, innodati ipso facto existant.

§ 4. Ceterum quoniam saepe se vitia ingerunt, et se esse virtutes mentiuntur, ac multi decoctores post dilapidatam rem familiarem, et contractam ingentem vim aeris alieni, aut interversam alienam pecuniam eorum fidei creditam, ut ratiocinia effugiant, alii post furta, latrocinia, rapinas, homicidia, aliave facinora patrata, etiam banniti, aut damnati, seu qui meritas pro suis delictis poenas metuunt, non pia intentione, sed ad evitandam legum, et iudiciorum severitatem, quia tuto in saeculo vivere non possunt, tunc demum quaerunt a Religione auxilium, quando aliunde illud non sperant, unde sub habitu, et nomine Religiosorum, animum Religioni inimicum, et inveterata vitia retinent, neque alios qui sancta vocatione vocati sunt, patiuntur tranquille divinis obsequiis insistere, in gravem Dei offensam, Religionis opprobrium, et scandalum plurimorum, ut his quoque subterfugii, et impunitatis spes omnis tollatur, auctoritate Apostolica, et tenore praesentium, etiam perpetuo statuimus, et ordinamus, iuvenes, aut viros adultos, maiores sexdecim annis, non aliter in aliquam Religionem recipi posse, nec debere, nisi prius de eorum parentibus, patria, deque anteacta vita, et moribus diligenter inquiratur, et ex accurata informatione, et fide digna relatione, compertum, et exploratum sit, eos neque aliquorum criminum, qualia sunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia, aut graviora, reos vel suspectos existere, ut propterea damnati sint, aut ne damnentur formident, neque ingenti aere alieno supra vires facultatum suarum gravatos, vel reddendis ratiociniis ita obnoxios, ut ex huiusmodi causa, lis, vel molestia eis iam illata, vel timendum sit ne

inferatur. Nisi denique constet, ipsos non humana aliqua ratione, sed tantum devotionis, et pietatis fervore vitam Religiosam sponte, et ex animo elegisse. Deque his omnibus, in Generali, vel Provinciali Capitulo, plena, et indubitata fide facta, tam Superioris generalis, seu provincialis, quam Definitorum consensu approbati, et ad habitum regularem admissi fuerint. Omnes autem, et quoscumque, ut dictum est, criminosos, vel suspectos, aut aeri alieno, ut etiam diximus, vel rationibus reddendis obligatos, ad Religionem perpetuo inhabiles declaramus.

§ 5. Et si qui eorum contra praesentem nostram Constitutionem temere admittentur, tam susceptionem habitus, quam professionem, ex inde secuta, ex nunc prout ex tunc pari modo irritamus, et annullamus, viribusque, et effectu carere decernimus, ac iubemus eos, qui sic de facto recepti erunt, habitu spoliari, et a Religione expelli; et nihilominus si expulsi non fuerint, volumus, et pariter declaramus, habitus susceptionem, et professionem penitus nullam esse, et censeri, ac propterea attenta nullitate habitus, et professionis, licere quibuscumque Iudicibus, et Curiis etiam saecularibus, ad quos, seu quas spectat, contra eos, ut prius iuris, et facti remediis opportunis, ex officio, vel ad cuiuscumque instantiam, vel querelam civiliter, criminaliter, aut mixtim procedere. Quare volumus, ut cuiusque iuvenis, aut viri maioris XVI annis, a saeculo ad Religionem transeuntis approbatio, admissio, et receptio, in generali, vel provinciali Capitulo, ut supra ordinatum est, pro tempore fiant; necnon Religiosi sic recepti nomen, et cognomen, quibus in saeculo utebatur, et patria in actis ipsius Capituli describantur, et notentur.

§ 6. Et insuper quoscumque Religiosos, eorumque Superiores, qui aliquas personas, ut dictum est, inhabiles post hanc Constitutionem publicatam receperint, voce activa, et passiva, necnon officiis, gradibus, honoribus, et dignitatibus quibuscumque per eos obtentis, eo ipso in perpetuum privamus, et tam illis privatos, quam ad illa, et alia quaecumque in posterum obtinenda perpetuo inhabiles, eorumque incapaces decernimus, et declaramus.

§ 7. Sed et quia interdum Satanas in Angelum lucis se callide transfigurat, ac perditi quidam, et facinorosi homines, quod saepe vidimus, et experti sumus, instigante antiquo pacis, et Religionis hoste, non veriti sunt temerario ausu habitum Religiosorum assumere ea mente, ut veluti sub ovina pelle lupi rapaces, per dolum, et insidias Christifideles incautos, et nihil mali a Religiosis suspicantes, opprimerent, sive ut post scelera perpetrata, viam facillorem ad fugam haberent, sive ut banniti Curiae saecularis, quae eos propemodum interceptos persequebatur, manus effugerent, et contigit aliquando ipsos sicarios, Religiosis vestibus indutos, a veris Religiosis hac fraude deceptis, intra domos regulares hospitio receptos fuisse. Prohibemus eodem modo atque interdicimus, ne quis regularis ex una Provincia ad aliam Provinciam sui Ordinis transeundo, etiam in itinere, intra aliquod Monasterium, Domum, vel locum alterius Provinciae ad habitandum, vel tamquam hospes recipi, aut ad modicum tempus divertere possit, nisi a Superiore eius loci ubi residet, expressam licentiam discedendi in scriptis obtentam, seu literas obedientiae, vel commendatitias secum deferat, atque exhibeat, vel nisi ita cognitus sit iis, ad quos diverterit, ut de eius persona nullus omnino

dubitationi, aut suspicioni locus relinquatur. Ideoque praecipimus universis, et singulis locorum Ordinariis, eorumque Vicariis in spiritualibus generalibus, ut per suos Officiales, Ministros, vel executores curent, ab omnibus personis regulari habitu indutis, quas per suas Civitates, vel Dioeceses iter facere, vel transire, et ad quaecumque Hospitia, vel diversoria se recipere contigerit, diligenter perquiri, num huiusmodi literas obedientiae, seu commendatitias secum deferant. Quod si eos dictas literas non habere, vel ignotos esse deprehenderint, possint contra ipsos, etiam tamquam dictorum criminum suspectos procedere, et tamdiu illos sub custodia detinere, donec certa de eisdem notitia habeatur. Et tamen volumus, ut ii, qui etiam pietatis, vel hospitalitatis praetextu, regulares alterius Provinciae ignotos, aut sine licentia, vel literis ut supra receperint, dictas poenas privationis vocis activae, et passivae, necnon officiorum, graduum, honorum, et dignitatum obtentorum, atque inhabilitatis perpetuae pariter incurrant.

§ 8. Decernentes sic in praemissis omnibus per quoscumque iudicari debere, necnon irritum, et inane, si secus a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ 9. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus dictorum Ordinum, Congregationum, Hospitalium, et locorum Regularium, apud Nos, et Sedem Apostolicam protectoribus, nunc et pro tempore existentibus, ac locorum Ordinariis praefatis, per Apostolica scripta mandamus, ut eorum unusquisque, per se vel alium, seu alios, Cardinales quidem in suae protectionis, Ordinarii vero in suarum Civitatum, Dioecesum, et districtuum regularibus locis, curent praesentes literas publicari, easque perpetuo firmiter, et inviolate observari, inobedientes, censuras, et poenas praedictas incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 10. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, IV, p. 370-373].

163.

Sixtus V, const. *Sanctissimus*, 16 mart. 1588.

Sanctissimus Dominus Noster Sixtus Papa V decrevit quod per promotionem ad Cardinalatum vacent omnes Ecclesiae, et omnia beneficia cuiuscumque nominis, et tituli sint, nisi fuerit data retentio; quae concessa intelligatur, et data ad Patriarchales, Metropolitanas, et Cathedrales Ecclesias, ad Monasteria etiam commendata, ad Prioratus, et ad cetera omnia alia beneficia, quae viderentur convenire dignitati Cardinalatus.

§ 1. Ad alia vero, quae videntur repugnare dignitati, et gradui Cardinalatus, puta Archipresbyteratus, Archidiaconatus, Decanatus, Canonicatus, et similia beneficia non extendatur, cum obtinentes huiusmodi beneficia teneantur residere in Choro, et habere debeant locum post Episcopum, Cardinalis dignitati non convenientem.

[Bull. Rom., tom. 4, IV, p. 417].

164.

Sixtus V, const. *Ad Romanum*, 21 oct. 1588.

Ad Romanum spectat Pontificem sacrorum Canonum conditorem, quae per eum sancita sunt, ita suae declarationis arbitrio dilucida reddere, ut inde nemini possit dubitationis scrupulus exoriri, praesertim vero salubriter consulere, ut cum de Regularibus agitur, qui se omnino Dei Omnipotentis obsequio manciparunt, tollantur ea omnia, quae eorum sanctum Christo pie inserviendi institutum quoquomodo valeant perturbare.

§ 1. Sane post editam nostram Constitutionem, quae incipit: *Cum de omnibus Ecclesiasticis Ordinibus, etc.*[1] Super modo, et forma recipiendi, et admittendi eos, qui sub Religionis iugo, Altissimo famulari desiderant, cum variae sint exortae dubitationes, et quaestiones, eaeque postea ad audientiam nostram perlatae.

§ 2. Nos ad tollendam omnem ambiguitatis occasionem, habita cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis super Regularium negociis, et consultationibus per Nos institutae, matura deliberatione, de illorum consilio, et assensu praesentem nostram perpetuo valituram declarationis Constitutionem duximus promulgandam.

§ 3. Cum itaque inter alia dubitetur, num primo dicta nostra Constitutio, ubi de illegitime genitis loquitur, comprehendat etiam eos, qui postea per subsequens matrimonium fuerunt legitimati. Nos inhaerentes sacrorum Canonum dispositioni, auctoritate Apostolica tenore praesentium declaramus illegitime natos ex iis parentibus, inter quos tempore quo ipsi geniti sunt, matrimonium rite consistere poterat, secuto postea matrimonio legitimos effectos, sub dicta Constitutione minime comprehendi, sed eos tam quoad emittendam professionem, quam quoad consequendos gradus, honores, et dignitates sui Ordinis, aequo iure cum illis, qui ex matrimonio legitimo, et constanti nati sunt, censendos esse.

§ 4. Illegitimos vero etiam ex soluto, et soluta, qui antequam nostra Constitutio emanaret, professi, vigore, seu praetextu privilegiorum, aut indultorum Apostolicorum cuivis Ordini, Religioni, Monasterio, aut Congregationi, eorumve Superioribus, in genere, vel in specie concessorum, eo ipso per ingressum Religionis, vel per eosdem Superiores, sive alios quoslibet etiam Sedis Apostolicae de Latere Legatos, aut alios officiales, vel ministros quavis praeeminentia, vel auctoritate etiam Apostolica fungentes, aut facultate suffultos legitimati, aut ad gradus, honores, et dignitates habilitati, seu reintegrati, et illis alias perfuncti sunt, volumus posthac non obstan. quibuscumque, tam antiquis privilegiis, aut literis Apostolicis, quam aliis indultis, seu declarationibus, etiamsi illa per Nos post dictam Constitutionem novissime edita fuisse asserantur, honores, gradus, aut dignitates huiusmodi obt

[1] Cf. N. 162.

nere non posse, ac dispensationes, et legitimationes quascumque eis nullatenus suffragari, nisi specialiter, et nominatim cum eorum singulis fuerit super natalium defectu, ad honores, gradus, et dignitates obtinendas, ante, vel post ingressum Religionis per Romanum Pontificem immediate, vel de eius speciali mandato dispensatum, deque dispensatione, seu mandato per literas Apostolicas, seu in forma Brevis, vel saltem per patentes literas Cardinalis Protectoris de ipsius Rom. Pontificis voluntate fidem facientes, legitime constiterit.

§ 5. Eos pariter, qui tempore publicationis nostrae Constitutionis in suis Religionibus sine huiusmodi speciali Rom. Pont. dispensatione, officia, honores, et dignitates habebant ad vitam, eo ipso ab illis amotos, et absolutos harum serie declaramus. Ad tempus autem illa obtinentes permittimus in sua administratione usque ad finem sui temporis conservari; ita tamen, ut in posterum nec tempus ordinarium eis prorogari, aut extendi, neque ipsi ad alias non modo similes, verum etiam neque ad inferiores, aut altiores, et maiores dignitates, honores, gradus, ascendere possint, perinde ac si id ipsum in praefata nostra Constitutione ab initio expressum fuisset. Ne tamen huiusmodi Religiosi in liberalium artium, ac praesertim sacrae Theologiae studiis, et Religiosis profectibus segniores fiant, atque eorumdem pia studia refrigescant, eos nosse volumus, quod si ipsorum quispiam eximia doctrina, vitaeque, et morum sanctitate excellere reperietur, deque eorum probitate, et praeclaris meritis Ordinum Protectores eam apud Nos fidem fecerint, ut non immerito sperari queat, eorum doctrinam, et operam ipsi Ordini, et sanctae Dei Ecclesiae usui, et commodo futuram, tunc demum indulgentiam, et benignitatem nostram facile experientur.

§ 6. Quoniam vero a multis quaesitum est sub nomine honorum, graduum, et dignitatum, a quibus illegitimi penitus excluduntur, quid potissimum sit intelligendum: Declaramus hac in re, de qua nunc agitur, appellatione dignitatum, honorum, graduum, debere intelligi Praepositatus, Abbatiatus, Prioratus, Guardianatus, Custodiatus, Provincialium, ac Generalium Superiorum officia, et alia his similia, cum honore, et superioritate coniuncta. Ab officiis autem oneris, veluti Lectoris, Confessarii, studiorum, et sacrae Theologiae Magistri, Regentis, Praedicatoris verbi Dei, et ceteris huiusmodi, immo etiam a voce activa, a sacris Ordinibus suspiciendis, ipsorumque ministerio, ipsos illegitimos, dummodo ex sacrilegio, vel incestu geniti non sint, nequaquam arcemus.

§ 7. Cum vero in quibusdam Religionibus Capitula Provincialia, aut numquam, aut non quotannis, sed rarius celebrentur, quaedam etiam Monasteria, aut Domus huiusmodi in remotissimis regionibus, Haereticorum, aut Infidelium tyrannidi finitimis sita sint, ne ii, quos extra Capitula, ad habitum, vel professionem regulares admitti prohibuimus, tempus celebrandis Capitulis praefixum nimis diu expectare, aut ad ea cum maximo incommodo accedere cogantur, concedimus, et indulgemus, ut in qualibet Provincia saltem duo, vel si commode fieri poterit, tria, aut plura, Monasteria, seu Domus regulares deputentur, quarum, seu quorum Superiores infra annum saltem ad inquisitionem super novitiis faciendam, et ad ipsos Religiosos iuxta formam

praefatae Constitutionis recipiendos, et ad alia quae in ipsa Constitutione continentur peragenda, insimul congregentur.

§ 8. Quod si paucitas, aut nimia distantia Monasteriorum ne id quidem patiatur, saltem tribus ex antiquioribus Patribus unius Monasterii, aut Domus eius Provinciae huiusmodi facultas, et auctoritas per Capitulum generale scilicet Monacorum, vel Provinciale Mendicantium, et reliquorum Regularium eius Ordinis demandetur.

§ 9. Verum in iis Monasteriis, Domibus, et locis regularibus, quae aut nondum in Congregationes redacta, aut alias nulli Provinciae subiecta sunt, statuimus, ut trina Capitula Conventualia tribus distinctis cum intervallo saltem decem dierum vicibus celebrata, eamdem in recipiendis Novitiis per trinas huiusmodi distinctas vices approbatis, habeant auctoritatem, quae per nostram Constitutionem Capitulis Provincialibus est attributa.

§ 10. Neque vero si in Generalibus, vel Provincialibus Capitulis aliqui Vocales desint, nec si a definitorum consensu aliquis discrepaverit, idcirco receptio Religiosorum retardari, impediri, aut impugnari debebit, sed satis esse volumus si vocalium, et suffragiorum numerus legitimus, a iure, vel per cuiuscumque Ordinis statuta praefinitus intervenerit.

§ 11. Et quod de Capitulo Provinciali, aut Generali dictum est, idem iuris statuimus, si quae Religiones, non Capitulorum, sed Congregationum, aut dietarum, vel alio quovis nomine uti reperiantur.

§ 12. Quod autem pertinet ad professionem, tam illegitimorum, quam eorum qui post sexdecim aetatis annum expletum regularem habitum susceperunt, quia tunc demum vere, et proprie Religiosi effici dicuntur, cum professionem emittunt: Declaramus, eos qui ante praedictam nostram editam Constitutionem habitum susceperint, et post ipsius promulgationem cupiunt profiteri, non alias ad professionem admittendos esse, quam facta inquisitione, et servata forma in ipsa Constitutione praescripta; et eorum, qui post dictam promulgationem etiam ignoranter non habita dicta inquisitione, et non servata forma ad professionem admissi fuerint, professionem nullius esse roboris, et momenti. In oblatis autem et conversis professionem emittentibus, satis erit, si quoad mores, et statum personarum ipsa inquisitio fiat.

§ 15. In iis autem qui in locis a sua patria longissime remotis degentes, vel quorum patria ab Haereticis, vel Infidelibus misere oppressa detinetur, voluerint se divinis obsequiis sub regulari habitu dicare, ut in hoc quoque Sedis Apostolicae benignitas elucescat, quae cunctos mortales, praesertim vero exteros ex longinquis regionibus ad eam assidue confluentes materno sinu libenter amplectitur, sancimus exteros huiusmodi, et advenas, quamvis non liquido constet de iis omnibus, quae in Constitutione nostra requiruntur, tamen si diligentia adhibita nihil appareat quod eos impediat, habiles reputandos esse.

§ 16. Quod si quis ante, vel post Constitutionem ipsam professus ad sacros ordines, vel ad honores, gradus, et dignitates promotus existat, et postmodum in eo natalium defectum, aut criminum in dicta Constitutione nostra expressorum, notam, quae prius ignorabantur, detegi contigerit, decernimus, eum statim post huiusmodi defectus notitiam habitam, non alias quam

iuxta formam ipsius Constitutionis, ad honores, gradus, et dignitates, aut ad executionem Sacrorum Ordinum admitti debere.

§ 17. Contra criminosos vero, quorum professio eadem Constitutione nostra irrita declaratur, ac propterea Iudicibus, et curiis saecularibus procedendi facultas conceditur, tunc demum id locum habere volumus, et non aliter, cum actis publicis constiterit ipsos Iudices, et Curiam saecularem ante susceptionem habitus de ipso crimine adversus eos accusationem suscepisse, vel inquisitionem instituisse.

§ 18. Ceterum quae a Nobis circa Religiosos viros in praefata Constitutione sancita sunt, ea nequaquam volumus ad Moniales nunc extendi.

§ 19. Postremo dum interdicimus, ne quis regularis alterius Provinciae intra aliquod Monasterium, domum, vel locum alienae Provinciae, etiam tamquam hospes, et ad modicum tempus recipi possit, nisi a Superiore loci, ubi residebat, et a quo discessit, licentiam expressam in scriptis exibuerit, vel nisi satis cognitus sit, id observari volumus non solum in religiosis itinerantibus de una in aliam Provinciam, sed in iis quoque qui proficiscuntur de uno in aliud eiusdem Provinciae Monasterium, tam sui, quam alterius Ordinis.

§ 20. Quod si dicerent, se ad Apostolicam Sedem confugere ob gravamina a suis Superioribus sibi illata, et ideo ab ipsis Superioribus licentiam, et literas obtinere non potuisse, non propterea ullo modo recipi valeant, nisi fide dignorum testimonio de petita ab eis licentia, et per suos Superiores denegata constiterit.

§ 21. In Alma vero Urbe nostra Religiosi advenae, et peregrini de gravaminibus sibi illatis conquerentes nullibi sine huiusmodi literis, aut licentia recipiendi erunt, nisi prius ad Congregationem dictorum Cardinalium super negociis Regularium a Nobis deputatorum, vel ad suos Protectores remittantur, ubi ipsis auditis pro rerum, et personarum qualitate, quid agendum sit, statuetur.

§ 22. Reliqua autem in priori nostra Constitutione contenta, quae in praesentibus literis non declarantur, volumus perpetuo firma, et valida, et in suo robore permanere, ac ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari.

§ 23. Et si quid a Nobis alicui Ordini, aut Religioni praeter, aut contra praefatae Constitutionis formam post illius editionem circa recipien. extra capitula Novitios, aut alias indultum, aut concessum fuit, id omne, ac desuper confectas literas prorsus revocamus, et annullamus, ac ad terminos praesentis Constitutionis reducimus, et alias nemini volumus suffragari.

§ 24. Decernentes sic in praemissis universis, et singulis per quoscumque Iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum Sacri Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, in quavis causa, et instantia ubique iudicari, et diffiniri debere, necnon irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ 25. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 4, IV, p. 373-376].

165.

Sixtus V, const. *Effraenatam*, 29 oct. 1588.

Effraenatam perditissimorum hominum contra divinae legis praeceptum de non occidendo, peccandi audaciam atque licentiam, sanctissimis legibus, variisque Constitutionibus saepius repressam animadvertentes, cogimur Nos quoque in supremo iustitiae throno a Domino constituti, iustissima ratione suadente, vetera iura partim innovando, partim ampliando, eorum etiam immanitatem pari poena proposita coercere, qui immaturos foetus intra materna viscera adhuc latentes crudelissime necare non verentur. Quis enim non detestetur, tam execrandum facinus, per quod nedum corporum, sed quod gravius est, etiam animarum certa iactura sequitur? Quis non gravissimis suppliciis damnet illius impietatem, qui animam Dei imagine insignitam, pro qua redimenda Christus Dominus noster preciosum Sanguinem fudit, aeternae capacem Beatitudinis, et ad consortium Angelorum destinatam, a beata Dei visione exclusit, reparationem coelestium sedium quantum in ipso fuit, impedivit, Deo servitium suae creaturae ademit? qui liberos prius vita privavit, quam illi a natura propriam lucem accipere, aut se materni custodia corporis ab efferata saevitia tegere potuerint? Quis non abhorreat libidinosam impiorum hominum crudelitatem, vel crudelem libidinem, quae eo usque processit, ut etiam venena procuret ad conceptos foetus intra viscera extinguendos, et fundendos, etiam suam prolem prius interire quam vivere, aut si iam vivebat, occidi antequam nasci nefario scelere moliendo? Quis denique non damnet gravissimis suppliciis illorum scelera, qui venenis, potionibus, ac maleficiis, mulieribus sterilitatem inducunt, aut ne concipiant, ne pariant, maleficis medicamentis impediunt? Maleficos, inquit Dominus ad Moysen, non patieris vivere: nimis enim impudenter contra Dei voluntatem se opponunt, qui, ut S. Hieronymus ait, dum natura recipit semen, receptum confovet, confotum corporat, corporatum in membra distinguit, dum inter ventris angustias Dei manus semper operatur, idemque corporis Creator, et animae est, impie despicit bonitatem Figuli, id est Dei, qui hominem plasmavit, fecit, et voluit, siquidem, ut Sanctus testatur Ambrosius, non mediocre munus est Dei dare liberos propagatores generis. Divinum donum est foecunditas parientis, eodemque tempore diro hoc flagitio privantur liberis parentes qui generaverant; vita filii, qui generati sunt, matres coniugii praemiis, terra quae ab his coleretur, mundus qui ab eisdem cognosceretur, Ecclesia quae devotae numero plebis aucta gauderet. Unde non immerito sexta Synodo Constantinopolitana sancitum est, ut personae quae dant abortionem cientia medicamenta, et quae foetus necantia venena accipiunt, homicidae poenis subiiciantur, sed, et veteri Concilio Ilerdensi cautum est, ut qui conceptos ex adulterio foetus necare studuerint, vel in ventribus matrum potionibus aliquibus colliserint, si postea poenitentes ad Ecclesiae mansuetudinem recurrant, omni tempore vitae suae fletibus, et humilitati insistant, si vero Clerici fuerint, officium ministrandi

eis recuperare non liceat, omnesque tam Ecclesiasticae, quam prophanae leges gravibus poenis afficiunt eos, qui in utero matris puerperium interimi, aut ne mulieres concipiant, sive ut conceptos foetus eiiciant, nefarie machinantur.

§ 1. Nos igitur post repressam eorum temeritatem, qui matrimonii iura violare, et quantum in ipsis est vinculum indissolubile dissolvere praesumunt, quive turpioribus quibusdam incestis se inquinare non erubescunt, hoc quoque malum, quantum viribus Nobis a Domino traditis contendere possumus, nostris potissimum temporibus exterminare volentes: Omnes, et quoscumque, tam viros, quam mulieres, cuiuscumque status, gradus, ordinis, ac conditionis, etiam Clericos, saeculares, vel cuiusvis Ordinis regulares, quavis dignitate, et praeeminentia Ecclesiastica, vel mundana fulgentes, qui de cetero per se, aut interpositas personas abortus, seu foetus immaturi, tam animati, quam etiam inanimati, formati, vel informis eiectionem procuraverint percussionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus, laboribusque mulieri praegnanti impositis, ac aliis etiam incognitis, vel maxime exquisitis rationibus, ita ut re ipsa abortus inde secutus fuerit, ac etiam praegnantes ipsas mulieres, quae scienter praemissa fecerint, poenas, tam divino, quam humano iure, ac tam per Canonicas Sanctiones, et Apostolicas Constitutiones, quam civilia iura adversus veros homicidas, qui homicidium voluntarium actu, et re ipsa patraverint, propositas, et inflictas (quorum omnium tenores his nostris literis pro expressis, et ad verbum insertis habemus) eo ipso incurrere, hac nostra perpetuo valitura Constitutione statuimus, et ordinamus, ipsasque poenas, leges, et Constitutiones ad casus praefatos extendimus.

§ 2. Eos vero qui Clerici fuerint, omni privilegio Clericali, Officiis, Dignitatibus, et Beneficiis Ecclesiasticis, quae sic vacatura nostrae, et Sedis Apostolicae dispositioni perpetuo reservamus, ipso facto privamus, et in futurum inhabiles ad ea suscipienda decernimus, adeo ut illi, qui hoc delictum commiserint, non secus atque ii qui sua voluntate homicidium perpetraverint iuxta Concilii Tridentini Decreta, etiamsi crimen id, nec ordine iudiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, ad sacros Ordines promoveri, aut in susceptis Ordinibus ministrare nullo modo possint, nec illis aliqua Ecclesiastica Beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni Ordine, ac Beneficio, et Officio perpetuo careant.

§ 3. Necnon et illos, qui Clerici non fuerint, et talia perpetraverint, non solum poenas incurrere supra narratas, sed etiam inhabiles ad Ordines, et alia praedicta decernimus, et declaramus.

§ 4. Volentes quod hi qui foro Ecclesiastico subiecti, ut praefertur deliquisse comperti fuerint, per Iudicem Ecclesiasticum depositi, et degradati, Curiae, et potestati saeculari tradantur, quae de eis illud capiat supplicium, quod contra laicos vere homicidas per divinas leges, ac civilia iura est dispositum.

§ 5. Praeterea eisdem poenis teneri omnino statuimus eos, qui sterilitatis potiones, ac venena mulieribus propinaverint, et quominus foetum concipiant impedimentum praestiterint, ac ea facienda, et exequenda curavernit,

sive quocumque modo in his consuluerint, ac mulieres ipsas quae eadem pocula sponte, ac scienter sumpserint.

§ 6. Quocirca mandamus universis, et singulis Iudicibus ordinariis, et delegatis, tam Ecclesiasticis, quam Saecularibus, quibus contra criminum reos etiam quo ad causas huiusmodi, de iure, vel ratione delicti, aut personarum legitime competet iurisdictio, ita tamen ut inter eos praeventioni locus est, ut in his delictis, quae ut plurimum in occulto perpetrantur, contra quoscumque, non solum per accusationem, et delationem, verum etiam per inquisitionem, ac simplicem denunciationem procedant, ac ad illa probanda testes alias de iure inhabiles, eorumdem tamen Iudicum arbitrio, habita ratione personarum, causarum, et qualitatum illarum, ac circumstantiarum quarumcumque, admittant, ac in eos qui culpabiles fuerint, prout per Nos sancitum est, demum animadvertant.

§ 7. Insuper ut immanissimi huius delicti gravitati, non solum temporalibus, verum etiam spiritualibus poenis prospiciamus ac provideamus, omnes, et singulos cuiuscumque status, gradus, Ordinis, vel conditionis existentes, tam laicos, quam Clericos, Saeculares, et cuiuscumque Ordinis regulares, necnon mulieres saeculares, vel quemcumque Ordinem professas, qui vel quae, vel uti principales, vel ut sociae consciaeve ad tale facinus committendum opem, consilium, favorem, potionem, vel alia cuiuscumque generis medicamenta scienter dederint, ac etiam scribendo literas privatas, vel apocas, vel alias verbis, aut signis iuverint, aut consuluerint, ultra supradictas poenas, ipso facto, nunc prout ex tunc excommunicamus, et pro excommunicatis declaramus.

§ 8. Decernentes ac declarantes, quod per quaecumque Iubilaea, et Indulgentias, per Nos, et Successores nostros, etiam Anno Iubilaei, aut alio quovis tempore, etiam Cruciatae sanctae, Iubilaei, vel quovis alio titulo concessas, et concedendas, necnon per quascumque literas Apostolicas quibusvis Principibus, seu ad eorum instantiam per Nos, et Successores nostros pariter concessas, et concedendas, ac etiam vigore Privilegiorum mare magnum vel alias quomodolibet nuncupatorum, quibusvis Congregationibus Regularium, aut Episcopis vigore Concilii Tridentini, vel alias, per Nos, et Praedecessores nostros quomodocumque concessorum, vel in futurum concedendorum, nec personae sic ut praefertur delinquentes, et excommunicatae, praeterquam in mortis articulo absolvi valeant, nec cum iis Clericis, qui huiusmodi delicta perpetraverint, etiamsi eorum crimen occultum fuerit, super irregularitate praemissorum occasione contracta, nec per locorum Ordinarios, nec per alios quavis auctoritate fungentes, quam per Nos, et Rom. Pontif. nostros Successores, et tunc non nisi urgentissimis de causis dispensari possit. Ac tam absolvendi, quam dispensandi facultatem huiusmodi etiam quoad forum conscientiae in casibus superius expressis, Nobis, et Successoribus nostris dumtaxat reservamus.

§ 9. Statuentes sic in praemissis universis, et singulis per quoscumque Iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, in quavis

causa, et instantia iudicari, et definiri debere, irritumque, et inane, quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ 10. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, I, p. 25-27].

166.

Sixtus V, const. *Sanctum et salutare*, 5 ian. 1589.

Sanctum et salutare Sacri Ordinis Sacramentum ab ipso Domino, et Salvatore nostro Iesu Christo institutum, Beatisque Apostolis, et eorum legitimis Successoribus singulari divinae bonitatis munere traditum, ita ad Dei omnipotentis gloriam, salutemque animarum sancte, ac religiose administrari decet, ut quae, vel ex typo, et figura veteris legis, vel alias, ex multa SS. Patrum providentia, circa ordinandorum natales, aetatem, vitae, ac morum probitatem, sanctitatem, scientiam, et alias qualitates in Sacris Ordinationibus requisitas, per Sacros Canones, vel Apostolicas Constitutiones, aut generalium Conciliorum decreta salubriter statuta fuerunt, ea inviolate observentur. Nam si in veteri testamento, tam multa de integritate, et munditia Sacerdotum, et Ministrorum Altaris, deque eorum praestantia, et dignitate legimus, de quibus dixit Dominus per Malachiam Prophetam: Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est, certe multo maior ratio, et diligentia adhibenda erit in promovendis, tam inferiorum graduum Clericis, quam etiam Presbyteris, qui ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi constituuntur, prout de his ipsis, et divino verbo, et Beatorum Apostolorum praeceptis, ac simul Sanctorum Patrum statutis saepissime traditum est.

§ 1. Quare Nos pro ea, quae Nobis a Domino iniuncta est cunctarum Ecclesiarum cura, et sollicitudine, ipsos Pastores, et Praesules Ecclesiarum, quorum proprium munus est, personas idoneas Clericali militiae adscribere, et ad minores, maioresque ordines rite promovere, auctoritate nostra duximus admonendos, ut in exequendo hac in parte suo pastorali officio attentius posthac invigilent, Canonicas Sanctiones, ut par est, observent, ac ut nemini detur offensionis occasio, neve eorum ministerium vituperetur, studeant vitare ea omnia scandala, et absurda, quae ex vitiosa, et minus canonica Clericorum ordinatione cernimus, cum magno animi nostri dolore frequentius exoriri. Cum enim multi etiam interdum inhabiles, et indigni, non vocati sancta Dei vocatione, sed potius Satanae dolis decepti, praetextu devotionis, et pietatis, rem quidem sacram, et divinum munus, intempestive tamen, et inordinate affectantes, seu temporale aliquod commodum, aut lucrum sibi proponentes, vel nimia simplicitate, et imperitia, malitiave, aut fraude ad suscipiendum Clericalem caracterem, aliosque ordines ante aetatem legitimam, vel a non suo Episcopo, aut non praevio debito examine, et approbatione, sive alias minus rite, vel etiam temere se ingerant. Debent

sane Episcopi paterna charitate, et prudentia eorum saluti, qui saepe nesciunt, quid petant, melius etiam, quam ipsimet postulant, et salubrius consulere, nec tam quid flagitent, quam quid expediat considerare; summa vero diligentia providere, tum in alienae Dioecesis subditis ordinandis, ne quemquam promoveant sine eorum Ordinarii literis dimissoriis, tum in recognoscendis ipsis literis, ne falso, aut ab aliquo, qui auctoritatem illas concedendi non habeat, confectae sint, tum denique in examinandis natalibus, aetate, vita, moribus, scientia, idoneitate, titulo, et reliquis qualitatibus, ne quid in suae, vel alienae Dioecesis personis, ad Clericalem honorem, et Ecclesiasticos ordines promovendis desideretur eorum, quae ex praescripto Sacrorum Canonum requiruntur.

§ 2. Ut igitur Praesules Ecclesiarum intelligant, si in re tam gravi, et tanti momenti, culpa aut negligentia peccaverint, se non modo in tremendo Dei iudicio, verum in hoc quoque saeculo Rom. Pontifici suae villicationis rationem fore reddituros, praesenti Constitutione perpetuo statuimus, et ordinamus, ut si in posterum Antistes aliquis, Episcopali, Archiepiscopali, Primatiali, vel etiam Patriarchali dignitate praefulgens, aut Abbas ad primam tonsuram, minoresque ordines suis subditis conferendos a Sede Apostolica auctoritatem habens, quemcumque secularem, vel cuiusvis Ordinis, aut militiae regularem, ex aliquo crimine, vitio, aut defectu, seu alias inhabilem, vel irregularem existentem, vel extra tempora a iure statuta, vel absque veris dimissoriis sui Ordinarii literis, aut per saltum, vel furtive, aut quoad seculares sine titulo sufficientis Beneficii, vel patrimonii, aut ante aetatem per Sacri generalis Trid. Concilii decreta, primae tonsurae, ac cuique ordini praescriptam, aut non servatis temporum interstitiis, ita ut aliquis unico die, seu continuatis diebus ad plures ordines Sacros, vel post unum ordinem susceptum, sine causa rationabili antequam tempus ab eodem Concilio Tridentino praefixum elabatur ad alium ordinem promoveatur, sine dispensatione, aut indulto Apostolico, Clericali caractere non legitime insigniverit, aut ad ordines minores, vel Sacros, ut praefertur, vel alias male promoverit, sive id scienter, sive ignoranter fecerit, nisi debita diligentia adhibita iustus error, et probabilis facti ignorantia eum excuset, ut in quo deliquit in eo puniatur, a collatione quorumcumque ordinum, atque adeo ipsius tonsurae, et ab executione omnium munerum Pontificalium, eo ipso suspensus, et ab ingressu Ecclesiae interdictus existat, aliisque gravioribus poenis nostro, et pro tempore existentis Rom. Pontificis arbitrio puniatur. Quod si spreta huiusmodi suspensione, et interdicto, in praemissis se temere ingesserit, etiam a regimine, et administratione suae Ecclesiae, seu Monasterii, et a perceptione fructuum mensae eiusdem, ac quorumcumque beneficiorum per eum, in titulum, vel commendam, seu alias obtentorum suspensionem eo ipso incurrat; eiusque interdicti, aut suspensionis relaxationem, aut poenarum remissionem ab alio, quam a Rom. Pontifice pro tempore existente nequeat obtinere.

§ 3. Et nihilominus fel. record. Pii II,[1] et aliorum Romanorum Pontificum nostrorum Praedecessorum, qui per suas Constitutiones, aut in Cancellaria

[1] Cf. N. 57.

Apostolica publicatas regulas, contra huiusmodi Clericos male promotos, diversas poenas inflixerunt, vestigiis inhaerentes, eosdem Clericos, posthac male promotos, ab executione, ministerio, et exercitio ordinum susceptorum, et ab omni spe, et facultate ascendendi ad alios superiores perpetuo suspensos declaramus, et si in eis ministrare praesumpserint, illos sic irregulares effectos, omnibus, et quibuscumque per eos, in titulum, commendam, aut alias obtentis dignitatibus, officiis, et beneficiis Ecclesiasticis, cum cura, et sine cura, quomodocumque qualificatis, secularibus, vel cuiusvis Ordinis, aut Militiae regularibus, ac etiam si ipsi Clerici Regulares fuerint, activa, et passiva voce ipso facto privamus, et iis privatos, atque ad illa, et alia similia, vel dissimilia in posterum obtinenda in perpetuum inhabiles, et incapaces esse decernimus, et declaramus; dignitatum, officiorum, et beneficiorum huiusmodi, sic pro tempore vacantium dispositionem Nobis, et Apostolicae Sedi perpetuo reservantes.

§ 4. Ut autem homines, qui nimia indulgentia, et spe immunitatis, ac veniae facilitate hactenus fuerunt ad huiusmodi facinora procliviores, ea sublata, et praeclusa, ab his abstineant, et caveant in futurum, tam absolvendi, quam dispensandi facultatem in casibus superius expressis, etiam in foro conscientiae, Nobis, et Successoribus nostris dumtaxat auctoritate, et tenore praemissis perpetuo reservamus. Inhibentes ne a quoquam seculari, vel cuiusvis Ordinis regulari Presbytero, vel Praelato, quavis auctoritate fungente, nec per quaecumque Iubilaea, et Indulgentias, etiam plenissimas, et extraordinarias per nostros Praedecessores, aut nosmetipsos, vel Successores nostros, anno Iubilaei, aut alio quovis tempore, et Cruciatae Sanctae, vel quocumque alio titulo, modo, et forma, Motu proprio, et consistorialiter, seu ad quorumcumque Principum, Regum, aut Imperatoris instantiam, eorumve contemplatione, et intuitu, cum quibusvis amplissimis, in genere, vel in specie derogatoriis clausulis concessa, vel in posterum concedenda, nec vigore, aut praetextu facultatum, aut privilegiorum, Mare magnum, aut alias quomodolibet nuncupatorum quibusvis Ordinibus, Congregationibus, aut personis regularibus, aut Episcopis, per Decreta Concilii Tridentini, aut officio Sacrae Poenitentiariae Apostolicae, vel minoribus, aut etiam Maiori Poenitentiariis nostris, et Romani Pontificis pro tempore existentis, vel alias quomodolibet pro tempore concessorum personae, sic ut praefertur delinquentes, tam scilicet Antistites, seu Abbates promoventes, quam Clerici male insigniti, seu ordinati, a reatibus, et excessibus praefatis absolvi, praeterquam in mortis articulo possint, aut debeant. Nec cum iis super irregularitate propter praemissa contracta, etiamsi crimen penitus occultum fuerit, quovis modo valeat dispensari.

§ 5. Verum enimvero, quia gravioribus morbis fortiora sunt adhibenda remedia, et iuxta personarum, et locorum, ac temporum qualitates leges sunt immutandae, poenaeque aggravandae, et emolliendae; cum huiusmodi peccatum Satana suggerente, hominumque fragilitate assentiente, videatur iam ad culmen vitiorum ascendisse, et in praecipiti esse. Ideo ut homines saltem poenae timore, et proprii honoris confusione a peccato deterreantur, novum huic veneno antidotum cogimur praeparare. Ac propterea volumus,

ut qui absolutionem, et dispensationem huiusmodi petent, semper, quamvis delictum adhuc occultum extiterit, non per officium Sacrae Poenitentiariae, sed a Nobis, et pro tempore existente Romano Pontifice in utroque foro absolutionem petere teneantur; alioquin ipsae concessiones, et absolutiones, etiam cum clausula, quod praesentis Constitutionis tenor, et alia praedicta habeantur pro expressis, prorsus nullae, irritae, et invalidae existant, ac nemini penitus suffragentur.

§ 6. Ceterum si quis Antistes, vel Abbas servatis quidem cunctis praemissis, et ceteris omnibus, quae in ipsius tonsurae, et ordinum collatione observari debent, personas habiles, et idoneas, sed tamen recepta ab iis, quibus tonsuram, aut ordines conferet, pecunia, pretio, vel praemio, simoniace in futurum insigniverit, vel promoverit, volumus, ut praeter alias censuras, et poenas contra simoniace ordinantes, et ordinatos a Sacris Canonibus, et Constitutionibus Apostolicis alias inflictas, et irrogatas, quibus nequiquam derogare intendimus, etiam omnia, et singula supradicta in sic promoventibus, et promotis locum habeant.

§ 7. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, I, p. 40-42].

167.

Sixtus V, const. *Cum sacrosanctam*, 9 ian. 1589.

Cum sacrosanctam Dei Ecclesiam, quam Salvator noster suo pretiosissimo sanguine acquisivit, sponsam sibi elegerit, et Nobis licet indignis custodiendam tradiderit, eidem sine ruga, sine macula, atque in omnibus suis membris placentem conservare debemus, ut in ea, omnia ordinata, singula distincta, cuncta interius exteriusque pietatem, et devotionem redolentia inveniantur, et ut ineffabilibus circumamicta varietatibus, speciosa in oculis suis appareat, quantum favente Deo valemus, id ipsum munus exequi decrevimus.

§ 1. Quare animadvertentes, quod qui in sortem Domini ad eiusdem Ecclesiae decus, et ornamentum sunt vocati, et ex eo Clerici nomen consecuti, quique censu Ecclesiastico vivunt, singulari aliquo signo a reliquo populo distingui debent, ne cui eorum iure dici possit: Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? et ad hoc ipsum sollicitudinis nostrae obtutus dirigentes, ne sanguis eorum de manu nostra requiratur, cum ingenti cordis nostri dolore invenimus complures supradicta Domini sententia iuste redarguendos. Nam eorum plerique Clericali honore neglecto, in vestibus laicalibus incedentes, eo se mirifico indignos privilegio reddiderunt. Quapropter licet Sacris Canonibus, Conciliis Generalibus, et Apostolicis Constitutionibus, certus circa eorum, qui Clericali caractere insigniendi sunt, habitum, aetatem, et alias qualitates sit praescriptus modus, et contra Clericos in habitu Clericali, et tonsura non incedentes imposita poena, nempe ut gratiis, immunitatibus, et aliis privilegiis Clericalibus minime gaudeant;

tamen cum iniuria temporum, et forsan dormientibus pastoribus, inimicus homo lethifera transgressionis zizania superseminaverit.

§ 2. Nos propterea his, et aliis rationabilibus de causis adducti, ne quis nimia, sive Pastorum, sive temporum indulgentia, et impunitate, seu oscitantia, cum Religionis dedecore, nominis Dei contemptu, et propriae salutis dispendio de cetero abutatur, hac nostra perpetuo valitura Constitutione praecipimus, et mandamus, omnibus, et quibuscumque Clericis, non solum in sacris, sed etiam in aliis minoribus Ordinibus constitutis, et Clericali tantum tonsura insignitis, et nedum Beneficia Ecclesiastica qualiacumque etiam simplicia, nunc, et pro tempore obtinentibus, et in illis, vel ad ea ius habentibus, verum etiam pensiones super quibusvis fructibus, redditibus, aut proventibus quarumvis Patriarchalium, Primatialium, Metropolitanarum, Cathedralium, et aliarum quarumcumque Ecclesiarum, seu Abbatialium, Capitularium, et Conventualium mensarum, necnon Monasteriorum, Praepositurarum, Praepositatuum, Prioratuum, Praeceptoriarum, Hospitalium, Canonicatuum, praebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum, Officiorum, et Beneficiorum quorumcumque Ecclesiasticorum, Saecularium, et quorumvis Ordinum regularium, seu illorum distributionibus quotidianis, ac iuribus, emolumentis, et obventionibus universis, sibi reservatas, aut fructus ipsos, praediave, aut bona Ecclesiastica loco pensionum sibi assignatos, vel assignata, ex quacumque concessione, seu dispensatione Apostolica percipientibus, etiam coniugatis, praesertim, si iidem Clerici coniugati iuxta Constitutionem[1] piae mem. Bonifacii Papae Octavi Praedecessoris Nostri in Concilio Trid.[2] innovatam, privilegiis Clericalibus uti velint, tam in Romana Curia degentibus, quam extra eam ubilibet gentium, et locorum constitutis, ut ipsi, et eorum quilibet, quantumvis exempti existant, et quovis privilegio, vel immunitate gaudeant, quacumque dilatione, aut tergiversatione postposita, debeant omnino qui in Urbe praesentes fuerint, intra quindecim dies, qui vero citra Montes, intra quatuor menses, qui denique ultra Montes constituti sunt, intra octo menses a die publicationis praesentium literarum in Romana Curia faciendae, tonsuram, et habitum Clericalem, vestes scilicet talares, aut Milites infradicendi, quibus pensiones, aut fructus, aliave bona Ecclesiastica reservata sunt, suae Militiae convenientem, quacumque remota excusatione assumere, et iugiter deferre. In futurum autem nonnisi actu Clericis in habitu Clericali, et tonsura, et Militibus infradicendis in militari incedentibus, suae militiae propria, aut alia quaecumque Ecclesiastica, etiam simplicia Beneficia respective conferantur, aut commendentur, aut pensiones, fructusve, aut bona Ecclesiastica reserventur.

§ 3. Alioquin ipsos, et ipsorum quemlibet, qui quoad gestandum habitum Clericalem, et Militarem supradictum, lapso huiusmodi tempore eorum unicuique, ut supra dictum est, praefixo, nostris huiusmodi praecepto, et mandato, nunc, et in posterum perpetuis futuris temporibus cum effectu non obediverint, praeter alias poenas contra eos inflictas, etiam quibuscum-

[1] C. 1, *de clericis coniugatis,* III, 2, in VIo.
[2] Sess. XXII, *de ref.,* c. 1.

que dignitatibus, administrationibus, Officiis, Canonicatibus, et praebendis, ac Beneficiis, etiam simplicibus, et praestimoniis per eorum quemlibet in titulum, commendam, vel alias pro tempore obtentis, necnon pensionibus, et fructibus, praediis, bonisque Ecclesiasticis huiusmodi quocumque modo eis reservatis, vel reservandis, omnique iure sibi in eis, vel ad ea quomodolibet competenti, harum serie ex certa nostra scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine privamus, ac sine ulla alia monitione, citatione, iudicio, decreto, aut ministerio ipso facto privatos declaramus, ac tam Beneficia ipsa per privationem huiusmodi vacare, et libere aliis conferri posse, quam etiam pensiones cassatas, extinctas esse, et fore, ac fructuum, vel aliarum rerum reservationes cessare, et quemquam ulterius ad illorum solutionem minime teneri, et ob non solutionem, censuras, et poenas aliquas incurrere non posse, nec debere decernimus, ipsasque dignitates, personatus, administrationes, officia, necnon Canonicatus, et praebendas, et Beneficia sic pro tempore vacantia, collationi, provisioni, et dispositioni nostrae, et Rom. Pont. pro tempore existentis perpetuo reservamus.

§ 4. Statuentes sic in praemissis universis, et singulis per quoscumque Iudices, et Commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, et S. R. E. Cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, in quavis causa, et instantia iudicari, et definiri debere, necnon irritum, et inane, quidquid secus super his, a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ 5. Ceterum Milites quarumvis Militiarum sub regula aliqua approbata Canonice institutarum, vel alios Rom. Cur. Officiales, qui non uti Clerici, sed potius tamquam Milites iuxta privilegia, et dispensationes Apostolicas, eis in genere, vel in specie, per Nos, aut per Praedecessores Nostros nominatim concessa, et sub fel. rec. Pii Papae V Praedecessoris Nostri Constitutione, quae incipit, Sacrosanctum, etc.[1] huiusmodi privilegiorum forsan revocatoria minime comprehensa, Beneficia militiae, quam professi sunt regularia obtinent, seu pensiones super quibusvis fructibus, redditibus, et proventibus Ecclesiasticis, etiam praedictarum Ecclesiarum, et Beneficiorum Saecularium, aut fructus ipsos sibi reservatos percipiunt, aut obtinebunt, vel percipient in futurum, sive Clericali caractere insigniti sint, sive non sint, qui vero Clerici sunt, etiamsi ab initio tempore reservationis pensionum, seu fructuum huiusmodi, regularem habitum nondum susceperint, nec militiis Officiorum Rom. Cur. adscripti fuerint, sed post factas eorum cuique reservationes, ante vel post publicationem praesentis Constitutionis Milites effecti extiterint, sub praecepto, et mandato praefatis, de habitu, et tonsura Clericali deferendis, nolumus comprehendi, sed iis permittimus, ut regulari habitu militiae, quam professi sunt convenienti, vel si ipsi Milites Rom. Cur. Officiales fuerint, qui pensiones, aut fructus, aliave praedia, aut bona Ecclesiastica ex dispensatione, seu privilegio Apostolico percipiant, habitu Militari suprascripto absque alicuius censurae, vel poenae Ecclesiasticae incursu licite uti valeant, et nihilominus, tam Beneficia suae Militiae regularia retineant

[1] Die 9 sept. 1568 - Bull. Rom., tom. 4, III, p. 38-40.

quam etiam pensiones super Ecclesiarum, et Beneficiorum praedictorum, etiam saecularium, fructibus, seu bona, vel fructus praefatos sibi pro tempore reservatos percipiant.

§ 6. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, I, p. 42-44].

168.

Gregorius XIV, const. *Romanus Pontifex*, 19 dec. 1590.

Romanus Pontifex, pro Pastoralis sibi divinitus iniuncti muneris debito, inter caeteras, quas pro communi bono Christianae Reipublicae suscipit curas, etiam ad ea confirmanda, quae ad Statum Ecclesiasticum, et S. R. E. ditionem, etiam temporalem in primis tuendam, et conservandam, a Praedecessoribus suis non minus prudenter, ac sapienter, quam rite, et recte gesta, et constituta fuerunt incumbere solet, et quo firmius illa subsistant, et sanctius ab omnibus observentur, suae comprobationis, et muniminis partes libenter, ac mature adhibet, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

§ 1. Sane iam pridem fel. rec. Pius Papa V Praedecessor noster tenoris subsequentis literas edidit: *Admonet, nos,* etc.

Omittitur insertio huius Bullae, quia habes eam supra, in N. 120.

§ 2. Nos igitur recol. me. Gregorii XIII ac Sixti V Romanorum Pontificum similiter Praedecessorum nostrorum exempla, ac pium in tuendis S. R. E. iuribus zelum imitantes, easdem literas, et in eis contenta quaecumque, ex certa nostra scientia, ac de Nobis a Deo tributae potestatis plenitudine, tenore praesentium approbamus, confirmamus, atque etiam innovamus, easque, et ea omnia inconcussae, ac validissimae firmitatis robur perpetuis futuris temporibus obtinere, et a cunctis quos illa quomodolibet concernunt, inviolabiliter observari debere decernimus, praecipimus, atque mandamus.

Nulli ergo omnino hominum, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, I, p. 246].

169.

Gregorius XIV, const. *Sanctissimus*, a. 1591.

Sanctissimus in Christo Pater, et D. N. D. Gregorius Divina Providentia Papa XIV ex quibusdam contra dispositionem iuris communis S. R. E. Cardinalibus super collatione Beneficiorum Ecclesiasticorum, apud Sedem Apostolicam vacantium concessis indultis, et facultatibus, saepenumero impeditus, quo minus solitam Sedis huius benignitatem erga pauperes, et benemeritos liberaliter exercere possit, ac simul volens litibus obviare, quae super illorum interpretatione oriuntur, fel. recor. Pii Papae V sui Praedecessoris vestigiis in hac parte inhaerendo.

§ 1. Omnia, et quaecumque indulta, concessiones, facultates, et privilegia, conferendi quaecumque apud Sedem Apostolicam vacantia, aut in posterum vacatura Beneficia Ecclesiastica, cum cura, et sine cura, saecularia, et quorumvis Ordinum regularia, quomodocumque qualificata, ad collationem, provisionem, praesentationem, electionem, et quamcumque aliam dispositionem, tam dictorum Cardinalium ratione Patriarchalium, Metropolitan., et aliarum Cathedralium Ecclesiarum, non tamen earum, quibus in titulum, aut denominationem sui Cardinalatus praesunt, circa quae aliquid de novo disponere non intendit, necnon Monasteriorum, Prioratuum, Dignitatum, et aliorum quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, quae quomodolibet obtinent, et in posterum obtinebunt, ac etiam quorum collatio, provisio, et quaevis alia dispositio illis ex causa factae per eos cessionis, regiminis, et administrationis, seu commendae, aut resignationis Ecclesiarum, Monasteriorum, et aliorum huiusmodi Beneficiorum, Apostolica auctoritate reservata etc. existit, vel in posterum reservabitur; quam etiam aliorum quorumcumque inferiorum collatorum, aut collatricum, coniunctim, vel divisim, de iure, privilegio, consuetudine, aut alias quomodolibet pertinentia, ac etiam illa commendandi, ac alias de eis disponendi, vel de consensu ipsorum Cardinalium requirendo in provisione eorumdem Beneficiorum apud Sedem praedictam, ut praefertur vacantium, per Sanctitatem Suam facienda, et quod sine consensu huiusmodi factae provisiones, aut quaevis aliae dispositiones nullae, et irritae sint, omnibus, et singulis Cardinalibus praedictis per quoscumque Romanos Pontifices, ac Sanctitatem Suam, et dictam Sedem, etiam Motu proprio, et ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, et Consistorialiter, ac etiam ex pactis inter dictos Pontifices, et Cardinales diversis temporibus factis, firmatis, et iuratis, ac quibusvis, onerosis, et aliis causis concessa, etiam iteratis, aut multiplicatis vicibus approbata, innovata, ac extensa, quibuscumque concepta formulis, ac etiam restitutivis, mentis attestativis, praeservativis, derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacissimis, et insolitis clausulis, necnon vim contractus inducentibus, ac irritanti, et quod sine eorum consensu derogationes pro tempore factae nemini suffragentur, aliisque Decretis suffulta, quorum omnium tenores Sanctitas Sua haberi voluit pro expressis, specialiter, et expresse revocavit, literasque Apostolicas desuper confectas, et quo ad ea, in quibus illa effectum nondum sortita erant, et inde secuta quaecumque cassavit, annullavit, viresque, et effectum de caetero non habere decrevit.

§ 2. Salva tamen remanente facultate consensus per ipsos Cardinales in provisionibus Apostolicis Beneficiorum per obitum familiarium continuorum commensalium eorumdem Cardinalium, etiam apud Sedem praedictam vacantium, praestandi, iuxta formam Regulae Cancellariae Apostolicae super hoc editae, et in casibus tantum in ipsa Regula expressis. Volens ulterius, quod eadem Beneficia per obitum familiarium continuorum commensalium eorumdem Cardinalium post hac, tam apud eamdem Sedem, quam extra Romanam Curiam vacantia, etiamsi ad alicuius Cardinalis collationem, vel aliam dispositionem pertinere deberent, etiamsi tunc cessent aliae Apostolicae reservationes hactenus editae, nihilominus in posterum dispositioni Sanctitatis

Suae reservata censeantur. Ita ut in provisionibus talium Beneficiorum super expeditionibus literarum illius Cardinalis, cuius familiaris defunctus extitit, si ipse Cardinalis tunc praesens in eadem Curia fuerit, consensus requiri omnino debeat, non autem Beneficia huiusmodi ad collationem, seu quamvis aliam dispositionem Cardinalis ordinarii collatoris, ullo modo pertineant nec eiusdem Cardinalis ordinarii collatoris, etiamsi in Romana Curia praesens fuerit, consensus quoquo modo requiratur. Easdemque Constitutiones, et Regulas Cancellariae, etiam declarationis super Beneficiis familiarium praedictorum Cardinalium editas, tam quo ad Cardinales indulta huiusmodi habentes, quam non habentes, atque adeo indulta ipsa ad terminos praesentis Constitutionis reduxit, et moderatus fuit.

§ 3. Decernens sic in iis, caeterisque omnibus praemissis per quoscumque, etc., etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, et eosdem Cardinales, sublata, etc., necnon irritum, et inane quicquid secus super his, per quoscumque, etiam praetextu facultatum, indultorum, et concessionum huiusmodi, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ 4. Praedictis, et quibusvis aliis Regulis, Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque non obstantibus.

[Bull. Rom., tom. 5, I, p. 317, 318].

170.

Gregorius XIV, const. *Circumspecta*, 15 mart. 1591.

Circumspecta Romani Pontificis providentia, ea quae rationabilibus causis auctoritate Apostolica sancita fuerunt, ipsa rerum experientia suadente, ex aliis interdum non minus iustis causis moderantur, et immutantur, prout in Domino conspicitur salubriter expedire.

§ 1. Sane licet alias fel. rec. Sixtus Papa V Praedecessor noster, nonnulla circa qualitates, modum, et formam admittendi Religiosos ad quoscumque Ordines, salubriter statuerit, prout in duabus desuper, prima videlicet sub datum sexto Kal. Decembris, Anno Tertio,[1] et altera sub datum duodecimo Kalendas Novembris, Anno Quarto[2] sui Pontificatus editis Constitutionibus latius continetur. Quia tamen usu comprobatum est, multa inventa fuisse impedimenta, propter quae ea, quae in praemissis statuta fuerunt, executioni mandari minime potuerunt. Unde quamplures literis, et pietate insignes viri, a sancto proposito Regularem ducendi vitam abducti, ac impediti, atque etiam alii diu cum maxima eorum laude in Religione versati ab illius dignitatibus, honoribus, praelaturis, cum non modico Religionis, et Ordinum huiusmodi detrimento repulsi, et inhabiles penitus redditi fuerunt.

§ 2. Nos igitur ea, quae docuit experientia salubriter fuisse constituta, confirmare, quae vero moderatione aliqua indigere, moderari volentes, ac

[1] Cf. N. 162.

[2] Cf. N. 164.

dictarum Constitutionum, et inde sequutorum quorumcumque tenores etiam veriores, praesentibus pro expressis habentes, habita cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, super negociis, et consultationibus Regularium deputatis, matura deliberatione, de eorumdem consilio praedictas Constitutiones in ea parte, qua cavetur, ne illegitimi ex certo inibi expresso damnato thoro, vel complexu, ad quamcumque Religionem, neque ad habitum, aut professionem regulares, sed tantum ad habitum Conversorum, aut Famulorum, in Monasteriis aliisque locis Regularibus servientium admittantur, et si post dictam Constitutionem professionem emitterent, voluit illam nuliius esse momenti. Et in altera parte, in qua illegitime genitos, etiam ante ipsas Constitutiones professos vigore privilegiorum, aut indultorum Apostolicorum, cuivis Ordini, Religioni, Monasterio, aut Congregationi, eorumve Superioribus, in genere, vel in specie concessorum, etiam ipsos per ingressum Religionis, vel per eosdem Superiores legitimatos, seu ad gradus, honores, et dignitates habilitatos, seu integratos, ab honoribus, gradibus, et dignitatibus quibuscumque, tam antiquis, quam aliis privilegiis, literis Apostolicis, indultis, aut declarationibus non obstantibus, excludi, ac dispensationes quascumque, aut legitimationes non suffragari, neque in futurum cum his, nisi a Sede Apostolica, privilegiis quibuscumque non obstantibus, dispensari posse voluit, auctoritate Apostolica tenore praesentium ad terminos iuris reducimus, et moderamur, ac omnes dispensationes, et habilitationes, vigore privilegiorum, aut indultorum Apostolicorum, cuivis Ordini, Religioni, Monasterio, aut Congregationi, eorumve Superioribus, in genere, vel in specie, ut praefertur, concessorum, quae tempore Constitutionum huiusmodi usu recepta, et non sub ullis aliis revocationibus comprehensa erunt, per quoscumque eorum Superiores factas, in pristinum statum, et validitatem, in quibus ante ipsas Constitutiones existebant, restituimus, et reintegramus. Volentes, iisdem Constitutionibus non obstantibus, eos, qui quovis modo illegitimi procreati fuerint, ad habitum, et professionem regulares admitti posse, quemadmodum admitti poterant, si supradictae Constitutiones editae non fuissent.

§ 3. Ita tamen, ut cum de recipiendis quomodocumque illegitime natis, ad habitum, et professionem Ordinum quorumcumque agetur, ii, ad quos huiusmodi receptio spectat, praeter alia, de quibus ex dictarum Constitutionum praecepto circa quoscumque etiam legitimos disquirere debent, diligenter eorum vitam, et mores inquirant, et ita demum recipiant, si tamen bonam indolem, et virtutis specimen praeseferant, ac tot eis merita suffragentur, ut natalium suppleant defectum, eorumque receptio Religionis commodo, et utilitati profutura videatur. Et super hoc ipso ii, ad quos, ut dictum est, pertinet huiusmodi receptio, matura deliberatione habita, ita censuerint, et iudicaverint, dummodo tamen filius illegitimus in Religione, in qua pater, sive ante, sive post nativitatem dicti filii professus fuerit, ipso patre vivente non admittatur, quod expresse prohibemus.

§ 4. Volumus quoque, ac statuimus, licere Generali, aut Provinciali singulorum Ordinum, aut Congregationum, aut Hospitalium, ad quos dicta dispensatio spectat iuxta tenorem privilegiorum, et indultorum Apostolicorum s concessorum, quae, dummodo usu recepta, nec alias sub ullis revocatio-

nibus comprehensa sint, ut praefertur, in hac parte revalidamus, cum illegitimis, quos dictus Generalis, aut Provincialis, cum Generali, Provinciali, seu intermedio Capitulo, et non alias, suffragantibus meritis dignos iudicaverint, ad honores, gradus, et dignitates obtinendas dispensare, ac dispensationes huiusmodi pro tempore ita factas, et inde sequuta quaecumque, ut antea, valere, et tenere, perinde ac si supradictae Constitutiones non emanassent.

§ 5. Caeterum cum acceperimus, nonnullarum Religionum, et Ordinum, praesertim Monachalium Monasteria ita instituta esse, ut in eis perpetua quaedam filiatio constituatur; ideoque receptio Novitiorum in unoquoque Monasterio ad Superiorem Praelatum, et Capitulum eiusdem Monasterii tantum pertineat, quae etiam Monasteria, ut plurimum inter se longe distant, nec Generalia, Provincialia, aut intermedia Capitula, nisi raro celebrari solent. Ideo statuimus, ut Superiores illorum Monasteriorum de consensu sui Capituli, praehabita simul cum his, de quibus in unaquaque Religione, aut Monasterio, iuxta eius Constitutiones recipiendus interrogari solet, aliqua informatione super his, quae in dictis Constitutionibus continentur, ad receptionem huiusmodi procedere valeant, dum tamen antequam ad professionem admittatur, plenaria, et eo modo, prout in dictis Constitutionibus habetur, inquisitio fiat, quae postea ab his, a quibus in praedictis Monasteriis examinari solent, diligenter examinetur, et approbetur, et demum omnia in dicto Capitulo coram Superiore referantur. Volentes, quod Superiores praedicti, cum eorum Capitulo, aut ubi consuetudo non fuerit celebrandi Capitula, cum tribus, aut quatuor ad id in Generali Congregatione per vota secreta deputatis, servatis eorum regularibus institutis, ac supradictis omnibus, eamdem in recipiendis Novitiis habeant auctoritatem, quae per dictas Constitutiones Provincialibus Capitulis est attributa.

§ 6. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, I, p. 252, 253].

171.

Gregorius XIV, const. *Onus Apostolicae*, 15 maii 1591.

Onus Apostolicae servitutis, ad quod nuper Nos dignatio divina provexit, assidue admonet, in eam potissimum curam Nobis esse pastorali solicitudine incumbendum, ut quae a sacris oecumenicisque Conciliis pro communi totius Christiani populi salute, pie prudenterque statuta sunt, nulla aut temeritate violentur, aut negligentia deserantur; ea praesertim quae ad bonos, idoneosque Pastores Cathedralibus, ac Superioribus Ecclesiis gubernandis praeficiendos pertinent; nam si in quibusvis Ecclesiae gradibus, et ministris, curandum est tales eligi, qui in Religione, et sanctitate fideles aedificent, multo certe magis elaborandum est, ne in eius electione erretur, qui supra omnes gradus constituitur, cui tamquam servo fideli, et prudenti totius fami-

liae cura traditur, qui ad omnem virtutem, et mandatorum Dei observantia aliorum forma esse debet, cum certum sit gregis salutem magnopere pendere ex boni Pastoris praestanti vita, et doctrina.

§ 1. Sane Venerabiles Patres, qui ex toto Terrarum Orbe ad sacrum generale Tridentinum Concilium a Summis Pontificibus Praedecessoribus nostris evocati magna frequentia convenerunt, cum in aliis rebus multis praeclarum studium ad corrigendos depravatos mores, et collapsam Ecclesiasticam disciplinam restituendam ostenderunt, tum in eo potissimum insigni zelo, magnaque cum laude laboraverunt, ut rationem invenirent, qua viri doctrina, pietate, prudentiaque excellentes, et in Ecclesiasticis functionibus diu multumque versati, Ecclesiis Cathedralibus praeficerentur.

§ 2. Nos igitur, qui cum in minoribus constituti, Cremonen. Ecclesiam regeremus, in eodem Concilio cum sanctis, et egregiis illis Patribus interfuimus, et Concilio absoluto ad Ecclesiam nostram reversi magno semper desiderio flagravimus, ut tam salubria generalis Concilii decreta executioni debitae mandarentur, atque ut id fieret pro virili parte curavimus. Multo nunc magis, cum disponente Domino omnium Ecclesiarum cura, et sollicitudo nos premit, summo desiderio tenemur, ut Pastores ii praeficiantur Ecclesiis, qui opus suum, et ministerium impleant, et de ovium salute nos in Domino laetificent.

§ 3. Illud autem in hoc saluberrimo, et pernecessario negocio, quod est de Episcopis eligendis, et praeficiendis videtur esse praecipuum, ut instructio, examen, et inquisitio, de fide, vita, moribus, doctrina, et prudentia promovendorum, tam accurate, fideliter, ac serio instituatur, ut omnis fallaciae fuco semoto, certo confidere valeamus, tales a Nobis Christi gregi pascendo esse praepositos, quales tantum onus, Angelicis videlicet humeris formidandum, exigit, et quales ille expetit, qui pro iisdem ovibus redimendis propriae vitae, ac sanguini non pepercit. Et quidem in hac parte providentia dicti Concilii Tridentini minime defuit, cum statuerit, ac mandaverit, ut in Provinciali Synodo per Metropolitanum habenda, praescriberetur quibusque locis, et Provinciis, propria examinis, seu inquisitionis, aut instructionis faciendae forma, Romani Pontificis arbitrio approbanda, quae magis eisdem locis utilis, atque opportuna esse videretur.

§ 4. Verum neque id hactenus nisi a paucissimis factum est, neque spes est, nisi longissimo temporis spatio, ut ab omnibus fiat; atque interim, dum certa examinis sive inquisitionis ratio a Provincialibus Conciliis expectatur, perit uber ille fructus, qui ex tam utilibus Concilii Generalis decretis sperari posse videbatur, et experientia ipsa docuit per tot annos a publicatione Concilii praedicti elapsos, quid in unaquaque Provincia opus sit, quidve possit fieri.

§ 5. Habita igitur cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus matura deliberatione, ac de eorum unanimi consilio, et assensu, praesenti nostra perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut cum extra Romanam Curiam, examen, instructio, sive inquisitio facienda erit, nemo omnino cuiuscumque status, gradus, conditionisve fuerit, inquisitionem praedictam sibi arrogare praesumat, sed integrum hoc negocium iis, qui a praedicto Tridentino

Concilio designantur, Apostolicae videlicet Sedis Legatis, seu Nunciis Provinciarum, aut eius de quo inquisitio fit, Ordinario, eoque deficiente, Ordinariis vicinioribus relinquatur, nisi iustis de causis, Nobis, aut pro tempore existenti Romano Pontifici per speciale mandatum alicui alteri hoc munus quandoque committendum esse visum fuerit. Quod si forte aliquis praedictorum, consanguinitate, aut affinitate usque ad tertium gradum inclusive promovendum contingeret, ut omnis suspicio carnalis affectus a tam sancto negocio repellatur, ille quidem eo casu censeatur exclusus, atque ad eum, qui proxime sequitur, hoc est, si Legatus excludendus erit, ad Nuncium, si Nuncius, ad Ordinarium, si Ordinarius, ad viciniorem Ordinarium inquisitionis officium deferatur.

§ 6. In Curia vero haec functio spectet, vel ad eos Cardinales qui a Nobis, vel pro tempore existente Romano Pontifice deligentur, vel ad Cardinales earum Provinciarum, seu Regnorum, apud Nos, et Sedem Apostolicam Protectores, in quibus Ecclesiae ipsae consistunt, si tamen ad ipsos huiusmodi vacantium Ecclesiarum relatio pertinebit; quod si de Episcopo, vel Metropolitano extra Romanam Curiam degente, ab una Ecclesia ad aliam ex aliqua gravi, et iusta causa transferendo agetur, hoc munus deficientibus Legato, vel Nuncio Apostolico eius Provinciae, aut Regni, ubi Ecclesia ipsa, a qua transfertur, sita erit, ad Metropolitanum, si Episcopus, ad Suffraganeum vero antiquiorem residentem, si Metropolitanus transferendus erit, pertinere declaramus.

§ 7. Deinde, quia sacrum Tridentinum Concilium, non sine magna ratione eminentes personas, et quae negocii magnitudinem probe intelligerent, ad hoc officium nominavit, declaramus, et statuimus, tam Legatos, sive Nuncios, quam Ordinarios, vel alios ab hac Sancta Sede forte delegandos, non per Auditores, aut Vicarios, aliosve ministros, sed per seipsos inquirendi munus exercere debere, quamvis ab huiusmodi personis, aliisque viris peritis adiuvari possint. Et si Praelatus inquirens, per se non posset ob locorum distantiam testes examinare circa articulum aliquem, ut legitimos natales, vel aetatem, aut aliquid eiusmodi, licebit ei articulum illum alteri personae in dignitate Ecclesiastica constitutae subdelegare, non autem universam inquisitionem. Quod si forte contingat, aliquem supradictorum legitime impediri, ut per se hoc munus praestare non possit, ad alios ea cura transferetur, qui sunt ab eodem Concilio Tridentino ad hoc officium designati, ut supra dictum est, de iis qui ob consanguinitatem, vel affinitatem ab hoc munere excluduntur. Ad haec, ut mens eiusdem sacri Concilii recte, ac fideliter debitae executioni mandetur, et tale sit examen, quale requiritur in negocio tanti ponderis, declaramus, ac statuimus, non esse in vita, ac doctrina promovendi investiganda eam rationem adhibendam, ut ab ipso promovendo articuli offerantur, ac testes producantur, sed oportere, ut Praelatus, qui munus inquirendi suscepit, articulos conscribat, atque ipse ex officio suo illos testes vocet atque examinet, quos de rebus inquirendis sincerum, ac fidele testimonium daturos esse existimet. Verum, ut inquisito praedicta facilius, ac plenius perfici atque expediri queat, utile erit, si Praelatus, qui inquisitionem facturus est, vel a promovendo, vel ab alio aliquo confici curet schedulam,

in qua sint ordine descripta nomen promovendi, cognomen, patria, parentes, ordo, gradus, professio, functio, si quam is forte exercuit, loca in quibus, ac Theologiae, vel Iuri Canonico operam dederit, aut longo tempore versatus fuerit, denique amici, ac familiares, qui tam ipsum, quam parentes eius intime norint. Quod si promovendus documentum aliquod exhibere voluerit, unde ipsius aetas, gradus, dignitas, sacri ordines, functio, officia, muneraque, aut aliquid eiusmodi comprobetur, admittendum, ac processui inserendum erit, modo documentum publicum, seu authenticum fuerit.

§ 8. Illud quoque prohibendum censuimus, ac expresse prohibemus, ne ad testimonium dicendum de fide Catholica, vita, moribus, doctrina, atque aptitudine ad regendam Ecclesiam quilibet homines admittantur; sed viri tantum graves, pii, prudentes, docti, qui de qualitatibus promovendorum rectum iudicium ferre valeant, ac ut supra diximus, sincerum, ac fidele testimonium dare velint. Proinde tam cognati, ac nimium familiares, quam inimici atque aemuli excludendi erunt. Porro testes eiusmodi, Praelatus qui examen, seu inquisitionem habiturus erit, seorsum, ac sigillatim examinabit; et si quando iudicaverit expedire, eis ad memoriam reducet tum iuramenti vim, tum et periurii gravitatem; eosdem etiam serio, et graviter admonebit, ipsos reos futuros apud Omnipotentem Deum eorum omnium, quorum, vel committendo, vel omittendo rei erunt, qui promovebuntur, si vel falsa narrando, vel reticendo vera, in causa erunt, ut homines indigni, vel minus idonei eiusmodi Ecclesiis praeficiantur. Diligenter testium qualitates cognoscere studebit, ac potissimum, quam sint ad promovendos affecti, ut inde coniiciat utrum ex affectu, an ex veritate testimonium dicant. Denique cum testes de qualitatibus promovendi interrogabit, dabit operam, ut quoad eius fieri poterit, omnia, et singula, quae ad praedictam inquisitionem facere videbuntur, per ipsos exprimantur.

§ 9. Quamvis autem qualitates omnes promovendorum, quae in generalium Synodorum decretis, aliisque canonicis sanctionibus continentur, probe cognitae esse debeant iis, quibus inquisitionis officium demandatum est, quales sunt natum esse ex legitimo matrimonio, atque ex parentibus Catholicis, annum trigesimum iam explevisse, sacris Ordinibus, saltem ante sex menses initiatum esse, gradum Doctoratus, aut licentiae in Theologia, vel Iure Canonico, aut certe publicum alicuius Academiae testimonium obtinuisse, quo ad alios docendos idoneus esse declaretur, ad haec in Ecclesiasticis functionibus diu esse versatum, item fidei puritate, innocentia vitae, prudentia, usu rerum, integra fama, doctrina denique praeditum esse; tamen quia circa doctrinam plures fraudes committi solent, et saepe contingit, ut nonnulli scientia vacui, de solo Doctoris titulo, aut privilegio glorientur, volumus, ut de eorum etiam doctrina diligenter inquiratur, qui vel Doctoratus, aut licentiae titulis, et privilegiis gaudent, vel etiam a publicis Academiis testimonium habuerunt, quod idonei essent ad alios docendos, nisi forte aliquorum insignis doctrina, ex publica ipsorum functione notoria esset. Ita vero inquisitio facienda erit, ut quibus in locis, quanto tempore, et quo fructu Theologiae, vel Iuri Canonico promovendus operam dederit cognoscatur. Et quoniam in quibusdam Provinciis nulla sunt Studia generalia, neque ullae publicae Scholae, neque usus

habet, ut qui studiis operam navant, ullis Doctoratus aut licentiae insignibus decorentur, declaramus in eiusmodi locis sufficere, si testimonio virorum gravium, et Sacrae Theologiae, vel Iuris Canonici peritorum constet, promovendos ea scientia Theologiae, vel Canonum vere pollere, ut idonei sint ad ea docenda, quae populum Christianum scire oportet, ac muneris sibi iniungendi necessitati valeant satisfacere. Testes praeterea deponant, se de scientia promovendorum certos redditos esse ex eo, quod praedictos promovendos, specimen suae doctrinae, publice, vel privatim dedisse cognoverint. Quod autem ad Regulares pertinet, cum ad Ecclesias Cathedrales promovendi fuerint, ne fraus ulla subrepere possit in eo, quod idem Tridentinum Concilium statuit, ut Regulares a suis Superioribus sufficientis doctrinae testimonium habeant; declaramus, nomine Superiorum eos dumtaxat intelligendos esse, qui nullum sui Ordinis Superiorem agnoscunt, sive ii cuiusvis Ordinis Abbates, Magistri, aut Ministri, Praepositi Generales, aut quarumlibet Congregationum Praesidentes, sive Definitores, aut Visitatores Capitulum Generale repraesentantes, sive alii quocumque vocabulo nominentur, et in eorum absentia ipsorum Vicarii, seu Commissarii Generales, vel in Romana Curia Procuratores Ordinum, aut Congregationum Generales in hac parte succedant. Et nihilominus praeter Superiorum testimonium, qui fidem facient eiusmodi Regulares ad alios docendos idoneos esse, volumus ea servari, quae de iis diximus, qui publicum suae doctrinae ab aliqua Academia testimonium habent; ut videlicet serio inquiratur, an Regulares ad Cathedrales Ecclesias promovendi, eos progressus in studiis fecerint, qui in futuro Antistite requiruntur.

§ 10. Post inquisitionem vero de fide, vita, moribus, doctrina, et prudentia promovendi, necnon informationem de statu Ecclesiae, aliisque necessariis rebus, quae pariter coram superius expressis Praelatis, iuxta eiusdem Concilii decreta fieri debet, professio fidei Catholicae a promovendo facienda erit; quam quidem ab eo dumtaxat recipiendam esse declaramus, ad quem inquisitio pertinebit, nisi forte qui professionem emissurus est, a Praelato inquirente longe distet; tunc enim is Praelatus ex subdelegatione inquirentis, professionem admittere debebit, cui promovendus vicinior erit; quod idem intelligatur de informatione de statu Ecclesiae accipienda, si quando contingeret, ut in alia Provincia, sive Regno esset Ecclesia, in alio promovendus. Recipiet autem Praelatus professionem promovendi, praesente Notario publico, ac testibus, atque eam a se admissam, ac receptam propriae manus subscriptione testabitur. Is quoque, qui professionem eiusmodi fecerit, in eo loco, ubi proprium nomen profitentis exprimi solet, nomen suum manu propria adscribet. Denique his peractis, Notarius publico instrumento fidem faciet de professione praedicta adhibitis testibus, ut praefertur. Ubi vero totum examen, seu inquisitio de persona promovenda perfecta fuerit, ea in instrumentum publicum redacta, cum toto testimonio ac professione fidei emissa, ad hanc Sanctam Sedem, ut Concilium statuit, quamprimum clausa, et obsignata in forma authentica transmittenda erit. In qua re observari volumus, ut professio fidei iisdem omnino verbis descripta sit, quae in ea forma continentur, quam felicis recordationis Pius Papa Quartus Praedecessor Noster statuit observandam; et ut Praelatus, qui instructionem, examen, et inquisitionem

fecit, vel per literas separatas simul tamen cum processu mittendas, vel per subscriptionem dicti processus significet, quanta fides testibus examinatis eorumque dictis, et scripturis productis suo iudicio habenda sit, simul etiam quid de promovendo ipse sentiat.

§ 11. Processus autem sic formati, et ad Curiam transmissi, a Cardinale, cui proponendi munus incumbit, et a tribus Prioribus Ordinum Cardinalibus, ut moris est, iuxta formam Concilii praedicti subscribentur, et expedientur. Volumus autem, ut Cardinalis relator moneat promovendum, si praesens in Curia fuerit, ut iuxta Concilium Lateranen. novissime celebratum, omnes Cardinales, sive maiorem partem Collegii adeat antequam Ecclesiam proponat, ut quae a referente Collega sint audituri, oculata fide quantum ad personam promovendi attinet, cognoscere possint.

§ 12. Haec porro omnia, quae de promovendis ad Ecclesias Cathedrales dicta sunt, ad eos etiam pertinere, atque in eorum promotione servanda esse declaramus, et decernimus, qui nommati, praesentati, aut electi fuerint ad dignitates Abbatiales, ac Prioratus, seu Praepositatus, Monasteriorum regimini, aut alias Regularium cuiusvis Ordinis, aut etiam saecularium praefecturas, de quibus consistorialiter provideri contigerit; atque eos praesertim, quibus praeter curam, et regimen Monachorum, aut Canonicorum Clericorumque Regularium, vel saecularium, annexa est in populum iurisdictio spiritualis, vel temporalis, excepta tamen aetate, circa quam nihil innovamus.

§ 13. Quo vero ad doctrinam, cum generalia Concilia non statuant, ut personae promovendae ad regulares dignitates, Doctoratus sive licentiae gradum suscipere, vel publicum testimonium ab Academia aliqua habere teneantur, et tamen aequum sit, ut ea doctrina polleant, qua onus sibi imponendum sustinere valeant, declaramus, et statuimus, ut Praelati, qui inquirendi munus suscepturi sunt, studiose, ac diligenter inquirant, super doctrina eiusmodi personarum, iuxta modum, et formam superius praescriptam, ut Nos, et pro tempore futuri Romani Pontifices, habita de illis vera informatione per processum qui ab inquirente transmittetur, certo statuere, ac iudicare possimus, an persona promovenda vere sit talis, qualem dignitas illa, ad quam promovenda est, exigit, et requirit.

§ 14. Hortamur vero in visceribus Domini nostri Iesu Christi, ac paterna caritate monemus eos omnes, qui ab hac Sancta Sede nominandi, praesentandi, vel etiam eligendi futuros Episcopos, vel Abbates ius habent, ut serio apud se cogitent, quanti momenti sit hoc negocium, ex quo salus animarum, tranquillitas Reipublicae, incolumitas Religionis, propagatio fidei, aliaque permulta, et maxima bona dependent. Illum etiam saepe, et saepius ad mentem revocent, quod Sancta Tridentina Synodus admonet, nihil se ad Dei gloriam, et populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos Pastores, et Ecclesiae gubernandae idoneos promoveri studeant, eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, et Ecclesiae magis utiles ipsi iudicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium cupiditatibus, sed eorum exigentibus meritis praefici diligenter curaverint. De nominandis vero, praesentandis, vel eligendis ad Regulares dignitates praeter ea, quae superius observanda esse declaravimus, illud quoque paternis his

nostris hortationibus, et monitionibus adiiciendum censuimus, ut nominationis, praesentationis, vel electionis ius habentes, eos deligere studeant, atque omnino conentur, qui non modo eumdem Ordinem sint ante professi, sed in eodem etiam satis diu laudabiliter versati; neque enim decet, ut Magistri aliorum esse incipiant, qui non fuerint ante discipuli, et subditis imperare praesumant, qui prius non didicerint Superioribus obedire.

§ 15. Eos denique, qui vel examinando, et inquirendo, vel testimonium ferendo, operam suam in hac re praestabunt, serio admonemus, ut ea fide, ac diligentia in negocio tanti momenti versentur, ut a Deo, et Nobis laudem pro bono opere expectare valeant.

§ 16. Nulli ergo omnino hominum, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, I, p. 268-271].

172.

Gregorius XIV, const. *Cum alias*, 24 maii 1591.

Cum alias, nonnulli Praedecessores nostri, et praesertim fel. record. Sixtus Papa Quartus, necnon Pius etiam Quintus, sancto zelo ducti, diversas facultates, et indulta extrahendi, etiam in casibus quibusdam a iure non permissis, ex Ecclesiis criminosos, et delinquentes, compluribus saecularibus Principibus, eorumque Curiis, et Magistratibus sub variis modis, et formis concesserint, prout in illis plenius continetur.

§ 1. Experientia postmodum docuit, tum diversitatem, et differentiam huiusmodi indultorum, tum quia plerique eorumdem Principum Ministri, ex hoc ipso illa diversimode, etiam latius, quam par erat, et ad suum libitum interpretandi occasionem arripuerunt, illisque abuti coeperunt, subortam esse non mediocrem in aliquibus locis, libertatis, et immunitatis Ecclesiasticae perturbationem, et confusionem, alibi vero, ne ipsos quidem laicos indultis huiusmodi uti voluisse, aut potuisse, quod populis, inveterata erga Ecclesias reverentia, devotis, et assuetis, scandali potius, quam quietis occasionem praeberent. Illud etiam absurdum saepenumero secutum est, ut infimae interdum conditionis laici, non modo iuris, sed etiam literarum penitus ignari, et imperiti, dum, quasi potestates, aut Ministri Curiae saecularis in aliquo Castro, aut Oppidulo iurisdictionem exercebant, facultatum, et indultorum huiusmodi limites longe excesserint, eaque suo arbitratu in sensus minus rectos, et ab intentione concedentis omnino alienos, detorserint, et illorum praetextu quicquid sibi in mentem venit, attentare praesumpserint, in grave iurisdictionis, et immunitatis Ecclesiasticae praeiudicium, locorum, et personarum divino cultui dicatarum contemptum, ipsius divinae maiestatis offensam, et scandalum plurimorum. Quare pro commisso Nobis a Domino Pastoralis officii munere, praedictis absurdis, et scandalis obviare, ac differentias huiusmodi ad uniformem regulam reducere, omnemque dubitandi, ac perperam interpretandi occasionem dilucida declaratione submovere, abusus tollere, et ne Ecclesia-

stica iura plane conculcentur, et negligantur, opportune providere decrevimus, prout etiam dictus Sixtus Praedecessor noster iisdem de causis motu statuere decreverat, licet morte praeventus hoc adimplere nequiverit; ita tamen, ut quando praesens temporum calamitas, et nimia, quae iam invaluit perversorum hominum malitia id exposcit, aliquid, etiam ad terrorem delinquentium, et ad coercenda illorum facinora, ultra id quod prisca illa maiorum nostrorum disciplina, et vetus sacrorum canonum norma praescripserat in quibusdam casibus congrua moderatione adhibita, permittamus.

§ 2. Hac itaque nostra perpetuo valitura Constitutione, omnia, et quaecumque privilegia, indulta, et gratias, tam per praedictum Sixtum, ac Pium Quintum, quam alios quoscumque nostros Praedecessores, aut nosmetipsos, Sedem Apostolicam, eiusve Legatos, super abducendis, vel extrahendis ab Ecclesiis, Monasteriis, Sacellis, domibus regularibus, et saecularibus, locisve Sacris, aut Religiosis, aliasque in casibus a iure permissis hominibus certorum, tunc expressorum, vel non expressorum criminum reis, aut fraudulentis decoctoribus, etiam in odium certorum delictorum, et pro bono, pace, et quiete publica, et ex causis urgentissimis, ac necessariis, et aequipollentibus casibus in iure expressis, atque ex paritate, identitate, aut maioritate rationis extensis, perpetuo, vel ad certum nondum elapsum tempus, seu ad vitam alicuius Principis, aut beneplacitum, seu alias quomodolibet concessa, etiam iteratis, aut multiplicatis vicibus approbata, et innovata, ac usu recepta, literasque Apostolicas sub plumbo, aut in forma brevis, seu alias quomodocumque desuper confectas, quarum tenores hic haberi volumus pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis, sublata penitus omni differentia, ita ad unam tantum formam reducimus, et moderamur.

§ 3. Ut laicis, ad Ecclesias, locaque sacra, et religiosa praedicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quive homicidia, et mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumve Coemeteriis committere non verentur, aut qui proditorie proximum suum occiderint, aut assassinii, vel haeresis, aut laesae Maiestatis in personam ipsiusmet Principis rei, immunitas Ecclesiastica non suffragetur. Sed universis, et singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, caeterisque Ecclesiarum, et Monasteriorum Praelatis, tam saecularibus, quam cuiusvis Ordinis Regularibus, districte praecipiendo mandamus, et praecipimus, ut laicos in casibus praedictis delinquentes, ad eorum Ecclesias, Monasteria, domos, et alia loca supradicta sacra, seu Religiosa respective confugientes, et in eis se recipientes, atque morantes, qui praedicta delicta, eorumve aliquod, iudicio suo commisisse videbuntur, quando a Curia saeculari fuerint requisiti, et quilibet eorum fuerit requisitus, Ministris, et Officialibus Curiae saecularis absque irregularitatis nota, aut alicuius censurae Ecclesiasticae incursu, tradi, et consignari curent, et faciant, et quilibet eorum curet, et faciat.

§ 4. Ne autem Curiae saecularis praedictae Ministri facultate illos per se, et propria auctoritate extrahendi, et abducendi sibi olim, ut praefertur, attributa, et per praesentes revocata, abutantur, volumus, dictaque auctoritate decer-

nimus, et declaramus, ut Curia saecularis eiusque Iudices, et Officiales, ab Ecclesiis, Monasteriis, locisque sacris praedictis, laicum aliquem, ut praefertur, delinquentem, in nullo ex casibus supradictis sine expressa licentia Episcopi, vel eius Officialis, et cum interventu personae Ecclesiasticae ab eo auctoritatem habentis, ad quos solos, et non alios, Episcopis inferiores, etiamsi alii Ordinarii sint, aut nullius Dioecesis, aut Conservatores ab hac Sede specialiter, vel generaliter deputati, praedictam licentiam dandi, facultas pertineat. Occurrente autem casu in loco exempto, et nullius dioecesis, tunc ad Episcopum viciniorem devolvatur haec cognitio, et non ad alios, capere, extrahere, aut incarcerare non possint, nisi eo casu, quo ipse Episcopus, et dictae personae Ecclesiasticae requisitae illos in delictis superius expressis culpabiles, tradere, aut capturae, et carcerationi intervenire, et assistere recusaverint; tuncque reverentiae Ecclesiae, et locis sacris debitae memores, praedictos delinquentes, minori quo id fieri poterit cum scandalo, et tumultu, extrahere curent.

§ 5. Quodque delinquentes laici praedicti, postquam, ut praefertur, ab Ecclesiis, locisve sacris extracti, et capti fuerint, ad carceres Curiae Ecclesiasticae reponi, et inibi sub tuto, et firmo carcere, ac opportuna custodia, data illis, si opus fuerit, per Curiam saecularem, detineri debeant, nec inde extrahi, Curiaeque saeculari praedictae consignari, nec tradi possint, nisi cognito prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi vere crimina superius expressa commiserint; tuncque demum de mandato Episcopi per Iudicem Ecclesiasticum Curiae saeculari, quacumque appellatione postposita, consignentur.

§ 6. De crimine vero haeresis cognitio ad forum Ecclesiasticum tota pertineat, neque in ea Curia saecularis se quoquomodo intromittat.

§ 7. Sicuti etiam prohibemus, ne contra Ecclesiasticas personas, saeculares, aut cuiusvis Ordinis, vel Militiae etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani regulares quoquomodo etiam vigore praedictorum privilegiorum, indultorum, aut concessionum, quae omnia ad terminos iuris per praesentes reducimus, procedant, aut se intromittant, illasve ab Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, locisque sacris, aut religiosis, etiam in casibus in hac Constitutione expressis, extrahere, abducere, capere, carcerare, aut cognoscere de criminibus ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, alias, quam de iure, et per privilegia eisdem Ordinibus, aut militiis concessa permittitur, quomodolibet praesumant.

§ 8. Quod si quis quacumque dignitate, et auctoritate praeditus, praemissorum, aut alio quovis praetextu, quicquam praeter, aut contra huius nostrae Constitutionis tenorem attentare praesumpserit, declaramus eum ipso facto censuras, et poenas easdem incurrere, quae contra libertatis, iuris, et immunitatis Ecclesiasticae violatores per sacros Canones, et Conciliorum generalium, nostrorumque Praedecessorum Constitutiones sunt promulgatae.

§ 9. Sicque per quoscumque Iudices, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, I, p. 271-273].

173.

Gregorius XIV, const. *Sedes Apostolica*, 31 maii 1591.

Sedes Apostolica pia mater assidue sentiens ponderis sibi incumbentis in procuranda salute animarum, pretioso Christi Domini sanguine redemptarum, gravitatem, et magnitudinem, in re tanti momenti, ut par est, magis in dies solicita, eumdemque optimum finem semper ante oculos propositum habens, nihil unquam intentatum praetermittit eorum, quae ad fidelium animas in viam salutis dirigendas iudicat pertinere. Quare nemini mirum videri debet, si interdum quidem contumacium fidelium audaciam poenarum severitate deterret. Rursus eisdem, si ad cor redire velint, et peccati veniam humiliter exposcere, maternum aperit sinum, viamque ad poenitentiam eis sternit faciliorem, ac mansuetudine congrua rigorem temperat, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

§ 1. Dudum siquidem fel. rec. Sixtus Papa V Praedecessor noster, iustitiae zelo accensus, contra procurantes abortum foetus, tam animati, quam inanimis, eiusque gravissimi sceleris participes, et adiutores, necnon contra eos, qui mulierum foecunditatem impedirent, et sterilitatis potiones, seu venena praeberent, Constitutionem edidit, sub dat. 4 Kalend. Novembris, Pontificatus sui anno tertio,[1] per quam ultra diversas, spirituales, et temporales poenas, etiam inter alia excommunicationis sententiam contra eos promulgavit, sibique, et successoribus suis tantum absolvendi facultatem reservavit, prout in eadem Constitutione plenius continetur.

§ 2. Cum igitur postmodum experientia docuerit, ex remedio huiusmodi, non eam, quae sperabatur, utilitatem, et fructum provenisse, verum potius multis Satanae malitia ad peccandum inductis, difficiliori ob soli Sedi Apostolicae reservatam absolvendi facultatem, reddito ad poenitentiam aditu, eos a nefariis huiusmodi flagitiis perpetrandis non solum non retraxisse, sed etiam plurimorum sacrilegiorum, gravissimorumque peccatorum, et scelerum occasionem dedisse: Nos propterea animadvertentes, gladium Ecclesiasticae disciplinae, praesertim quoad censuras, et poenas spirituales, ita exercendum esse, ut ad medicinam tendat, non ad perniciem animarum, aeternumque Pastorem, cuius vices in terris gerimus, quantum (divina eius gratia adiutrice) possumus, imitari volentes, qui venit animas hominum salvare, non perdere, neminique quantumcumque graviter, et enormiter deliquerit, viam salutis praeclusit, quin potius ad eam assequendam copiosa remedia adhibuit, ac Nobis reliquit, et simul utilius censentes, ubi nec de homicidio, nec de animato foetu agitur, poenas non imponere duriores iis, quae per sacros Canones, et leges prophanas sunt inflictae, habita super hoc cum Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, super negociis, et

[1] Cf. N. 165.

consultationibus Episcoporum deputatis matura deliberatione, de eorum consilio, Constitutionem praedictam sic duximus moderandam, ut a peccato, et excommunicatione contra personas ibi expressas lata, tam quoad eos, qui hactenus deliquerunt, quam quoad illos, qui post nostram Constitutionem in eisdem casibus deliquerint, quilibet Presbyter, tam saecularis, quam cuiusvis Ordinis regularis ad Christifidelium confessiones audiendas, et ad hos casus specialiter per loci Ordinarium deputatus, plenam, et liberam in foro conscientiae tantum, absolvendi habeat facultatem, eamdem prorsus, quam idem Sixtus Praedecessor, sibi ac suis successoribus reservavit.

§ 3. Quo vero ad poenas procurantium abortum foetus inanimis, aut exhibentium mulieribus, vel sumentium venena sterilitatis, aut quocumque modo auxilium, vel consilium eis dantium, in praedicta Constitutione contentas, Constitutionem praefatam, in ea parte ubi de his agit, ad terminos iuris communis, ac Sacrorum Canonum, et Concilii Tridentini dispositionem, auctoritate Apostolica tenore praesentium, tam quoad praeterita, quam quoad futura, perpetuo reducimus, perinde, ac si eadem Constitutio in huiusmodi parte numquam emanasset.

§ 4. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, I, p. 275, 276].

174.

Innocentius IX, const. *Quae ab hac*, 4 nov. 1591.

Quae ab hac Sancta Sede, cui licet indigni, auctore Domino praesidemus, pie, et salubriter sancita, et ordinata noscuntur, ea ut perpetuo firma, illibataque permaneant, non solum consensus, approbationis, et innovationis nostrae munimine roboranda, sed etiam declarationis praesidio, quatenus expedire visum sit, fulcienda censemus. Et praecipue muneris nostri esse ducimus, ea quae a Praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, ad patrimonii, dignitatis, et amplitudinis Sanctae huius Sedis conservationem, et incrementum laudabiliter disposita, et constituta sunt, in nobismetipsis servare, et aliis servanda tradere, et demonstrare.

§ 1. Sane fel. record. Pius Papa V, Praedecessor noster, de consilio, et assensu Venerabilium Fratrum suorum tunc S. R. E. Cardinalium optimam, et saluberrimam Constitutionem edidit, et promulgavit tenoris sequentis: *Admonet nos, etc.*

Omittitur insertio huius Bullae, cum ea sit posita supra, in N. 120.

§ 2. Quam quidem Constitutionem piae mem. Gregorius XIII,[1] Sixtus V,[2] et Gregorius XIV[3] Romani Pontifices pariter Praedecessores nostri, sicuti in ea

[1] Cf. N. 142.
[2] Cf. N. 158.
[3] Cf. N. 168.

cavetur, servare iurarunt, ac per eorum literas approbarunt, et confirmarunt, et innovarunt, prout in illis plenius continetur.

§ 3. Nos itaque Officii, et conscientiae nostrae debito satisfacere cupientes, Motu proprio, non ad alicuius supplicationem, vel super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia, meraque deliberatione nostra, in hoc primo secreto Consistorio, quod cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus habemus, Constitutionem praedictam, et omnia in ea contenta auctoritate Apostolica, tenore praesentium confirmamus, approbamus, et innovamus, eamque inviolabilis firmitatis robur obtinere, plenamque executionem, et effectum perpetuis futuris temporibus habere decernimus. Ac praeterea eisdem Motu proprio, scientia, deliberatione, et auctoritate assentientibus, et approbantibus eisdem S. R. E. Cardinalibus.

§ 4. Declaramus eadem Constitutione prohibita fuisse, ac prohiberi, omnem, et quamcumque infeudationem, et alienationem Civitatum, Terrarum, Oppidorum, et Locorum praedictorum, eidem Sedi, tam immediate, quam mediate subiectorum, non solum ne fiat, neve attentetur post eorum devolutionem, sed etiam antequam devolvantur, ac omnem, et quamcumque in perpetuum, vel ad tempus prorogationem, et extensionem infeudationum, investiturarum, ac concessionum de dictis Civitatibus, Terris, Oppidis, et Locis, nondum finitarum, ipsorumque incorporationem, quoad effectum impediendae alienationis, prorogationis, et extensionis huiusmodi, non a die eorum devolutionis, sed a die ipsius Constitutionis, et etiam antequam illa devolvantur, ipso iure cum omnibus clausulis, et decretis in praedicta Constitutione contentis, Camerae, et Sedi Apostolicae factam censeri.

§ 5. Insuper volumus, et declaramus, ut promissio, et iuramentum praestitum, et praestandum, de servanda eadem Pii Praedecessoris praefati Constitutione per Nos, et Romanos Pontifices successores nostros, ac S. R. E. Cardinales, intelligatur de ipsa Pii Praedecessoris Constitutione, ut supra per nos declarata, et secundum hanc nostram declarationem eamdem Constitutionem ad unguem, et inviolate observari oportere ac debere, sicuti et nos servaturos esse promittimus, ac sancte, et solemni more iuramus.

§ 6. Et ita per quoscumque Iudices, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, I, p. 324, 325].

175.

Clemens VIII, const. *Ad Romani*, 14 febr. 1592.

Ad Romani Pontificis curam, et solicitudinem pertinet, hoc quoque inter caetera non mediocri studio providere, ut quae ad conservandam Sanctae huius Sedis temporalem ditionem, bona, et iura, salubriter sancita fuerunt, ea et ab ipso, et ab aliis inviolata serventur.

§ 1. Alias siquidem fel. rec. Pius Papa V Praedecessor noster literas edidit in haec verba: Pius Episcopus, etc. *Admonet nos, etc.*

Omittitur, quia est supra, in N. 120.

§ 2. Quae quidem Constitutio uti optima, et ad retinendam S. R. E. dignitatem plane salutaris, approbata, confirmata, et innovata fuit ab iis qui sequuti sunt, Praedecessoribus nostris, piae nimirum memoriae Gregorio XIII,[1] Sixto V,[2] et Gregorio XIV.[3]

§ 3. Et novissime ab Innocentio IX,[4] qui etiam de Venerabilium Fratrum suorum, tunc Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio, et assensu, de quorum numero Nos quoque tunc eramus, declaravit eadem Constitutione prohibitam fuisse, et prohiberi, omnem, et quamcumque infeudationem, ac alienationem Civitatum, Terrarum, Oppidorum, et Locorum Sedi Apostolicae tam mediate, quam immediate subiectorum, non solum ne fiat, neve attentetur post eorum devolutionem, sed etiam antequam devolvantur, ac omnem, et quamcumque in perpetuum, vel ad tempus prorogationem, ac extensionem infeudationum, investiturarum, et concessionum de dictis Civitatibus, Terris, Oppidis, et Locis nondum finitarum, ipsorumque incorporationem, quoad effectum impediendae infeudationis, alienationis, prorogationis, et extensionis huiusmodi, non a die eorum devolutionis, sed a die ipsius Constitutionis, etiam antequam illa devolvantur, ipso iure cum omnibus clausulis, et decretis in praedicta Constitutione contentis, Camerae, et Sedi Apostolicae factam censeri, adiecto etiam Decreto, et declaratione, ut promissio, et iuramentum praestitum, et praestandum, de servanda eadem Pii Praedecessoris praedicti Constitutione, per ipsum Innocentium, et Successores suos Romanos Pontifices, ac praedictos Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, intelligatur de ipsa Pii V Praedecessoris Constitutione, per eum ut supra declarata, et secundum huiusmodi declarationem eamdem Constitutionem, ad unguem, et inviolabiliter observari oportere, ac debere, sicuti etiam se servaturum esse promisit, ac sancte, et solemni more iuravit, prout in eiusdem Innocentii Praedecessoris, sub Datum Pridie Nonis Novembris Pontificatus sui Anno primo, expeditis literis, clarius continetur.

§ 4. Quare Nos cum primum ad Apostolicae dignitatis fastigium divina providentia vocati sumus, id ipsum ad exequendum nostri Pastoralis officii debitum, praecipue pertinere existimantes, praeinsertas Pii Praedecessoris literas, ac omnia in eis contenta, etiam iuxta declarationem praedictam, per ipsum Innocentium Praedecessorem factam, ac desuper confectarum literarum continentiam, et tenorem, quem pariter praesentibus haberi volumus pro expresso, ac de verbo ad verbum inserto, auctoritate Apostolica tenore praesentium comprobamus, confirmamus, et innovamus. Easque firmiter, et inviolate, ac iuxta declationem praedictam Nos similiter servaturos esse promittimus, et iuramus, atque per eos, ad quos spectat, pariter perpetuo observari praecipimus, et mandamus. Nulli ergo omnino, etc. Si quis, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, I, p. 334, 335].

[1] Cf. N. 142.
[2] Cf. N. 158.
[3] Cf. N. 168.
[4] Cf. N. 174.

176.

Clemens VIII, const. *Illius vices*, 17 aug. 1592.

Illius vices, licet immeriti gerentes, qui ut animas suorum fidelium a peccato, et diaboli laqueis liberaret, e coelo descendens, humana carne assumpta, ne proprio quidem suo pretiosissimo sanguini pepercit, sed seipsum in Ara Crucis immaculatam hostiam, aeterno Patri offerre voluit, in hanc praecipue curam summo studio incumbimus, ut easdem animas inaestimabili pretio redemptas adversus Sathanae fraudes, quantum in nobis est, illaesas praeservemus, praesertim vero totis viribus nobis a Domino traditis exterminemus exitialia quaedam, atque enormia peccata, quibus divina Maiestas gravius offenditur, quaeque eodem fabricante humani generis hoste, inventa, atque introducta sunt, ut ex cruenta corporum morte animarum etiam simul interitus, ac pernicies sequatur.

§ 1. Recte siquidem, et salubriter fel. record. Pius Papa Quartus Praedecessor noster, post alios complures suos nostrosque Praedecessores, qui detestandum divina, naturalique lege, ac sacris canonibus damnatum duellorum abusum, suis etiam Constitutionibus severe prohibuerant, gravesque poenas contra quoscumque temporali ditioni S. R. E. mediate, vel immediate subiectos eius criminis quomodolibet reos, vel participes inflixerant, cupiens non solum in terris praedictis, sed alias ubilibet animarum periculis obviare, Principes, ac Domicellos permittentes in suis Dominiis id patrari, ac etiam extra Terras, et Loca ditioni Ecclesiasticae subiecta, huiusmodi duella, seu singularia certamina, aut diffidationes desuper facientes, ac ad id invitantes, provocantes, auxilium, consilium, vel favorem dantes, illisque astantes, et interessentes, necnon chartas desuper subscribentes, aut publicantes, seu de illis se intromittentes singulos, Imperatore, ac Regibus inferiores, maioris excommunicationis, ac (si Ecclesiastici fuerint) ultra eam, etiam privationis omnium dignitatum, beneficiorum, et officiorum Ecclesiasticorum, inhabilitatisque ad illa, et alia in posterum obtinenda, poenis subiacere, easque incurrere voluit, a quibus nonnisi a Romano Pontifice absolvi possint.[1]

§ 2. Sed et postmodum generalis Tridentina Synodus ad exterminandum penitus ex Christiano Orbe hoc malum, statuit,[2] ut Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, et quocumque alio nomine Domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac iurisdictione, et dominio Civitatis, Castri, aut Loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur, et si feudalia sint, directis Dominis statim acquirantur. Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum Patrini

[1] Cf. N. 101.

[2] Sess. XXV, *de ref.*, c. 19.

vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuae infamiae poenam incurrant, et ut homicidae iuxta sacros canones, puniri debeant. Et si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant Ecclesiastica sepultura. Illi etiam, qui consilium in causa duelli, tam in iure, quam facto dederint, aut alia quacumque ratione ad id quemquam suaserint, necnon spectatores, excommunicationis, et perpetuae maledictionis vinculo teneantur.

§ 3. Quas poenas novissime piae mem. Gregorius Papa XIII pariter Praedecessor noster extendit[1] adversus illos etiam omnes, qui non publice, sed privatim ex condicto, statuto tempore, et in loco convento monomachiam commisissent, etiam Patrinis, sociisve non vocatis, et loci securitate non habita, et provocatoriis literis minime praecedentibus, etiam contra locorum dominos, si id (quantum in se fuerit) non prohibuissent, caeterosque supradictos criminis socios, et ex composito spectatores, etiamsi pugnam ob aliquod impedimentum non commisissent, si ad locum accessissent pugnaturi, et per eos non stetisset, quominus pugnarent.

§ 4. Verum quia cum magna animi nostra molestia intelleximus, adhuc in quibusdam, praesertim transalpinis, ac remotis regionibus, et potissimum ubi bella vigent, castrensi quadam, et militari licentia, seu verius audacia, perniciosum hoc scelus inter fideles exerceri, quasi fas sit in solo hostili, ubi Christiani nominis, seu Catholicae fidei hostes tyrannidem exercent, sive haereses, et schismata impune grassantur, sive inter signa, et castra militaria in caput suorum fratrum impios convertere mucrones, quos multo salubrius contra Christi adversarios stringi par esset. Nos nefaria diaboli arma salutari Ecclesiae gladio, ad continendos in officio fideles nobis praecipue ipsius Domini auctoritate tradito retundere, atque a cervicibus gregis Domini nostrae curae crediti, quantum (eodem Deo adiutore) eniti possumus, propulsare cupientes, praedictas omnes Constitutiones, ac Decretum Concilii Tridentini, cum omnibus, et singulis in eis contentis censuris, et poenis, decretis, extensionibus, quarum, et quorum omnium tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, et ad verbum insertis, auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, confirmamus, et innovamus.

§ 5. Ac insuper auctoritate, et tenore praemissis decernimus, et declaramus, easdem Constitutiones, ac Decretum, locum habere ubique gentium, et terrarum, inter quascumque personas, etiam armatas, et in Castris, seu propugnaculis militantes, etiam ubi nostrorum, et S. R. E., aut Catholicae fidei hostium furor impune grassatur, vel in Dominiis per eos occupatis, et detentis. Idem quoque iuris censendum esse, si publico, et forsan iusto bello indicto, miles aliquis alterum in adversariorum exercitu militantem, sive alias in hostium Castris, praesidiis, aut Terris degentem, privatas simultates, atque inimicitias publicae causae intermiscendo, etiam Ducum permissu, ex condicto ad singulare certamen descendat, aut illum provocet. Necnon iisdem poenis, decreto, et Constitutionibus teneri eos, inter quos pactiones initae sint de dirimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit, seu

[1] Cf. N. 149.

sanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus utrinque illatus fuerit. Vel si convenerint, ut non singuli, cum siugulis, sed bini, terni aut plures hinc inde pugnent. Et non solum locorum Dominos, sed etiam Magistratus, Praesides, Locumtenentes, aut etiam militum Duces, et Capitaneos in Castris, vel extra ea, in alieno, vel hostili solo, vel cum militibus exercitus adversariorum monomachiam in quocumque casu, per praesentem, vel alias Constitutiones huiusmodi prohibito, permittentes, vel quantum in ipsis est non prohibentes, aut post dimissum crimen, veniam et impunitatem concedentes.

§ 6. Praeterea pari ratione prohibemus omnia, et singula eius generis scripta, Manifesta, seu fides vulgo appellata, quae etiam sine expressa provocatione ad certamen, tamen quasi praeparatoria quaedam ad chartulas, seu libellos provocatorios, et ad duellum, illorumque veluti radices, aut semina, ut plurimum lacessendi aliquem ad pugnam, et suscitandae simultatis, atque inimicitiae materiam, et occasionem praebent. Dum scilicet in illis per modum Epistolae, libelli, aut publicae attestationis, et intimationis, sive per authentica documenta, sive per unius, pluriumve chirographum, subscriptiones, aut relationes, sub praetextu proprii, vel alieni honoris, et famae, more militari, atque ut vulgo dicitur, Cavalleresco, tuendi, aut laedendi, sive ad illatae, vel propulsatae contumeliae, aut iniuriae probationem, seu tollendam illius suspicionem rei alicuius gestae, ad id pertinentis, vel verborum, aut responsionum series, et ordo narratur, vel ex simili abusu, hac de causa aliquid tale adeo firmiter asseritur, aut negatur, ut qui contradixerit, is sive nominatim, sive in genere mendacii arguatur, aut mentiri dicatur. Aut ad hunc effectum ex militari etiam consuetudine quaeritur, declaratur, aut respondetur, qua mente, aut quo sensu quippiam eiusmodi, quod ad superius expressa spectet, gestum, dictumve sit. Vel denique offert se quisquam contra certam, vel incertam personam, vel generatim contra quemcumque ad probandum armis, et verificandum, etiam inito certamine aliquid ita esse, aut fuisse, vel non fuisse. Necnon quascumque etiam sine scripto factas talium rerum supradicta quoquomodo concernentium, et ob huiusmodi causas in locis publicis, vel privatis, ubi hominum multitudo convenire soleat, denunciationes, narrationes, declarationes, et testificationes. Volentes, eos omnes, et singulos, qui suo, vel alieno nomine, ad effectum, de quo superius dictum est, praedicta, vel his similia, multoque magis ad certandum provocatoria scripta, libellos, epistolas, earumve exempla dictaverint, composuerint, scripserint, miserint, detulerint, divulgaverint, affixerint, exemplaverint, typis impresserint, subscripserint, intimaverint, vel etiam verbo denunciaverint, sive attestati fuerint. Quive aliis ad singulare certamen, publice, vel occulte ineundum, vel ad provocandum aliquem ad pugnam, sive ad huius generis scripta, quae Manifesta, quaeque chartulae provocatoriae appellantur, scribenda, dictanda, mittenda, deferenda, divulganda, auxilium, consilium, operam, favorem praestiterint, sive id suaserint, aut mandaverint, quive in praemissis, vel eorum aliquo se quomodolibet immiscuerint, etiamsi neque pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, nec accessus, aut actus ad pugnam proximus, neque expressa, et aperta provocatio subsequuta fuerit, neque scriptiones praedictae, quae Manifesta dicuntur, in publicum prodie-

rint, aut cuiquam intimatae extiterint, si per eos non steterit, quo minus publicatio, aut denunciatio fieret. Nihilominus censuris, et poenis omnibus in praesenti, et aliis praedictis Constitutionibus, et Decreto contentis subiacere, tam si superius enumeratis, quam si aliis etiam maioribus Ecclesiasticis, vel mundanis dignitatibus, gradibus, et praeeminentiis excellant.

§ 7. Quinimmo de novo, etiam per praesentes, ex parte Omnipotentis Dei Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, excommunicamus, et anathematizamus, maledicimus, et execramur omnes, et quoscumque, publice, vel privatim, palam, vel occulte, in quibuscumque locis, modis, et formis, ac casibus sub praesenti nostra, vel aliis praedictis Constitutionibus, ac Decreto comprehensis, singulare certamen (quod Duellum vulgo dicitur) ex composito ineuntes, necnon id scelus suadentes, aut provocantes, opem, consilium, vel favorem praestantes, equos, arma, et commeatus praebentes, aut comitantes, vel circa chartulas, seu libellos, literas, nuncios, aut quaecumque alia scripta huiusmodi quomodolibet peccantes, huiusmodi delicti socios, de industria spectatores, Patrinos, fautores, defensores, quacumque tam superius expressa, quam alia Ecclesiastica, vel mundana praefulgeant dignitate. Ita ut singulares etiam personae cuiuslibet Communitatis, Universitatis, Collegii, aut Reipublicae, quae huius criminis participes quoquo modo fuerint, nequaquam excusentur, sed supradictos omnes eorumque singulos, ipso facto, absque ulla monitione, Iudicis decreto, aut ministerio, perpetui anathematis, excommunicationis maioris, et maledictionis aeternae mucrone perculsos, et damnatos harum serie declaramus, et si in ipso conflictu obierint, sepultura Ecclesiastica perpetuo privatos esse volumus. Ipsas vero Civitates, Terras, Oppida, vel Castra, et Loca, in quorum Territoriis id facinus scientibus, et tacite, vel expresse permittentibus, aut tolerantibus, Dominis, aut Magistratibus, vel Senatu, aut Populo, admissum fuerit, Ecclesiastico supponimus interdicto, cuius interdicti relaxationem, aut excommunicationis absolutionem, ab alio quam a Nobis, aut pro tempore existente Romano Pontifice, poenitentia, et satisfactione congrue peracta, nisi in mortis articulo constituti, nequeant obtinere, etiam praetextu quarumvis facultatum, et indultorum quibusvis personis, tam Ecclesiasticis cuiuscumque Ordinis, aut Militiae, status, aut gradus, aut conditionis existentibus, quam laicis, etiam Imperiali, Regali, vel alia mundana praeeminentia insignitis, per Sedem Apostolicam in genere, vel in specie concessorum. Quae omnia, quoad praemissa, nolumus cuiquam in aliquo suffragari, poenis aliis, tam spiritualibus, quam temporalibus contra eos inflictis, nihilominus in suo robore permansuris.

§ 8. Universos autem, et singulos carissimos in Christo filios nostros Imperatorem, Reges, ac dilectos filios nob. Viros Duces, etiam armorum, et exercituum, Marchiones, caeterosque Principes Christianos, necnon Dominia, Potentatus, Communitates, et Universitates Civitatum, Oppidorum, et Castrorum, illorumque Domicellos, et Dominos temporales, ac etiam Militum, et copiarum, tam equestrium, quam pedestrium Ductores, Tribunos, Praefectos, Capitaneos in quibuscumque, etiam Nobis, et S. R. E. temporali iurisdictioni non subiectis locis constitutos, cuiuscumque gradus, praeeminentiae, et nobilitatis existentes hortamur, rogamus, et obtestamur per viscera D. N. Iesu

Christi, ut eius divini Nominis intuitu pro sua erga eumdem Deum, per quem regnant Reges, et a quo Principatus acceperunt, pietate, atque erga Nos, et sanctam hanc Sedem reverentia, et devotione, non modo nihil tale in suis Dominiis fieri permittant, nec ullo modo conniveant, sed hoc malum omni studio, diligentia, et auctoritate exterminare totis viribus procurent, et contra quoscumque delinquentes, et ut praefertur quomodolibet complices, et participes etiam temporalibus poenis gravissimis animadvertant, et per suos Officiales, et Curiae Ministros procedi curent, sciturі se obsequium Deo pergratum, perque acceptum praestituros, si quo gladio ad tutelam bonorum, et ad propulsandos perditorum conatus sunt accincti, eumdem ad vindictam huius peccati, et ad sumendas de huiusmodi criminis reis debitas poenas exercuerint, contra vero memores, si in re tam gravi male se gesserint, se in districto Dei iudicio rationem in novissimo die reddituros.

§ 9. Volumus autem, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, I, p. 386-388].

177.

Clemens VIII, decr. *Sanctissimus*, 26 maii 1593.

Sanctissimus Dominus noster, qui iam pridem accurate perpendit, ac re ipsa comperit, quod reservatio facultatis absolvendi Religiosos poenitentes a peccatis quibusdam gravioribus, nisi Superioribus admodum prudenter, ac moderate illa utantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientiae maculas detegere formidant, adducere posset in aeternae damnationis periculum, et spiritualis remedii desperationem;

§ 1. Ideo, ut huic malo Sanctitas Sua opportune prospiceret, decrevit, ut nemo e Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reservet, exceptis iis, quae sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum utilitati expedire prudenter in Domino iudicaverint.

1. Veneficia, Incantationes, Sortilegia.

2. Apostasia a Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eo pervenerit, ut extra septa Monasterii, seu Conventus fiat egressio, nocturna, ac furtiva e Monasterio, seu Conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.

3. Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale, iuramentum falsum in iudicio regulari, seu legitimo.

4. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum foetum, etiam effectu non sequuto.

5. Falsificatio manus, aut sigilli Officialium Monasterii, aut Conventus, furtum de rebus Monasterii, seu Conventus in ea quantitate, quae sit peccatum mortale.

6. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.

7. Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cuiuscumque personae.

8. Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio literarum a Superioribus ad inferiores, et ab inferioribus ad Superiores.

9. Si quod aliud praeterea peccatum grave pro Religionis conservatione, aut pro conscientiae puritate reservandum videbitur, id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia, matura discussione, et consensu.

§ 2. Non liceat Superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte, ac proprio motu id ab iis petierint.

§ 3. Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios, pro subditorum numero maiori, vel minori, iique sint docti, prudentes, ac charitate praediti, qui a non reservatis eos absolvant, et quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius iudicaverit.

§ 4. Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarii, qui ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.

§ 5. Licebit tamen Superioribus determinare poenitentias graves quibusdam peccatis, etiam non reservatis a Confessariis imponendas, quae subditos ab huiusmodi perpetrandis cohibere possint.

§ 6. Atque ita per quoscumque Regularium Superiores, quicumque illi sint, observari mandavit.

§ 7. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac cuiusvis Concilii, etiam generalibus decretis, necnon consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore observatis, aut regulis in generalibus, seu provincialibus capitulis editis, statutis, et Constitutionibus etiam Apostolica auctoritate confirmatis, privilegiis, indultis, et concessionibus quorumcumque, quorum tenores hic pro expressis haberi voluit, caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Sanctitas Sua deinceps declaravit, et declarat, ut si huiusmodi Regularium Confessariis casus alicuius reservati facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarii illa vice poenitentes Regulares, etiam non obtenta a Superiore facultate absolvere.

[Bull. Rom., tom. 5, V, p. 254, 255].

178.

Clemens VIII, const. *Religiosae congregationes*, 19 iun. 1594.

Religiosae congregationes, ab insigni sanctitate viris Spiritus Sancti afflatu institutae, tantas Ecclesiae Dei utilitates omni tempore attulerunt, ut ad eas conservandas, et instaurandas, Romani Pontifices Praedecessores nostri, magnam iure optimo diligentiam semper adhibuerint. Nam cum ea sit rerum humanarum conditio, et natura, ut etiam quae optime fundata, et constituta

sunt, partim hominum imbecillitate, et ad malum proclivitate, partim Daemonis astutia, paulatim deficiant, ac nisi cura pervigili sustententur, in deterius prolabantur. Idcirco Summorum Pontificum vigilantia magnopere laboravit, ut Regularium Ordinum disciplina, aut labefactata in pristinum restitueretur, aut salutaribus Constitutionibus communita, integra atque incolumis permaneret. Quorum nos vestigiis pro eodem officii munere insistere, et Pastoralem illorum solicitudinem (quantum possumus) divina adiutrice gratia, cupimus imitari.

§ 1. Quare ne ex muneribus, quae a pluribus Religiosae vitae professoribus, ex Christi patrimonio, quibusvis hominibus quavis ex causa saepe tribuuntur, gravia incommoda, et mala, etiam boni specie existant, praecavere studentes, hac nostra perpetuo valitura Constitutione, universis, et singulis cuiuscumque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium bona immobilia, et redditus certos ex Indulto Apostolico possidentium, vel non possidentium, seu cuiusvis Congregationis, Societatis, et instituti (non tamen Militiae) Regularibus personis utriuslibet sexus, omnem, et quamcumque largitionem, et missionem munerum penitus interdicimus.

§ 2. Sub qua prohibitione comprehendi volumus omnia, et singula Capitula, Conventus, et Congregationes, tam singulorum Conventualium, Monasteriorum, Prioratuum, Praepositurarum, Praeceptoriarum, Domorum, et Locorum, quam Provincialia, aut Generalia cuiuslibet Provinciae, sive universi Ordinis, Societatis, aut instituti, eorumque vel earum Camerarios, Commissarios, et quoscumque Officiales, et singulares personas: ipsos etiam Ordinum, Congregationum, et Societatum huiusmodi Superiores, quascumque dignitates obtinentes, etiam Generales, et Provinciales, Magistros, Ministros, et quocumque nomine Praefectos; necnon Conventuum, Monasteriorum, Prioratuum, Praepositurarum, Praeceptoriarum, Domorum et Locorum quorumcumque Abbates, Priores, Praepositos, Praeceptores, etiam maiores, Guardianos, Ministros, Rectores, atque Abbatissas, et Priorissas, et alio quovis titulo Praesidentes, tam ipsis Regularibus, quam Locorum Ordinariis, seu quibusvis Superioribus subiectos, utriuslibet sexus, ad vitam, vel ad tempus deputatos, adeo ut nemo umquam eorum, vel earum directe, vel indirecte, palam, vel occulte, tam communi, quam particulari, et proprio nomine, etiam sub quovis statuti, vel consuetudinis, seu verius corruptelae, aut alio praetextu, vel quacumque causa, nisi in Generali Capitulo, aut alia Generali Congregatione re mature discussa unanimi consensu omnium, Superiorumque permissu causa approbata fuerit, quicquam tale attentare valeat.

§ 3. Id autem ita absolute, et generatim vetitum intelligatur, ut neque omnino fas sit, quicquam donare, tam ex fructibus, redditibus, proventibus, collectis, vel contributionibus, aut oblationibus, sive eleemosynis, aut subsidiis certis, vel incertis, ordinariis, seu extraordinariis, mensae, seu massae communis, vel cuiusvis Fabricae, et Sacristiae, quorum bona communiter, ut praefertur, administrantur, seu quae rationibus reddendis sunt obnoxia, quam ex pecuniis etiam, quae a singulis quovis modo acquisitae in commune conferendae omnino sunt. Nec si per viam voluntariae contributionis in commune congerantur. Nec si forsitan privatim, et nominatim cuilibet

Religioso a suis Superioribus, vel a propriis affinibus, propinquis, familiaribus, amicis, aut benevolis, vel a piis Christifidelibus, etiam eleemosynae, aut charitatis, et illius propriae personae intuitu attributae, seu quoquo modo per quemlibet Religiosum suo Monasterio, Domui, aut loco acquisitae, eique ut ad libitum de eis disponat, per Superiores concessae fuerint. Praeterquam leviora esculenta, aut poculenta, seu ad devotionem, vel religionem pertinentia munuscula, communi tantum, numquam vero particulari nomine (ubi Superiori de consensu Conventus videbitur) tradenda. Sed et huiusmodi missiones munerum ipsis Religiosis utriuslibet sexus non solum per se, verum etiam per alios tam directe, quam indirecte prohibitas declaramus.

§ 4. Neque vero quisquam ab hac generali prohibitione se excusare valeat, etiam si munera miserit cuivis personae Laicae, vel Ecclesiasticae cuiuscumque status, gradus, dignitatis, ordinis, vel conditionis, et quavis non solum mundana, et Ducali, Regia, Imperiali, verum etiam Ecclesiastica, et Pontificali, aut alia maiori, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalatus dignitate fulgenti, etiam proprio loci Ordinario, etiam ex causa, et occasione benedictionis, vel susceptionis habitus Regularis, tonsurae, aut Professionis Monialium, tam sibi subditarum, aut ipsi etiam proprio Ordinis, vel Congregationis Protectori, Vice-Protectori, Generali, vel Provinciali, aut cuiusvis Monasterii, Prioratus, Domus, aut cuiuslibet alterius loci Regulari Superiori, aut alio quocumque officio, munere, aut dignitate fungenti, vel cuicumque etiam simplici, et particulari Religioso. Ita ut inter ipsos quoque Religiosos (ne prava ambitione impulsi pro consequendis in sua Religione gradibus, et dignitatibus alter alterius gratiam, aut benevolentiam aucupetur) quaecumque largitio, aut donatio munerum (nisi rerum minimarum, de licentia expressa, et in scriptis Superiorum) sit penitus interdicta.

§ 5. Insuper prohibemus, ne umquam eisdem Regularibus liceat ullas pecunias quoquo modo erogare in alicuius etiam benefactoris, aut Protectoris, vel Ordinarii honorem, etiam occasione transitus, vel primi ingressus, aut ad beneficiorum acceptorum memoriam, gratique animi testificationem, seu pro praedictis personis quavis auctoritate, vel dignitate fungentibus honorifice, laute, et opipare exicipiendis, seu pro quibusvis conviviis eisdem, aut cuivis alteri quacumque occasione, vel causa exhibendis, vel pro comessationibus, aut compotationibus quibusvis personis tam eiusdem Ordinis, Congregationis, Monasterii, Domus, aut Loci, quam extraneis largiendis, aut pro exhibendis spectaculis, etiam piis, intra Ecclesias, Monasteria, et Domos sacras, seu pias, vel extra eas, in quibusvis publicis, aut privatis, sacris, aut profanis locis, etiam ubi Sanctorum, et Sanctarum vita, aut res pie gestae, etiam in memoriam Passionis Dominicae populis spectandae proponuntur, aut alias in praedictis, sive in quibusvis rebus supervacaneis ad pompam, et ostentationem, aut ad oblectationem, vel paucorum lucrum, et privata commoda quomodolibet pertinentibus, nisi re ipsa pro divino cultu, et veris Christi pauperum indigentiis, servato in hoc charitatis ordine, et habita necessitatis ratione, de consilio, et consensu Superiorum sublevandis, aut alias in rebus licitis, et per Capitulum Generale, aut Provinciale non prohibitis, vel taxam ibi forsan praescriptam non excedentibus, sumptus huiusmodi fiant.

§ 6. Declarantes tamen per haec, laudabilem, et Apostolica doctrina sacrisque Canonibus commendatam hospitalitatem, praesertim erga pauperes, et peregrinos, nequaquam imminui, aut prohiberi. Quinimmo si qui redditus ad id, vel ex fundatione, vel ex institutis, statutis, aut consuetudinibus aliquorum Monasteriorum, Ordinum, aut Regularium huiusmodi locorum, aut ex testatorum, vel donantium voluntatibus, sive alias applicati, aut donati sunt, eos omnino, ut decet, integre in usus pios hospitalitatis huiusmodi erogandos esse, et praesertim in Monasteriis, seu locis desertis, et ab laicorum aedibus longius remotis, ubi tamen pauperum, et vere egenorum ratio in primis habeatur. Si quos vero ditiores occasione transitus, sive alias ex devotionis, aut necessitatis causa eo divertere contigerit, eos sane deceret Refectorio communi cum Religiosis, mensaque et ferculis communibus, nequaquam a caeteris distinctis contentos esse. Verum omnino ipsi Regulares in hospitibus huiusmodi potentioribus excipiendis ita se gerant, ut in eis frugalitas, et paupertas religiosa prorsus eluceat.

§ 7. Pari etiam ratione districte inhibemus, ne quispiam ex praedictis Laicus alias quam ut superius dictum est, vel Clericus saecularis, vel regularis quocumque honore, praeeminentia, nobilitate, aut excellentia, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalatus dignitate praeditus, etiam Protector, Vice-Protector, loci Ordinarius, Praelatus Generalis, Provincialis, aut Monasterii, Domus, vel loci cuiuslibet Superior, eorumve affines, propinqui, familiares, aut Ministri utriuslibet sexus, quicquam contra hanc superius expressam prohibitionem recipiant. Quod si, vel ab aliquo particulari Religioso, vel a Superiore quopiam Generali, Provinciali, aut alio quocumque officio fungente, aut a Conventu, Capitulo, vel Congregatione, sive ab universo Ordine, et Religione quicquam receperint, id quod acceperint, suum non faciant. Verum ipso facto absque aliqua monitione Iudicis, decreto, sententia, aut declaratione, ad illius restitutionem omnino in utroque foro teneantur, adeo ut restitutione ipsa realiter non facta, neque etiam in foro conscientiae absolvi possint. Hanc autem restitutionem fieri volumus non privatim ei Religioso, qui donavit, sed ei Monasterio, Domui, vel alteri loco, de cuius bonis facta est largitio, vel si non de eis bonis donatum est, in quo idem Religiosus donans professionem emisit, vel si nomine totius Capituli, Conventus, aut Congregationis, vel universi Ordinis, seu Religionis donatio facta extiterit, pariter communi mensae, aut massae, cuius nomine donatum fuerit, accepta munera restituantur, ita ut nec qui donavit, nec Conventus, Capitulum, Congregatio, Ordo, aut Religio, cui restitutio facienda est, illam remittere, et iterum condonare, aut recipientem ab obligatione restituendi eximere, vel ut in pauperes eroget, concedere quoquo modo possit.

§ 8. Quod si quis ex supradictis Regularibus utriuslibet sexus, cuiuscumque gradus, ordinis, dignitatis, ac ubilibet locorum existentibus, coniunctim cum caeteris, seu divisim nostrarum huiusmodi prohibitionum, statutorum, ordinationum, iussionum, decretorum, mandatorum transgressor fuerit, statuimus, ut omnibus, et singulis per eum obtentis dignitatibus, gradibus, muneribus, et officiis eo ipso privatus, ac ad illa, et alia similia, vel dissimilia in futurum obtinenda inhabilis perpetuo, et incapax, ac perpetua infa-

mia, et ignominia notatus existat. Et praeterea privationem vocis activae, et passivae absque ullo Superioris decreto, aut ministerio, ipso facto incurrat, necnon ultra huiusmodi poenas etiam tamquam contra furti, et simoniae criminum reum, tam per viam denunciationis, accusationis, aut querelae, quam etiam ex officio procedi, et inquiri, condignisque suppliciis affici debeat, poenis aliis a iure statutis, ac per alias Constitutiones Apostolicas, aut propria cuiusvis Ordinis, Congregationis, Monasterii, domus, aut loci, statuta, vel consuetudines contra personas aliquid praemissorum committentes forsan decretis, et inflictis, nihilominus in suo robore permansuris.

§ 9. Quocirca universis, et singulis modernis, et pro tempore existentibus locorum Ordinariis, eorumque Vicariis, et Officialibus, necnon quorumcumque Ordinum, Prioratuum, Monasteriorum, et Domorum Superioribus, etiam Generalibus, seu Provincialibus, caeterisque, ad quod spectat, per Apost. scripta mandamus, quatenus ipsi, et eorum singuli, quantum ad eos pertinet, curent omni studio, diligentia, auctoritate, et vigilantia praesentem constitutionem firmiter, et inviolate observari, et contra inobedientes, vel transgressores condignis poenis animadverti. Eosdem inobedientes, necnon contradictores quoslibet, et rebelles, per opportuna iuris, et facti remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 10. Non obstantibus Constitutionibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, II, p. 31-33].

179.

Clemens VIII, Instr. *Sanctissimus*, 31 aug. 1595.[1]

Sanctissimus Dominus noster Clemens Papa Octavus, etc.

Presbyteri Graeci, baptizatos chrismate in fronte non consignent, et ideo ab ipsis in ordine baptismi apud eorum Euchologium praetermittantur, quae sequuntur post illa verba *καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν*, etc. usque ibi, *εἶτα ποιεῖ ὁ ἱερεὺς σχῆμα κύκλου*, hoc est, et post orationem, etc. ubi habetur forma huius consignationis, usque ad verba: Postea facit sacerdos figuram circuli, etc.

§ 1. Episcopi Latini infantes, seu alios baptizatos a Presbyteris Graecis de facto chrismate in fronte consignatos confirment; et tutius videtur ut ad cautelam, et sub conditione id faciant, videlicet, N. si es confirmatus, ego te non confirmo, sed si non es confirmatus, ego consigno te signo Cru✠cis, et confirmo te chrismate salutis: ✠ in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Praesertim vero cum verisimiliter dubitari potest, quod ab Episcopis Graecis fuerint baptizati.

§ 2. Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, quod pro infirmis asservatur, singulis octo diebus, aut saltem quindecim renovetur.

[1] Instructio super ritibus Italo-Graecorum.

Non asservetur idem Sacramentum toto anno, si tamen asservatum fuerit, saltem in fine anni sumatur.

Tollatur abusus tundendi, vel etiam miscendi sacro Oleo, ac iterum coquendi, vel alias exsiccandi species Sacramenti Sacrae Eucharistiae Feria V Coenae Domini, ut deinde illud asservent.

Si Graeci velint accipere altaria portatilia ab Episcopis Latinis consecrata, bene erit; sin minus, tolerentur eorum throni, sive throni super Altaria lapidea ponendi cum celebrant.

Corporalia uti Latini habeant, nisi thronis etiam pro corporalibus utantur.

§ 3. In casu necessitatis, Presbyteri Graeci Catholici possint Latinos absolvere.

Utantur forma absolutionis in generali Concilio Florentino praescripta, et postea si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma huiusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt.

Tollendus abusus, ubi est, ut vir, atque uxor simul, et eodem tempore eidem Presbytero confiteantur.

Aqua ex ritu Graeco in die Epiphaniae, vel primo die mensis benedicta conservetur in Ecclesia, ut illa fideles aspergantur.

Circa Oleum Sanctum Catechumenorum, et infirmorum.

Non sunt cogendi Presbyteri Graeci, Olea sancta praeter Chrisma ab Episcopis Latinis Dioecesanis accipere, cum huiusmodi Olea ab eis, in ipsa Oleorum, et Sacramentorum exhibitione, ex veteri Ritu conficiantur, seu benedicantur. Chrisma autem, quod non nisi ab Episcopo, etiam iuxta eorum ritum, benedici potest, cogantur accipere. Prohibeantur vero ab Episcopis Graecis externis Schismaticis, seu Sanctae Romanae Ecclesiae communionem non habentibus, illud accipere, vel eo uti.

§ 4. Ordinati ab Episcopis Schismaticis, alias rite ordinatis, servata debita forma, recipiunt quidem ordinem, sed non exequutionem.

Proinde ipsi ordinati ab Episcopis Schismaticis, correcti, vel emendati reconciliandi sunt, et absolvendi cum poenitentiis salutaribus; dummodo errores, vel saltem schisma Ordinatoris abiurent in iudicio, vel publice, vel secreto pro qualitate facti. In ordinibus autem per eos alias rite susceptis ministrare non permittantur, nisi cum ipsis super irregularitate huiusmodi occasione contracta, auctoritate Sanctae Sedis Apostolicae fuerit dispensatum.

Non sunt admittendi Episcopi Schismatici, sive pro ordinibus, sive pro aliis Sacramentis conferendis, sed detinendi, quoad Sancta Sedes Apostolica desuper consulatur, et responsum habeatur.

Graeci sine literis dimissoriis Episcopi Latini Dioecesani ad Sacros Ordines promoti, suspensi sunt, et si suspensi in suis ordinibus ministraverint, efficiuntur irregulares sicut et Latini.

Super huiusmodi autem, et similibus irregularitatibus dispensandi facultatem a Sancta Sede Apostolica obtineri oportet.

Si Episcopus Latinus Graecum aliquem ordinare voluerit, qui a Presbytero Graeco in baptismo chrismate in fronte de facto fuerit consignatus,

debet illum antea confirmare, saltem sub conditione, videlicet N. si es confirmatus etc. ut supra. Presbyteri vidui, seu uxoribus orbati, habitum deferant diversum ab aliis.

§ 5. Curent Ordinarii locorum, ut decretum Sacri Generalis Concilii Tridentini de reformatione Matrimonii vertatur in linguam Graecam vulgarem, et in locis, et parochiis Graecorum, et Albanensium evulgetur, et publicetur.

Matrimonia inter coniuges Graecos dirimi, seu divortia quoad vinculum fieri nullo modo permittant, aut patiantur, et si qua de facto processerunt, nulla, et irrita declarent.

Maritus Latinus uxoris Graecae ritum non sequatur.

Latina uxor non sequatur ritum mariti Graeci.

Graeca vero uxor sequatur ritum mariti Latini.

Quod si id fieri non possit, quisque coniugum in suo ritu, Catholico tamen, manere permittatur.

Proles sequatur patris ritum, nisi praevaluerit mater Latina.

Presbyter Graecus coniugatus, ante Sacrum Sacrificium, seu Sanctam Missam celebrandam, vel per hebdomadam, vel per triduum abstineat ab uxore.

§ 6. Graeci credere tenentur, etiam a Filio Spiritum Sanctum procedere, sed non tenentur pronunciare, nisi subesset scandalum, praesertim si degant inter Latinos, aut necessitas postularet confitendi fidem Catholicam, quia tunc oporteret etiam pronunciare.

Nunquam monachis Graecis, seu Calogeris animarum cura committatur, nisi ex necessitate, vel alia iusta causa.

Presbyteri saeculares Graeci, abiuratis schismate, et erroribus, atque in fide Catholica bene instructi, in Parochialibus, seu Curatis Ecclesiis Graecorum institui possunt.

Tolerandus est apud Graecos usus carnium die Sabbati, ubi sine scandalo fieri potest, in locis tamen ipsorum, et inter eos tantum.

Item tolerandum est, ut ad Ieiunium eodem die Sabbati in Quadragesima, excepto uno Sabbato Sancto, ex antiqua traditione non teneantur, sed dumtaxat ad abstinentiam.

In ieiuniis biduanis, vel triduanis, vel alias a Dioecesanis, vel in Iubilaeis a Summo Romano Pontifice indictis, dies Sabbati in eis comprehensus, vel praescriptus, in alium diem pro plebibus Graecis ab ipsis Dioecesanis, Apostolica auctoritate Sanctissimi Domini Nostri Domini Clementis divina providentia Papae Octavi permittitur commutari.

Si ipsi Graeci ad observationem ieiuniorum, et vigiliarum Latinae Ecclesiae induci possent, optimum esset, sed non cogantur, cum ipsi qualibet hebdomada, et feria quarta, et feria sexta ieiunent.

Graeci existentes inter Latinos, dies festos de praecepto eiusdem Latinae Ecclesiae servare teneantur.

§ 7. Insuper idem Sanctissimus Dominus Noster constituit, Romae habendum esse Episcopum Graecum Catholicum, qui Graecos Episcopis Latinis Italiae, et Insularum adiacentium subiectos, ab Episcopo Graeco ordinari

volentes, cum illorum dimissoriis ad id tantum concedendis, ritu Graeco ordinet.

§ 8. Ita Sanctitas Sua ex sententia Congregationis super reformatione Graecorum decrevit, et declaravit, ac fieri mandavit.

[Bull. Rom., tom. 5, II, p. 72, 73].

180.

Clemens VIII, const. *Ex quo*, 10 febr. 1596.

Ex quo in Ecclesia Dei multa, tum a sacris Conciliis, tum a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, ad Dei gloriam augendam, et ad Catholicae fidei unitatem ubique retinendam, pie ac sapienter instituta sunt, nihil magis, iidem Pontifices Praedecessores nostri curandum sibi esse statuerunt, quam ut communes ecclesiastici muneris rationes, ad propriam normam servata antiquitatis auctoritate revocarent.

§ 1. Hac solicitudine impulsus fe. re. Pius Papa V Praedecessor noster, formulam primum psallendi horas canonicas, et celebrandi Missas, varie prius constitutam, et a nonnullis Praedecessoribus nostris restitui, et instaurari coeptam, ad unam pariter formam, Romano Breviario, ac Missali propterea summo studio, ac diligentia edito, redigendam curavit.

§ 2. Atque hoc sane consilio alii Romani Pontifices, qui eumdem Pium praecesserunt, Pontificales etiam caeremonias, ac ritus, quibus eiusdem Catholicae Ecclesiae Praesules in suorum munerum functione uterentur, certis similiter forma, et modo praefinitis, in Romanum Pontificale retulerunt.

§ 3. Caeterum, quia eaedem caeremoniarum, ac rituum formulae ibi expressae, postea, sive diuturnitatis iniuria, sive Typographorum negligentia, sive alia de causa, in ipso Pontificali partim immutatae, partim corruptae, veteris instituti, atque auctoritatis gratiam magna ex parte amiserant; idcirco necessaria res visa est, ut eaedem formulae in Sacris Praesulum Ecclesiasticorum muneribus servandae, recuperato prioris integritatis statu, omnino restituerentur, et ab omnibus praescripta firma aliqua ratione observarentur.

§ 4. Nos igitur ad summum Apostolatus apicem, meritis licet imparibus evecti, praedictorum Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, omni cura, et solicitudine adnitendum Nobis esse duximus, ut errores, qui quidem nec pauci, nec leves in idem Pontificale depravatis passim locis irrepserant, quam accuratissime tollerentur. Idem enim Pontificale, corrupti et mendosi voluminis speciem adeo praeseferebat, ut (multis dictionibus hinc inde partim in unam contractis, partim una in plures distincta, partim iisdem male, ac perperam collocatis, et traiectis, partim denique ipso orationis sensu mutato) dubium esset, quibus tandem officiis, vel laudibus iidem Ecclesiae Praesules divinum numen prosequerentur: praeterquam quod in rubricis etiam sparsim turbata ordinis serie dispositis, tanta erat varietas, et obscuritas, ut multis in locis recte ne se

haberent, opinione magis, quam iudicio esset statuendum. Hanc ergo ad rem, tam cum Ecclesiae cultu, officioque nostro coniunctam, tamque eorum, qui pro impositi oneris debito, sacris Ecclesiae muneribus vacare debent, concordiae, et unitati congruentem, examinandam, et absolvendam piis quibusdam, atque insignibus viris, diu, multumque in Pontificalibus caeremoniis, et ritibus versatis, negocium dedimus, dictum Pontificale undequaque corrigendi, et restituendi, necnon quaecumque ad exactam illius editionem spectare viderentur perquirendi, et praestandi. Cumque apud eos paterna hortatione ad hoc opus maturandum, quotidie fere uteremur, re tota tandem ad Nos perlata, et in hanc, quae nunc editur, formam redacta, singulari Dei benignitate (neque enim aliter accipimus) Pontificale Romanum tandem restitutum, et absolutum est, atque ita ex omni parte dispositum, quod ii etiam, qui negocio, ac muneri huic praefuere, confirmarunt, ut nihil ab antiquis Pontificalium codicibus, qui tum in clarioribus Urbis Ecclesiis, tum in nostra Vaticana Bibliotheca, ac denique in quibusdam aliis insignibus locis asservantur, alienum, aut discrepans irrepserit. Ad quam operam in vetustis libris inter se conferendis, strenue, ac fideliter navatam, id commodi quoque accessit, quod ii, qui ea in re industriam collocarunt, ex gravissimis scriptoribus eos demum auctores, qui omnium probatissimi haberentur, sequuti fuerint: quodque ambiguis omnibus, ac dubiis rebus praetermissis, eas dumtaxat, quae essent in veteris Pontificalis summa comprehensae, delegerint, iis tamen exceptis, quae ad Romanum Pontificem attinebant, quod nimirum in Caeremoniali S. R. E. sunt expressae. Ex rubricis vero, multis detractis, quae exactiore methodo in librum caeremoniarum Episcoporum sunt relata, plerisque etiam, uti necessitatis ratio postulabat, adiectis, et praeterea non paucis quibusdam in melius commutatis, clariusque expositis, ac denique cantu plano in aptiorem modulationis formam (permultis syllabis, pro temporum natura, ubi ratio eas produci, et corripi postulabat, contra quam prius in antiquo Pontificali expressum erat, magis apposite extensis, vel contractis) a viris eius rei peritis, ad hoc iussu nostro delectis, diligenter redacto, opus iam absolutum probavimus, et Romae edi, editumque divulgari mandavimus.

§ 5. Ut autem ipsius operis labor, finem eum ob quem est susceptus, sortiatur, utque posthac in omnibus, et singulis Ecclesiis, uno eodemque modo caeremoniae, et ritus Pontificales observentur, Motu proprio, et ex certa nostra scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, omnia, et singula Pontificalia in hunc usque diem in quibuscumque terrarum orbis partibus impressa, et approbata, et quibusvis privilegiis Apostolicis munita, et decretis, ac clausulis roborata, per praesentes supprimimus, et abolemus, eorumque usum in posterum universis Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Militiis, Ordinibus, et Locis, atque etiam omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, et aliis Ecclesiarum Praelatis, caeterisque omnibus, et singulis personis Ecclesiasticis, saecularibus, et regularibus utriusque sexus, interdicimus, et prohibemus, et hoc nostrum Pontificale sic restitutum, et reformatum in omnibus universi terrarum Orbis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, et locis, etiam exemptis, si quae sunt, recipi, et observari praecipimus.

§ 6. Statuentes Pontificale praedictum nullo umquam tempore, in toto, vel in parte mutandum, vel ei aliquid addendum, aut omnino detrahendum esse, ac quoscumque, qui Pontificalia munera exercere, vel alias, quae in dicto Pontificali continentur, facere, aut exequi debent, ad ea peragenda, et praestanda, ex huius Pontificalis praescripto, et ratione teneri, neminemque ex iis, quibus ea exercendi, et faciendi munus impositum est, nisi formulis, quae hoc ipso Pontificali continentur servatis, satisfacere posse.

§ 7. Omnibus igitur, et singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, et caeteris Ecclesiarum Praelatis, necnon aliis quibuscumque personis Ecclesiasticis, saecularibus, et regularibus utriusque sexus, ad quas id spectat, praecipimus, ac mandamus, ut omissis, quae sic suppressimus, et abolevimus, caeteris omnibus Pontificalibus, hoc nostrum in suis Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Ordinibus, Militiis, Dioecesibus, et locis praedictis recipiant, illoque posthac perpetuo utantur.

§ 8. Caeterum, ut praesentes literae omnibus plenius innotescant, mandamus, illas ad valvas Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, et Cancellariae Apostolicae, et in acie Campi Florae publicari, earumque exemplar de more affigi. Volumusque praeterea, et motu, atque auctoritate similibus decernimus, ut qui in Romana Curia sunt praesentes, lapsis duobus mensibus, qui vero intra montes, octo, et qui ultra ubique locorum degunt, duodecim integre excursis, vel alias ubi venalium huius Pontificalis voluminum, notitiam, et facultatem habuerint, sacras caeremonias, et ritus in eodem Pontificali praescriptos iuxta illius modum, et normam, in quibuscumque actibus exercere, et observare teneantur.

[Bull. Rom., tom. 5, II, p. 92, 93. - Cf. etiam Pontificale Romanum, initio].

181.

Clemens VIII, const. *Susceptí muneris*, 23 febr. 1596.

Suscepti muneris ratio postulat, ut ea, quae in Sacro Tridentino Concilio provide constituta sunt, ab iis, ad quos spectat, inviolate observari curemus.

§ 1. Maturo sane consilio ipsius Concilii decreto [1] provisum est, ut quicumque Regularis non subditus Episcopo, intra claustra degens extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, a suo Superiore intra tempus ab Episcopo praefigendum severe puniatur, et Superior de punitione Episcopum certiorem faciat, sin minus, ipse a suo item Superiore officio privetur, et delinquens ab Episcopo puniri possit.

§ 2. Verum quia experientia compertum est, interdum in huiusmodi decreti exequutione nimis remisse procedi: cum enim Episcopus instat, aliquem regularem, eo quo supra dictum est modo, delinquentem a suo Superiore

[1] Sess. XXV, *de regularibus*, c. 14.

puniri, saepe fit, ut Superior regularem delinquentem ad alia suorum Ordinum loca, extra Episcopi Dioecesim, ex industria impunitum transmittat, atque etiam ipse aliquando ad alias Provincias se conferat, nec ulterius super delinquentis excessibus inquirat, et de eius punitione Episcopum certiorem reddat. Unde nec regularis delinquens tunc ab Episcopo puniri potest, cum extra ipsius Dioecesim existat, nec Superior, qui delinquentem corrigere negligit, officio privatur.

§ 3. Nos pro pastorali nostra solicitudine, praefati decreti exequutioni, quantum cum Domino possumus, favere, et praemissis malis, ut par est, opportuno aliquo remedio occurrere volentes, de Venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium praedicti Concilii interpretum sententia, Motu proprio, et ex certa scientia nostris, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione, omnibus, et singulis cuiuscumque Ordinis, et instituti Regularium, etiam Mendicantium, Superioribus, in virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis nostrae, ac privationis dignitatum, et officiorum per eos obtentorum, eo ipso incurrendis poenis, praecipimus, et mandamus, ut iuxta praedictum decretum quilibet ipsorum regularem non subditum Episcopo, intra claustra degentem, et extra ea ita notorie delinquentem, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, intra tempus ab Episcopo praefigendum, severe puniat, ac de punitione Episcopum certiorem faciat, et alias decretum ipsum, in omnibus, et per omnia exequatur. Caeterum si Superior in regularem delinquentem non animadverterit, quinimmo si illum impunitum ad alia suorum Ordinum loca, extra Episcopi Dioecesim, ut praefertur, transmiserit, volumus, et simili motu, atque auctoritate decernimus, ut Superior instante Episcopo, intra terminum ab Episcopo praefigendum, et sub eisdem indignationis nostrae, ac privationis dignitatum, et officiorum obtentorum, necnon et sub inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda, ac ulterius privationis activae, et passivae vocis, ad quas a nemine praeterquam a Nobis, et a Romano Pontifice pro tempore existen. restitui possit, ipso facto similiter incurrendis poenis, ipsum regularem delinquentem a loco, ad quem transmissus fuit, revocare, et in quo deliquit, constituere, seu sistere teneatur. Quod si hoc etiam facere praetermiserit, per praesentes similiter statuimus, ut Ordinarius loci ad quem regularis delinquens transmissus fuerit, super praemissis ab ipso Ordinario loci, in quo deliquit, similiter requisitus, vel alias de illius delicto informatus, ut praefertur, tamquam Sedis Apostolicae delegatus, praedictum Concilii decretum omnino exequi, et in regularem delinquentem severe animadvertere possit, et debeat.

§ 4. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, II, p. 93, 94].

182.

Clemens VIII, const. *Romanum Pontificem*, 28 febr. 1596.

Romanum Pontificem decet, ea quae ob iustas causas interdum statuta sunt, cum ipsa rerum experientia suadet, moderari, et immutare, prout in Domino salubriter conspicit expedire.

§ 1. Alias sane emanarunt literae fel. rec. Sixti PP. V, Praedecessoris nostri, contra Clericos male promotos, ac in Episcopos in Ordinum collatione peccantes, tenoris infrascripti, videlicet Sixtus Episcopus Servus servorum Dei. Ad perpetuam, etc. *Sanctum et salutare*, etc.

Omittitur insertio bullae, quoniam eam habes supra, in N. 166.

§ 2. Nos animadvertentes in dictis literis nihil fere, quo ad ea, quae in ordinum collatione servanda sunt, disponi ultra id, quod in sacris Canonibus, et in Concilii Tridentini Decretis, ac aliorum Romanorum Pontif. Praedecessorum nostrorum Constitutionibus dispositum fuit, sed diversas poenas, et censuras ecclesiasticas contra Episcopos, et alios Praelatos in ordinum collatione peccantes, et similiter contra clericos, tam saeculares, quam cuiusvis Ordinis, instituti, et militiae regulares male promotos constitui, absolutionemque, et dispensationem Sedi Apostolicae reservari, et alias sicut in praefatis literis continetur. Considerantesque, tam promoventes quam eos, qui ad dictos Ordines promoventur, saepe censuris, et poenis huiusmodi, ob illarum multiplicationem in eorum perniciem animarum, variis modis illaqueari, nonnullos ex Praelatis, et Episcopis in conferendis huiusmodi ordinibus nimis scrupulose procedere, multosque metu poenarum, et censurarum praefatarum, ab Ordinum collatione prorsus deterreri, adeo ut Clericorum, et Sacerdotum numerus propterea aliquibus in locis valde imminutus sit, omnium in praemissis securitati, ac animarum saluti, paterna charitate prospicere volentes, Motu proprio, et ex certa scientia nostris, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione, supradictas literas ad terminos sacrorum Canonum, ac Constitutionis, rec. mem. Pii Papae II etiam Praedecessoris nostri, quae incipit: *Cum ex sacrorum* (cf. N. 57), sub dat. videlicet 15 kal. Dec. anno incarnationis Dominicae 1461, Pontif. sui an. IV, cuius tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, et ad dispositionem Decretorum sacri Tridentini Concilii restringimus, et reducimus, necnon censuras, et poenas in eisdem Sixti literis contra quoscumque, praeterquam contra simoniace ordinantes, et ordinatos, inflictas, quas volumus in suo robore permanere (aliis omnibus poenis a sacris Canonibus, et Conciliis contra praedictos omnes similiter inflictis salvis, et firmis remanentibus) moderamur, et abolemus.

§ 3. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, II, p. 97].

183.

Clemens VIII, const. *Regularis disciplinae*, 12 mart. 1596.

Regularis disciplinae restitutioni, pro qua potissimum iuxta muneris nostri debitum laborare non desistimus, illud in primis magnum impedimentum afferre quotidiano usu compertum est, quod in omnibus Conventibus, iis praesertim, qui maiori reformatione indigent, singuli ad Religionem venientes passim recipiuntur. Unde fit, ut quo magis Nos variis Constitutionibus male affectas radices amputare studemus, eo magis in dies depravatae, infructuosaeque eiusmodi noviter profitentium succrescant.

§ 1. Cui quidem malo occurrere volentes, praesenti Decreto statuimus, districteque praecipimus omnibus Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, caeterisque Superioribus Conventuum intra Italiae, et insularum adiacentium fines existentium quibuscumque, et quorumcumque Ordinum Mendicantium, ut de caetero neminem sub quovis praetextu, aut colore, ad habitum regularem admittant, nisi in Conventibus auctoritate nostra propediem in unaquaque Provincia designandis.

§ 2. Insuper sancimus, ut quoad eiusmodi Conventus, ut praefertur, per Nos deputati non fuerint, omnes praefatorum Ordinum Superiores a receptione quorumcumque Novitiorum, sive ad habitum, sive ad professionem omnino abstineant.

§ 3. Superior, qui huius Decreti transgressor extiterit, ipso facto poenam privationis omnium officiorum, quae tunc obtinebit, vocisque activae, et perpetuae inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda, se noverit incurrisse, ac aliis etiam poenis arbitrio nostro subiaccat.

§ 4. Receptiones vero, et professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi Decretum nostrum admissi fuerint, nullas, et irritas esse nunc decernimus, et declaramus.

§ 5. Privilegiis, statutis, et consuetudinibus quibuscumque in contrarium minime obstantibus.

[Bull. Rom., tom. 5, II, p. 410, 411].

184.

Clemens VIII, decr. *Sanctissimus*, 18 aug. 1597.

§ 1. Sanctissimus D. N. D. Clemens Papa VIII decrevit, ut qui in praesenti Card. Diaconi existunt, si in ordine Diaconatus per integrum decennium a die eorum promotionis ad Cardinalatum perseverarint, transeuntes ad ordinem Presbyteratus, locum obtinere valeant ante omnes illos Cardinales Presbyteros, qui post illos ad Cardinalatum assumpti fuerint; dummodo decem saltem Cardinales Diaconi in eodem ordine remaneant.

§ 2. In posterum vero Cardinales Diaconi promovendi, eodem privilegio potiantur, uno hoc excepto, quod ipsis decennii tempus, non a die quo ad Cardinalatum evecti fuerint, sed a die quo ad ordinem Presbyteratus promoveri potuerint, currere incipiat.

[Bull. Rom., tom. 5, II, p. 165].

185.

Clemens VIII, const. *Cum ob nonnullas*, 10 apr. 1598.

Cum ob nonnullas graves, et urgentes causas ad Civitatem, et Ducatum nostrum Ferrarien. cum plerisque S. R. E. Cardinalibus, et nonnullis nostris, et Romanae Curiae Officialibus propediem, annuente Domino, nos conferre, ac ibidem, et in aliis forsan temporalis ditionis Ecclesiasticae locis per aliquot menses commorari statuerimus. Cumque in Alma Urbe nostra causarum, et literarum Audientiam, nec non etiam Cancellariam nostram Apostolicam relinquamus, et praeterea diversi eiusdem S. R. E. Cardinales, aliique Romanae Curiae Officiales in eadem Urbe remaneant, Nos ne propterea dubitatio aliqua circa Curiales, ac Officiales, eiusdem Romanae Curiae oriatur, providere volentes;

§ 1. Hac nostra Constitutione, tam eos qui Nos sequentur, quam eos qui in dicta Urbe remanserint, sive S. R. E. Cardinales, sive Officiales, et Curiales, aut alii quicumque eamdem Romanam Curiam sequentes fuerint, unam tantum, et non duas Romanas Curias constituere, eosque omnibus, et singulis gratiis, privilegiis, antelationibus, praerogativis, declarationibus, indultis, facultatibus, concessionibus, et consuetudinibus, etiam quoad acceptationes, et provisiones beneficiorum faciendas, quibus Cardinales, Officiales, Curiales, et alii praedicti, dum Nos in dicta Curia in eadem Urbe residemus, de iure, et consuetudine utuntur, potiuntur, et gaudent, seu uti, potiri, et gaudere posse, et debere, perinde ac si Nos in eadem Urbe resideremus, auctoritate Apostolica tenore praesentium statuimus, decernimus, et declaramus.

§ 2. Necnon etiam eamdem Curiam censeri volumus, quoad beneficia, quae tam in dicta Urbe, et in Civitatibus, et locis ad quae accedemus, et in quibus in itinere eundo, et redeundo pro tempore moram trahemus, quam per obitum illorum, qui Nos, et Curiam nostram sequentur, seu ad Nos, et ad eamdem Curiam pro eorum negociis accedent, et in itinere, sive eundo, sive redeundo diem claudent extremum, quomodolibet vacabunt, neminemque de illis praeter Nos disponere posse.

§ 3. Sicque per quoscumque Iudices, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, II, p. 216].

186.

Clemens VIII, decr. *Sanctissimus*, 20 iun. 1599.

Sanctissimus in Christo Pater, et D. N. D. Clemens divina providentia Papa VIII cum iamdudum animadverteret collapsae Regularis disciplinae restitutioni, pro qua potissimum, iuxta sui muneris debitum vigilare, ac laborare non desistit, illud in primis magnum impedimentum afferre, quod in omnibus Monasteriis, et Conventibus, iisque praesertim, qui maiori indigent reformatione, singuli ad Religionem profitendam accedentes, passim, ac sine delectu recipiuntur, ac inde fieri, ut quo magis variis Constitutionibus male affectas radices evellere studet, eo magis infructuosa noviter provenientium germina quotidie succrescant; cumque ob zelum, ac desiderium, quo tenetur Sanctitas Sua, omnes Regulares ad vetus suae cuiusque Religionis institutum redigendi, districte prohibuerit, ne quis in certis Monachorum, et Mendicantium Ordinibus ad suscipiendum habitum Religionis admitteretur, profiteretur ve, quousque Monasteria, et Conventus aliquot destinarentur, in quibus posset commodius regularis observantia, secundum reformationem a Sanctitate Sua institutam, introduci.

§ 1. Quia tamen non obstante tali prohibitione, cognovit nonnullos fuisse, vel sub colore facultatis, et licentiae a Sanctitate Sua obtentae, vel quia talis prohibitio ad illorum notitiam non pervenerit, receptos, et admissos, praeter mentis suae sensum. Idcirco huic malo prospicere volens, ne licentiarum, ac facultatum huiusmodi subreptione, ac praetextu Decretum Sanctitatis Suae irritum reddatur. Nunc denuo districte praecipit, ac mandat omnibus Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Praesidentibus, Abbatibus, Prioribus, et Guardianis quibuscumque, caeterisque Superioribus Conventuum, Monasteriorum, ac Domorum quocumque nomine appellentur, intra Italiam, et Insularum adiacentium fines existentium, quorumcumque Ordinum Mendicantium, et non Mendicantium (exceptis tamen Carthusianorum, Fratrum Minorum de Strictiori Observantia, necnon Capuccinorum S. Francisci, Reformatorum S. Dominici, Discalceatorum Ordinis Carmelitarum, necnon Fratrum Congregationis Fuiliensis Cisterciensis Ordinis, ac Eremitarum Eremi Camaldulensis Montis Coronae, Clericorum Regularium Theatinorum, Societatis Iesu, Sancti Pauli Decollati, et aliorum de Somascha, Ministrorum Infirmorum respective Ordinibus, Societatibus, seu Congregationibus nuncupatis, quae etiam antea exceperat, et nunc iterum excipiendo voluit prohibitionem hanc ad illa nullo modo extendi) ne sub cuiusvis licentiae, et facultatis impetratae, vel impetrandae obtentu, nisi per literas in forma Brevis dumtaxat, et non alias, quemquam ad habitum Regularem suscipiendum, nec etiam conversos, nisi in Conventibus, Monasteriis, et Domibus, auctoritate eiusdem SS. D. N. propediem in unaquaque Provincia designandis recipere, aut receptos ad professionem admittere, ullo modo audeant. Quinimmo contra primam prohibitionem Sanctitatis Suae receptos,

etiamsi imperfectum habitum, aut sine caputio gerant, post praesentis Decreti in Romana Curia publicationem, omnino eiicere debeant.

§ 2. Superiorem autem, qui huius Decreti transgressor extiterit, ipso facto poenam privationis omnium officiorum, quae tunc obtinebit, vocis activae, et passivae, et perpetuae inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda, eo ipso incurrere voluit, ac decrevit, et aliis etiam poenis arbitrio Sanctitatis Suae imponendis subiacere.

§ 3. Receptiones vero, et professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi Decretum admissi fuerint, nullas, et irritas esse ad quemcumque effectum, et nunc decernit, et declarat.

§ 4. Hoc autem Decretum noluit Sanctitas Sua eos Ordines comprehendere, qui Conventus, Domos, et Monasteria a se probata pro Novit. receptione, et educatione hactenus permissione sua constituerint.

§ 5. Caeteras vero licentias, sive particulares, quae in hanc diem effectum non sunt sortitae, revocat, et annullat.

§ 6. Vult autem Decretum hoc suum in solitis locis Urbis publicatum, ita praedictorum singulos afficere, ac si cuilibet personaliter fuisset intimatum, privilegiis, statutis, et Constitutionibus quibuscumque in contrarium minime obstantibus.

[Bull. Rom., tom. 5, II, p. 411].

187.

Clemens VIII, decr. *Nullus omnino*, 25 iul. 1599.[1]

Nullus omnino praetextu cuiuscumque privilegii, vel superioritatis, etiam Generalatus, a servitio Chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprii officii munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, et Praedicatoribus, Superiores iis tantum diebus, quibus eos legere, aut praedicare contigerit, dispensare possint. Idem quoque praestare valeant cum aegrotis, et studiorum causa legitime impeditis. In eos vero qui negligentes, aut inobedientes fuerint, salutari poenitentia Superiores animadvertant, ad praescriptum Regulae, et Constitutionum, alimenti etiam si opus fuerit subtractione.

§ 1. Lectio Sacrae Scripturae, vel casuum conscientiae bis in hebdomada, praescriptis diebus in singulis Conventibus habeatur, ad quam Fratres omnes conveniant; eaque absoluta, mutua collatione circa explicatam doctrinam sese utiliter exerceant.

§ 2. Quo Tridentini Concilii Decreta de paupertatis Voto custodiendo fidelius observentur, praecipitur, ut nullus ex Fratribus, etiamsi Superior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, census, eleemosynas, sive ex Concionibus, sive ex Lectionibus, aut pro Missis tam in propria Ecclesia, quam ubicumque celebrandis, aliove ipsorum iusto labore, et causa, et quocumque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut pio-

[1] Edebatur hoc decretum pro Ordine Servitarum.

rum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere possit, sed ea omnia statim Superiori tradantur, et Conventui incorporentur, atque cum caeteris illius bonis, redditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur, quo communis inde victus, et vestitus omnibus suppeditari possit. Neque Superioribus, quicumque illi sint, ullo pacto liceat eisdem Fratribus, aut eorum alicui, bona stabilia, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam, etiam depositi, aut custodiae nomine concedere. Eorum vero, quae ad necessitatem concessa erunt, nullus quicquam possideat, ut proprium, neque ut proprio utatur. Qui in praemissorum aliquo deliquerit, poenas nedum a Concilio Tridentino praescriptas, sed alias quoque multo graviores, Superiorum arbitrio imponendas incurrat. Nulla quorumcumque Superiorum dispensatio, nulla licentia, quantum ad bona mobilia, vel immobilia Fratres excusare possit, quo minus culpae, et poenae ab eiusdem Concilii Decretis impositae, et ipso facto incurrendae, obnoxii sint; etiamsi Superiores asseverent huiusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quibus in ea re fidem minime adhiberi volumus.

§ 3. Fratrum vestitus, et suppellex cellarum, ex communi pecunia comparetur, et omnino uniformis sit Fratrum, et quorumcumque Superiorum, statuique paupertatis, quam professi sunt, conveniat, ita ut nihil superflui admittatur, nihil etiam quod sit necessarium, alicui denegetur. Quaecumque Fratrum vestes, sive laneae, sive lineae, omnisque alia suppellex in aliquem commodum Conventus locum deferantur, ibique ab uno, vel duobus Fratribus huic muneri deputatis, diligenter custodiantur, ut inde Superioris arbitrio, prout unicuique opus fuerit, subministrari opportune possint.

§ 4. Omnes etiam Superiores, quicumque illi sint, eodem pane, eodem vino, eodemque obsonio, sive eadem, ut aiunt, pitantia, in communi mensa prima vel secunda, nisi infirmitatis causa impediti fuerint, vescantur; neque singulare aliquid, quo privatim quisque in cibum utatur, ullo modo afferri possit; si quis in ea re peccaverit, nihil ea die alimenti percipiat, nisi panem, et aquam.

§ 8. Superioribus autem, nec Concilii Tridentini, aut haec nostra decreta declarare, interpretari, aut relaxare ullo modo possint, omnino interdicimus, et prohibemus. Decernentes irritum, etc., si quis autem contra praesumpserit attentare, is eo ipso omni gradu, officioque privatus, et ad ea perpetuo inhabilis existat.

§ 11. Ut omnis scandalorum, et vagationis occasio tollatur, Conventus clausura perpetuo, ac diligenter servetur; ac propterea a Superiore Ianitor constituatur, qui diligentia, ac morum integritate maxime commendetur; is ianuae custodiendae semper assistat, eamque nemini Fratrum aperiat, nisi socium, et exeundi licentiam obtinuerit.

§ 16. Nullus etiam Superior, cellas, sive in claustro, sive alibi separatas a communi Dormitorio habeat, sed unusquisque unica cella, eadem cum caeteris aliorum Fratrum coniuncta, nudis omnino parietibus, ac lecto, et mensa humilibus, uniformique suppellectili, ut praefertur, quemadmodum Religiosos decet, contentus sit. Possit tamen Generalis alicui ex Superiori-

bus Conventuum, si eorum muneris, et officii necessitatem id exigere cognoverit, alteram etiam cellam concedere. Cellae, sive aediculae, quae extra Dormitorium separatim sunt, ad officinas, aut alias ad communem usum, et commoditatem Conventus redigantur. Sigillatim suo quisque lecto cubet, neque ullibi duo eodem lecto dormire possint, qui omnes ad certam formam redigendi erunt. In privatis cellis nulli camini permittantur, sed omnes obstruantur statim, cardinibus etiam e parietibus convulsis, ut res illa non ad tempus facta, sed perpetuo duratura videatur, cellis tamen Generalis, aut alterius Superioris, ac Praedicatoris exceptis.

§ 18. Valetudinarium in singulis Conventibus certo, ac salubriori loco constituatur, quod pro loci situ, ac Fratrum numero, quoad fieri poterit, commodissimum esse possit, in quo Fratres omnes, cum aegrotabunt, curentur, nec inde, nisi recuperata sanitate abire permittantur. Qui vero infirmorum curae praepositi sunt, omni sedulitate, ac charitate operam suam praestabunt, ac curabunt, ne quid aegrotis omnino desit, quod ad sanitatem recuperandam pertineat.

§ 19. Ineatur ratio, qua, sublatis licentiis, ac facultatibus hactenus quibuscumque concessis, degentes extra Conventus claustra ad ea quamprimum revocentur; nec de caetero, nisi ex gravissima causa a Sede Apostolica probanda, huiusmodi facultates concedi possint.

§ 20. Nulli in posterum ad habitum, aut professionem admittantur, nisi in Conventibus per Sedem Apostolicam in qualibet Provincia deputandis.

§ 21. Curent Superiores, ut constitutio interdicens largitiones munerum, et praescribens hospitalitatis formam, ab omnibus in quolibet Conventu inviolabiliter observetur.

§ 22. Ut omnis officiorum ambitus occasio praecludatur, caveant omnes a directa, vel indirecta vocum, seu suffragiorum procuratione tam pro se ipsis, quam pro aliis, tum in Capitulis locorum, tum in caeteris, praesertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi. Quicumque secus fecerint, praeter alias poenas, et censuras hactenus contra huiusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in poenam privationis officiorum, quae obtinent eo ipso incidant, et ad futura quaecumque pariter inhabiles habeantur; super quo cum eis dispensari a nemine possit nisi a Nobis, vel successoribus nostris, et pro qualitate culparum gravius etiam plectantur. Porro supradictas omnes poenas ad complices, ac simpliciter scientes, et non revelantes extendimus.

§ 23. In Superiorum, et Officialium omnium electionibus, forma praescripta a Sacro Concilio Tridentino, et Ordinis Constitutionibus inviolabiliter servetur; iurentque Electores secundum veritatem cuiusque conscientiae, probiores, ac magis idoneos se electuros; ac propterea, priusquam ad electionem deveniatur, in primis, et ante omnia praelegantur Constitutiones de qualitate, et requisitis eligendorum. Ad officia, gradus, et Praelaturas, illi praecipue eligantur, qui possint, et consueverint regulas Ordinis, et Constitutiones observare, praesertim quae pertinent ad servitium Chori, ac vestitum, et victum communem.

§ 25. Illud porro Superiores omnes in Domino admonemus, ut memores sint rationis, quam in novissimo die reddituri sunt pro grege sibi commisso, ac propterea omni studio invigilent, ut quae in eorumdem Ordinis Regulis, et Constitutionibus de oratione mentali, silentio, ieiuniis, Capitulo culparum, aliisque spiritualibus exercitiis prudenter, ac pie sancita sunt, ea omnia, et singula ad unguem observentur; intelligantque super his veluti fundamentis omnium Religionum aedificia construenda, et amplianda esse; quae ut faciliorem exitum sortiantur, et fructus uberiores in animis Fratrum producant, valde opportunum erit, si in quolibet Conventu singulis hebdomadis habeatur sermo de religiosa disciplina, regularique observantia.

[Bull. Rom., tom. 5, II, p. 340-343].

188.

Clemens VIII, const. *Etsi alias*, 1 dec. 1601.

Etsi alias fel. record. Paulus Papa IV Praedecessor Noster, ad nefariam, et sacrilegam quorumdam hominum temeritatem coercendam, qui cum ad sacrum Presbyteratus ordinem minime promoti sint, Sacerdotis tamen auctoritatem sibi temere assumentes, Missarum celebrationem usurpare, et Sacramentum Poenitentiae ministrare praesumunt, decreverit huiusmodi delinquentes a Sanctae Inquisitionis Iudicibus tradi debere Curiae saeculari debita animadversione puniendos.

§ 1. Et postea rec. mem. Sixtus Papa V etiam Praedecessor Noster praedictum Pauli IV decretum innovari, ac serio observari mandaverit, eo tamen dictorum hominum prorupit audacia, ut praetextu ignorationis huiusmodi decretorum, ac poenarum, contra ipsos, ut praefertur, inflictarum, illis se minime subiacere, et obnoxios esse putent, ac propterea se ab eisdem liberari, et absolvi posse praetendant.

§ 2. Nos igitur animadvertentes, huiusmodi perditos, et nefarios homines ad sacrum Presbyteratus ordinem non promotos, Missarum celebrationem usurpare praesumentes, non solum actus idololatriae, saltem extrinsece, seu per externa, et visibilia Religionis, et pietatis signa exercere, sed etiam quantum in ipsis est, efficere, ut Christifideles, qui credunt eos ordinatos esse, et rite conficere Sacramentum Eucharistiae, idololatriae crimen ignoranter incurrant, purum videlicet Panem, et Vinum, tamquam verum Christi Domini Nostri Corpus, et Sanguinem, eisdem adorandum proponentes, Confessiones autem audientes, non solum Sacramenti Poenitentiae dignitatem contemnere, verum etiam Christifideles decipere, dum scilicet inique sibi assumunt gradum Sacerdotalem, et auctoritatem absolvendi a peccatis magno cum periculo, et scandalo plurimorum.

§ 3. Propterea, ut gravissima haec scelera committentes, posthac debito supplicio puniantur, Motu proprio, et ex certa Nostra scientia, ac matura deliberatione deque Apostolicae potestatis plenitudine, Sanctae Inquisitionis Iudicum conscientiae consulere, et ne in futurum de poena hisce delinquen-

tibus imponenda dubitari possit, providere volentes, supradictorum Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, atque statuimus, ut quicumque non promotus ad sacrum Presbyteratus ordinem, repertus fuerit Missarum celebrationem usurpasse, vel Sacramentalem Confessionem audivisse, a Iudicibus Sanctae Inquisitionis, vel locorum Ordinariis tamquam Ecclesiae misericordia indignus, a foro Ecclesiastico abiiciatur, et ab ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerit, rite degradatus statim Curiae saeculari tradatur, per Iudices saeculares debitis poenis plectendus.

§ 4. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, II, p. 395, 396].

189.

Clemens VIII, const. *Cum ad regularem*, 19 mart. 1603.

§ 1. Cum ad Regularem disciplinam in singulis Religiosorum Monasteriis propagandam, Novitiorum institutio maxime utilis sit, ac necessaria, et nihil ad gravem illam, ac laudatissimam priscorum Patrum vivendi rationem relaxandam, maiorem vim habuisse compertum sit, quam vel nimiam in recipiendis Novitiis facilitatem supra numerum, quem capere, atque alere Monasteria ipsa possent, vel negligentiam in probando, et examinando eorum spiritu, an vere esset ex Deo, atque ex praecipuo desiderio illi inserviendi, vel denique incuriam in eis educandis, atque instituendis.

§ 2. Idcirco, ut huiusmodi incommodo deinceps occurratur, praecipitur omnibus, et singulis, ad quos spectat, ut in recipiendis Novitiis, et in eorum institutione atque educatione, nec non in Magistri, et aliorum Ministrorum electione, praeter alia, quae in sacris Canonibus, ac decretis, praesertim Concilii Tridentini, Pontificiis, et cuiuscumque Ordinis, aut Instituti Constitutionibus continentur, tam in alias designatis, quam nunc, et imposterum ad hoc designandis Monasteriis, et Conventibus, haec, quae sequuntur, inviolate observari, et exequi perpetuo curent.

§ 3. Primum, quod attinet ad Novitiorum recipiendorum formam, ultra diligentem perquisitionem, quae habenda erit de uniuscuiusque natalibus, corporis habitudine, moribus, et vita anteacta, ac praecipue eorum, qui sextumdecimum aetatis suae annum excedent, an criminosi, an aere alieno gravati, vel reddendae alicuius administrationis rationi obnoxii sint, iuxta formam Constitutionis fel. record. Sixti V et moderationum subsecutarum:[1] illud etiam Superiores, ad quos spectabit, sedulo perquirant, ut quibus in Monasteriis, et Conventibus ex Apostolica facultate Novitiatus fuerint instituti, in iis ad Religionem nullus imposterum admittatur, qui, et ex honestis parentibus natus non sit, et conditiones sacris Canonibus, Summorumque

[1] Cf. N. 162, 164, 170.

Pontificum Constitutionibus praescriptas non habeat, iuxta decretum super forma recipiendi Novitios die 19 maii 1602 editum.[2]

§ 4. Quisque recipiendus in aliquo Ordine Regulari, etiam Mendicantium, in ea sit actate constitutus, quam eius Ordinis, in quo recipietur, regularia instituta, et ordinationes requirunt; eam vero literarum scientiam calleat, aut illius addiscendae spem indubiam praeseferat, ut minores, et suis temporibus maiores ordines, iuxta Decreta Sacri Concilii Tridentini suscipere valeat. Sed si quis annum vigesimumquintum excedens ad habitum Regularem admitti postulaverit, et talis eruditionis expers inventus fuerit, in Conversorum tantum, quibus literarum scientia non est necessaria, numerum referatur. Ipsi autem Conversi non recipiantur ante vigesimum aetatis suae annum, et nisi saltem praecipua Doctrinae Christianae capita noverint.

§ 5. Demum Superiores diligenter exquirant, quo spiritu, qua mente, ac voluntate id regularis vitae genus elegerint, quem sibi finem proposuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitae, et ut Deo liberius famulari possint, an potius levitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi motu ducantur, et an eorum parentes ope, et subsidio ipsorum indigentes destituantur.

§ 6. Provideant quoque, ut omnes etiam Conversi recipiendi, priusquam ad habitum regularem admittantur, ab iis quibus munus hoc incumbit, de regula quam professuri sunt, tribus votis essentialibus, statuque Regulari, et aliis cuiusque Ordinis peculiaribus institutis, et Constitutionibus diligenter instruantur. Et quia quarumdam Religionum moris est, nedum Conversos ad professionem admittendos, verum et Oblatos, ut vocant, recipere, circa ipsorum Oblatorum receptionem unaquaeque Religio suas peculiares Constitutiones, specialiaque instituta observare teneatur.

§ 7. Statim atque Novitii ad habitum recepti, et in locum Novitiatus introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum confessionem totius anteactae vitae conscientiam discutiant, et expurgent.

§ 8. Quod vero ad loci qualitatem uniuscuiusque Novitiatus spectat, locus huiusmodi propria clausura ab ea parte Conventus, et Monasterii, in qua degunt professi, segregatus sit, atque distinctus; habeatque tot ad dormiendum cellulas separatas, quot erunt numero Novitii, vel Dormitorium ita capax, ut pro singulis singuli lectuli commode sterni possint; in quo etiam cellula, vel certus, ac determinatus locus pro Magistro, eiusque Socio reperiatur; in quo etiam, praeter alias communes commoditates, aptus locus adsit ad spirituales collationes, seu conferentias faciendas, ac lectiones, instructionesque Magistri audiendas, et in quem hiemis tempore ad calefaciendum se igne communi recipiantur. Oratorium insuper, seu Cappella, si commode fieri poterit, ad Novitios in spiritualibus, praesertim in caeremoniis, Ecclesiasticisque functionibus exercendos. Hortus quoque peculiaris ad honestam recreationem, bene conclusus, atque munitus adsit; sin minus, hortum caeteris Fratribus communem recreationis tempore ingrediantur. Ipsis vero Novitiis ibi commorantibus, curabit Magister cum loci Superioris auctoritate, si

[2] Cf. Bull. Rom., tom. 5, II, p. 412.

opus fuerit, ne in eumdem quisquam alius ingrediatur. Ad huiusmodi locum Novitiatus nemini eiusdem, vel alterius Ordinis Regulari etiam Conventus, et Monasterii Officiali, ullo umquam tempore, sub quovis praetextu aditus pateat, praeterquam Magistro, eiusque Socio, ac etiam Monasterii, aut Conventus Superiori, si quandocumque ingrediendum sibi necessario existimaverit; quo tamen casu aliquem semper ex senioribus Conventus, vel Monasterii Patribus Socium assumat. Huius loci clausurae clavis apud Magistrum semper asservetur, illique soli liceat ex gravi tantum causa ingressum illuc alicui permittere; si quis autem Novitiorum quempiam alloqui voluerit, Magistro praesente, et non aliter alloquatur.

§ 9. Novitiorum Magistro Socius, si ad Novitiorum instruendam multitudinem necessarius fuerit, vita, et moribus, quoad fieri poterit, consimilis deputetur; qui in his, quae ad Novitiatus regimen spectant, dicto Magistro immediate subiectus existat, eliganturque tam Magister, quam Socius per Provinciale Capitulum, per triennium ad minus onus huiusmodi subituri. Quod si aliquo casu extra tempus Capitulare nova loca Novitiatus concedi contingat, tunc electionem Magistri Novitiorum et Socii huiusmodi, in his novis locis per Generalem, vel Provincialem, seu Ministrum, aut eorum Visitatores, seu Vicarios, de Definitorum tamen, vel graviorum aliorum Patrum consensu, fieri permittitur; idemque servetur, si intra triennium, alterum, vel utrumque urgenti aliqua de causa ex illis locis amoveri, vel mori contigerit, in cuius, vel quorum locum alii consimiles subrogari debeant. Tam Novitiorum Magister, quam Socius ab iis omnibus officiis, oneribusque vacationem habeant, quae Novitiorum curam, et regimen impedire valeant. Ipse Magister sacerdotali Ordine sit initiatus, ac quinto saltem supra trigesimum aetatis suae anno constitutus, et per decennium a professione emissa in Religione perstiterit. Socius vero trigesimum annum excedat; sintque ambo doctrina, et quantum per Superiorum diligentiam, et curam fieri poterit, vitae etiam anteactae exemplo praestantes, Orationis praeterea et mortificationis operibus addicti, prudentia, charitateque referti, non sine affabilitate graves, zelum Dei cum mansuetudine praeseferentes, ab omni cordis, ac animi perturbatione, ira praesertim, et indignatione, quae in se, et erga alios charitatem impedire consueverunt, quam longissime alieni, et tales demum, qui in omnibus seipsos bonorum operum exemplum praebeant, ut ii, qui eorum curae subsunt, illos non tam metuant, quam revereantur, nec illis unquam detrahere quicquam possint. Habeat etiam Magister plenam, et absolutam potestatem circa Novitiorum institutionem, ac Novitiatus regimen, ita ut in illis nemini (Visitatoribus, ac Superioribus maioribus, vel etiam localibus exceptis) quovis colore se ingerere liceat. Curam adhibeat diligentem, ut Novitii omnes in regulari disciplina sedulo exerceantur, agnoscantque praecipue divinae, qua digni facti sunt, vocationis praestantiam, et excellentiam, quae vera sit, atque perfecta votorum solemnium, et quam necessaria cuiusque Ordinis Constitutionum observantia; modum in oratione tum vocali, tum mentali fructuose persistendi, illicitas passiones, et vitia (ad quae natura per peccatum labefactata omni tempore prona est, atque proclivis) per sensuum custodiam, et mortificationem cohibendi; austerita-

tem, ieiunia, cilicia, disciplinas, conscientiae puritatem, crebram illius discussionem, Sacramentorum frequentiam, confessionis praesertim, quae bis saltem singulis mensibus fiat, per aperitionem quotidianam motuum internorum cordis, et tentationum manifestationem, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus, diuturnumque silentium.

§ 10. Quilibet Novitius bis quotidie orationi mentali, et vocali incumbat, unusquisque secundum propriam capacitatem, et ordinem sibi a Magistro praescriptum, ac pluries in die propriam conscientiam unusquisque examinare contendat. Ipsi autem Magistro soli Novitiorum confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori, etiam locali, si ita expedire iudicaverit, vel per seipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel, aut bis in anno eorumdem Novitiorum confessiones audire.

§ 11. Quotidie Missae Sacrificio intersint, et statutis horis in Choro nocturnis, diurnisque divinis Officiis assistant.

§ 12. Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant, vel scribant res spirituales, modestam animi recreationem interponant, quae in solitario loco, et commodo extra Novitiatum semel in hebdomada, vel in alternis saltem hebdomadibus longior statuatur; fiatque semper Magistro praesente, vel Socio; qui multum invigilent, ne duo ab aliis commorentur disiuncti, atque eo tempore cuiusque, in quam natura feratur, propensionem scrutentur.

§ 13. Non liceat eis, durante Novitiatus, et probationis tempore, una cum Professis, nisi in Choro, in Ecclesia tempore Officiorum, in Processionibus, aut in coenaculo causa refectionis commorari, nec permittatur eis Professos domo exeuntes comitari.

§ 14. Pro communibus, et propriis cuiusque necessitatibus, quae accidere possunt, unus ex Novitiis ipsis, aetate, moribusque provectior deputetur, qui absente Socio Magistro permittente, omnia, prout opus fuerit, agat, cui etiam ianuae custodia, et rerum levioris momenti provisio intra Novitiatum committi poterit.

§ 15. Cum autem, licet Clericorum bene instituendorum cura debeat esse praecipua, Conversorum tamen religiosa instructio non sit praetermittenda, quin potius aequanimiter amplexanda, quandoquidem satis exploratum est, istorum etiam, cum Regulam profiteantur eamdem, perfectam educationem, tum Religioni decorem, et ornamentum, tum aliis Christifidelibus aedificationem, exemplum, atque utilitatem afferre; Conversis ipsis a Clericorum Novitiatu separatus ad dormiendum locus (quantum commode fieri poterit) assignari praecipitur. Illi tamen hac separatione non obstante, Magistro Novitiorum, seu Superioribus Monasteriorum, et Conventuum, iuxta cuiusque Ordinis Statuta, et Constitutiones subditi esse, et obedientiam praestare debeant, a quo non tantum circa corporalia obsequia probandi, et exercendi, verum etiam pro eorum capacitate, et commoditate, de spiritualibus, praesertim de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi erunt, quod ut commodius fiat, ad Capitula, et spirituales Conciones, quae per Magistros Novitiorum fieri solent, accersiri debeant, et in Ecclesiis statutis horis conveniant, nisi tunc in suis officiis actualiter occupati fuerint.

§ 16. Tempore vero probationis elapso, ii tantum, qui non solum religiosae perfectionis capaces, sed ad laborem corporalem apti, novo, ac diligenti examine reperti fuerint (dummodo aetatis suae annum, quoad Clericos decimumsextum, quo vero ad Conversos, vigesimumprimum excesserint) ad professionem admittantur. Sed qui ad Conversorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint.

§ 20. Ut autem Novitii iam in Professorum numerum (sicut praemittitur) recepti, melius in bono spiritu, regularisque disciplinae observantia stabiliantur, et confirmentur, mandatur, ut statim post professionem emissam, si in Conventibus, aut Monasteriis pro Novitiatibus assignatis locus aderit secundi Novitiatus, sive Professorii, ab ea, quae Novitiorum est, atque antiquorum Professorum habitatione distinctus, et segregatus, ibi collocentur, si Monasterium, aut Conventus eos alere queat, sin minus, in alium commodiorem Conventum, aut Monasterium transferantur, in quo is locus cum requisitis ad Novitiatum supranarratis reperiatur, vel accommodetur, aut de novo construatur. Ab hoc tamen illae Religiones excipiuntur, quae suarum Constitutionum, seu Institutorum vigore, maioris temporis cursu novos professos intra Novitiatum detinere consuescunt, quibus in hac parte non derogatur: illis tamen permittitur, ut praedictis earum Constitutionibus non obstantibus, id ipsum facere possint, si id rationi, ac Religioni magis expedire diiudicaverint; quibus in locis degant sub regulis, et modo vivendi adhuc arctiori, quam servent antiquiores professi; ita quod in negociis Monasteriorum, aut Conventuum non se intromittere, nec communibus tractatibus interesse, neque alicuius exterioris obedientiae officium exercere debeant, ibique permaneant, quousque ad aetatem Sacris Ordinibus suscipiendis sufficientem devenerint, vel saltem per triennium post professionem, quo etiam tempore poterunt, quinimmo, et debebunt literarum studiis operam navare, sub directione, ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus Novitiorum Magistrum praeditum esse oportere dictum est.

§ 21. Declaratur tamen, quod propter praemissa non censeatur concessa licentia recipiendi Novitios, nisi in locis pro Novitiatu designatis, aut imposterum designandis, et pro numero dumtaxat in eorum singulis praescripto, vel praescribendo.

§ 22. Denique si illi, qui inter Religiosos gradu, et ordine Superiores sunt, et alii, ad quos spectat, in praedictis omnibus, vel eorum aliquo deliquerint, seu quovis modo contrafecerint, officiorum omnium quae tunc obtinebunt, privationem, gravioresque pro modo admissae culpae poenas, se subituros certo sciant.

[Bull. Rom., tom. 5, II, p. 412-415].

190.

Clemens VIII, const. *Quoniam*, 23 iul. 1603.

Quoniam ad institutam Regularium locorum, et personarum reformationem promovendam, et conservandam maxime pertinet, ut in quibusque Domibus, et Monasteriis is tantus numerus Religiosorum, qui commode ibidem ali possit, contineatur, ac eo pariter spectat, ut in quibusque Civitatibus, et locis, novae Domus, et Monasteria, praesertim Mendicantium, non erigantur, nisi in eisdem Civitatibus, et locis, aliarum Domorum, et Monasteriorum in eis existentium habita ratione, commode sustentari posse dignoscatur.

§ 1. Hac igitur Nos consideratione ducti, et in praemissis pro Nostro Pastorali munere opportune providere volentes, Motu proprio, et ex certa Nostra scientia, ac matura deliberatione, deque Apostolicae potestatis plenitudine, ex voto etiam venerabiiium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium super consultationibus, et negociis Episcoporum, et Regularium praepositorum, harum serie declaramus, locorum Ordinarios non posse licentiam ad novos Conventus, cuiusque Mendicantium Ordinis, in Civitatibus, et locis eorum ordinariae iurisdictioni subiectis erigendos impertiri, nisi vocatis, et auditis aliorum in eisdem Civitatibus, et locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, et aliis interesse habentibus, et causa servatis servandis cognita constiterit, in eisdem Civitatibus, et locis novos huiusmodi erigendos Conventus, sine aliorum detrimento commode substentari posse.

§ 2. Si vero ab eorum in huiusmodi causis sententiis, ad Nos, et Apostolicam Sedem provocari, et appellari contigerit, ipos Ordinarios tamdiu erectionem novorum Conventuum suspendere debere, quousque a Nobis, et Apostolica Sede in eadem causa pronunciatum extiterit, irritum nihilominus, et inane decernentes, quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ 3. Quocirca universis Venerabilibus Fratribus Nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, et aliis locorum Ordinariis per praesentes in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, ut praesentes Nostras literas observent, et observari curent, et faciant.

§ 4. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, III. p. 14].

191.

Clemens VIII, const. *Cum Sanctissimum*, 7 iul. 1604.

Cum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, quo nos Christus Dominus Sacri sui Corporis participes effecit, atque apud nos, usque ad consummationem saeculi, permanere decrevit, maximum sit omnium Sacramento-

rum, illudque in Sacra Missa conficiatur, ac pro peccatis totius Populi Dei Patri offeratur, sane omnino conveniens est, ut qui omnes unum sumus in uno corpore, quod est Ecclesia, et de uno Corpore Christi participamus, una, et eadem celebrandi ratione, uniusque officii, et ritus observatione in hoc ineffabili, et tremendo Sacrificio utamur.

§ 1. Quod cum Romani Pontifices Praedecessores Nostri semper optarint, atque in hoc diu multumque desudarint, tum in primis fel. record. Pius Papa V Missale Romanum ex Decreto Sac. Concilii Tridentini ad veterem, et emendatiorem normam restitui, Romaeque imprimi curavit.[1]

§ 2. Qui etsi multis propositis poenis severissime caverit, ne quid illi, vel adderetur, vel ulla ratione demeretur, tamen progressu temporis, sive Typographorum, sive aliorum temeritas, et audacia effecit, ut multi in ea, quae his proximis annis excusa sunt Missalia, errores irrepserint, quibus vetustissima illa sacrorum Bibliorum versio, quae etiam ante Sancti Hieronymi tempora, celebris habita est in Ecclesia, et ex qua omnes fere Missarum introitus, et quae dicuntur Gradualia, et Offertoria accepta sunt, omnino sublata est, Epistolarum, et Evangeliorum textus, qui hucusque in Missae solemniis periectus est, multis in locis perturbatus, ipsis Evangeliis diversa, et prorsus insolita praefixa initia, plurima denique passim pro arbitrio immutata sint, cuius rei praetextus fuisse videtur, ut omnia ad praescriptum sacrorum Bibliorum vulgatae editionis revocarentur, quasi id alicui propria auctoritate, atque Apostolica Sede inconsulta, facere licitum sit.

§ 3. Quod Nos animadvertentes, pro Nostra pastorali solicitudine, qua omnibus in rebus, et praecipue in sacris Ecclesiae ritibus, optimam, eamque veterem normam studemus tueri, et conservare, primum praedicta Missalia impressa sic depravata prohiberi, et abrogari, eorumque usum in celebratione Missarum interdici iussimus, nisi ad praescriptum exemplaris sub ipso Pio V editi integre in omnibus emendarentur; deinde mandavimus nonnullis Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, in sacris literis versatis, et Ecclesiasticae antiquitatis peritis, ut curam, Missale ad pristinam, et quam maxime emendatam formam restituendi susciperent, qui pro sua erga Nos fide, et in Romanam Ecclesiam pietate, et studio, adhibitis etiam aliis rerum Ecclesiasticarum peritis, et eruditis viris, et veteribus Missalibus, aliisque praeterea libris, qui ad eam rem opportuni videbantur, accurate perquisitis, et diligenter inspectis, Missale Romanum suae integritati restituere, ac ipsius Pii V, et eorum qui ab eo delecti fuerant, laborem, et diligentiam confirmare, et comprobare curarunt. Verum in eo munere peragendo factum est, ut nonnulla et diligenti librorum antiquorum collatione, in meliorem formam redacta, et in regulis, et rubricis aliqua uberius, et clarius expressa sint, quae tamen ex illorum principiis, et fundamentis quasi deducta, illorum sensum imitari potius, et supplere, quam aliquid novi afferre videantur.

§ 4. Missale itaque quod idem Pius V ediderat, sic recognitum in nostra Typographia Vaticana quam emendatissime imprimi, et ad communem utilitatem publicari iussimus.

[1] Cf. N. 135.

§ 5. Ut autem illius usus in omnibus Christiani Orbis partibus perpetuis futuris temporibus conservetur, ipsum Missale in Alma Urbe nostra in eadem Typographia tantum, et non alibi, imprimi posse decernimus. Extra Urbem vero iuxta exemplar in dicta Typographia nunc editum, et non aliter, hac lege imprimi posse permittimus, ut nimirum Typographis quibuscumque illud imprimere volentibus id facere liceat, requisita tamen prius, et in scriptis obtenta, dilectorum filiorum Inquisitorum haereticae pravitatis, in iis locis, in quibus fuerint, ubi vero non fuerint, Ordinariorum locorum licentia. Alioquin si absque huiusmodi licentia, dictum Missale sub quacumque forma, de caetero ipsi imprimere, aut Bibliopolae vendere praesumpserint, Typographi, et Bibliopolae extra Statum nostrum Ecclesiasticum existentes, excommunicationis latae sententiae, a qua nisi a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant, in Alma vero Urbe, ac reliquo Statu Ecclesiastico commorantes, quingentorum ducatorum auri de Camera, ac amissionis librorum, et typorum omnium Camerae praedictae applicandorum poenas, absque alia declaratione irremissibiliter incurrant eo ipso.

§ 6. Et nihilominus eorumdem Missalium per eos de caetero absque huiusmodi licentia imprimendorum, aut vendendorum usum ubique locorum, et gentium, sub eisdem poenis perpetuo interdicimus, et prohibemus.

§ 7. Ipsi autem Inquisitores, seu Ordinarii locorum, antequam huiusmodi licentiam concedant, Missalia ab ipsis Typographis imprimenda, et postquam impressa fuerint, cum hoc Missali, auctoritate nostra recognito, et nunc impresso, diligentissime conferant, nec in illis aliquid addi, vel detrahi permittant, nec in praemissis praetextu incuriae Typographorum, aut non factae per correctores, vel alios ab ipsis forsan deputandos diligentiae, se aliquo modo excusare, quodque in infrascriptas poenas non incurrerint allegare valeant, et in ipsa licentia originali de collatione facta, et quod omnino concordent, manu propria attestentur, cuius licentiae copia initio, vel in calce cuiusque Missalis semper imprimatur. Quod si secus fecerint, Inquisitores videlicet, privationis suorum officiorum, ac inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda, Antistites autem, et Ordinarii locorum, suspensionis a divinis, ac interdicti ab ingressu Ecclesiae, eorum vero Vicarii, privationis similiter officiorum, et beneficiorum suorum, et inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda, ac praeterea excommunicationis, absque alia declaratione, ut praefertur, poenas incurrant eo ipso.

§ 8. Caeterum pauperum Ecclesiarum, Clericorum, et personarum Ecclesiasticarum, ac Typographorum, et Bibliopolarum quorumcumque indemnitatis, ex benignitate Apostolica rationem habentes, eisdem Missalia hactenus impressa penes se habentibus (iis dumtaxat exceptis, quae auctoritate nostra, ut supradictum est interdicta, et abrogata fuerunt), ut ea retinere, et illis uti, eaque vendere respective possint, similiter permittimus, et indulgemus.

§ 9. Non obstan. licentiis, indultis, et privilegiis quibuscumque Typographis hactenus per Nos, seu Romanos Pontifices Praedecessores nostros, Missale praedictum Pii V imprimendi concessis, quae per praesentes expresse revocamus, et revocata esse volumus, necnon constit., et ordinat. Apostolicis

generalibus, vel specialibus in contrarium praemissorum quomodocumque concessis, confirmatis, et approbatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, et expressa mentio habenda esset, tenores huiusmodi praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

[Bull. Rom., tom. 5, III, p. 54-56. - Cf. etiam Missale Romanum, initio].

192.

Clemens VIII, const. *Quaecumque*, 7 dec. 1604.

Quaecumque a Sede Apostolica ad promovendam Christifidelium salutem aliquando concessa sunt, etsi ea maturo consilio, magnaque prudentia, et cautione sancita, et decreta sint, tamen cum Romanus Pontifex de animarum salute solicitus, progressu temporis animadvertit sensim aliquos abusus in eisdem statutis, et decretis observandis provenire, debet pro sui Pastoralis officii munere illis opportuna ratione occurrere, et quantum cum Domino potest, adhibito salutari remedio providere.

§ 1. Cum itaque a pluribus Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, et forsan etiam a Nobis, nonnullis regularibus Ordinibus, Religionibus, et institutis, ac etiam Christifidelium Saecularium Archiconfraternitatibus, et Congregationibus diversarum Nationum, nominum, et institutorum, tam in Alma Urbe nostra, quam in aliis Civitatibus, et locis Christiani Orbis institutis, facultas erigendi, et instituendi in eorum, et aliis Ecclesiis, et Collegiis, necnon etiam sibi aggregandi Confraternitates, et Congregationes in eadem Urbe, et in aliis locis existentes, eisque privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, et indulta sibi concessa respective communicandi attributa fuerit, ac nulla certa forma, vel ratio praescripta sit, quae in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus, et communicationibus faciendis servari debeat; propterea sive negligentia Superiorum Ordinum, Religionum, et institutorum, vel Officialium Archiconfraternitatum, et Congregationum erigentium, instituentium, aggregantium, et communicantium, quae Confraternitatibus, et Congregationibus erigendis, instituendis, et aggregandis, et quibus communicationes privilegiorum, indulgentiarum, aliarumque gratiarum praedictarum fiunt, non servant formam in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus, et communicationibus servari debitam, neque praescribunt modum, quo privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, et indulta praedicta consequi debeant, seu ipsarum Confraternitatum, et Congregationum incuria, quae non inquirunt ea, quae praestare oportet, ut illa consequantur, nonnullae pravae consuetudines irrepserunt, multaque incommoda inde provenerunt.

§ 2. Quibus Nos pro commisso Nobis Apostolicae solicitudinis officio, paternaque erga omnes Christifideles caritate prospicere volentes, hac nostra Constitutione perpetuo valitura decernimus, atque statuimus, ut imposterum tam huius Almae Urbis nostrae, quam aliarum Civitatum, et locorum totius

Christiani Orbis Regularium Ordinum, Religionum, et institutorum, quibus in eorum, et quibuscumque aliis Ecclesiis, et Collegiis Confraternitates Saecularium erigendi, et instituendi facultas concessa est, necnon etiam Archiconfraternitatum, et Congregationum, cuiusvis Nationis, nominis, et instituti illae sint, et in quibuscumquae Ecclesiis, Domibus, et Oratoriis, tam Saecularium, quam ut praefertur quorumcumque, etiam Mendicantium Ordinum, Religionum, et institutorum Regularium, quavis tam Ordinaria, quam Apostolica auctoritate erectae, ac institutae existant, seu alias quovis modo introductae reperiantur, quibus alias Confraternitates, et Congregationes instituendi, erigendi, ac sibi aggregandi, illisque privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, et indulta praedicta elargiendi, et communicandi potestas a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, vel a Nobis, et Apostolica Sede attributa fuit, Magistri, Priores, Praepositi, Rectores, Gubernatores, Praeceptores, Primicerii, Praelati, Custodes, Guardiani, Praefecti, Administratores, et alii Officiales, seu Superiores quovis modo nuncupati, Regularium siquidem Ordinum, Religionum, et institutorum, unam tantum Confraternitatem, et Congregationem, de consensu tamen Ordinarii loci, et cum literis eius testimonialibus, quibus Confraternitatis, et Congregationis erigendae, et instituendae pietas, et christianae caritatis officia, quae exercere cupit, apud eos commendentur, in eorum, et quibuscumque aliis Ecclesiis, et Collegiis erigere, et instituere.

§ 3. Caeterarum vero Archiconfraternitatum, et Congregationum, in singulis Civitatibus, Oppidis, vel locis, unam etiam Confraternitatem, et Congregationem dumtaxat, quae Apostolica, vel Ordinaria auctoritate prius erecta, ac nulli alteri Ordini, Religioni, instituto, Archiconfraternitati, et Congregationi eiusdem, vel alterius Nationis, nominis, et instituti aggregata sit, praevio similiter loci Ordinarii consensu, et cum eius literis testimonialibus, quibus eiusdem Confraternitatis, et Congregationis aggregandae institutum, pietas, et Christianae caritatis officia, quae exercere consuevit, apud eos commendentur, sibi adiungere, et aggregare possint.

§ 4. Huic vero Confraternitati, et Congregationi erigendae, instituendae, seu aggregandae, ea tantum privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, et indulta, quae ipsi Ordini, Religioni, instituto erigenti, instituenti, ac communicanti, seu Archiconfraternitati, et Congregationi aggreganti nominatim, et in specie, non autem quae per extensionem, vel communicationem sibi quovis modo concessa sunt, et illa quidem non sub generali forma verborum, vel ad instar, sed expresse, et in specie communicare valeant.

§ 5. Statuta autem pro regimine Ordinum, Religionum, et institutorum erigentium, et instituentium, ac communicantium, seu Archiconfraternitatum, et Congregationum aggregantium edita, Confraternitatibus, et Congregationibus erigendis, instituendis, et aggregandis, et quibus communicationes privilegiorum, et aliorum praedictorum fiunt, impertiri non possint, nisi ea prius ab Episcopo Dioecesano examinata, et pro ratione loci approbata fuerint, quae nihilominus eiusdem Episcopi decretis, ac moderationi, et correctioni in omnibus semper subiecta remaneant.

§ 6. Insuper volumus, et ordinamus, ut praedicti Ordines, Religiones, instituta erigentia, instituentia, ac communicantia, necnon Archiconfraternitates, et Congregationes aggregantes certam erigendi, instituendi, aggregandi, et communicandi formulam a Nobis novissime approbatam diligenter observent, secundum quam privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, et indulta ipsis Ordinibus, Religionibus, institutis erigentibus, instituentibus, et communicantibus, seu Archiconfraternitatibus, et Congregationibus aggregantibus, nominatim, et expresse, non autem per communicationem, neque ad instar, ut supra concessa, ipsis Confraternitatibus, et Congregationibus erigendis, instituendis, et aggregandis, et quibus communicationes fiunt, communicare possint.

§ 7. Quibus Confraternitates, et Congregationes eiusdem dumtaxat Nationis, et nominis, Ordinis, Religionis, et instituti, Archiconfraternitatis, et Congregationis, cui aggregantur, tam hactenus aggregatae, quam imposterum aggregandae utantur, potiantur, et gaudeant, ita ut dictarum Confraternitatum, et Congregationum erectarum, institutarum, et aggregatarum, ac quibus communicationes factae sunt, Ministri, et Officiales, et alii supradicti privilegia, indulgentias, aliasque spirituales gratias, et indulta huiusmodi, praevia tamen recognitione Ordinarii loci, qui adhibitis duobus de eiusdem Ecclesiae Capitulo, illa iuxta Sacri Concilii Tridentini decretum promulganda decernat, debitis temporibus promulgare valeant.

§ 8. Quibus etiam Ministris, Officialibus, et aliis praedictis, eleemosynas, et alia oblata christianae caritatis subsidia, iuxta modum, et formam per Ordinarium loci praescribendam, remotis tamen mensis, pelvibus, et capsis, quae in Ecclesiis, et Oratoriis dictarum Confraternitatum, et Congregationum publice ad hoc exponi consueverunt, excipiendi, potestas detur. Atque hoc ipsum Ordines, Religiones, instituta erigentia, instituentia, ac communicantia, seu Archiconfraternitates, et Congregationes aggregantes, tam Almae Urbis nostrae, quam aliarum Civitatum, et locorum quorumcumque iuxta modum a Vicario Urbis, et ab Ordinariis locorum respective praescribendum, observare teneantur. Eleemosynas autem sic collectas in reparationem, et ornatum Ecclesiarum, tam Ordinum, Religionum, institutorum erigentium, instituentium, et communicantium, ac Archiconfraternitatum, et Congregationum aggregantium, quam Confraternitatum, et Congregationum erigendarum, instituendarum, et aggregandarum, et quibus communicationes fient, aut in alios earum pios usus, arbitrio eiusdem Vicarii nostri in Urbe, necnon Ordinariorum locorum respective, fideliter exponere, atque erogare procurent, ut omnes intelligant coelestis Ecclesiae thesauros, non quaestus, aut alicuius lucri causa, sed pietatis, et caritatis excitandae gratia ex Apostolicae Sedis benignitate Christifidelibus aperiri.

§ 9. Praeterea volumus, ut Confessarii, qui vigore privilegiorum ipsis Ordinibus, Religionibus, institutis erigentibus, instituentibus, et communicantibus, seu Archiconfraternitatibus, et Congregationibus aggregantibus concessorum, ac Confraternitatibus, et Congregationibus aggregandis communicandorum pro tempore eligi possunt, et poterunt saeculares, scilicet in Alma Urbe a praedicto nostro Vicario, extra Urbem vero a locorum Ordinariis

Regulares autem non solum a praedicto Vicario nostro, et a locorum Ordinariis respective, sed etiam a suis Superioribus approbati sint: utque Confratres confitentes a criminibus, casibus, et censuris, iuxta dictorum privilegiorum (quatenus tamen sint in usu, et sacris Concilii Tridentini decretis, ac Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum, et nostris Constitutionibus non adversentur, nec revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa sint) formam, et tenorem dumtaxat absolvere valeant. Decernimus insuper, ut iidem Confessarii praedictos Confratres cuiuscumque gradus, status, conditionis, et praeeminentiae, etiamsi speciali nota dignae fuerint, a casibus contentis in literis, quae die Coenae Domini legi consueverunt, necnon violationis immunitatis, et libertatis Ecclesiasticae, et clausurae Monasteriorum Monialium, si videlicet sine necessaria, et urgenti causa, ac sine Superiorum licentia, vel etiam si causa, et licentia concessa abutentes, praedicta Monasteria ingressi fuerint, necnon violentae manus iniectionis in Clericum, et singularis certaminis, seu duelli, ac ab aliis etiam casibus, tam a Nobis, quam a praedicto nostro in Urbe Vicario, et locorum Ordinariis respective reservatis, et pro tempore reservandis, et etiam a quavis excommunicatione, ab homine lata absolvere, et super irregularitatibus, tam ex aliquo defectu provenientibus, quam occasione delicti contractis cum aliquo dispensare praetextu dictorum privilegiorum nullo modo possint.

§ 10. Demum statuimus, et pariter ordinamus, ut Confraternitates, et Congregationes ubivis locorum, quavis auctoritate, ut praefertur, erectae, et institutae, et quibus communicationes praedictae factae sunt, ac cuicumque ex dictis Ordinibus, Religionibus, institutis, Archiconfraternitatibus, et Congregationibus ubilibet existentibus hactenus aggregatae, ab eisdem respective Ordinibus, Religionibus, institutis, Archiconfraternitatibus, et Congregationibus, novas erectionum, institutionum, communicationum, et aggregationum literas, iuxta formam a Nobis novissime approbatam, infra annum, si in Europa sint, et si extra Europam fuerint, infra biennium a die publicationis praesentium in Romana Curia faciendae computandos impetrare teneantur, alioquin dicto tempore elapso, erectiones, institutiones, et quaecumque communicationes privilegiorum, facultatum, indulgentiarum, aliarumque spiritualium gratiarum, et indultorum, et aggregationes illarum vigore ipsis concessae, nullius sint roboris, et momenti, ac revocatae, et abolitae censeantur eo ipso.

§ 11. Erectionum autem, institutionum, communicationum, et aggregationum, tam hactenus factarum, quam deinceps faciendarum literae, ab ipsis Ordinibus, Religionibus, institutis, seu Archiconfraternitatibus, et Congregationibus gratis omnino, ac nulla prorsus mercede, etiam a sponte dantibus recepta, expediri, et concedi debeant.

§ 12. Quod si Ministri aliqui, Superiores, vel Officiales quocumque nomine nuncupati Ordinum, Religionum, institutorum, seu Archiconfraternitatum, Congregationum, et Confraternitatum huismodi, quavis auctoritate, vel privilegio, et officio fungantur, et praefulgeant, contra praemissa in aliquo venire, vel facere praesumpserint, erectiones, institutiones, et communicationes privilegiorum, indulgentiarum, facultatum, spiritualiumque gratiarum, et indultorum, aliorumque praemissorum concessiones, nec non aggregationes per ipsos

faciendae, seu renovandae, nullius sint roboris, et momenti, et quilibet eorumdem Ministrorum, Superiorum, Officialium, et aliorum praedictorum privationis officiorum, quae obtinet, ac inhabilitatis ad illa, et alia imposterum obtinenda poenam, quae ab alio, quam a Nobis, vel a Romano Pontifice pro tempore existente remitti non possit, incurrat eo ipso.

§ 13. Decernentes praesentes literas perpetuo validas, et efficaces existere, et fore, ac ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere, sicque nostrae mentis, et intentionis existere, et ita, et non aliter per quoscumque Iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ 14. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, III, p. 85-88].

193.

Paulus V, const. *Inter caetera*, 30 dec. 1605.

Inter caetera, quae Romanum Pontificem pro officii sui munere decet omni studio providere, illud locum praecipuum censemus obtinere, quod ad temporalis Sanctae Romanae Ecclesiae ditionis conservationem pertinet. Atque ideo Nos, quae a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris hanc ob causam provide sancita fuerunt, ea non solum ipsi inviolate curabimus custodire, sed etiam ab aliis perpetuo observari debere statuemus.

§ 1. Dudum siquidem a felicis recordationis Pio Papa V Praedecessore nostro editae fuerunt literae huius tenoris: Pius Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. *Admonet nos suscepti cura regiminis universalis Ecclesiae, etc., ut supra, in N. 120.*

§ 2. Quae quidem constitutio, veluti optima, et ad conservandam S. R. E. iurisdictionem, et dignitatem plane salutaris, approbata, confirmata, et innovata fuit ab iis, qui eidem Pio V successerunt rec. mem. Praedecessoribus nostris Gregorio XIII,[1] Sixto V,[2] Gregorio XIV,[3] Innocentio IX.[4]

§ 3. Qui etiam de Fratrum suorum tunc Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio, et assensu declaravit, eadem Constitutione prohibitam fuisse, et prohiberi omnem, et quamcumque infeudationem, ac alienationem Civitatum, Terrarum, Oppidorum, et locorum Sedi Apostolicae tam mediate, quam immediate subiectorum; non solum ne fiat, neve attentetur post eorum

[1] Cf. N. 142.
[2] Cf. N. 158.
[3] Cf. N. 168.
[4] Cf. N. 171.

devolutionem, sed etiam antequam dictae Civitates, Terrae, Oppida, et loca praefata devolvantur, ac omnem, et quamcumque in perpetuum, vel ad tempus prorogationem, ac extensionem, infeudationum, investiturarum, et concessionum de dictis Civitatibus, Terris, Oppidis, et locis nondum finitarum, quorumque incorporationem, quoad effectum impediendae infeudationis, alienationis, prorogationis, et extensionis huiusmodi non a die eorum devolutionis, sed a die ipsius Constitutionis, etiam antequam illa devolvantur, ipso iure cum omnibus clausulis, et decretis in praedicta Constitutione contentis, Camerae, et Sedi Apostolicae factam censeri, adiecto etiam decreto, et declaratione, ut promissio, et iuramentum praestitum, et praestandum, de servanda eiusdem Pii Praedecessoris praefati Constitutione per ipsum Innocentium, et Successores suos Romanos Pontifices, ac praedictos S. R. E. Cardinales intelligatur de ipsa Pii V Praedecessoris Constitutione per eum, ut supra declarata, et secundum huiusmodi declarationem eamdem Constitutionem ad unguem, et inviolabiliter observari oportere, ac debere, sicuti etiam se servaturum esse promisit, ac sancte, et solemni more iuravit, prout in eiusdem Innocentii Praedecessoris, sub dat. pridie nonas Novembris Pontificatus sui anno primo, expeditis literis latius continetur.

§ 4. Et novissime a Clemente VIII iuxta eamdem Innocentii IX declarationem, confirmata, approbata, et innovata fuit.[5]

§ 5. Quare Nos cum primum ad Apostolicae dignitatis gradum Divina providentia vocati sumus, id ipsum ad exequendum nostri pastoralis officii debitum praecipue pertinere existimantes, praeinsertas Pii Praedecessoris literas, ac omnia in eis contenta, etiam iuxta declarationem praedictam per ipsum Innocentium Praedecessorem factam, ac desuper confectarum literarum continentiam, et tenorem, quem pariter praesentibus haberi volumus pro expresso, ac ad verbum inserto, auctoritate Apostolica tenore praesentium comprobamus, confirmamus, et innovamus, easque firmiter, inviolate, ac iuxta declarationem praedictam Nos similiter servaturos esse promittimus, et iuramus, atque per eos, ad quos spectat, pariter perpetuo observari praecipimus, et mandamus.

§ 6. Nulli ergo, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, III, p. 177, 178].

194.

Paulus V, const. *Romanus Pontifex*, 1 sept. 1606.

Romanus Pontifex ea interdum, quae a Praedecessoribus suis temporum, et rerum qualitate id tunc exposcente, provide pro haeresum extirpatione sancita sunt, novis emergentibus rationibus revocat, et immutat, aliaque desuper disponit, et ordinat, prout in Domino salubriter conspicit expedire.

[5] Cf. N. 175.

§ 1. Dum siquidem fel. rec. Pius Papa Quartus Praedecessor noster sua perpetuo valitura Constitutione [1] statuit, ordinavit, et declaravit, quod ex tunc deinceps in omnibus Christiani Orbis partibus Inquisitores haereticae pravitatis tam generales, quam in quibusvis Provinciis, Civitatibus, Oppidis, Terris et locis pro tempore deputati particulares, contra omnes quorumcumque Ordinum etiam exemptorum, et Mendicantium professores, et religiosos, ac etiam alios quoscumque quovis modo privilegiatos, et exemptos, de haeresis crimine quomodolibet suspectos, aut culpabiles, dummodo ab eorum professorum, et Religiosorum Superioribus, vel Praelatis in causis huiusmodi praeventi non fuissent, iuxta facultates officii Inquisitionis ipsius pravitatis inquirere, et procedere, ac culpabiles, et delinquentes repertos secundum canonicas sanctiones castigare, atque punire possent, et valerent, ac alias prout in literis ipsius Pii Praedecessoris latius continetur.

§ 2. Cum autem rerum usu compertum sit, occasione praeventionum huiusmodi nonnulla interdum impedimenta orta esse, quominus causae huiusmodi ea, qua decet diligentia cognoscantur, Nos de consilio Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium contra haereticam pravitatem generalium Inquisitorum illa de medio tollere volentes, Motu proprio et ex certa scientia nostra, ac matura deliberatione, hac nostra etiam perpetuo valitura Constitutione, omnia, et quaecumque privilegia, indulta, facultates, et concessiones Generalibus, Superioribus, et Praelatis quorumcumque Ordinum, sive Mendicantium, sive Clericorum Regularium, cuiusvis Ordinis, et Instituti, etiam in dicta Constitutione non expressorum, et quantumvis exemptorum, et quocumque nomine nuncupatorum, per dictum Pium, ac quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores nostros, et Sedem Apostolicam concessa, approbata, et innovata, et quantumvis etiam longissimo tempore observata, causas ad dictum officium quovis modo spectantes cognoscendi, et terminandi, seu in illis quoquo modo se intromittendi, quorum omnium, et singulorum tenores, etiamsi de illis specialis, et expressa mentio habenda esset, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, Apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo cassamus, revocamus, et abolemus, ipsisque Generalibus, Superioribus, et Praelatis, ut de caetero quovis quaesito colore, vel praetextu praeventionis, vel consuetudinis, et praescriptionis immemorabilis, seu cognoscendi, an delationes huiusmodi calumniosae sint, necne in eisdem causis, tam motis, quam movendis, quoquo modo se intromittere, seu immiscere, denunciationes recipere, testes examinare, processus conficere, causas ipsas cognoscere, definire, vel terminare minime audeant, seu praesumant, simili auctoritate districtius inhibemus.

§ 3. Volentes, et expresse mandantes, ut ipsi Religiosi possint, et debeant omnes, etiam Ordinum huiusmodi professores de haeresi suspectos, Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus libere denunciare, absque eo quod Superiores praedicti personas denunciandas, et causas perquirere, vel quoquo modo id impedire, vel retardare audeant, seu praesumant.

[1] *Pastoris aeterni*, 1 apr. 1562. - Cf. Bull. Rom., tom. 4, II, p. 154, 155.

§ 4. Insuper omnes, et quascumque causas ad dictum officium quomodolibet spectantes, et pertinentes, coram Generalibus, Superioribus, et Praelatis huiusmodi in quibuscumque locis existentibus, ac contra quoscumque Religiosos, ut praefertur, exemptos, motas, et pendentes, ad Nos harum serie avocamus, easque omnes in statu, et terminis, in quibus de praesenti reperiuntur, ipsius pravitatis Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus terminandas committimus.

§ 5. Praeterea ipsis Generalibus, Superioribus, et Praelatis pari auctoritate praecipimus, atque mandamus, ut omnes processus, et acta causarum huiusmodi Inquisitoribus, seu Ordinariis praedictis respective remittant, et consignent; necnon Professores, Fratres, et Religiosos supradictos, quos haeresis labe infectos, vel suspectos, etiam in visitatione esse noverint, absque alia consultatione cum propriis Superioribus facienda, eisdem Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus respective denuncient.

§ 6. Quod si Generales, aliique praedicti praesentibus literis non paruerint, eos omnes privationis quarumcumque dignitatum, seu praelaturarum, vel officiorum suorum Ordinum, ac vocis activae, et passivae, perpetuaeque inhabilitatis ad easdem, necnon contra fautores haereticorum, et impeditores officii statutas, et inflictas poenas, aliasque censuras ecclesiasticas, etiam excommunicationis maioris latae sententiae, a qua nonnisi a Nobis, vel a Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo, absolutionis beneficium valeant obtinere, eo ipso incurrisse.

§ 7. Necnon praesentes literas, licet Generales, Superiores, et Praelati praedicti, aut quicumque alii quavis auctoritate, dignitate, vel officio, seu honore fulgentes in praemissis quomodolibet interesse habentes, vel habere praetendentes ad hoc vocati non fuerint, semper, et perpetuo validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus inviolabiliter observari; sicque per quoscumque Iudices, et Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, et definiri debere, irritum quoque, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, et declaramus.

§ 8. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, III, p. 227, 228].

195.

Paulus V, const. *Sanctissimus*, 22 oct. 1609.

Sanctissimus in Christo Pater, et D. Noster D. Paulus Divina providentia Papa V provide attendens, quod vacatione beneficiorum Ecclesiasticorum Sedis Apostolicae dispositioni reservatorum, etiam apud illam pro tempore occurrente, ex quibusdam indultis, et facultatibus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, super dispositione beneficiorum huiusmodi concessis, Sedes

ipsa omnium parens, et alumna saepenumero impeditur, quo minus solitae eius benignitatem erga pauperes, et personas de se benemeritas, ac alias sibi gratas, et acceptas, liberaliter exercere possit.

§ I. Volens propterea super his opportunae provisionis remedium, ut par est, adhibere, simulque contentionibus, et litibus, circa facultatum, et indultorum praefatorum interpretationem oriri solitis obviare, fel. recordationis Pii etiam V,[1] et Gregorii XIV[2] Romanorum Pontificum Praedecessorum suorum vestigiis in ea parte inhaerendo, motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, omnia, et quaecumque indulta, concessiones, facultates, et privilegia, conferendi quaecumque apud Sedem Apostolicam praefatam vacantia, aut imposterum vacatura Beneficia Ecclesiastica, cum cura, et sine cura, saecularia, et quorumvis Ordinum regularia, quomodocumque qualificata, etiam inter quascumque personas litigiosa, ad collationem, provisionem, praesentationem, electionem, et quamcumque aliam dispositionem tam dictorum Cardinalium ratione Patriarchalium, Metropolitanarum, et Cathedralium, ac aliarum Ecclesiarum (non tamen earum, quibus in titulum, aut denominationem sui Cardinalatus praesunt, circa quae aliquid de novo disponere non intendit) necnon Monasteriorum, Prioratuum, dignitatum, et aliorum quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, quae quomodolibet obtinent, et imposterum obtinebunt, ac etiam quorum collatio, et provisio, et quaevis alia dispositio illis ex causa factae per eos cessionis regiminis et administrationis, seu commendae, aut resignationis Ecclesiarum, Monasteriorum, et aliorum huiusmodi Beneficiorum, Apostolica auctoritate reservata, etc. existit, vel imposterum reservabitur, quam etiam aliorum quorumcumque inferiorum collatorum, aut collatricum, coniunctim, vel divisim, de iure, privilegio, consuetudine, aut alias quomodolibet pertinentia, ac etiam illa commendandi, et alias de eis disponendi, vel de consensu ipsorum Cardinalium requirendo in provisione eorumdem beneficiorum apud Sedem eamdem, ut praefertur vacantium, per Sanctitatem Suam facienda, et quod sine consensu huiusmodi factae provisiones, aut quaevis aliae dispositiones, nullae, et irritae sint omnibus, et singulis Cardinalibus praefatis per quoscumque Romanos Pontifices, ac Sanctitatem Suam, et dictam Sedem, etiam motu, scientia, potestatisque plenitudine similibus, et Consistorialiter, ac etiam ex pactis inter dictos Pontifices, et Cardinales diversis temporibus factis, firmatis, et iuratis, necnon quibusvis onerosis, et aliis causis concessa, ac etiam iteratis, aut multiplicatis vicibus approbata, innovata, et extensa, quibuscumque concepta formulis, ac etiam restitutivis, mentis attestativis, praeservativis, derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacissimis, et insolitis clausulis, etiam vim contractus inducentibus, ac irritanti, et quod sine eorum consensu derogationes pro tempore factae nemini suffragentur, aliisque decretis suffulta, quorum omnium tenores Sanctitas Sua haberi voluit pro expressis, specialiter, et expresse revocavit, literasque Apostolicas desuper confectas, et quoad ea, in quibus illa effectum nondum sortita erant, et deinde sequuta quaecumque cassavit, annul-

[1] Cf. N. 117. 119.
[2] Cf. N. 169.

lavit, viresque, et effectum de caetero non habere decrevit. Salva tamen remanente facultate consensus per ipsos Cardinales in provisionibus Apostolicis beneficiorum per obitum familiarium continuorum commensalium eorumdem Cardinalium, etiam apud Sedem praedictam vacantium praestandi, iuxta formam Regulae Cancellariae Apostolicae super hoc editae, et in casibus tantum in ipsa Regula expressis. Voluit ulterius, quod eadem beneficia per obitum familiarium continuorum commensalium eorumdem Cardinalium posthac, tam apud eamdem Sedem, quam extra Romanam Curiam vacantia, etiamsi ad alicuius alterius Cardinalis collationem, vel aliam dispositionem pertinere deberent, etiamsi tunc cessent aliae Apostolicae reservationes hactenus editae, nihilominus imposterum dispositioni Sanctitatis Suae reservata censeantur, ita ut in provisionibus talium beneficiorum super expeditionibus literarum illius Cardinalis, cuius tunc familiaris defunctus extitit, si ipse Cardinalis tunc praesens in eadem Curia fuerit, consensus omnino requiri debeat, non autem beneficia huiusmodi, etiam eodem Cardinale ab ipsa Curia absente, seu praedefuncto, vel alias conferre impedito ad collationem, seu quamvis aliam dispositionem Cardinalis ordinarii collatoris ullo modo pertineant, neque eiusdem Cardinalis collatoris, etiam in dicta Curia tunc praesentis, consensus quoquomodo requiratur. Easdemque Constitutiones, et Regulas Cancellariae, etiam declaratorias super beneficiis familiarium praedictorum Cardinalium editas, et edendas, tam quoad Cardinales indulta huiusmodi habentes, quam non habentes, atque adeo indulta ipsa ad terminos praesentis Constitutionis reduxit, et moderatus fuit.

§ 2. Insuper statuit, et ordinavit, quod in quibuscumque facultatibus, et indultis, quae deinceps singulis Cardinalibus praefatis, praesentibus, et futuris super huiusmodi beneficiorum, ut praefertur vacantium, et vacaturorum dispositione, aut de consensu ipsorum Cardinalium in provisionibus eorumdem beneficiorum requirendo per Sanctitatem Suam, et quoscumque Romanos Pontifices Successores suos, dictamque Sedem pro tempore concedentur, idem praesens constitutum ad unguem omnino observari debeat, omnesque literae Apostolicae desuper, tam per Cancellariam praefatam, quam Cameram Apostolicam, ac etiam via secreta, sub annulo Piscatoris absque limitationibus, et moderationibus praedictis, ac alias praeter, et contra formam, atque tenorem praesentis Constitutionis huiusmodi, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, etiam cum praesentium speciali, et expressa derogatione pro tempore expeditae nullius sint roboris, vel momenti, nec cuipiam suffragentur.

§ 3. Decernens sic in iis, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, III, p. 374, 375].

196.

Paulus V, const. *Quae salubriter*, 3 nov. 1610.

Quae salubriter a Praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus constituta sunt, ut ab omnibus praesertim in Alma Urbe nostra inviolabiliter observentur, ex officii nostri debito providere tenemur, prout in Domino conspicimus expedire.

§ 1. Olim siquidem fel. record. Clemens Papa VIII Praedecessor Noster, volens nonnullas pravas consuetudines tollere, quae irrepserant in usu facultatum a Sede Apostolica concessarum nonnullis Regularibus Ordinibus, Religionibus, et Institutis, ac etiam Christifidelium saecularium Archiconfraternitatibus, et Congregationibus diversarum nationum, nominum, et Institutorum, tam in praedicta Alma Urbe Nostra, quam in aliis Civitatibus, et locis Christiani Orbis institutis erigendi, et instituendi, necnon etiam sibi aggregandi Confraternitates, et Congregationes, eisque privilegia, Indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, et indulta sibi concessa respective communicandi, perpetuo valitura Constitutione, quae incipit, *Quaecumque a Sede Apostolica*, facultates huiusmodi moderando, Indulgentias, aliasque spirituales gratias communicandas, et formulam easdem Confraternitates, et Congregationes erigendi, instituendi, aggregandi, et respective communicandi praescripsit, et alia constituit, voluit, et ordinavit, prout in literis in huiusmodi forma Brevis, sub Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die 7 Septembris 1604, Pontificatus sui Anno decimotertio, desuper expeditis plenius continetur.[1]

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, dilecti filii Capitulum, et Canonici Basilicae Lateranensis de eadem Urbe, diversas ubique constitutas Ecclesias, vel Cappellas, seu Altaria, vel Oratoria eidem Basilicae submittere, subiicere, annectere, incorporare, ac in Basilicae praedictae membrum recipere, atque in submissione, subiectione, annexione, incorporatione, et receptione huiusmodi eisdem, necnon aliis similiter Ecclesiis, Cappellis, Altaribus, seu Oratoriis, et piis locis aedificatis, et constructis in solo Lateranensi varias Indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, indulta, et privilegia concedere soleant, dictae Constitutionis forma, eo quod in ea se non comprehendi praetendant, minime servata.

§ 3. Propterea Nos volentes, ut Constitutio praedicta, tam ab eisdem Lateranensis Ecclesiae Capitulo, et Canonicis, quam ab aliis quibuscumque Iis, et facultatem communicandi huiusmodi Indulgentias habentibus, ut par est, sine discrimine in posterum observetur, Constitutionem, et literas praedictas dicti Clementis Praedecessoris cum suis clausulis, et decretis ad Basilicae Lateranensis, et aliarum Basilicarum, et Ecclesiarum quarumcumque Capitula, Canonicos, et quasvis alias personas similes facultates habentes,

[1] Cf. N. 192.

illisque utentes, ad effectum videlicet, ut ipsa Capitula, et Canonici, ac personae, nullas in posterum Indulgentias communicare possint, nisi praedictae Constitutionis forma servata, et eas solummodo, quae a Nobis illis praescribentur, auctoritate Apostolica, tenore praesentium extendimus, et ab ipsis, perinde ac si eorum expressa mentio in dictis literis facta esset, perpetuis futuris temporibus, sub poenis in eisdem literis contentis inviolabiliter observari praecipimus, et mandamus.

§ 4. Non obstantibus praemissis, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, III, p. 415, 416].

197.

Paulus V, const. *Monialium*, 10 iul. 1612.

Monialium quieti, quae carnalia desideria abnegantes, Deo obsequio sese addixerunt, pastorali solicitudine consulere cupientes, ad ea removenda, quae religiosam earum quietem, et regularem observantiam perturbare dignoscuntur, curam nostram libenter intendimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

§ 1. Quoniam itaque, sicut accepimus, experientia compertum est, non levia incommoda licentias ingrediendi Monasteria Monialium mulieribus saecularibus concessas, dictis Monialibus inferre: Nos malis huiusmodi opportuno remedio providere volentes, Motu proprio, et ex certa nostra scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas licentias ingrediendi Monasteria Monialium ubique locorum existentium, ac cum Monialibus conversandi, et refectionem sumendi corporalem mulieribus cuiuscumque status, gradus, et conditionis existentibus, etiam Marchionali, et Ducali dignitate fulgentibus, sub quibuscumque verborum formis, et tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, et efficacioribus, ac insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, ad tempus, vel in perpetuum a Praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, et etiam a Nobis concessas, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus haberi volumus pro expressis, apostolica auctoritate, tenore praesentium revocamus, cassamus, et irritamus, ac revocatas, cassas, et irritas esse decernimus.

§ 2. Inhibentes mulieribus praedictis licentias huiusmodi habentibus, sub excommunicationis latae sententiae poena, a qua nonnisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo absolvi possint, ne Monasteria praedicta praetextu licentiarum huiusmodi ingredi audeant, seu praesumant.

§ 3. Ipsorum vero Monasteriorum Abbatissis, seu Priorissis, ac Superioribus, sub eadem, ac privationis suorum officiorum, quae obtinent, et inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda, ipso facto sine alia declaratione incurrendis poenis, ne eas introducere, seu admittere, vel admissas quoquo modo retinere audeant, seu praesumant.

§ 4. Quocirca dilectis filiis nostris, et Apostolicae Sedis pro tempore existentibus Nunciis, ac locorum Ordinariis, necnon dictorum Monasteriorum Praelatis, et Superioribus praecipimus, et mandamus, quatenus praesentes literas publicari, et praemissa omnia observari faciant; contradictores quoslibet, ac praemissis non parentes, per praedictas, et alias sententias, censuras, et poenas, aliaque iuris, et facti remedia opportuna, appellatione postposita compescendo, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 5. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, IV, p. 102].

198.

Paulus V, const. *Apostolicae Sedi*, 17 iun. 1614.

Apostolicae Sedi per abundantiam divinae gratiae, nullis suffragantibus meritis, praepositi, nostrae sollicitudinis esse intelligimus, super universam domum Dei ita invigilando intendere, ut opportunis in dies magis rationibus provideatur, quo, sicut admonet Apostolus, omnia in ea honeste, et secundum ordinem fiant; praecipue vero quae pertinent ad Ecclesiae Dei Sacramentorum administrationem, in qua religiose observari Apostolicis traditionibus, et Sanctorum Patrum decretis constitutos ritus, et caeremonias pro nostri officii debito curare omnino tenemur.

§ 1. Quamobrem fel. record. Pius Papa V Praedecessor noster, huius Nostri, tunc sui, officii memor, ad restituendam sacrorum rituum observationem in sacrosancto Missae sacrificio, divinoque officio, et simul ut Catholica Ecclesia in fidei unitate, ac sub uno visibili capite Beati Petri successore Romano Pontifice congregata, unum psallendi, et orandi ordinem, quantum cum Domino poterat, teneret, Breviarium primum, et deinde Missale Romanum multo studio, et diligentia elaborata, pastorali providentia edenda censuit.

§ 2. Cuius vestigia eodem sapientiae spiritu secutus, similis mem. Clemens Papa VIII etiam Praedecessor noster, non solum Episcopis, et inferioribus Ecclesiae Praelatis accurate restitutum Pontificale dedit sed etiam complures alias in Cathedralibus, et inferioribus Ecclesiis caeremonias, promulgato Caeremoniali ordinavit.

§ 3. His ita constitutis, restabat, ut uno etiam volumine comprehensi, sacri, et sinceri Ecclesiae Catholicae ritus, qui in Sacramentorum administratione, aliisque ecclesiasticis functionibus servari debent ab iis, qui curam animarum gerunt, Apostolicae Sedis auctoritate prodirent, ad cuius voluminis praescriptum in tanta Ritualium multitudine, sua illi ministeria, tamquam ad publicam, et obsignatam normam peragerent, unoque, ac fideli ductu, inoffenso pede ambularent cum consensu. Quod sane iampridem agitatum negocium posteaquam generalium Conciliorum Graece, Latineque divina gratia editorum opus morari desivit, sollicite urgere nostri muneris esse existima-

vimus. Ut autem recte, et ordine, ut par erat, res ageretur, nonnullis ex Ven. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus pietate, doctrina, et prudentia praestantibus, eam demandavimus, qui cum consilio eruditorum virorum, variis, praesertim antiquis, et quae circumferuntur, ritualibus consultis, eoque in primis, quod vir singulari pietatis zelo, et doctrina bo. mem. Iulius Antonius S. R. E. Cardinalis S. Severinae nuncupatus, longo studio, multaque industria, et labore plenissimum composuerat, rebusque omnibus mature consideratis, demum divina aspirante clementia, quanta oportuit brevitate, Rituale confecerunt, in quo cum receptos, et approbatos Catholicae Ecclesiae ritus suo ordine digestos, conspexerimus, illud sub nomine Ritualis Romani merito edendum publico Ecclesiae Dei bono iudicavimus.

§ 4. Quapropter hortamur in Domino Ven. Fratres Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, et dilectos filios eorum Vicarios, necnon Abbates, Parochos universos, ubique locorum existentes, et alios, ad quos spectat, ut in posterum tamquam Ecclesiae Romanae filii eiusdem Ecclesiae omnium Matris, et Magistrae auctoritate constituto Rituali in sacris functionibus utantur, et in re tanti momenti, quae Catholica Ecclesia, et ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolate observent.

[Bull. Rom., tom. 5, IV, p. 151, 152. - Cf. etiam Rituale Romanum, initio].

199.

Gregorius XV, const. *Inscrutabili*, 5 febr. 1622.

Inscrutabili Dei providentia universalis Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, praesidentes, pastoralis nostrae solicitudinis partes esse dignoscimus, in eam curam praecipue incumbere, ut a dignis, et probatis tantum Sacerdotibus sancte administrentur Ecclesiastica Sacramenta, atque ut Virginum Deo sacrarum Monasteria diligentissime custodiantur, et viri assumantur idonei ad praedicationis officium salubriter exequendum.

§ 1. Sane Tridentinae Synodi decretis[1] provide cautum est, nullum Presbyterum, etiam regularem, posse Confessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, et approbationem, quae gratis detur, obtineat.

§ 2. Necnon, ut in Monasteriis, seu Domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum secularium, praeter eas, quae sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum familia personae, tam regulares quam seculares eiusmodi curam exercentes, subsint immediate in iis, quae ad d. curam, et Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi, et correctioni Episcopi, in cuius Dioecesi sunt sita.[2] Itemque ut Episcopi universi sub obtestatione Divini iudicii, et interminatione maledictionis

[1] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 15.
[2] Sess. XXV, *de regularibus*, c. 11.

aeternae in omnibus Monasteriis sibi subiectis Ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicae authoritate clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent; inobedientes, atque contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliasque poenas, quacumque appellatione postposita, compescentes.[1]

§ 3. Atque, ut regulares in Ecclesiis suorum Ordinum praedicare volentes, se coram Episcopis praesentare, et ab eis benedictionem petere teneantur; in Ecclesiis vero, quae suorum Ordinum non sunt, nullo modo praedicare possint sine Episcopi licentia: contradicente autem Episcopo, nullibi, etiam in suorum Ordinum Ecclesiis, praedicare praesumant.[2]

§ 4. Verum, quia experientia compertum est, ecclesiastici regiminis rationes postulare, ut decretis eiusmodi aliquid adiungatur, matura deliberatione nostra, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, hac generali, ac perpetuo valitura Constitutione decernimus, statuimus, et declaramus, ut deinceps, tam regulares, quam seculares, quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum secularium Monasteriis, seu Domibus regularibus, aut quibusvis aliis Ecclesiis, vel beneficiis, sive regularibus, sive secularibus incumbentem exerceant; sive alias Ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex illis ministrent, praevia Episcopi licentia, et approbatione, sive quoquo modo in dictae curae exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicuius ex illis administratione de facto, absque ulla auctoritate se ingerant in his, quae eiusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodae iurisdictioni, visitationi, et correctioni Dioecesani Episcopi, tamquam Sedis Apostolicae delegati, plene in omnibus subiiciantur. Ad haec tam regulares, quam seculares huiusmodi nullis privilegiis, aut exemptionibus tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem Monasteriorum Monialium, etiam regularibus subiectarum, ab Episcopo loci similiter tamquam ad hoc Sedis Apostolicae delegato, quoties, et quando opus fuerit, puniri, et corrigi valeant.

§ 5. Confessores vero, sive regulares, sive seculares quomodocumque exempti, tam ordinarii, quam extraordinarii, ad Confessiones Monialium, etiam regularibus subiectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo Dioecesano idonei iudicentur, et approbationem, quae gratis concedatur, obtineant. Sed et administrantes bona ad eadem Monasteria Sanctimonialium, ut praefertur, etiam regularibus subiectarum, pertinentia, sive regulares extiterint, sive seculares, quomodolibet exempti, Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque iuris remediis cogi, et compelli queant. Liceatque Episcopo ex rationabili causa Superiores regulares admonere, ut eiusmodi Confessores, atque Administratores amoveant: iisque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem praedictos Confessores, et Administrato-

[1] Sess. XXV, *de regularibus*, c. 5.
[2] Sess. XXIV, *de ref.*, c. 4.

res amovendi quoties, et quando opus esse iudicaverit. Ac similiter possit Episcopus, una cum Superioribus regularibus, quarumcumque Abbatissarum, Priorissarum, Praefectarum, vel Praepositarum eorumdem Monasteriorum, quocumque nomine appellentur, electionibus per se, vel alium interesse, ac praesidere; absque ulla tamen ipsorum Monasteriorum impensa.

§ 6. Ac demum habeat Episcopus, tamquam dictae Sedis delegatus, auctoritatem coercendi, ac puniendi quoscumque exemptos tam seculares, quam regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quae suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, et in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, praedicare praesumpserint. Ita ut Episcopi in suprascriptis casibus in praenominatas personas, in praemissis omnibus, et singulis, aut circa ea quoquo modo delinquentes, quoties, et quando opus fuerit, etiam extra visitationem, per censuras ecclesiasticas, aliasque poenas, uti eiusdem Sedis delegati, procedere, omnemque iurisdictionem exercere libere, et licite valeant.

§ 7. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, V, p. 1–3].

200.

Gregorius XV, const. *Inscrutabili*, 22 iun. 1622.

§ 1. Inscrutabili divinae providentiae arcano, ad Christi Ecclesiae regenda gubernacula, nullis nostris meritis, a Spiritu Sancto vocati, praecipuas nostri pastoralis muneris partes esse intelligimus, sedulo invigilandi, et quantum Nobis ex alto conceditur, intentis studiis adnitendi, ut oves miserabiliter errantes, ad Christi ovile adducantur, ac Dominum gregis agnoscant, et pastorem.

§ 2. Quo scilicet, divina adspirante gratia, desinant, per infelicia pascua infidelitatis, et haeresum vagari, et aqua mortifera pestilentiae potari, sed in loco pascuae verae Fidei, ac salutaris doctrinae collocentur, et adducantur ad vitae fontes aquarum. Et vero quis non intelligit, omnem nostram sollicitudinem desiderare, omnemque conatum a Nobis exigere, opus adductionis animarum ad Ecclesiam Christi? quippe quod tanti fecerit Deus mundi salutem, ut ipsum Unigenitum suum daret, Unigenitum illum, qui cum esset splendor gloriae, et figura substantiae eius, portans omnia verbo virtutis suae, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, ut sua nimia charitate servos, et malos servos, Dominus redimeret pretio Sanguinis sui.

§ 3. Inaestimabilis huius charitatis imitatores esse profecto omnes debent, qui christiano nomine fideliter gloriantur, et membra Christi effecti sunt, ut eius verbi factores sint, non auditores tantum; nam et per sanctum Apostolum suum monet: *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis*.

§ 4. Quod si haec ad unumquemque Christianorum scripta sunt, quanto magis ad eos, qui in sortem, et militiam Christi vocati, positi sunt Episcopi regere Ecclesiam suam? quibus saepe per Prophetas suos gravibus verbis comminatur, si pascentes semetipsos, gregem non pascunt, et quod crassum est occidentes, infirmum non consolidant, aegrotum non sanant, confractum non aliigant, abiectum non reducunt, perditum non quaerunt.

§ 5. Quae profecto voces, ut omnes Ecclesiarum Rectores valde sollicitos habere debent, licet in partem sollicitudinis sint vocati, ita multo vehementius Nos urgent, qui in plenitudinem electi, non solum universo gregi, sed etiam Pastoribus praepositi sumus. Quocirca quod Apostolis omnibus a Domino mandabatur, ut praedicarent Evangelium omni creaturae, principaliter Petro incumbebat, qui omnibus praestabat praerogativa Principatus, et cui soli iniunctum fuerat a Domino, ut pasceret oves suas.

§ 6. Quapropter, et uni Petro vas illud, quasi linteum, ostenditur, quatuor initiis de caelo submitti in terram, in quo erant omnia quadrupedia, et serpentia terrae, et volatilia caeli, quodque illa vox sequuta est: *Surge Petre, occide, et manduca,* ut praefiguraretur Petri, et Successorum eius munus ex quatuor Mundi partibus homines varia impietate insipientes congregandi, quo eos quasi occidendo, hoc est, veteri via exuendo, et exutos manducando, idest in sua membra, qui visibile erat caput Ecclesiae convertendo, etiam membra Christi redderet, invisibilis Ecclesiae capitis; atque ita adipiscerentur participationem generationis Christi, eamque adepti, quae Christi sunt, saperent, quae Christi sunt, operarentur, ac demum per gratiam Spiritus Sancti eius in aeterna pascua transferrentur, potandi torrente inexhausto voluptatis Dei.

§ 7. Quantum vero his calamitosis temporibus excreverit errantium, et dispersarum ovium numerus, qui Ecclesiam Sanctam eius Catholicam, Christi ovile, vel nunquam cognoverunt, vel cognitam Sathanae dolis deseruerunt, sine lacrymis commemorari non potest. Si enim mentis nostrae aciem convertimus ad innumerabilem populorum multitudinem, iam tot seculis Agarenorum impurissima dementia captam, insanique erroris, ac mendacii tenebris obcaecatam, miseratione commoventur viscera nostra, cernentes, tam multis, ac variis caelestibus donis olim celebres nationes, per ignorantiae, et pestilentis persuasionis stuporem, humanitatem in bestiarum naturam fere mutasse, atque ad aeterna incendia Diabolo, et Angelis eius parata ali, ac propagari. Et licet inter eas aliquae sint gentes in iustitia detentae, quae Christi nomen invocant; tamen ita antiquarum haeresum veneno sunt infectae, ut sinceram veritatem paucissimae agnoscant, ac fere omnes in multis nedum in uno peccantes, factae sint omnium reae. Ubi vero, peccatis nostris facientibus, inimicus homo super bonum semen in Septentrionalibus partibus seminavit haeresum zizania, ita dira contagia grassata sunt, ut animas innumerabiles iamdiu perdiderit, ac Provincias, et Regna Christo per summam iniuriam erepta, suae tyrannidi mancipaverit.

§ 8. Quamobrem, etsi a fel. rec. Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, pastorali vigilantia, ope, studio, et industria elaboratum fuerit, ne tam multae messi deessent operarii, et negociatio haec sancta non negligeretur: nihilominus Nos, ut maiori cum vigilantia, cura, et fervore, opus

prosequi possimus, et in posterum successores nostri possint, nonnullorum Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium peculiari solicitudini negotium committendum duximus, prout tenore praesentium committimus, et demandamus. Volentes, ut in unum congregati, adhibitis etiam aliquot Rom. Curiae Praelatis, et religiosis viris, ac Secretario, prout Nos hac prima vice eos adhiberi voluimus, et nominavimus, in commune consulant, tantaeque rei nobiscum invigilent, ac tam sancto, et Divinae Maiestati maxime grato operi, quanto melius fieri poterit, incumbant: quod ut commodius praestari possit, semel coram Nobis, ac bis saltem in domo antiquioris eorum, quolibet mense congregentur, omniaque, et singula negotia, ad Fidem in universo Mundo propagandam pertinentia cognoscant, et tractent, et graviora, quae in praedicta domo congregati tractaverint, ad Nos referant: alia vero per se ipsos decidant, et expediant pro eorum prudentia. Missionibus omnibus ad praedicandum, et docendum Evangelium, et Catholicam doctrinam, superintendant, ministros necessarios constituant, et mutent. Nos enim eis, tam praemissa, quam omnia, et singula alia desuper necessaria, et opportuna, etiamsi talia fuerint, quae specialem, specificam, et expressam requirant mentionem, faciendi, gerendi, tractandi, agendi, et exequendi, plenam, liberam, et amplam facultatem, auctoritatem, et potestatem, apostolica auctoritate, earundem tenore praesentium concedimus, et impertimur,

§ 9. Ut vero res tanti momenti, in quam magnos sumptus fieri necesse est, per temporalium cum spiritualibus felicem commutationem, nullo retardata impedimento, facilius, et celerius procedat, ultra ea, quae ex arca nostra privata suppeditari iam mandavimus, et piorum fidelium liberalitate collata sunt, et in posterum non defutura subsidia in Domino confidimus, cum nostrum, et huius Sanctae Sedis proprium sit negotium, certos huic operi redditus ex Camera nostra Apostolica in perpetuum attribuemus, eorumque administrationem iisdem Cardinalibus committemus, prout in aliis nostris expediendis literis plenius continebitur.

§ 10. Cardinales autem, quos sancto huic negotio praeficimus, sunt qui sequuntur, Antonius Ostiensis Saulius, Odoardus Sabinen. Farnesius, Octavius Praenestinus, Episcopi, Bandinus, Franciscus S. Praxedis de Surdis, Maphaeus S. Honuphrii Barberinus, Ioannes Garsias SS. Quatuor Coronatorum Millinus, Gaspar S. Crucis in Hierusalem Borgia, Robertus S. Alexii Ubaldinus, Scipio S. Susannae, Petrus S. Salvatoris in Lauro Valerius, Itelus Fridericus S. Laurentii in pane, et perna de Zolleren, Ludovicus S. Mariae Transpontinae Ludovisius, et Franciscus S. Matthaei Titulorum Presbyteri Cardinales, Sacratus nuncupati.

§ 11. Praelati vero, dilecti filii Io. Baptista Vives in utraque Signatura nostra Referendarius, et Io. Baptista Agucchius Secretarius noster, ac Sedis Apostolicae Notarius, et Dominicus a Iesu Maria Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Professor, et Vicarius Generalis.

§ 12. Secretarius vero a Nobis pariter deputatus dilectus filius Franciscus Ingolus Presbyter Ravennas U. I. D.

§ 13. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, V, p. 26-28].

201.

Gregorius XV, const. *Universi*, 30 aug. 1622.

Universi Dominici gregis curam, quamquam immeriti, caelesti dispositione gerentes, sedulo invigilare tenemur, ut ab omnibus pravis contagiis conservetur immunis, multoque maiori studio providere, ut omnis pestis ab iis avertatur, quibus alios sanandi officium est commissum, ne quod Evangelica scripta Nos admonent, sale infatuato non sit, in quo saliatur, et ad nihilum prosit ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus.

§ 1. Quoniam autem a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris quibusdam in locis provisum fuit, ut impium, ac nefandum scelus, quod non solum inter Christifideles non esse, sed nec etiam nominari debet, procul ab iis arceatur, videlicet, ut aliquis Sacerdos ad sacras audiendas confessiones deputatus, sacrosancto Poenitentiae Sacramento, solicitando poenitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigat, et ex caelesti medico infernalis veneficus, ex patre spirituali proditor execrabilis animarum reddatur: idcirco Nos ea, quae his perniciosissimis diaboli insidiis arcendis certis locis salubriter constituta sunt, ut nullibi desiderentur, quantum ex alto conceditur, providen. duximus.

§ 2. Alias siquidem a fel. rec. Pio Papa Quarto Praedecessore nostro emanarunt literae tenoris subsequentis, videlicet: Pius Papa Quartus Venerabili Fratri, Archiepiscopo Hispalen. in Regnis Hispaniarum haereticae pravitatis Inquisitori generali. *Cum sicut nuper, etc.*

Omittitur residuum, quia ipsa Const. est supra, in N. 102.

§ 3. Igitur, ut literae praedictae perpetuis futuris temporibus, et ubique locorum inviolabiliter observentur, Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, ac de consilio Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium contra haereticam pravitatem generalium Inquisitorum praeinsertas literas huiusmodi, ac omnia, et singula in eis contenta Apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque omnibus, et singulis inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, illasque non solum in praedictis Hispaniarum Regnis, sed in quibusvis Christiani Orbis partibus firmiter, et inviolabiliter observari praecipimus, et mandamus.

§ 4. Ac praeterea ne in futurum de poena his delinquentibus imponenda, et de modo contra eosdem procedendi ab aliquo dubitari possit, statuimus, decernimus, et declaramus, quod omnes, et singuli Sacerdotes tam seculares, quam quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicae immediatae subiectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, et Congregationum Regulares cuiuscumque dignitatis, et praeeminentiae, aut quovis privilegio muniti existant, qui personas, quaecumque illae sint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis confessionis, sive antea, vel post immediate, seu occasione, vel

praetextu confessionis huiusmodi etiam ipsa confessione non sequuta, sive extra occasionem confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque, ubi confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones, sive tractatus habuerint, in officio Sanctae Inquisitionis severissime, ut infra, puniantur. Et praeterea omnes haereticae pravitatis Inquisitores, et locorum Ordinarios omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, et locorum universi Orbis Christiani in suis quemque Dioecesibus, et Territoriis per has nostras literas, etiam privative quoad omnes alios specialiter, ac perpetuo Iudices delegamus, ut super his contra praedictos, simul, vel separatim in omnibus, prout in causis fidei, iuxta Sacrorum Canonum formam, necnon officii Inquisitionis huiusmodi Constitutiones, privilegia, consuetudines, et decreta diligenter inquirant, et procedant; et quos in aliquo ex huiusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, et circumstantiis, suspen. ab executione ordinis, privationis beneficiorum, dignitatum, et officiorum quorumcumque, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, necnon vocis activae, et passivae, si regulares fuerint, exilii, damnationis ad triremes, et carceres etiam in perpetuum absque ulla spe gratiae, poenas decernant, eos quoque si pro delicti enormitate graviores poenas meruerint, debita praecedente degradatione, Curiae seculari puniendos tradant.

§ 5. Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, et Ecclesiae Dei tam perniciosum remaneat, ob probationum defectum, impunitum, cum difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus concurrentibus, praesumptionibus, indiciis, et aliis adminiculis, delictum probatum esse arbitrio suo iudicandi, et Curiae seculari, ut praefertur, reum tradendum esse, pronunciandi.

§ 6. Non obstan. omnibus, quae dictus Praedecessor in suis literis praedictis voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 7. Mandantes omnibus Confessariis, ut suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu ut praefertur, tractantes, Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis praedictis: quod si hoc officium praetermiserint, vel poenitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes, ut supra, iidem locorum Ordinarii, et Inquisitores illos pro modo culpae punire non negligant.

§ 8. Volumus autem, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, V, p. 54, 55].

202.

Gregorius XV, const. *Omnipotentis Dei*, 20 mart. 1623.

Omnipotentis Dei Salvatoris nostri, qui, ut hominem a laqueis Diaboli liberaret, Crucem subire dignatus est, vices, quamquam immeriti, gerentes in terris, in id summo studio, iuxta creditum Nobis desuper apostolicae servitutis officium, incumbimus, ut gregem Dominicum, inaestimabili pretio redemptum, adversus Sathanae fraudes defendamus, eiusdem officii partes desuper interponendo, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

§ 1. Sane nonnulli suae conditionis obliti, et solemnis sponsionis ab iis factae, cum in Christi gregem, per sacrum regenerationis lavacrum adsciti fuerunt, Sathanae, cui renunciarunt, artibus, maleficiis, superstitionibus, ac nefariis inventis operam dare non verentur, quinimo magistrum imitantes, qui capitali odio, quo humanum genus prosequitur, hominibus insidiari numquam cessat, proximum variis modis laedere, animas vero suas perdere non timent.

§ 2. Quapropter, ut tam exitiosa scelera a Christifidelibus arceantur, gravioribus poenis vindicanda duximus. Motu itaque proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium decernimus, praecipimus, et mandamus, ut constito, quod aliquis pactum cum Diabolo fecerit, et a fide apostatando, maleficiis, sive sortilegiis unam, seu plures personas ita laeserit, ut ex maleficio, vel sortilegio mors sequuta sit, etiam pro primo lapsu, Curiae seculari tradatur, debitis poenis puniendus; qui vero similiter apostatando, pactum cum Diabolo, ut praefertur, fecerit, et maleficium, seu sortilegium commiserit, ex quo licet mors sequuta non sit, infirmitas tamen, divortia, impotentia generandi, sive animalibus, frugibus, vel aliis fructibus damnum notabile provenerit, muro claudi, sive perpetuis carceribus, in Sancto Inquisitionis officio, ubi illud existit, fabricandis, mancipari debeat.

§ 3. Qui vero similium delinquentium notitiam habuerint, eos Episcopo, sive Inquisitori denunciare teneantur.

§ 4. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, V, p. 97, 98].

203.

Urbanus VIII, const. *Sacrosancti*, 30 sept. 1623.

Sacrosancti Apostolatus ministerii cura, et quam altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei humilitatem nostram, nullo licet meritorum suffragio, gerere voluit, iugiter Nos admonet, ut in iis praecipuam Apostolicae servitutis solicitudinem adhibeamus, per quae temporalis S. R. E. ditionis

conservationi consulitur: atque ideo Nos, quae a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris provide sancita fuerunt, ea non solum ipsi inviolate hanc ob causam curabimus custodire, sed etiam aliis perpetuo observari debere, statuemus.

§ 1. Dudum siquidem a felicis recordationis Pio Papa V Praedecessore nostro literae tenoris sequentis emanarunt: Pius Episcopus, Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Admonet nos suscepti cura regiminis, etc.*

Omittitur tenor huius Constit., quia est supra, in N. 120.

§ 2. Quae quidem Constitutio veluti optima, et ad conservandam S. R. E. iurisdictionem, et dignitatem plane salutaris approbata, confirmata, et innovata fuit ab iis, qui eidem Pio V successerunt, recolendae memoriae Praedecessoribus nostris Gregorio XIII, Sixto V, Gregorio XIV, Innocentio IX,[1] qui etiam de fratrum suorum tunc S. R. E. Cardinalium consilio, et assensu declaravit, eadem Constitutione prohibitum fuisse, et prohiberi omnem, et quamcumque infeudationem, ac alienationem Civitatum, Terrarum, Oppidorum, et Locorum Sedi Apostolicae tam mediate, quam immediate subiectorum, non solum ne fiat, neve attentetur post eorum devolutionem, sed etiam antequam Civitates, Terrae, Oppida, et Loca praedicta devolvantur, ac omnem, et quamcumque in perpetuum, vel ad tempus prorogationem, ac extensionem infeudationum, investiturarum, et concessionum de dictis Civitatibus, Terris, Oppidis, et Locis finitarum quarumque incorporationem, quoad effectum impediendae infeudationis, alienationis, prorogationis, et extensionis huiusmodi, non a die eorum devolutionis, sed a die ipsius Constitutionis, etiam antequam illa devolvantur, ipso iure cum omnibus clausulis, et decretis in praedicta Constitutione contentis, Camerae, et Sedi Apostolicae factam censeri: adiecto etiam decreto, et declaratione, ut promissio, et iuramentum praestitum, et praestandum de servanda ea Pii Praedecessoris praedicti Constitutione per ipsum Innocentium, et successores suos Rom. Pont., ac praedictos S. R. E. Cardinales intelligatur de ipsa Pii V Praedecessoris Constitutione per eum, ut supra declarata, et secundum huiusmodi declarationem, eamdem Constitutionem ad unguem, et inviolabiliter observari oportere, et debere, sicuti etiam se servaturum esse promisit, ac sancte, et solemni more iuravit, prout in eiusdem Innocentii Praedecessoris sub dat. pridie Nonas Novemb. Pont. sui anno I expeditis literis latius continetur. Subinde vero a Clemente VIII,[2] et novissime a Paulo V[3] Romanis Pontificibus, et Praedecessoribus nostris, iuxta eamdem Innocentii IX declarationem confirmata, approbata, et innovata fuit.

§ 3. Quare Nos, cum primum ad Apostolicae dignitatis gradum, divina providentia, vocati sumus, id ipsum ad exequendum nostri pastoralis officii debitum praecipue pertinere existimantes, praeinsertas Pii Praedecessoris

[1] Cf. N. 142, 158, 168, 174.
[2] Cf. N. 175.
[3] Cf. N. 193.

literas, ac omnia in eis contenta etiam iuxta declarationem praedictam per ipsum Innocentium Praedecessorem factam, ac desuper confectarum literarum continentiam, et tenorem, quem pariter praesentibus haberi volumus pro expresso, ac ad verbum inserto, auctoritate Apostolica tenore praesentium comprobamus, confirmamus, innovamus, easque firmiter, et inviolate ac iuxta declarationem praedictam, Nos similiter servaturos esse promittimus, et iuramus, atque per eos, ad quos spectat, pariter perpetuo observari praecipimus, et mandamus.

§ 4. Nulli ergo omnino hominum, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, V, p. 147, 148].

204.

Urbanus VIII, const. *Romanus Pontifex*, 28 aug. 1624.

Romanus Pontifex, cui Salvator, et Dominus noster, qui Charitas est, et Deus pacis, universalis Ecclesiae credidit Principatum, ea interdum, quae certis etiam rationabilibus de causis, a Sede Apostolica concessa sunt, ipsa subinde rerum experientia suadente, et maioribus ex causis, quibus praesertim personarum sub suavi Religionis iugo Altissimo famulantium paci, et quieti consulitur, litibusque, ac controversiis inter eos obviam itur, revocat, et immutat, in hisque pastoralis solicitudinis, et providentiae suae studium interponit, prout rerum, et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

§ 1. Cum itaque, sicut Nobis innotuit, complures licentiae, sive facultates a nonnullis Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris per diversos Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, et aliorum Institutorum Superiores, seu alios eorum nomine, ubique locorum Monasteria, Domos, Collegia, Conventus, et alia loca regularia quovis nomine nuncupata, servata dumtaxat Sacrorum Canonum, et Concilii Tridentini decretorum forma, de sola Ordinarii licentia, seu etiam forsan non servata forma, et absque licentia huiusmodi, et contra decreta a Sede Apostolica super praemissis edita fundandi, erigendi, et instituendi importunis precibus, seu etiam Motu proprio, vel alias obtentae, et extortae fuerint: idcirco Nos, omnes, et quascumque licentias, ac facultates huiusmodi, literasque desuper tam sub plumbo, quam in huiusmodi forma Brevis desuper expeditas, earumque ten. etiam veriores, et Dat. praesentibus, ac si specifice, et sigillatim exprimerentur, et insererentur, pro plene, et sufficienter expressis, et ad verbum insertis habentes, iustis de causis animum nostrum moventibus, Motu proprio, non ad alicuius Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine omnes, et quascumque licentias, et facultates huiusmodi, literasque desuper tam sub plumbo, quam in eadem forma Brevis expeditas, omniaque, et singula in eis quomodolibet contenta, et expressa, etiam quoad erectiones, fundationes, et institutiones Monasteriorum, Collegiorum, Domo-

rum, Conventuum, et aliorum regularium locorum huiusmodi, quae suum nondum sortitae sunt effectum, tenore praesentium perpetuo revocamus, cassamus, abrogamus, et annullamus, viribusque, et effectu prorsus evacuamus.

§ 2. Praeterea Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, et aliorum Institutorum regularium Superioribus, quocumque nomine nuncupatis, caeterisque personis, ad quos spectat, in virtute sanctae obedientiae, ac sub poena privationis vocis activae, et passivae, necnon officiorum quorumcumque, ac inhabilitatis ad illa, seu alia in futurum obtinen. ac etiam excommunicationis ipso facto incurrendis poenis interdicimus, et prohibemus, ne licentiarum, seu facultatum per Nos, ut praefertur, revocatarum, et annullatarum, sive alio quovis praetextu, vel causa, etiam quantumvis privilegiata, nova Monasteria, Collegia, Domos, Conventus, et alia loca regularia huiusmodi, nisi de expressa Ordinariorum licentia, ac servata in omnibus, et per omnia sacrorum Canonum, et Conc. Trid.[1] necnon Constitutionis fel. rec. Clem. VIII quae incipit: *Quoniam ad institutam*, sub datum Romae, apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die 23 Iulii 1603[2] ac Decretorum de mandato eiusdem Clementis, ac sa. me. Gregorii XV[3] Rom. Pont. Praedecessorum desuper editorum forma recipere, erigere, fundare, seu alias quomodolibet instituere, seu incepta finire, et absolvere audeant, seu praesumant.

§ 3. Decernentes, praesentes Literas etiam ex eo, quod causae, propter quas illae emanarint, expressae, verificatae, et iustificatae, aut quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes, ad hoc vocati, citati, et auditi non fuerint, neque illis consenserint, vel alias ex quocumque capite, praetextu, colore, ingenio, vel causa de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quovis defectu notari, et impugnari, redargui, infringi, retractari, in ius, vel controversiam vocari, ad terminos iuris reduci, aut contra eas quodvis gratiae, vel iustitiae remedium impetrari, seu concedi nullatenus posse, sed eas, ac omnia, et singula in eis contenta semper, et perpetuo valida, et firma, et efficacia esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari, sicque, et non aliter, per quoscumque Iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et Nuntios, quavis auctoritate fungen., sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ 4. Quocirca Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episc. et aliis locorum Ordinariis per praesentes committimus, et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes

[1] Sess. XXV, *de regularibus*, c. 3.
[2] Cf. N. 190.
[3] Const. *Cum alias*, 17 aug. 1622. - Bull. Rom., tom. 5, V, p. 47, 48.

Literas, et in eis contenta quaecumque solemniter publicantes, faciant illas, et illa ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; contradictores quoslibet, et rebelles per censuras, et poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§ 5. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 5, V, p. 247, 248].

205.

Urbanus VIII, const. *Secretis*, 11 dec. 1624.

Secretis aeternae providentiae consiliis, nullo nostrorum suffragio meritorum, Speculatores Domus Israel in sublimi Apostolatus culmine constituti, eo potissimum Pontificiae sedulitatis officia convertenda esse arbitramur, ut qui in sortem Domini vocantur, Christique Militiae dant nomen, spiritualem Ecclesiae tranquillitatem non perturbent, sed pacem confirment, vires augeant, ac tam strenue se gerant, ut ipsam terribilem, quasi castrorum aciem ordinatam, inferae potestates, ac Principes tenebrarum quotidie magis perhorrescant.

§ 1. Haec autem quanto impensius fieri optamus, tanto maiori indignatione irreligiosam quorumdam impudentiam detestamur, ac sacrilegam temeritatem execramur, qui Sacros Canones, Summorumque Pontificum decreta non verentes, Clericales Ordines illegitime suscipiunt, ac dum in Ecclesiasticorum Ministrorum coetum per nefas irrepunt, Dei cultui, animarum saluti, omnibusque ad optimum Christianae Reipublicae regimen pertinentibus, plurimum obesse noscuntur.

§ 2. Alias siquidem fel. rec. Clemens Papa IV Praedecessor noster volens periculis animarum eorum obviare, qui vinculo excommunicationis adstricti, aut apostatae, seu irregulares, vel alias Ordinum sacrorum susceptione indigni, suam patriam, in qua de his haberetur notitia, fugientes, se in remotis partibus faciebant ad huiusmodi Ordines promoveri, statuit, ut nullus Episcoporum Italiae de caetero aliquem ultramontanum Clericum ordinare praesumeret, nisi ab eodem Clemente Praedecessore, vel ab Episcopo, de cuius Dioecesi traxerat originem, ordinandus, vel in cuius Dioecesi beneficiatus existebat, per eius patentes Literas causam rationabilem continentes, quare ipsum nolebat, aut nequibat ordinare, specialem licentiam haberet, eos vero, quos contra praemissa contigisset ordinari, manere voluit absque spe dispensationis super hoc a Sede Apostolica obtinendae suspensos, ac ordinantes condigna poenitentia puniri. [1]

§ 3. Cum autem, non sine gravi animi nostri molestia, Nobis innotuerit, quamplures Ultramontanos suae salutis immemores, Deique timore

[1] C. 1, *de temporibus ordinationum et qualitate ordinandorum*, I, 9, in VI°

postposito, ad Ordines praedictos cum falsis dimissorialibus Literis, seu etiam titulo patrimonii ficto, vel fiduciario, seu etiam falso, cum maximo bonorum omnium scandalo, se promoveri fecisse, Nos innumeris, quae ex minus canonica Clericorum ordinatione huiusmodi proveniunt, malis, quantum Nobis ex alto conceditur, providere volentes, praedictam Clementis Praedecessoris Constitutionem, cum omnibus, et singulis in ea contentis approbantes, et innovantes, Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis in Italia existentibus, tenore praesentium prohibemus, ne quovis praetextu, et ex quacumque causa Hispanos, Lusitanos, Gallos, vel Germanos, aliosque quoscumque Ultramontanos, et ex quibusvis locis extra Italiam oriundos, non solum ad sacros, sed neque etiam ad minores Ordines, vel Clericalem characterem promovere audeant, seu praesumant, nisi dimissoriales suorum Ordinariorum literas a nostris, et huius Sanctae Sedis Nuntiis, seu Collectoribus in illis partibus commorantibus recognitas, et probatas, et subscriptas habeant; eorumdemve Nuntiorum, seu Collectorum subscriptiones a dilecto filio nostro in Alma Urbe Vicario in spiritualibus generali similiter examinatae, recognitae, et approbatae fuerint, alias promoventes ad annum ab exercitio Pontificalium, promoti vero perpetuae suspensionis poenam, absque spe dispensationis a Sede Apostolica obtinendae, incurrant eo ipso. Insuper promotos huiusmodi, ac etiam eos, qui cum falsis, vel fictis, aut fiduciariis patrimonii titulis scienter se ad Ordines huiusmodi promoveri fecerint, non solum praedictis, verum etiam maioribus arbitrio nostro, et pro tempore existentis Romani Pontificis infligendis poenis.

§ 4. Italos vero, si quos imposterum Clericali charactere insigniri, vel ad minores Ordines promoveri ab alieno Episcopo cum falsis dimissoriis contigerit, etiamsi qualitatibus per Concil. Trident. Decretum c. 16, sess. 23, requisitis praediti sint, nihilominus sequuta tamen prius desuper Iudicis Ecclesiastici declaratione, fori privilegio minime gaudere, sed seculari iurisdictioni, ut antea plene, in omnibus subiacere, et subiectos esse respective volumus.

§ 5. Sicque, et non aliter per quoscumque Iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. In contrarium facien. non obstantibus quibuscumque.

§ 6. Per praesentes autem Constitutioni rec. mem. Pii Papae II Praedecessoris nostri contra male promotos editae[1] nullatenus derogare intendimus, sed illam cum omnibus, et singulis in ea contentis, in suo robore, et efficacia permanere, perinde ac si praesentes non emanassent, decernimus.

[Bull. Rom., tom. 5, V, p. 289, 290].

[1] Cf. N. 57.

206.

Urbanus VIII, motu propr. *Licet nullus*, 10 sept. 1626.

Licet nullus Episcoporum, postquam regimini Ecclesiae, cui praeerat, cesserit, in Beneficiorum Ecclesiasticorum dispositione ratione eiusdem Ecclesiae sibi antea competenti ingerere se valeat; attamen nonnulli ex Venerabilibus Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus sub praetextu indultorum Apostolicorum eis pro tempore concessorum Beneficia nedum unius, sed etiam plurium Ecclesiarum, quarum regimini cesserunt, vel a quarum vinculo ad alias translati absoluti reperiuntur, contemplatione, alias ad se spectantia, conferre perseverant. Quare motu simili etc.

§ 1. Declaramus, de caetero non licere cuivis personae, etiamsi Cardinalatus honore praefulgeat, praetextu cuiusvis indulti Apostolici concessi, seu concedendi facultatem huiusmodi, etiam expresse continentis conferre, vel quovis modo disponere de quibusvis Beneficiis Ecclesiasticis, quorum collatio, praesentatio, nominatio, vel quaevis alia dispositio separatim, vel coniunctim cum aliis ad eum spectabat, ratione cuiuscumque Ecclesiae Cathedralis, etiam Metropolitanae, Primatialis, vel Patriarchalis, cuius regimini cesserit, si quidem ad aliam Episcopalem, Archiepiscopalem, Primatialem, vel Patriarchalem Ecclesiam translatus, vel postmodum assumptus fuerit, sed indulto tantum ratione Ecclesiae, cui actu praesit, vel cuius regimini ultimo loco cesserit, sibi concesso uti posse, et debere, ac irritum etc.

§ 2. Ostien., et Veliternen. invicem perpetuo unitis, et Portuen., ac Sabinen., necnon Tusculan., et Praenestin., ac Albanen. Ecclesiis dumtaxat exceptis, quoad quas Cardinalibus illarum pro tempore Praesulibus facultate disponendi de Beneficiis huiusmodi etiam una cum indulto sibi ratione aliarum Ecclesiarum, quibus actu praesunt, vel antea novissime praefuerint, ut praefertur, frui licere decernimus.

§ 3. Statuentes, praesentium, etiam absque eo, quod registrentur, aut illis data apponatur, solam Signaturam nostram sufficere, et ubique in iudicio, et extra regula contraria non obstante, fidem facere.

§ 4. Ac insuper illas in Cancellaria Apostolica describi debere.

§ 5. Et deinceps omnes, et singulos Cardinales, etiam absentes, praesentes, et futuros, et alios quoscumque, quorum interest, vel interesse poterit, quomodolibet in futurum afficere, et ligare, nullumque eorum ignorantiam praetendere posse, non secus ac si eis personaliter intimatae forent.

§ 6. Statuto, et ordinatione, decreto, et declaratione, per Nos in crastinum assumptionis nostrae ad summi Apostolatus apicem editis, quod Cardd. in Constitutionibus, et Regulis per Nos post priorum nostrarum Constitutionum, et Regularum editionem, et publicationem imposterum faciendis non includantur, nisi illae eorumdem Cardinalium favorem concernant, vel ipsae edendae Constitutiones de illorum, seu maioris partis eorum consilio editae

fuerint, necnon praedictis, et quibuscumque aliis Regulis, Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque nequaquam obstantibus.

[Bull. Rom., tom. 6, I, p. 13, 14].

207.

Urbanus VIII, const. *Apostolatus officium*, 23 mart. 1628.

Apostolatus officium, cui meritis licet imparibus, disponente Deo, praesidemus, a Nobis postulat, ut quantum Nobis ex alto conceditur, delinquendi fiduciam compescamus in iis praesertim, quorum eo sacrilega processit audacia, ut se beneficio minoris aetatis, spretis Apostolicis Constitutionibus, confoveant in delictis, quorum statutis poenis se idcirco iactant minime subiacere.

§ 1. Alias siquidem a felicis recordationis Clemente Papa VIII Praedecessore nostro emanarunt Literae tenoris subsequentis, videlicet: Clemens Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Etsi alias felicis recordationis Paulus Papa IV, etc.

Omittitur residuum, quia ista Constitutio est supra, in N. 188.

§ 2. Cum, sicut accepimus, nonnulli privilegio minoris aetatis nimis temere confisi, et legum indulgentia freti poenas a dicti Clementis Praedecessoris Constitutione in huiusmodi delinquentes statutas parvipendere praesumant.

§ 3. Nos detestantes, et quantum in Nobis est, cohibere volentes impiam, et nefariam horum temeritatem, qui atrocissimo hoc scelere Catholicam veritatem, quae solos Presbyteros dictorum Sacramentorum ministros esse docuit, facto impugnant, negotio huiusmodi in Congregatione Venerabiiium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium generalium Inquisitorum coram Nobis habita, mature discusso, inhaerentes Constitutioni praedictae, aliisque decretis per felicis recordationis Paulum Quartum, et Sixtum Quintum Romanos Pontifices Praedecessores nostros contra similia perpetrantes editis, eaque etiam ad effectum praedictum matura deliberatione, deque Apostolicae potestatis plenitudine ampliantes, et extendentes, hac nostra perpetuo valitura Constitutione statuimus, et decernimus, ut de caetero perpetuis futuris temporibus, qui imposterum ad sacrum Presbyteratus Ordinem non promotus Missam celebrare, aut Sacramentalem Confessionem audire praesumpserit, aetate minori annis vigintiquinque non excusetur, quominus eidem Clementis Constitutioni subiiciatur, dummodo vigesimum suae aetatis annum compleverit.

§ 4. Ipseque non promotus sic delinquens, nulla ha[illegible] consideratione praefatae minoris aetatis, sive Laicus, sive Clericus secularis, aut cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam de necessitate exprimendae regularis, aut cuiusvis alterius Instituti, etiam quantumvis exempti, et privilegiati,

Nobisque, et Apostolicae Sedi immediate subiecti, necnon Militiarum quarumcumque, etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani fuerit, tradatur Curiae seculari poenis debitis plectendus.

[Bull. Rom., tom. 6, I, p. 113, 114].

208.

Urbanus VIII, const. *Cum sicut*, 12 sept. 1628.

Cum sicut accepimus, aliquibus Religiosis, quorumdam Ordinum, seu Congregationum a Sede Apostolica indultum fuerit, ut sacramentales personarum secularium confessiones audire valeant, etiamsi ab Episcopis Dioecesanis ad id examinati, et approbati non fuerint: nec desint, qui temere asseverent, hoc ipsum privilegium caeteris quoque aliorum Ordinum Regularibus competere, ex amplissimis privilegiorum communicationibus, quas ab eadem Sede Apostolica obtinuerunt, indeque fiat, ut saluberrima Sacri Concilii Tridentini dispositio hac de re edita,[1] funditus convellatur.

§ 1. Nos huic malo opportune provisionis nostrae Ministerio obviam ire volentes, de Ven. Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Regularium praepositorum consilio, omnia, et singula indulta huiusmodi, audiendi secularium confessiones absque Ordinarii examine, et approbatione, quibusvis Collegiis, Capitulis, Religionibus, Societatibus, etiam Societati Iesu, Congregationibus, et Ordinibus tam Mendicantium, quam non Mendicantium, necnon Monachorum quorumcumque, etiam Sancti Benedicti, et Cistercien., ac etiam quibusvis Militiis, etiam Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, et quibuscumque Ecclesiis, etiam Patriarchalibus, et Metropolitanis, Monasteriis, caeterisque locis piis, sive eorum, et earum respective Abbatibus, Praepositis, Decanis, Magistris, Ministris, Praelatis, Prioribus, Rectoribus, etiam Generalibus, vel Provincialibus, Cappellanis, Confessariis, aut aliis quocumque nomine nuncupatis Superioribus, et personis quibuscumque, etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi Apostolicae immediate subiectis, cuiuscumque dignitatis, praeeminentiae, et conditionis existentibus, et quovis privilegio munitis, et tam ad supplicationem partium, quam Motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine hactenus quandocumque, et qualitercumque ex quavis, etiam de necessitate exprimenda causa, et alias quomodolibet concessa, apostolica auctoritate, tenore praesentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, annullamus, viribusque, et effectu evacuamus, ac revocata, cassa, sublata, abrogata, et annullata, viribusque, et effectu vacua esse, et fore, nec Religionibus, Societatibus, etiam Societati Iesu, Congregationibus, et Ordinibus, ac Militiis praedictis, eorumque Superioribus, et personis quibuscumque imposterum ullo modo suffragari, minusque illos, et illas, etiamsi de iis specialis, specifica, et expressa, ac de verbo ad verbum mentio haben. foret, indultis huiusmodi uti posse.

[1] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 15.

§ 2. Praesentes vero Literas, et in eis contenta quaecumque ex eo, quod quicumque in praemissis interesse haben., seu habere praetendentes, ad hoc vocati, et auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, in ius, vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, aut adversus illas quodcumque iuris, gratiae, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere.

[Bull. Rom., tom. 6, I, p. 142, 143].

209.

Urbanus VIII, const. *Decet Romanum Pontificem*, 2 ian. 1631.

Decet Romanum Pontificem in his vigilantiae, et auctoritatis suae partes libenter interponere, ut constitutiones et decreta ab eo, praesertim in Consistorio suo secreto edita, semotis quibuslibet dubiis, suum plenarium sortiantur effectum.

§ 1. Cum itaque alias fel. rec. Innocentius Papa Nonus Praedecessor noster decreta piae mem. Sixti Papae V etiam Praedecessoris nostri super vacatione locorum, montium, et Romanae Curiae officiorum per assumptionem illa obtinentium ad Cathedrales, vel superiores Ecclesias facta revocaverit: Nosque insuper in Consistorio nostro secreto sub die 13 Novembris anni proximi praeteriti eandem revocationem confirmaverimus, declaraverimus, et ampliaverimus; prout plenius continetur in decreto nostro desuper emanato tenoris subsequentis, videlicet. In provisionibus Ecclesiarum Cathedralium, Metropolitanarum, Patriarchalium, necnon in Monasteriorum Commendis consuevimus dispensare cum praeficiendis praedictis Ecclesiis, ac eis, quibus Monasteria commendantur, ut possint compatibilia retinere, sed quoniam contingit dubitari a quibusdam, an officia Romanae Curiae, et Loca montium sub nomine compatibilium comprehendantur, Nos ut ambigendi ansam tollamus, decrevimus desuper providere per nostram specificam, et peculiarem declarationem. Haec praefati huiusmodi decretum protulimus.

§ 2. Cum alias fel. record. Sixtus Papa Quintus Praedecessor noster in uno sub die 23 Septembris omnia et singula Loca montium, ac Romanae Curiae officia per assumptionem illa obtinentium ad Cathedrales, vel superiores Ecclesias vacare, et alio sub die 21 octobris 1585 celebrato Consistorio illud intelligi debere de officiis, et Locis montium vacabilibus per obitum respective decrevit, et declaraverit. Nos piae mem. Innocentii PP. Noni etiam Praedecessoris nostri, qui decretum huiusmodi revocavit, vestigiis inhaerentes, ac revocationem huiusmodi confirmantes, declarantes et ampliantes, Loca montium vacabilia, et officia huiusmodi per promotionem ad Ecclesias Cathedrales etiam Metropolitan. aut Patriarchales, seu etiam Commendas Monasteriorum nullatenus, sed per solam promotionem ad Cardinalatum facien.

etiamsi alias officia per Cardinales otbineri, vel retineri possent, de caetero vacare decernimus, et declaramus. Non obstantibus erectione officiorum, Locorum montium huiusmodi, Indultis Apostolicis, et aliis quibuscumque, illorum tenores, etc., latissime extenden., etc. Ita ut in expeditione literarum Apostolicarum super promotione ad Ecclesias praedictas, seu Commendas Monasteriorum ex officio possit dari retentio officiorum, et Locorum montium praedictorum perinde ac si specialiter in singulis provisionibus, et Commendis huiusmodi a Nobis faciendis eadem retentio concessa esset, et ut magis, ac facilius innotescat, volumus, et mandamus, ut nostra decreti huiusmodi confirmatio, declaratio, et ampliatio in Cancellaria nostra Apostolica publicetur, et in illius quinterno describatur. Placet publicetur, et describatur. M.

§ 3. Quod quidem decretum fuit deinde in Cancellaria Apostolica sub die 30 Decembris eiusdem anni publicatum. Nos clausulam latissime extenden. in eodem Decreto appositam declarare, et firmiori praemissorum observationi quantum Nobis ex alto conceditur, consulere, ac uberius mentem nostram explicare volentes; Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura Constitutione, praeinsertum Decretum nostrum, omniaque, et singula in eo contenta tenore praesentium perpetuo approbamus, et confirmamus, illisque perpetuae, et inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus.

§ 4. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., Lugduni (1673) Arnaud-Borde, tom. IV, p. 214].

210.

Urbanus VIII, const. *Inscrutabilis*, 31 mart.[1] (1 apr.) 1631.

Inscrutabilis Iudiciorum Dei altitudo non patitur, ut humanus intellectus tenebroso corporis carcere constrictus, super astra se extollens, arcana in sinu divino recondita, et ipsis beatissimis Spiritibus ignota, nefaria curiositate, non solum explorare, sed etiam tamquam explorata in Dei contemptum, Reipublicae perturbationem, et Principum periculum arroganti, et pernicioso exemplo venditare praesumat.

§ 1. Hinc est, ut quamvis civilibus, canonicisque sanctionibus, ac novissime fel. rec. Sixti Papae V Praedecessoris nostri Constitutione desuper edita[2] Astrologorum, Mathematicorum, Vaticinatorum, et aliorum, qui eventura divinare, seu praedicere audent, quosque, uti homicidas, et maleficos antiquitas aestimavit, illorum potissimum, qui de summa Reipublicae, vel Principis salute iudicia ferre praesumerent, ars, professio, sive exercitium gravibus poenis inhibita esse noscantur: Attamen, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii propriae pusillitatis obliti, ac lenitate forsan, vel conniventia

[1] Secundum Bull. Rom., Lugduni (1673) Arnaud-Brode, tom. IV, p. 173.
[2] Cf. N. 157.

audentiores facti, vanamque fatidicorum aestimationem aucupantes, in deplorandam animarum suarum perditionem, graveque Christifidelium scandalum, etiam de Reipublicae, et Principum incolumitate, illis sollicitudinem, hominibus vero inquietis rerum novandarum occasionem ea ratione inferre satagentes, prognostica, et praedictiones verbo, vel etiam scripto edere non erubescunt.

§ 2. Nos itaque perniciosis huiusmodi ausibus quantum Nobis ex alto conceditur, obviam ire, ac quos Dei respectus in officio non continet, poenarum gravitate, et severioris disciplinae fraeno coercere volentes, Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine Constitutionem per praefatum Sixtum Praedecessorem desuper, ut praefertur, editam, apostolica auctoritate, tenore praesentium perpetuo approbamus, confirmamus, et innovamus.

§ 3. Et insuper omnibus, et quibuscumque Laicis cuiuscumque sexus, conditionis, status, gradus, qualitatis, et dignitatis, etiam Marchionalis, vel Ducalis existentibus, qui de statu Reipublicae Christianae, vel Sedis Apostolicae, sive de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis, eiusque, usque ad tertium gradum inclusive consanguineorum Mathematicos, Ariolos, Aruspices, Vaticinatoresve nuncupatos, vel alias Astrologiam iudiciariam exercentes, seu alias quomodolibet profitentes de caetero consuluerint, sive desuper eorum iudicia, prognostica, praedictiones, seu praecognitiones etiam sibi oblatas receperint, illisve quomodolibet usi fuerint, illas penes se scienter retinuerint, aut alicui ostenderint, necnon iisdem Mathematicis, Ariolis, Aruspicibus, Vaticinatoribus, sive aliis Astrologiam iudiciariam, seu quamlibet artem divinatoriam quomodolibet profiten., qui iudicia, prognostica, seu praecognitiones, et praedictiones super praemissis, etiamsi id non certo se affirmare protestentur, fecerint, sive a se, vel ab aliis iam facta, seu factas imposterum penes se similiter retinuerint, vel alicui dederint, seu ostenderint, aut de eis quovis modo, etiam improbando scripto, vel verbis tractaverint, nedum excommunicationis maioris latae sententiae, sed etiam uti laesae Maiestatis reis, ultimi supplicii, ac confiscationis omnium bonorum suorum, etiam Romanae Curiae officiorum, ac devolutionis quarumcumque Civitatum, Castrorum, et locorum iurisdictionalium, et feudalium.

§ 4. Clericis quoque, et Presbyteris, aliisque personis ecclesiasticis, tam secularibus, quam cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, seu Instituti, vel Militiarum quarumcumque, etiam Hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, aliisque quomodolibet exemptis, ac Nobis, et Apostolicae Sedi immediate subiectis, Regularibus utriusque sexus, ultra praedictas, etiam privationis beneficiorum, et dignitatum, ac officiorum ecclesiasticorum, etiam Monasteriorum, Prioratuum, et Praeceptoriarum, ac aliorum quorumcumque, et inhabilitatis perpetuae ad illa imposterum obtinenda, ita quod personae ecclesiasticae praevia illarum degradatione Curiae seculari tradantur puniendae, in Episcopali vero, Archiepiscopali, Metropolitana, Primatiali, Patriarchali, aut quacumque alia etiam superiori Ecclesiastica, vel mundana quatumvis sublimi, excellente, et speciali nota digna, etiam suprema constitutis dignitate, easdem excommunicationis, ac privationis, etiam regiminis, et administrationis Ecclesiarum,

et aliorum quorumcumque beneficiorum, et dignitatum quantumvis amplissimarum, et Patriarchali maiorum, ac officiorum suorum, et inhabilitatis poenas ipso facto incurren. Apostolica auctoritate tenore praesentium infligimus, et imponimus.

§ 5. Cognitionem autem causarum huiusmodi quoad personas ecclesiasticas, tam seculares, quam regulares in Urbe nostra, et illius districtu ad dilectos filios nostrum in Urbe Vicarium in spiritualibus generalem, necnon eiusdem Urbis Gubernatorem, ac causarum Curiae Camerae Apostolicae Auditorem Generalem, et eorum quemlibet in solidum, extra vero Urbem, et districtum in Provinciis Nobis, et Apostolicae Sedi subiectis ad S. R. E. Cardinales in eisdem Provinciis de latere Legatos, et Prolegatos, ac Praesides in dignitate Ecclesiastica constitutos pro tempore existentes, in aliis vero omnibus, et singulis Provinciis, Regnis, Civitatibus, Oppidis, Castris, et locis, tam sub nostra, et dictae Sedis, quam cuiusvis alterius Principis ditione comprehensis, privative quoad omnes, etiam Superiores Religiosorum, ipsisque Superioribus penitus exclusis, ad Ordinarios locorum, ubilibet vero locorum etiam ad haereticae pravitatis Inquisitores spectare volumus.

§ 6. Mandantes Dilectis filiis nostris, et dictae Sedis de latere Legatis, et eorum Vicelegatis, et Praesidibus praedictis nunc, et pro tempore existentibus, necnon Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis singulis videlicet, in suis Civitate, et Dioecesi, et quoad loca intra fines alicuius Dioecesis, non tamen de Dioecesi existentia ipsarum Dioecesum, intra quarum fines eadem loca extiterint, quo vero ad ea quae extra fines alicuius Dioecesis consistunt, vicinioribus eorumdem locorum Ordinariis, ac etiam Inquisitoribus praedictis, quatenus ad instantiam cuiusvis Fisci, vel denuntiatoris, ac etiam ex eorum officio causarum huiusmodi cognitiones suscipientes, praevia etiam avocatione a quibusvis aliis supra non expressis, nec a Nobis specialiter delegatis in causis ipsis modo praemisso procedant omnibus iuris, et facti remediis opportunis, invocato etiam auxilio brachii secularis.

§ 7. Inhibentes insuper tam Decanis, et Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, Metropolitanarum, et Patriarchalium, necnon quorumvis Ordinum, et locorum Regularium, Societatum, et Institutorum, ac etiam Hospitalis praedictorum Superioribus Conventibus, et Fratribus quantumvis exemptis, ne sub privationis beneficiorum, et officiorum quorumcumque per eos respective obtentorum, ac similiter inhabilitatis ad alia in futurum obtinenda, vocisque activae, et passivae, necnon excommunicationis latae sententiae eo ipso incurrendis poenis, Ordinarios locorum, necnon Legatos, seu Vicelegatos, aliosque praedictos in causis huiusmodi procedentes quoquomodo impedire, molestare, seu perturbare audeant, vel praesumant, ac etiam mandantes, ut quoties ad id fuerint requisiti Religiosos ipsos, etiamsi alicuius loci regularis Superiores actu fuerint, Ordinariis, Legatis, seu Vicelegatis, ac aliis praedictis, seu quibus iidem mandaverint, consignent cum scripturis, et actis si quae facta fuisse reperiantur.

§ 8. Sicque, et non aliter, etc.

[Bull. Rom., tom. 6, I, p. 268-270].

211.

Urbanus VIII, litt. ap. *Ex debito*, 22 febr. 1633.

Ex debito pastoralis officii saluti animarum, et fidei catholicae propagationi prospicientes, ea, quae provide a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris propterea ordinata fuerunt, si subinde experientia doceat, ea mutatione indigere, libenter immutamus, aliasque disponimus, prout ad fidei catholicae propagationem, et animarum salutem huiusmodi conspicimus in Domino salubriter expedire.

§ 1. Alias siquidem fel. record. Gregorius Papa XIII Praedecessor noster, certis tunc expressis causis adductus, per suas in simili forma Brevis Literas sub dat. die 28 Ianuarii 1585 Pontificatus sui anno XIII omnibus Patriarchis, et Episcopis, etiam Provinciae Chinae, et Iaponis, sub interdicti Ecclesiastici, et suspensionis ab ingressu Ecclesiae, et Pontificalium exercitio; aliis vero Sacerdotibus, Clericis, et Ministris Ecclesiasticis, tam secularibus, quam cuiusvis Ordinis regularibus, cuiuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis existerent, sub excommunicationis maioris poenis ipso facto incurrendis interdixit, et inhibuit, ne ad Sinarum regiones, et Provincias Iaponicas Evangelii praedicandi, vel doctrinam Christianam docendi, aut Sacramenta administrandi, aliaque munia Ecclesiastica obeundi causa, sine suae, et Sedis Apostolicae expressa licentia proficisci auderent.

§ 2. Postmodum autem rec. mem. Clemens Papa VIII similiter Praedecessor noster, accepto quod tam Chinae, et Iaponum, quam aliae illius vicinae, et adiacentes Insulae, Regiones, et Provinciae, ac finitima Regna Indiae Orientalis amplissima, et populis refertissima erant, et pro tanta animarum multitudine ad fidem catholicam traducenda, et spiritualibus alimentis fovenda, plures operarii, ac ministri necessarii erant, quam ex sola Religiosorum Societate Iesu haberi poterant; omnibus, et singulis Mendicantium Ordinum Magistris, seu Prioribus Generalibus tunc, et pro tempore existentibus indulsit, ut cum necessitas postulasset, quoslibet Ordinis sui spectatae vitae, et eruditionis religiosos, quos nimirum ad praedicta officia, et ministeria idoneos, et utiles fore in Domino iudicarent, per Lusitaniam dumtaxat, et suscepta inde navigatione, in Indias, et Civitatem Goam, atque ad Superiores Ordinum in illis partibus existentes transmittere; et tam ipsi sic transmittendi, quam alii supradictorum Ordinum Religiosi in eisdem Indiarum partibus existentes, et ad hoc munus obeundum a suis Magistris, Ministris, vel Prioribus Generalibus, seu aliis Superioribus electi, et approbati, tam ad Iaponicas praedictas, quam ad alias proximas, et adiacentes etiam Chinae, et finitimorum Regnorum, et terrae firmae Indiae Orientalis Insulas, Regiones, et Provincias accedere possent ... [1]

§ 3. Et subinde fel. record. Paulus Papa V similiter Praedecessor noster, accepto, experientia compertum esse, quod prohibitio accedendi ad Indias,

[1] Const. *Onerosa*, 12 dec. 1600. - Bull. Rom., tom. 5, II, p. 323, 324.

et Civitatem Goam alias quam per Lusitaniam, nec qui sperabatur, ex eo fructum protulerat, neque Catholicae fidei propagationis negotio utilis fuerat; et propterea ut tantum opus Dei, sublato omni impedimento, libere peragi posset, providere volens, omnibus, et singulis Mendicantium Ordinum Magistris, Ministris, seu Prioribus Generalibus, aut alio quocumque nomine nuncupatis Ordinum capitibus tunc, et pro tempore existentibus, ut cum necessitas postularet, quoslibet Ordinis sui spectatae vitae, et eruditionis religiosos, quos nimirum ad praedicta officia, et munia idoneos, et utiles fore in Domino iudicassent, ad Superiores Ordinum in illis partibus existentes etiam per aliam viam, quam per Lusitaniam, in Iaponicas, et alias illis proximas, adiacentes, et finitimas Insulas, Provincias, et Regiones praedictas, servata in reliquis dictarum Literarum Clementis Praedecessoris forma in omnibus, et per omnia, et non aliter, transmittere libere, et licite valerent, indulsit;[1] et alias prout in Gregorii, et Clementis, ac Pauli V Praedecessorum praedictorum Literis desuper expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

§ 4. Cum autem experientia plurium annorum compertum fuerit, ordinationes in praedictis Literis contentas non sufficere, easque aliqua provisione indigere, ut in praedictas Insulas, et Regna felicius, ac facilius Sacrosanctum Christi Domini Evangelium praedicari, et propagari possit, ac valeat: Nos pro officii nostri debito post habitam cum Venerabilibus Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotio Propagandae Fidei per universum mundum praepositis maturam deliberationem, praefati Pauli Praedecessoris nostri Literis inhaerentes, omnibus, et singulis Religionum cuiuscumque Ordinis, aut Instituti, etiam Societatis Iesu, Magistris, Ministris, Praepositis, seu Prioribus Generalibus, aut quocumque nomine nuncupentur, nunc, et pro tempore existentibus, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, ut cum eis expedire visum fuerit, quoslibet suarum Religionum, Ordinum, et Instituti Religiosos, quos aetate, vita, moribus, et scientia idoneos esse ad Missiones iudicaverint, ad praedictas Insulas, Provincias, Regiones, et Regna Indiae Orientalis, etiam per alias vias, quam per Lusitaniam, libere, et licite mittere possint, ac valeant; servata tamen in reliquis praefatarum Literarum Clementis Praedecessoris nostri forma in omnibus, et per omnia, et non aliter.

§ 5. Necnon quoscumque Ecclesiasticos, et Religiosos cuiuscumque Ordinis, tam non Mendicantium, quam Mendicantium, etiam Societatis Iesu, et seculares, Religiosorum, ut praefertur, mitten. ad Insulas, Provincias, Regiones, et Regna praedicta accessum huiusmodi impedientes excommunicationis latae sententiae vinculo innodamus.

§ 8. Caeterum quia a sacris Canonibus, Conciliorum decretis, ac Apostolicis Constitutionibus, omnibus Religiosis, ac etiam aliis Ecclesiasticis, praesertim in sacris Ordinibus constitutis, mercatura, et negotiationes seculares districte prohibentur, ac valde damnosum, indecorum, et indecens existit, huiusmodi personas divino cultui mancipatas, ac praecipue illas, quae

[1] Const. *Sedis Apostolicae*, 11 iun. 1608. - Bull. Rom., tom. 5, III, p. 318, 319.

ad praedicandum Sacrosanctum Christi Domini Evangelium destinatae sunt, praefatis mercaturis, et negotiationibus se immiscere, aut operam dare; praedictorum sacrorum Canonum, ac Decretorum, Constitutionumque Apostolicarum dispositioni inhaerentes, auctoritate apostolica, earumdem ten. praesentium, Religiosis omnibus cuiuscumque Ordinis, et Instituti, tam non Mendicantium, quam Mendicantium, etiam Societatis Iesu, eorumque singulis tam in praedictis locis nunc existentibus, quam in futurum ad illa mittendis, omnem, et quamcumque mercaturam, seu negotiationem, quocumque modo ab eis fieri contingat, sive per se, sive per alios, sive proprio, sive Communitatis nomine, directe, sive indirecte, aut quovis alio praetextu, causa, aut colore, interdicimus, et prohibemus sub excommunicationis latae sententiae poena ipso facto incurrenda, ac privationis vocis activae, et passivae, officiorum, ac graduum, et dignitatum quorumcumque, etiam inhabilitatis ad ea, et insuper amissionis mercium, et lucrorum ex eis; quae omnia a Superioribus Religionum, ex quibus delinquentes existent, reservanda erunt ad usum Missionum, quas eaedem Religiones habent, et habiturae sunt in futurum in praedictis Indiis, et non in alios usus; eisdem Superioribus districte praecipientes sub eisdem poenis, ut in hoc invigilent, et contra delinquentes ad praedictas poenas procedant, sublata eisdem facultate huiusmodi delinquentibus aliquid ex dictis mercibus, et lucris quantumvis minimum remittendi, aut condonandi.

§ 9. Quod si forte aliquae controversiae inter Religiosos dictarum Religionum, quod Deus avertat, oriantur, Episcopi locorum praedictorum pro tempore existentes, tamquam Sedis Apostolicae delegati illas decidant, et terminent. Si vero graviora quaedam negotia occurrerint, ea ad Nos, et Romanos Pontifices, Successores nostros quantocitius ab eisdem Episcopis referantur; ut quod in illis statui, ac decerni debeat, matura consultatione adhibita, provideri possit: sicque volumus, et ordinamus.

§ 10. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 6, I, p. 338-341].

212.

Urbanus VIII, const. *Nuper pro parte*, 25 iun. 1633.

§ 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum Procuratorum Generalium Ordinum Sancti Francisci, Sancti Augustini, et Beatae Mariae de Monte Carmelo, Discalceatorum nuncupat. Nobis expositum fuit, quod alias a Venerabilibus Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Sacris Ritibus praepositis emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet. Instantibus Procuratoribus Generalibus Ordinum Praedicatorum, Sancti Francisci, Sancti Augustini, et Discalceatorum Carmelitarum, declarari, Primo, an liceat Curatis, solutis eorum iuribus parochialibus, impedire contra voluntatem haeredum defunctorum, ne Regulares ad funus corpora defunctorum ad quasvis Ecclesias deferenda, una cum Parochis, et Clericis processionaliter asso-

cient. Et ad hoc Sacra Rituum Congregatio respondit, Regulares in casu proposito non posse impediri. Secundo, an praedicti Curati possint cogere haeredes, seu executores testamentarios, ut pro defunctis, qui tumulantur in Ecclesiis Regularium, in Ecclesiis etiam Parochialibus celebrari faciant officia novendialia, et Anniversaria, prout celebrantur in Ecclesiis Regularium, in quibus cadavera sepeliuntur. Et Sacra Rituum Congregatio respondit, non posse cogere. Die vigesimatertia Aprilis 1633.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes Decretum praeinsertum apostolicae nostrae confirmationis robore communiri summopere desiderent: Nos illos specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes, et singulos, tam iuris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§ 3. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 6, I, p. 358].

213.

Urbanus VIII, const. *Coelestis Hierusalem*, 5 iul. 1634.

Coelestis Hierusalem Cives, quorum gloriosis natalitiis sancta laetatur Mater Ecclesia, sicut huius Sanctae Sedis Apostolicae ministerio a piis utriusque sexus Christifidelibus venerantur in terris, ita Romanum decet Pontificem militantis Ecclesiae regimini divina providentia praepositum, pro suo praecipuo honoris Domus Dei zelo invigilare, ne quid in personarum cum sanctitatis, aut martyrii fama, vel opinione defunctarum memoriam, sive cultum, inconsulta Sancta Sede praedicta innovetur.

§ 1. Alias siquidem Nos solicite animadvertentes abusus, qui irrepserant, et irrepere non cessabant in colendis quibusdam cum sanctitatis, aut martyrii fama, vel opinione defunctis, qui, etsi neque Canonizationis, neque Beatificationis honore insigniti essent ab eadem Sede, eorum tamen Imagines in Oratoriis, atque in Ecclesiis aliisque locis publicis, atque etiam privatis, cum laureolis, aut radiis, seu splendoribus proponebantur, miracula, et revelationes, aliaque beneficia a Deo per eorum intercessiones accepta in libris rerum ab ipsis gestarum enarrabantur, et ad illorum sepulchra tabellae, imagines, et res aliae ad beneficia accepta testificanda, et lampades, et alia lumina apponebantur: Volentesque proinde huiusmodi abusibus pro debito officii pastoralis occurrere, re etiam cum Venerabilibus

Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus contra haereticam pravitatem in universa Republica Christiana generalibus Inquisitoribus ab eadem Sede specialiter deputatis, communicata, et mature considerata, ac discussa, de eorumdem Cardinalium consilio sub die 13 Martii 1625[1] declaravimus, statuimus, et decrevimus, ne quorumvis hominum cum sanctitatis, seu martyrii fama (quantacumque illa esset) defunctorum imagines, aliaque praefata, et quodcumque aliud venerationem, et cultum praeseferens, et indicans, in Oratoriis, aut locis publicis, seu privatis, vel Ecclesiis, tam secularibus, quam regularibus, cuiuscumque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis apponerentur, antequam ab Apostolica Sede canonizarentur, aut Beati declararentur, et (si quae appositae essent) amoverentur, prout eas statim amoveri mandavimus. Ac pariter imprimi de caetero inhibuimus libros eorumdem hominum, qui sanctitatis, sive martyrii fama, vel opinione, ut praefertur, celebres e vita migravissent, gesta, miracula, vel revelationes, seu quaecumque beneficia, tamquam eorum intercessionibus a Deo accepta continentes, sine recognitione, aut approbatione Ordinarii, qui in iis recognoscendis Theologos, aliosque pios, ac doctos viros in consilium adhiberet: et ne deinde fraus, aut aliquid novum, et inordinatum in re tam gravi committeretur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmitteret, eiusque responsum expectaret: Revelationes vero, et miracula, aliaque beneficia supradicta, quae in libris horum hominum vitam, gestaque continen. eatenus sine recognitione, atque approbatione huiusmodi impressa erant, nullo modo approbata censeri voluimus, mandavimusque. Ad horum hominum sepulchra vetuimus etiam, ac inhibuimus tabellas, atque imagines ex cera, aut argento, seu ex alia quacumque materia, tam pictas, quam fictas, atque exculptas appendi, seu affigi, et lampades, sive alia quaecumque lumina accendi, sine recognitione ab Ordinario omnino, prout supra, facienda, Sedique Apostolicae referenda, ac probanda. Declarantes, quod per suprascripta praeiudicare in aliquo noluimus, neque intendimus iis, qui aut per communem Ecclesiae consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia praefatae Sedis Apostolicae, vel Ordinarii celebrantur. Cumque postea die secunda Octobris eiusdem anni 1625 a quibusdam revocari in dubium accepissemus, an tabellas, et imagines, quas in posterum offerri contingeret, recipere, et antea oblatas conservare liceret: Nos, qui tantummodo voluimus occurrendo abusibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum sanctimoniam divinae clementiae placuerit admirandis operibus illustrare; re prius cum eisdem Cardinalibus communicata, de simili eorum consilio declaravimus,[2] quod sicut numquam prohibuimus, nec intentionis nostrae fuit prohibere oblationem, receptionemque tabellarum, et imaginum huiusmodi, ita, ut deinceps nulli dubitationi locus relinqueretur, statuimus, et decrevimus, ut quoties ad aliquam Ecclesiam, aut Oratorium, locumve alium publicum secularem, seu regularem

[1] Cf. Bull. Rom., tom. 5, V, p. 318, 319.
[2] Cf. Bull. Rom., tom. 5, V, p. 319.

tabellas, et imagines, aliudve simile quispiam deferret, ac intercessione hominum inter Sanctos, vel Beatos non adscriptorum, quamvis cum martyrii, aut sanctitatis fama demortuorum, optata se impetravisse diceret, liceret Ecclesiasticis personis Ecclesiarum, locorumve praedictorum curae praepositis tabellas, et imagines, sive pictas, sive ex quavis materia fictas, atque alia quaecumque collatae gratiae fidem facientia simul cum deferentis, aliorumque, qui conscii fuissent, attestationibus recipere, atque approbantibus Ordinariis, ad quos referre statim omnia tenerentur, in secreto aliquo seorsum ab Ecclesia loco custodire, ibidemque iam amota collocare, et asservare, ut si quando Dominus talium virorum merita Beatificationis, seu Canonizationis honore in terris decorare voluisset, extarent huiusmodi sanctitatis qualescumque probationes Apostolicae Sedis iudicio tunc examinandae. Demum vero, ut eiusmodi decreta observarentur indubie, ac omnimodam sortirentur exequutionem, cum eisdem Cardinalibus re pariter communicata, deque eorumdem consilio praemissis addidimus, statuimus, decrevimus, atque declaravimus, [1] ne ex tunc deinceps quispiam Ordinariorum, aut ab Apostolica Sede ad hoc specialiter delegatorum, super alicuius utriusque sexus cum sanctitatis, aut martyrii fama, vel opinione defuncti miraculis, revelationibus, aliisve eiusmodi sanctitatem redolen. ex integro informationes quoquo modo reciperet, aut processum instrueret, vel huc usque receptas informationes, instructumve processum ulterius prosequeretur, nisi postulator prius per legitimas iuridice susceptas probationes circa personam eius, de cuius miraculis, revelationibus, aliisve rebus gestis sanctitatem praeseferentibus ageretur, praescriptam in praefato nostro decreto formam omnino servatam extitisse docuerit: et nisi postea successive idem Ordinarius, aut ab Apostolica Sede ad hoc specialiter delegatus, diligenti praehabita disquisitione circa eamdem personam, supracitato decreto nullatenus contraventum esse, rite pronunciaverit: Utque id inviolabiliter observetur, statuimus insuper, ac decrevimus, ne transmissi ad Urbem undecumque huiusmodi processus a Congregationis Sacror. Rituum Secretario, minusve Sanctae Fidei Promotore quomodolibet aperiantur, nisi prius in ipsa Sacrorum Rituum Congregatione, alio seiunctim oblato authentico processu, ex eo Ordinarium, aut ab Apostolica Sede specialiter delegatum rite, ac recte, ut praemittitur, cognovisse, ac pronuntiasse praelibato decreto nequaquam contraitum esse, plene constiterit, ac deinde a Nobis iudicialiter aperiendi eos processus facultas indulta fuisset. Insuper longissimum tempus, illiusve immemorabilem cursum, de quo in praedicto decreto, intelligi declaravimus esse, tempus centum annorum metam excedens: Deque his, atque infrascriptis omnibus, quae in his decretis disposita, et ordinata sunt, aliqua suboriente difficultate, Ordinariis locorum, et Delegatis Apostolicis quibuslibet omnem omnino interpretandi facultatem ademimus, utque Sedem Apostolicam desuper consulerent, ab eaque responsum expectarent, mandavimus eisdem, et alias prout in decretis desuper editis plenius continetur.

[1] S. R. C., litt. encycl. 12 mart. 1631. - Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 67.

§ 2. Quare inviolabili decretorum praedictorum observationi, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, Motu proprio, et ex certa scientia, ac mera deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, decreta praedicta cum omnibus, et singulis in eis contentis, tenore praesentium perpetuo approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: omniaque, et singula decreta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat, et in futurum quomodolibet spectabit, observari omnino praecipimus, sub poena nullitatis quarumcumque informationum, processuum, ac interpretationis aliter, quam praevia suprascripta praecognitione instructorum, eorumque admissionis, publicationis, aut interpretationis; ita ut earumdem informationum receptiones, processuumve instructiones, necnon eorum admissiones, ac publicationes, et interpretationes habeantur pro non receptis, non instructis, non admissis, non publicatis, interpretatis, eorumque amplius ratio aliqua nullatenus alicubi umquam haberi debeat.

§ 3. Decernentes praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu quomodolibet habere praetendentes, ad praemissa vocati, et auditi, minusque causae, propter quas eaedem praesentes emanarint, adductae, verificatae, seu alias sufficienter, aut etiam nullatenus iustificatae fuerint, nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, et substantiali, sive etiam ex eo, quod in praemissis, seu eorum aliquo solemnitates, et quaevis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint; aut ex quovis alio capite a iure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore iuris clauso, seu occasione, vel causa, etiam quantumvis iusta, rationabili, et privilegiata, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret; aut quod de voluntate nostra huiusmodi, et aliis superius expressis, seu relatis nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius, vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae, vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel concesso quempiam uti, seu se iuvare in iudicio, vel extra posse; neque ipsas praesentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac per omnes, et singulos, ad quos spectat, et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

§ 4. Sicque, et non aliter in praemissis omnibus, et singulis, per quoscumque Iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, et Nuntios, et alios quavis auctoritate, et potestate fungentes, in quavis causa, et instantia, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et

interpretandi facultate, et auctoritate, ubique iudicari, et definiri debere irritum quoque, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ 5. Quocirca Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, et aliis locorum Ordinariis, necnon dilectis filiis nostris, et Apostolicae Sedis Nuntiis, ac haereticae pravitatis Inquisitoribus ubilibet existentibus, per apostolica scripta mandamus, ut statim atque praesentes literae nostrae ad eorum, et cuiuslibet eorum notitiam pervenerint, in sua quisque respective Dioecesi, vel Provincia sedulo pervigilet, ne sine approbationibus praedictis imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, revelationes, ac beneficia praedicta publicentur, aliave contra superius disposita fiant: transgressores vero si regulares fuerint, privationis suorum officiorum, ac vocis activae, et passivae, necnon suspensionis a divinis: si vero Clerici seculares, privationis pariter suorum officiorum, suspensionis a divinis, et ab administratione Sacramentorum, exequutioneque suorum ordinum respective, aliisque arbitrio praedictorum Ordinariorum, seu Inquisitorum pro modo culpae infligendis poenis plectendo: Qui autem libros impresserint, aut imagines pinxerint, sculpserint, seu quoquo modo affixerint, vel formaverint, caeterique artifices circa praemissa qualitercumque delinquentes, praedicta omnia amittant, et insuper pecuniariis, aliisque etiam corporalibus poenis iuxta criminis gravitatem, eorumdem Ordinariorum, seu Inquisitorum arbitrio afficiantur. Contradictores quoslibet, et rebelles, ac praemissis non parentes, per sententias, censuras, et poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, et facti remedia, omni, et quacumque appellatione, recursu, et reclamatione remotis compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§ 6. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 6, I, p. 412-414].

214.

Urbanus VIII, const. *Si quid est*, 2 sept. 1634.

Si quid est in rebus humanis plane divinum, quod nobis superni cives (si in eos invidia caderet) invidere possent, id certe est Sacrosanctum Missae Sacrificium, cuius beneficio fit, ut homines quadam anticipatione possideant in terris coelum, dum ante oculos habent, et manibus contrectant ipsum coeli terraeque Conditorem. Quo magis est mortalibus laborandum, ut hoc tantum privilegium cultu atque honore debito tueantur, caveantque Angelos negligentiae osores, qui sunt aemuli venerationis. Hinc factum est, ut huius sacri mysterii celebrandi rationem, ac preces, quas Summi Pontifices Praedecessores nostri Pius V et Clemens VIII diligentissime recognosci atque instaurari curaverunt, Nos quoque eorum vestigiis inhaerentes, iterum examinari, et si quid forte in iis assiduus (quod plerumque contingit) temporis cursus corruperit, restitui iusserimus. Quamobrem sicuti nuper ad divini Officii nitorem reformari Breviarium, ita demum huius exemplo ad divini

Sacrificii ornamentum corrigi Missale mandavimus. Et quoniam hasce quasi alas, quas Sacerdos instar Cherubim prisci mystici Tabernaculi quotidie pandit ad verum mundi Propitiatorium, decet esse plane geminas, atque uniformes, huius rei curam commisimus viris eruditis, ac piis; quorum diligentia ita opus perfectum est, ut nihil desiderari amplius possit. Nam rubricae, quae sensim ab usu rituque vetere degeneraverant, in pristinum restitutae; quae vero non ita captui legentium accommodatae videbantur, clarius explicatae; praeterea collata omnia cum codice sacrae Scripturae Vulgatae editionis, quaequae diversae irrepserant, ad eius unius exemplum normamque correcta sunt. Verumtamen parum prodesse consuevit solertia Correctorum, nisi ad eam par Typographorum accedat industria: propterea dilecto filio Andreae Brugiotto, Typographiae nostrae Apostolicae Praefecto mandavimus, ut Missale ita expurgatum in lucem emittat: sed quae in posterum extra Urbem imprimi contigerit, ea non aliter, quam ad exemplar in dicta Typographia nunc editum imprimi posse permittimus, requisita tamen prius, et in scriptis obtenta dilectorum filiorum Inquisitorum haereticae pravitatis, in iis locis, in quibus fuerint; ubi vero non fuerint, Ordinariorum locorum facultate; alioquin si absque ea dictum Missale ipsi posthac imprimere, aut Bibliopolae vendere praesumpserint, Typographi, et Bibliopolae extra Statum nostrum Ecclesiasticum existentes excommunicationis latae sententiae, a qua nisi a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant; in alma vero Urbe et reliquo Statu Ecclesiastico commorantes, quingentorum ducatorum auri de Camera, ac amissionis librorum, et typorum omnium Camerae praedictae applicandorum poenas absque alia declaratione irremissibiliter incurrant eo ipso: et nihilominus eorumdem Missalium per eos de cetero absque huiusmodi licentia imprimendorum, aut vendendorum usum ubique locorum et gentium sub eisdem poenis Interdicimus, et prohibemus. Ipsi autem Inquisitores, seu Ordinarii locorum, antequam huiusmodi licentiam et facultatem concedant, Missalia ab ipsis Typographis imprimenda, et postquam impressa fuerint, cum hoc Missali auctoritate nostra recognito diligentissime conferant, nec in illis aliquid addi, vel minui permittant. In ipsa vero licentia originali obtinenda, de collatione facta, et quod omnino concordent, manu propria attestentur: cuius licentiae copia initio, vel in fine cuiusque Missalis semper imprimatur. Quod si secus fecerint, Inquisitores privationis suorum officiorum, ac inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda; Ordinarii autem locorum, suspensionis a divinis, ac interdicti ab ingressu Ecclesiae, eorum vero Vicarii privationis similiter officiorum, et beneficiorum suorum, et inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda, ac insuper excommunicationis absque alia declaratione poenas incurrant eo ipso. Ceterum pauperum Ecclesiarum, Clericorum, et personarum Ecclesiasticarum, ac Typographorum, et Bibliopolarum quorumcumque indemnitatis ex benignitate Apostolica rationem habentes, eisdem Missalia hactenus impressa penes se habentibus, ut ea retinere, et illis uti, easque vendere respective possint, similiter permittimus, et indulgemus.

Non obstantibus, etc.

[Missale Romanum, initio].

215.

Urbanus VIII, const. *Sancta Synodus*, 12 dec. 1634.

§ 1. Sancta Synodus Tridentina sub recolendae memoriae Paulo Papa Tertio Praedecessore nostro, ad disciplinam Ecclesiasticam restaurandam, provide statuit: Ut omnes, quacumque dignitate, gradu, et praeeminentia fulgentes, Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, et Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque quovis nomine, et titulo praefecti, apud eas personaliter residere deberent: alias, si per sex menses continuos abessent, amissionis quartae partis fructuum unius anni poenam ipso iure incurrerent; quod si per alios sex menses in absentia perseverarent, tunc aliam quartam partem fructuum huiusmodi eo ipso amitterent: crescente vero contumacia, Romanus Pontifex suprema eius authoritate in ipsos absentes animadvertere, et Ecclesiis ipsis de Pastoribus utilioribus providere posset.[1]

§ 2. Deinde sub felicis recordationis Pio Quarto etiam Praedecessore nostro eadem Synodus declaravit, omnes, eisdem Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, et Cathedralibus Ecclesiis praefectos, etiam si S. R. E. Cardinales forent, obligari ad personalem residentiam in sua Ecclesia, vel Dioecesi faciendam; nec abesse posse, nisi ob legitimas causas, in scriptis approbandas.[2] Et in eorumdem Concilii decretorum exequutionem idem Pius Quartus Praedecessor per suas sub plumbo sub dat. 7 Kal. Decembris 1564 expeditas Literas[3] monuit eosdem praefatis Ecclesiis praefectos, in virtute sanctae obedientiae, ac ultra poenas in eodem Concilio contentas, sub privationis eorum a regimine, et administratione ipsarum Ecclesiarum, ac amissionis facultatum testandi, et disponendi, aliisque poenis, suo, et Romani Pontificis arbitrio imponendis, mandavit eisdem, ut in Ecclesiis praefatis omnino personaliter residere deberent. Denique certior factus, quod multi eorumdem praefectorum erant inobedientes, Motu suo proprio commisit Camerae Apostolicae Auditori generali, ut contra illos usque ad sententiam procederet, et sibi deinde referret, ad effectum in eos privationis, et depositionis sententiam in suo Consistorio secreto pronuntiandi.

§ 3. Successive alii etiam Romani Pontifices contra non residentes diversa edicta publicari fecerunt; ac piae memoriae Gregorius XIII etiam Praedecessor noster per suum Decretum Consistoriale declaravit, decreta eiusdem Concilii de personali residentia, in Ecclesiis praedictis facienda, etiam in S. R. E. Cardinalibus locum habere, quocumque titulo illis praeessent, ita ut a reatu, et poenis in dicto Concilio statutis, non excusarentur, nisi absentiae causa in scriptis approbata foret; scientiaque, vel tolerantia non excusaret eosdem Cardinales, nec alios Episcopos.

[1] Sess. VI, *de ref.*, c. 1.
[2] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 1.
[3] Cf. N. 109.

§ 4. Similis quoque mem. Clemens Papa VIII etiam Praedecessor noster per simile Consistoriale Decretum pro observantia residentiae personalis ab eodem Concilio ordinatae addidit poenam inhabilitatis ad maiores dignitates, et Ecclesias obtinendas; prout in praefatis Conciliis, ac Literis Apostolicis, Consistorialibusque Decretis latius continetur.

§ 5. Cumque etiam Nos edicta contra non residentes saepius publicari fecerimus, et tamen praeteritis mensibus aliqui, etiam S. R. E. Cardinales, Metropolitanis, seu Cathedralibus Ecclesiis ex concessione Apostolica praefecti, suae obligationis ad personalem residentiam in eis faciendam, immemores, in grave animarum suarum detrimentum, ac ovium sibi creditarum praeiudicium, ab eisdem Ecclesiis abesse continuarent, etiam sub praetextu suorum titulorum Cardinalatus, praesertim Episcopalium prope Urbem, seu in Urbis districtu respective consistentium, et quod in eadem Urbe in conspectu, et praesentia nostra moram traherent: Nos pro nostro pastorali debito, nedum animarum praefatarum, sed etiam Ecclesiarum indemnitati, providere volentes, in Consistorio nostro secreto declaravimus, eosdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, qui illis Ecclesiis Metropolitanis, et Cathedralibus praeerant, et apud eas non resederant, nec residebant, non fecisse, nec facere illarum fructus suos, etiam sub praetextu, quod alicui ex dictis Ecclesiis Episcopalibus, quibus Cardinales in ordine priores esse solent, praesideant, et ibi, vel in Urbe commorentur, aut cuiusvis tolerantiae, vel facultatis, praeterquam per Breve speciale nostrum, vel Romani Pontificis pro tempore existentis, sibi concessae: Ideoque eosdem Cardinales monuimus pro prima vice, ut ad residentiam huiusmodi statim se conferrent, sub amissionis fructuum eo ipso incurrenda, et aliis canonicis poenis, animo etiam procedendi ad ulteriora, si non paruissent, et prout in Decreto nostro Consistoriali plenius habetur.

§ 6. Quia vero ab inde citra non omnes, prout tenebantur, paruerunt, sed aliqui adhuc contumaces existunt: Nos, ut omnino debitum suum agnoscant, et animabus subiectis, quantum Nobis ex alto conceditur, magis consultum sit, ulterius providere volentes, Concilii Tridentini Decretis, et Literis Apostolicis, Motuique proprio, ac Consistorialibus Decretis praefatis inhaerentes, illorumque tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plene insertis, et expressis habentes, Motu simili, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine praefata Concilii Decreta, Literasque Apostolicas, ac primodictum Motum proprium, Decretaque Consistorialia praefata, et in eis contenta quaecumque hac Nostra Constitutione perpetua confirmamus, et approbamus, et quatenus foret opus, adversus quemcumque praetensum non usum, vel contrarium usum, innovamus, et plenissime restituimus.

§ 7. Insuperque omnes, et singulos, Ecclesiis Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, Archiepiscopalibus, et Episcopalibus, quocumque nomine, seu titulo praefectos, etiam S. R. E. Cardinales, a praefatis suis Ecclesiis absentes, in virtute sanctae obedientiae, ac sub interdicti ingressus Ecclesiae, amissionisque tam fructuum earumdem Ecclesiarum pro tempore, quo absentia duraverit, quam facultatum testandi, et disponendi de bonis suis a Sede

Apostolica sibi alias concessarum, eo ipso absque alia declaratione incurrendis, necnon privationis a regimine, et administratione suarum Ecclesiarum huiusmodi, aliisque poenis, nostro, et Romani Pontificis pro tempore existentis, arbitrio infligendis, districte praecipiendo monemus, ut omnibus postpositis, quanto citius, in Romana Curia videlicet moram trahentes intra unum, extra eam vero in Italia intra duos, extra vero Italiam existentes intra quatuor menses, a die publicationis praesentium, in locis infrascriptis faciendae computandos, quos pro tribus canonicis monitionibus, peremptoriisque dilationibus, et terminis respective eis assignamus, et assignatos esse volumus, se itineri committere, et legitimis itineribus ad Ecclesias, seu Dioeceses suas proficisci, et se personaliter conferre, ac ibidem, ut tenentur, residere debeant.

§ 8. Eisdemque praefectis, postquam personaliter ad residendum se contulerint, necnon quibuscumque aliis, apud suas Ecclesias quandocumque personaliter residentibus, sub eisdem poenis, etiam eo ipso respective incurrendis, iniungimus, ne ab eorum Ecclesiis discedant, nisi prius obtenta nostra, et Romani Pontificis pro tempore existentis, per Breve, seu Literas missivas, licentia.

§ 9. Illos etiam, qui in posterum per Nos, seu Romanos Pontifices Successores nostros, alicui praefatarum Ecclesiarum Patriarchalium, Primatialium, Metropolitanarum, Archiepiscopalium, et Episcopalium quovis nomine, vel titulo praefecti fuerint, etiam si S. R. E. Cardinales quandocumque fuerint, vel sint,[1] sub eisdem poenis, etiam eo ipso respective incurrendis, debeant, et quilibet ipsorum debeat infra praefatum tempus, a die eorum promotionis ad aliquam Ecclesiarum praefatarum inchoandum, quod eis pro tribus monitionibus, et dilationibus, ut praefertur, ex nunc assignamus, pariter se itineri committere, et ad Ecclesias, sive Dioeceses sibi commissas, ad personaliter in eis residendum, conferre; et respective postquam residere inceperint, ab illis non discedere, nisi obtenta prius a Nobis, et Romano Pontifice pro tempore existente, licentia praefata.

§ 10. A quarum poenarum incursu nolumus posse aliquem se excusare praetextu, et ratione cuiuscumque servitii, quomodolibet praestiti, et praestandi pro gerendis, et tractandis negotiis quorumcumque Principum, etiam Imperatoris, et Regum, aut Rerumpublicarum, Regnorum, ac Provinciarum; nec ratione cuiuslibet iussionis, vel mandati eorum, vel earum, quandocumque facti, vel faciendi; nec etiam ratione prosequutionis, seu defensionis quarumcumque litium, seu controversiarum, etiam ecclesiasticarum; vel ineundi foederis, aut cuiuscumque alterius negotii, etiam gravissimi, et speciali mentione digni, tractandi, vel distantiae locorum, aut brevitatis temporis, ob quam non videatur expectanda Sedis Apostolicae licentia praefata, antequam a suis Ecclesiis, et Dioecesibus discedant, aut ratione cuiuscumque alterius causae, vel occasionis, etiam publicae, vel alias favorabilis, et aeque piae, etiam cuiuslibet utilitatis, sive necessitatis Ecclesiarum, et personarum, praeterquam personalis interessentiae in Synodis provincialibus, vel Congre-

[1] Forsitan addendum: ut.

gationibus, seu Assembleis generalibus, in quibus Ecclesiastici intervenire solent; vel ratione muneris, aut Reipublicae officii Episcopatibus, vel Ecclesiis maioribus praefatis adiuncti, cuius ratione ad certum tempus occupari solent: et tunc pro tempore, quo illae Synodus, Congregationes, et Assembleae, exercitiumque muneris, seu officii publici ipsis Ecclesiis adiuncti, actu duraverint; quibus finitis, recto tramite ad Ecclesias praefatas sibi commissas se conferre debeant. Nec etiam a praedicta residentia, et poenarum praefatarum incursu volumus excusari S. R. E. Cardinales, nunc, et pro tempore existentes alicui praefatarum Ecclesiarum praefectos, seu praeficiendos, etiam si tamquam ordine priores aliquem ex dictis titulis Episcopalibus prope Urbem, vel in eius districtu consistentibus, obtineant, et imposterum obtinuerint, et in praedictis Episcopatibus titularibus Urbi proximis resederint vel in Romana Curia in suis titulis respective, etiam Nobis, ac Romanis Pontificibus Successoribus nostris scientibus, videntibus, et quomodolibet tolerantibus, moram traxerint, ita ut nulla nostra, ac Romanorum Pontificum Successorum nostrorum conniventia, taciturnitate, et ad quarumcumque functionum, et actuum Pontificalium etiam publicorum, et solemnium celebrationem, receptione, et admissione, unquam tueri se possint.

§ 11. Et pro praemissorum, et infrascriptorum inviolabili observatione committimus, et mandamus dilecto filio Camerae Apostolicae generali Auditori, nunc, et pro tempore existenti, quatenus contra omnes, et singulos praedictos, tam in Urbe, quam alibi, commorantes, et in suis Ecclesiis, seu dioecesibus non residentes, per affixionem ad valvas Basilicae S. Petri, ac in acie Campi Florae, et quoad praesentes in Romana Curia ad abundantiorem cautelam, etiam domi dimissa copia, procedat: Et constito sibi, quantum sufficere videbitur, summarie, simpliciter, et de plano, sola veritate inspecta, et manu regia, de contraventione, et inobedientia praefatis usque ad sententiam exclusive procedat; et deinde Nobis, et Romano Pontifici pro tempore existenti, referat, ut Nos, ac Romanus Pontifex pro tempore existens in Consistorio ad sententiam declarationis incursus poenarum, ac respective privationis, seu depositionis, aliarumque punitionum praefatorum inobedientium, valeamus, et ipse Pontifex Romanus pro tempore existens valeat procedere.

§ 12. Volumus tamen Episcopos, Archiepiscopos, Metropolitanos, Primates, et Patriarchas, etiam S. R. E. Cardinales citra montes, vel mare existentes, per quatuor, alios vero ultra montes, vel mare degentes, per septem menses continuos a residentia in praefatis Ecclesiis facienda ad effectum visitandi limina Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli iuxta sacros Canones, ac Apostolicas Constitutiones, pro qualibet visitatione excusari: ita tamen, ut tunc illis durantibus, visitationis huiusmodi munus explere teneantur, nec ad alios actus se divertant.

§ 13. Cardinalibus vero nunc, et pro tempore existentibus, qui in casu vacationis Sedis Apostolicae ad electionem Romani Pontificis faciendam accedere solent ad locum Conclavis ad hoc designati, concedimus licentiam discedendi ab Ecclesiis praefatis sibi commissis, habita tamen prius certa notitia vacationis ipsius Sedis Apostolicae, et extra residentiam in loco, in

quo electionem huiusmodi celebrari continget, commorandi, et permanendi usque ad peractam electionem, ac etiam postea per duos menses, postquam Romanus Pontifex coronationis suae insignia susceperit: quo tempore elapso, praefati Cardinales, nisi illico, ut praefertur, ad Ecclesias praefatas, quibus praesidere eos contigerit, se contulerint, subiaceant poenis supradictis.

§ 14. Praesentes quoque Literas, omniaque, et singula in eis contenta de subreptionis, obreptionis, ac cuiuscumque nullitatis, aut invaliditatis vitio intentionisque nostrae, ac quocumque alio defectu quantumlibet substantiali, etiam ex eo, quod in praemissis quomodolibet interesse habentes, vel praetendentes, et praesertim iidem Ecclesiis praedictis nunc, et pro tempore praefecti, etiam eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, praemissis non consenserint, nec ad ea vocati, et auditi, solemnitatesque, et quaevis alia servanda, et adimplenda, nullatenus servata, et adimpleta; et causae, propter quas praesentes emanaverint, adductae, verificatae, seu alias sufficienter, aut etiam in aliquo iustificatae non fuerint; ac quocumque alio colore, praetextu, occasione, et causa, etiam in corpore iuris clausis, et alia quacumque quantumvis rationabili, iusta, et privilegiata, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, a quoquam notari, impugnari, retractari, in ius, vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci non posse, nec sub quibuslibet similium, vel dissimilium Constitutionum, sive dispositionum, etiam Motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, etiam Consistorialiter, aut alias quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores, et Successores nostros, ac etiam per Nos factarum, et faciendarum, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet factis, comprehendi, sed semper ab illis excepta, perpetuoque valida, firmaque, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac per omnes, et singulos, ad quos spectat, et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

§ 15. Sicque, et non aliter in praemissis, etc.

§ 16. Non obstantibus, etc.

§ 17. Volumus etiam, quod ii, qui duabus, vel pluribus Ecclesiis praefatis ex earum unione, vel alias ex concessione, seu dispensatione apostolica quocumque nomine, vel titulo praefecti sunt, vel pro tempore erunt, a residentia, et poenis huiusmodi excusentur, dummodo in earum altera, in qua de iure residere debent, vere, et personaliter resideant; exceptis tamen, ut praefertur, Ecclesiis Episcopalibus Urbi proximis, quibus Cardinales in ordine priores praeesse solent: residentia enim, si quae apud praefatas Ecclesias titulorum Cardinalium fieret, aliquam excusationem eisdem Cardinalibus, ut praefertur non praestaret, quo minus ipsi in alia, vel aliis Ecclesiis praefatis, quibus eos etiam pro tempore praefici contigerit, residere omnino teneantur.

[Bull. Rom., tom. 6, II, p. 13-16].

216.

Urbanus VIII, const. *Cum sicut accepimus*, 21 maii 1635.

§ 1. Cum sicut accepimus, diversorum Ordinum, Congregationum, et Institutorum, ac etiam Societatis Iesu personae regulares, ultra alia vota, etiam votum, promissionem, sive iuramentum solemniter, sive simpliciter emittant, aut praestent de non petenda, nec procuranda, minusve acceptanda aliqua dignitate, neque aliqua superioritate extra eorum Religionem:

§ 2. Quoniam vero propter infirmitatem, seu aliam legitimam causam, Sedes Apostolica aliquibus personis regularibus licentiam aliquando impertitur, se de una ad aliam Religionem, etiam speciali nota, et expressione dignam, etiam laxioris observantiae transferendi, necnon aliqui etiam Religionum supra expressarum, et cuiuslibet earum Generales, vel alii Superiores vigore, ut asserunt, facultatum sibi per Sedem eamdem concessarum, translationem de una ad aliam Religionem, aut strictiorem, vel laxiorem regularibus suis, sive per viam expulsionis, sive alio quovis modo concedunt, vel alias regularibus suis huiusmodi, ut se transferant, occasionem praebent; vel etiam ipsi regulares ex aliquibus causis licentiam manendi extra Claustra, etiam in habitu Clerici, vel Sacerdotis secularis aliquando obtinere solent;

§ 3. Ideo, ne per praefatas, et quascumque alias translationes, expulsiones, et dimissiones habitus regularis eorumdem regularium, quavis authoritate, licentia, occasione, ratione, et causa quantumlibet rationabili, favorabili, pia, et publica, etiam in corpore iuris clausa, sive ratione maioris boni, ac alias quomodolibet hactenus, et pro tempore factas, et faciendas, possint regulares huiusmodi hactenus, et pro tempore, ut praefertur, translati, expulsi, etiam post habitum religionis dimissum, praetendere se a dicto voto, promissione, sive iuramento de non petendo, nec obtinendo aliquam dignitatem, et de illam etiam motu proprio collatam non acceptando, fuisse, vel esse liberatos, quantum cum Domino possumus, opportune providere volentes; necnon voti, promissionis, seu iuramenti, ac facultatum, licentiarum, expulsionum, et causarum, aliorumque etiam de necessitate exprimendorum tenores, et totos tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et ad verbum insertis habentes; Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione declaramus, et decernimus, quoscumque regulares praedictos cuiusvis Ordinis, Congregationis, et Instituti, etiam quomodolibet exempti, etiam Societatis Iesu, per quamcumque translationem hactenus, et imposterum quandocumque de sua ad aliam Religionem, vel Ordinem, ut praefertur, seu alias quomodolibet, etiam pluries, et per quamcumque expulsionem, habitusque regularis dimissionem pro tempore factas, non esse, nec fore, minusve dici, aut censeri posse, seu debere a praefato voto, promissione, seu iuramento liberatos: sed eos hactenus, et pro tempore, ut

praefertur, translatos, expulsos, ac a delatione habitus regularis absolutos, ac privatos, quarumcumque dignitatum huiusmodi proinde incapaces, et ad illas petendas, acceptandas, et obtinendas, inhabiles remanere in omnibus, et per omnia, perinde ac si translati, expulsi, seu a delatione habitus liberati, seu privati non fuissent.

§ 4. Praesentes vero literas, omniaque, et singula in eis contenta, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, ad ea vocati, et auditi, minusque causae, propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae, seu alias sufficienter, aut etiam nullatenus iustificatae fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis, vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, et substantiali, sive etiam ex eo, quod in praemissis, seu eorum aliquo solemnitates, et quaevis alia servanda, et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite a iure, vel facto, aut Statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore iuris clauso, seu occasione, vel causa etiam quantumvis iusta, rationabili, et privilegiata, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius, vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae, vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel concesso quempiam uti, seu se iuvare in iudicio, vel extra posse; neque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet factis, et faciendis comprehendi; sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac per omnes, et singulos, ad quos spectat, et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

§ 5. Sicque, et non aliter in praemissis omnibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 6, II, p. 25, 26].

217.

Urbanus VIII, const. *Magnum in Christo*, 20 iun. 1637.

Magnum in Christo, et in Ecclesia Matrimonii Sacramentum, ut vitae est legitima inter Virum, et Foeminam indissolubilis societas, in qua ex pari consensu semetipsum alter alteri debet: ita gravibus, debitisque poenis corripiendi sunt ii, qui mandatorum Domini immemores, et posthabita propriae salutis ratione, sacrosanctas huiusmodi Sacramenti leges violare non verentur.

§ 1. Cum itaque, sicut non sine magna animi nostri molestia accepimus, ii iniquitatis filii reperiantur, qui sub mentito nomine, seu cognomine, adhuc prima uxore vivente ad secundas Nuptias transire audent.

§ 2. Nos nefariam improborum hominum huiusmodi temeritatem iuxta creditum Nobis desuper apostolicae servitutis officium, quantum cum Domino possumus, reprimere volentes, habita prius super hoc cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in universa republica christiana contra haereticam pravitatem generalibus Inquisitoribus ab hac Sancta Sede deputatis, deliberatione matura, hac nostra perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut huiusmodi sic delinquentes, ultra poenas, quibus ipsi ordinarie puniri solent, damnentur ad Triremes in perpetuum: quod si inhabiles reperti fuerint, publice fustigentur, et damnentur ad carceres in perpetuum. Si vero pro qualitate, et enormitate delicti graviores poenas meruerint, etiam Curiae seculari arbitrio eorumdem praefatae Congregationis Cardinalium puniendi tradantur.

§ 3. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 6, II, p. 103, 104].

218.

Urbanus VIII, const. *Cum sicut dilectus*, 2 mart. 1638.

Cum sicut dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, diversae extorsiones excessivae a dilectis filiis Capitulo, et Canonicis secularis, et Collegiatae loci de Veglie Brundusinae Dioecesis, necnon etiam a diversis Parochis aliorum locorum fiant pro impedienda libertate electionis sepulturae in Ecclesiis Ordinis huiusmodi, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut de opportuno in praemissis remedio providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§ 1. Nos igitur dictum exponentem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a iure, vel homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium praepositorum consilio, Ordinariis locorum per praesentes committimus, ut provideant omnino, ne diutius abusus huiusmodi tolerentur, et decernant, ne Parochi plus percipere possint in sepulturis, quae fiunt in Ecclesiis Regularium, quam in eis, quae fiunt in propriis, seu aliorum clericorum, non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

[Bull. Rom., tom. 6, II, p. 134].

219.

Urbanus VIII, const. *Nuper*, 17 nov. 1638.

§ 1. Nuper pro parte dilecti filii Procuratoris Generalis Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti Nobis expositum fuit, quod alias, seu nuper a Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Sacris Ritibus Praepositis emanavit Decretum tenoris subsequentis, videlicet. Pro Monachis S. Sixti Congregationis Cassinensis Placentiae commorantibus narratum fuit, quod ipsi monachi nunquam in eadem Civitate, nec alibi soliti sunt accedere ad alias Processiones, praeterquam ad Processionem Sanctissimi Sacramenti. Nunc vero Episcopus vult cogere, ut accedant etiam ad Processiones, quae fieri solent pro Rogationibus maioribus, et minoribus singulis annis, ad quas antea nunquam accesserunt, et propterea petierunt, non adstringi ultra eorum solitum, et consuetum. Sacra Rituum Congregatio respondit, Monachos praedictos non esse ullo modo cogendos accedere, nisi ad Processionem Sanctissimi Sacramenti, iuxta eorum antiquam consuetudinem, quam tam dictis Monachis Placentiae commorantibus, quam aliis eiusdem Congregationis Cassinensis, ubique conservandam esse censuit, et declaravit. Die 10 Iunii 1602. Dat. hac die 9 Octobris 1638.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Procurator Generalis Decretum huiusmodi pro illius firmiori subsistentia apostolicae nostrae confirmationis robore communiri summopere desideret; Nos eumdem Procuratorem Generalem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes: Supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praeinsertum cum omnibus, et singulis in eo contentis Apostolica auctoritate tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes, et singulos, tam iuris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§ 3. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 6, II, p. 161, 162].

220.

Urbanus VIII, const. *Nuper*, 16 oct. 1640.

Nuper a Congregatione nonnullorum Romanae Curiae Praelatorum, coram dilecto filio nostro Antonio tituli S. Petri ad Vincula Presbytero Cardinali S. Onuphrii nuncupato, Maiori Poenitentiario, ac nostro in alma Urbe

Pro-Vicario in spiritualibus generali, et nostro secundum carnem fratre germano, a Nobis deputata, emanavit declaratio tenoris subsequentis, videlicet.

§ 1. Cum circa interpretationem Constitutionis fel. record. Clementis VIII sub dat. 13 Kalend. Iulii Pontificatus sui anno tertio: de Largitione munerum Regularibus utriusque sexus interdicta,[1] nonnullae difficultates, et ambiguitates sint exortae; Congregatio specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Urbano Divina Providentia Papa VIII coram Eminentissimo Cardinali S. Onuphrii Maiori Poenitentiario, ac Urbis Pro-Vicario deputata, auctoritate sibi attributa declaravit, et declarat, munera a Religiosis utriusque sexus tribui posse, ex causis gratitudinis, conciliationis benevolentiae, eiusque conservationis erga ipsam Religionem, vel Conventum, aliisve causis ex sui natura actum virtutis, et meriti continentibus, modeste tamen, ac discrete, et dummodo id non fiat, nisi de Superiorum localium licentia, ac etiam cum consensu maioris partis conventus, si talis consensus de iure, vel ex constitutionibus, seu consuetudinibus cuiusque Religionis respective, in huiusmodi casibus requiratur. Consensum vero Conventus in § 3 eiusdem Constitutionis ad leviora esculenta, aut poculenta, seu ad devotionem, et religiositatem pertinentia munuscula largienda etc. requisitum, intelligi debere de consensu alias de iure requisito, et ubi concurrit ambitionis suspicio, qua cessante, nec in his requiri licentiam Superiorum in scriptis in § 4 eiusdem Bullae requisitam, sed sufficere licentiam, etiam oretenus eisdem concessam, declarat. Comessationes autem, compotationes, et convivia in excipiendis praesertim Benefactoribus, Protectoribus, vel Ordinariis honorifice, et laute, de quibus in § 5, et 6 eiusdem Constitutionis, censeri tantummodo prohibita, si decentiae status regularis adversentur. Restitutionem vero receptorum Conventibus faciendam, de qua in § 7 ibidem cautum est, intelligi debere de Conventibus, ad quos data, donata, seu missa de iure pertinent, si id commode fieri potest, alias Conventui eiusdem Religionis viciniori loco, ubi petita fuit absolutio, restituantur. Insuper eadem facultate sibi tributa omnes, qui hucusque adversus supradictae Constitutionis Capitula hic moderata largiti fuerunt, vel receperunt, a poenis quibuscumque in eadem Constitutione inflictis, et incursis posse, et debere a propriis Confessariis absolvi in foro conscientiae, etiam non facta prius huiusmodi rerum donatarum, seu datarum restitutione. Quoad eos vero, qui praeter modum praedictum graviori Religionis detrimento largiendo, vel recipiendo transgressi sunt, sed ob inopiam restituere nequeunt, eadem Sanctitas concedit Maiori Poenitentiario, ut de praeteritis usque ad diem datae praesentium in foro conscientiae absolvat, dispenset, et condonet, seu absolvi, dispensari, et condonari mandet, prout in Domino magis expedire iudicaverit. Et ne praedictae Clement. VIII Constitutionis memoria dilabatur, Superiores locales cuiuscumque Monasterii, Conventus, Domus, et Collegii Regularis sub poena privationis officii, vocisque activae, et passivae ipso iure incurren. efficere teneantur, ut in perpetuum singulis annis mense Ianuario, non solum praedicta Constitutio (quam in reliquis eius partibus eadem Sanctitas omnino observari iubet, et

[1] Cf. N. 178.

quatenus opus sit innovat, quemcumque praetensum non usum, aut praetensum usum, seu praetensam consuetudinem, damnando, et irritando) verum etiam hoc decretum in aliqua publica Congregatione, vel saltem in publica mensa perlegatur. Omnibus tam Ecclesiasticis personis etiam Regularibus, quam Laicis cuiuscumque sint ordinis, conditionis, gradus, ac dignitatis, etiam speciali nota dignis, et qui sub generali dispositione non comprehenderentur, praedictam Clementis Constitutionem contra praesentis decreti tenorem declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta, super quibus Sanctissimus mandavit expediri Breve. Datum Romae, die decimaquinta Septembris, 1640.

§ 2. Quapropter ut praemissa firmius subsistant, et inviolabiliter observentur, quantum cum Domino possumus, providere volentes, Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, declarationem praeinsertam cum omnibus, et singulis in ea contentis tenore praesentium perpetuo confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes, et singulos, tam iuris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, illaque inviolabiliter ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit in futurum observari.

§ 3. Sicque, et non aliter, etc.

[Bull. Rom., tom. 6, II, p. 263, 264].

221.

Urbanus VIII, const. *In eminenti*, 6 mart. 1641.

In eminenti Ecclesiae militantis Sede, meritis licet imparibus constituti, sedulo meditamur, ut quae ad fidei Catholicae conservationem a Praedecessoribus nostris provide statuta, et ordinata sunt, firmiter, et perpetuo observentur, et cum opus sit, nostrae auctoritatis munimine confirmentur.

§ 1. Dudum siquidem a fel. record. Pio Papa V Praedecessore nostro emanavit Constitutio tenoris subsequentis, videlicet: Pius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. « Ex omnibus afflictionibus, quas in hoc loco a Domino constituti, tam luctuoso tempore sustinemus, ille animum nostrum praecipue excruciat dolor, quod Religio Christiana tantis iampridem turbinibus agitata, novis quotidie propositis opinionibus confligetur, Christique populus antiqui hostis suggestione dissectus, in alios, atque alios errores passim, et promiscue deferatur. Quantum vero ad Nos attinet, totis viribus conamur, ut illae, simul atque prosiliunt, penitus opprimantur: magno enim moerore afficimur, quod plerique, spectatae alioquin probitatis, et doctrinae, in varias sententias, offensionis, et periculi plenas, tum verbo, tum scriptis prorumpunt; deque eis, etiam in Scholis invicem controversantur, cuiusmodi sunt sequentes.

§ 2. ... 43. In hominibus poenitentibus ante Sacramentum absolutionis, et in Catechumenis ante Baptismum est vera iustificatio, separata tamen a

remissione peccatorum... 56. In peccato duo sunt actus, et reatus, transeunte autem actu, nihil remanet, nisi reatus, sive obligatio ad poenam. 57. Unde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione, proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, et ministerium Sacerdotum solum liberat a reatu. 58. Peccator poenitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui poenitentiam suggerens, et inspirans, vivificat eum, et resuscitat, ministerio autem Sacerdotis solum reatus tollitur...

§ 3. Quas quidem sententias stricto coram Nobis examine ponderatas, quamquam nonnullae aliquo pacto sustineri possent, in rigore, et proprio verborum sensu ab assertoribus intento, haereticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, et in pias aures offensionem immittentes respective, ac quaecumque super iis verbo, scriptoque emissa, praesentium auctoritate damnamus, circumscribimus, et abolemus, deque eisdem, et similibus posthac, quoquo pacto loquendi, scribendi, et disputandi facultatem quibuscumque interdicimus. Qui secus fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, et officiis perpetuo privamus, ac etiam inhabiles ad quaecumque decernimus, vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus, a quo nullus Romano Pontifice inferior valeat ipsos, excepto mortis articulo, liberare ».

§ 5. Deindeque piae mem. Gregorius Papa XIII etiam Praedecessor noster, intellecto per eum, non sine animi sui dolore, non defuisse tunc temporis aliquos Theologos, tum studiosos, tum professores, qui articulos in praedicta Constitutione damnatos asserere, et pertinaciter defendere pergerent, pro officii sui munere eorumdem temeritatem, atque audaciam ad totius Ecclesiae periculum pertinentem, minime contemnendam, et dissimulandam censuit, sed ad coercenda huiusmodi ingenia, per aliam suam Constitutionem, sub Datum quarto Kalendas Februarii, Anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo nono, Pontificatus sui an. VIII editam,[1] Pii Praedecessoris Constitutionem praedictam sua quoque auctoritate confirmavit, Articulosque ibidem comprehensos iterato damnavit, et ne quis hac in re constantem Sedis Apostolicae voluntatem, ac sententiam ignorare posset, suam huiusmodi confirmationis Constitutionem, altera Pii V comprehensa, publicavit, et promulgavit.

§ 6. Postea recol. mem. Paulus Papa V similiter Praedecessor noster, ad tollenda scandala, et dissensiones, quae in Ecclesia Catholica oriebantur occasione editionis librorum, et operum de Auxiliis tractantium, in Generali Congregatione Sanctae Romanae, et Universalis Inquisitionis, sub die 1 Decembr. Anni Domini 1611 coram ipso habita, decrevit, ut scriberetur Nunciis Apostolicis, quod notificarent, et ordinarent Superioribus Religionum, et Universitatibus Studiorum, et Ordinariis eorum Nunciaturae, ne sinerent imprimi in materia de Auxiliis, etiam sub praetextu commentandi S. Thomam, aut alio modo, et qui vellent de hac materia scribere, et imprimere, prius mitterent Tractatus, et Compositiones ad dictam Sanctam Universalem Inquisitionem; et in exequntionem mentis dicti Pauli Praedecessoris, eius-

[1] Const. *Provisionis nostrae*. - Bull. Rom., tom. 4, III, p. 426-429.

dem Decreti tenor omnibus praedictis per Nuncios respective fuit legitime intimatus. Successiveque ne contra praedictum Decretum aliquid attentari contingeret, sed scandala, et dissensiones omnino cessarent, Nos in alia Generali Congregatione dictae Sanctae Romanae, et Universalis Inquisitionis, Feria 5 die 22 Maii, Anno Domini 1625 per aliud Decretum nostrum, ipsum Pauli Praedecessoris Decretum confirmavimus, et innovavimus, ac omnibus, et singulis cuiusvis Religionis, Ordinis, Congregationis, Instituti, et Societatis, etiam de necessitate exprimendae, Regularibus, et aliis quibuscumque, tam Ecclesiasticis, quam secularibus personis cuiuscumque status, conditionis, gradus, ordinis, et dignitatis, tam Ecclesiasticae, quam secularis, ne imposterum auderent imprimere, vel quoquo modo in lucem edere libros, tractatus, vel compositiones ex professo, vel incidenter, aut praetextu commentandi D. Thomam, vel quemlibet alium Doctorem, aut alia quavis occasione, praetextu, vel modo, de materia Auxiliorum Divinorum tractantes sine expressa, et speciali licentia a Nobis in Congregatione S. Officii praedicta obtinenda, donec aliud in hac materia a Sede Apostolica foret ordinatum, districte praecepimus, et mandavimus; et ut huiusmodi nostrum Decretum inviolabiliter observetur, voluimus, et declaravimus, contravenientes poenas privationis dignitatum, et officiorum suorum, vocis activae, et passivae, facultatis concionandi, publice legendi, docendi, et interpretandi ipso facto, absque alia declaratione incurrere, et nihilominus aliis etiam poenis nostro, et Successorum nostrorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis subiacere, librosque, quos ex tunc deinceps, contra dicti nostri Decreti tenorem edi contingeret, absque alia declaratione, tamquam expresse prohibitos haberi, et Impressores, praeter amissionem librorum, pecuniariis, aliisque corporalibus poenis iuxta criminis gravitatem teneri.

§ 7. Novissime tandem accepto per Nos in Oppido (Civitate nuncupato) Lovaniensi, quosdam assertos Cornelii Iansenii olim Episcopi Iprensis exequutores ex testamento in lucem edi curasse librum, cui titulus, Augustinus, ex professo continentem, et tractantem materiam de Auxiliis, nulla penitus petita, vel obtenta a dicta Congregatione licentia illum imprimendi, eiusque operis occasione Patres Societatis Iesu, nonnullas in Civitate Antverpiensi de eadem materia tractantes Theses, pariter absque licentia eiusdem Congregationis imprimi curasse, opinionesque Iansenii in praedicto libro contentas oppugnasse, rursusque nonnullas alias orationes, scripturas, epistolas, Thesesque in calce infrascripti Decreti nostri tunc registratas, tam pro dicti libri Iansenii, quam Thesium a Patribus Iesuitis editarum defensione impressas fuisse, non solum contra praedictorum Decretorum prohibitionem, sed etiam in grave scandalum, et offensionem Ecclesiae Catholicae.

§ 8. Nos ut malis huiusmodi imminentibus quanto citius occurreretur, et ne imposterum ullus auderet dictis Decretis contraire, per aliud Decretum in alia plena, et generali Congregatione eiusdem Sanctae Romanae, et Universalis Inquisitionis coram Nobis die 1 Augusti proxime praeteriti habita, inhaerendo prioribus Decretis a Paulo Praedecessore, et a Nobis, ut supra editis, pro tunc dictum librum Iansenii, cui titulus, Augustinus, Lovanii impressum, necnon Theses a Patribus Soc. Iesu Antverpiae in lucem editas,

aliasque scripturas in calce posterioris nostri Decreti huiusmodi registratas, iam vigore anteriorum supradictorum Decretorum prohibitas, de novo prohibuimus, ac pro prohibitis omnino haberi voluimus: Mandavimusque sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, ne quis cuiuscumque status, gradus, conditionis, et qualitatis, etiam speciali, et specialissima nota dignae, librum, et Theses praedictas, aliasque scripturas, ut supra, absque dictae Sedis licentia in dicta Congregatione S. Officii obtinenda, retinere, et legere posset. Mandavimus insuper omnibus, et singulis cuiusvis Religionis, Ordinis, et Dignitatis, Abbatiali, Episcopali, Archiepiscopali, et Patriarchali dignitate suffultis, Collegiis, et Universitatibus, sub praedictis, ut supra, excommunicationis ipso facto incurrendae, Interdicti Ecclesiastici respective, aliisque arbitrio nostro poenis infligendis, etiam corporalibus, ne imposterum auderent imprimere, nec quoquo modo in lucem edere libros, Tractatus, compositiones ex professo, vel incidenter, etiam sub praetextu commentandi D. Thomam, seu in Philosophicis agendi de concursu causae primae cum secunda, et praesertim defendendi, aut impugnandi librum dicti Iansenii, cui titulus Augustinus, vel Theses Patrum Soc. Iesu, aliasque scripturas in calce dicti posterioris nostri Decreti, ut praefertur, registratas, et prohibitas, aut alia quavis occasione, vel modo de materia Auxiliorum divinorum, seu de gratia, et libero arbitrio tractantes, sine expressa licentia a Nobis in dicta Congregatione S. Officii obtinenda, donec aliud in hac materia a Sede Apostolica praedicta foret ordinatum.

§ 11. Cum autem ex diligenti, et matura eiusdem libri, cui titulus, Augustinus, lectione, postmodum compertum fuerit, in eodem libro multas ex propositionibus a Praedecessoribus nostris olim, ut praefertur, damnatis, contineri, et magno cum Catholicorum scandalo, et auctoritatis dictae Sedis contemptu, contra praefatas damnationes, et prohibitiones defendi: Nos huic malo in scandalum totius Reipublicae Christianae, et fidei Catholicae perniciem vertenti, opportunum remedium adhibere volentes, Constitutionis Gregorii, necnon Pauli Praedec. praedictorum nostrorum, necnon Decretorum huiusmodi totos, et integros tenores, ac datas etiam veriores praesentibus pro totaliter expressis, et insertis habentes, Motu proprio, et ex certa scientia nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione eiusdem Pii, et Gregorii Praedecessorum huiusmodi Constitutiones praedictas, omniaque, et singula in eis contenta, apostolica auctoritate, tenore praesentium perpetuo confirmamus, et approbamus, librumque praedictum, cui titulus est, Augustinus, Articulos, opiniones, et sententias in dictis Constitutionibus reprobatas, atque damnatas, ut a Nobis compertum est, continentem, et renovantem, aliaque omnia opera praesentibus nostris literis subinserta, quae aliis sub posteriori decreto nostro praedicto registratis per praesentes addimus, atque adiungimus, eadem auctoritate per praesentes omnino prohibemus, ac pro vetitis, et prohibitis haberi volumus, et mandamus...

[Bull. Rom., tom. 6, II, p. 270-276].

222.

Urbanus VIII, const. *Cum Ecclesiae*, 30 ian. 1642.

Cum Ecclesiae Divino cultui dicatae Domus sint orationis, easque propterea omnis sanctitudo deceat, merito Nos, quibus cunctarum per Orbem universum Ecclesiarum cura a Deo commissa est, advigilare convenit, ut ab eisdem Ecclesiis quicumque actus profani, et indecentes procul arceantur. Itaque cum sicuti pro parte dilectorum filiorum Decani, et Capituli Ecclesiae Metropolitanae Hispalen. Nobis nuper expositum fuit, pravus in illis partibus sumendi ore, vel naribus Tabaccum vulgo nuncupatum usus adeo invaluerit, ut utriusque sexus personae, ac etiam Sacerdotes, et Clerici tam seculares, quam regulares clericalis honestatis immemores, illud passim in Civitatis, et Dioecesis Hispalen. Ecclesiis, ac quod referre pudet, etiam sacrosanctum Missae sacrificium celebrando sumere, linteaque sacra foedis, quae Tabaccum huiusmodi proiicit excrementis conspurcare, Ecclesiasque praedictas tetro odore inficere magno cum proborum scandalo, rerumque sacrarum irreverentia non reformident.

§ 1. Hinc est, quod Nos, ut abusus tam scandalosus ab Ecclesiis huiusmodi prorsus eliminetur, pro pastorali nostra solicitudine providere, ac Decanum, et Capitulum praefatos specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus ipsorum Decani, et Capituli Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis, utriusque sexus personis, tam secularibus, quam ecclesiasticis, etiam cuiusvis Ordinis, instituti, ac Militiarum, etiam Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, regularibus quomodolibet qualificatis, et quantumlibet privilegiatis, et exemptis, etiam speciali nota, et expressione dignis, ne de caetero in quibusvis Civitatis, et Dioecesis praedictarum Ecclesiis, earumque atriis, et ambitu Tabaccum, sive solidum, vel in frusta concisum, aut in pulverem redactum ore, vel naribus, aut fumo per tubulos, et alias quomodolibet sumere audeant, vel praesumant, sub excommunicationis latae sententiae eo ipso absque aliqua declaratione per contrafacientes incurrendae poena, auctoritate apostolica tenore praesentium interdicimus, et prohibemus.

§ 2. Quocirca Venerabili Fratri Archiepiscopo Damiaten. moderno, et pro tempore existenti nostro, et Apostolicae Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncio per praesentes committimus, et mandamus quatenus per se, vel alium, seu alios praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, solemniter publicans, faciat illas, et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat inviolabiliter observari; contradictores quoslibet, et rebelles, ac prohibitioni huiusmodi non parentes per censuras, et poenas

ecclestiasticas, aliaque opportuna iuris, et facti remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 3. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 6, II, p. 311, 312].

223.

Urbanus VIII, const. *Sacrosancta Tridentina Synodus*, 15 mart. 1642.

Sacrosancta Tridentina Synodus optime agnoscens non leve scandalum afferre posse, si quid inordinatum, aut praepostere accommodatum, vel prophanum in Ecclesiis appareat, statuit nemini licere ullo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam Imaginem ponere, vel ponendam curare, nisi ab Episcopo approbata fuerit.[1]

§ 1. Cum autem, sicut accepimus, ex praedicti Decreti inobservantia varii abusus irrepserint, ideirco Nos abusus huiusmodi tollere, pro debito pastoralis officii nostri volentes, re etiam cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Sacris Ritibus praepositis communicata, et mature considerata, et discussa, inhaerendo dictae dispositioni Sacrosanctae Tridentinae Synodi: Motu proprio, et ex certa scientia nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ne quis cuiuscumque gradus, qualitatis, ordinis, status, vel conditionis, ac dignitatis, et praeeminentiae, etiam ecclesiasticae, etiam individua, ac speciali expressione dignae existat, Imagines Domini Nostri Iesu Christi, et Deiparae Virginis Mariae, ac Angelorum, Apostolorum, Evangelistarum, aliorumque Sanctorum, et Sanctarum quorumcumque sculpere, aut pingere, vel sculpi, aut pingi facere, aut ante hac sculptas, aut pictas, et alias quomodolibet effictas tenere, seu publico aspectui exponere, aut vestire cum alio habitu, et forma, quam in Catholica, et Apostolica Ecclesia ab antiquo tempore consuevit, nec etiam cum habitu peculiari alicuius Ordinis Regularis, tenore praesentium prohibemus: ac ut Imagines aliter pictae, vel sculptae ab Ecclesiis, et aliis locis quibuslibet amoveantur, et deleantur, vel reducantur, et reformentur ad habitum, et formam in Ecclesia Catholica, et Apostolica ab antiquo tempore consuetam, ut veneratio, et cultus sic dictis Imaginibus augeatur, et quae oculis fidelium subiiciuntur, non inordinata, nec insolita appareant, sed devotionem pariant, et pietatem: et ne exponantur in Ecclesiis quibuslibet, ac quomodolibet qualificatis, ac earum Frontispiciis, et Atriis imagines prophanae, vel alias indecentiam, et inhonestatem praeseferentes cum Domum Dei deceat sanctitudo, praecipimus. Quocirca quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, et aliis locorum Ordinariis, ac nostris, et Apostolicae Sedis Nunciis,

[1] Sess. XXV, *de invocatione, veneratione et reliquiis sanctorum, et sacris imaginibus*.

et Legatis etiam de Latere, sub obtestatione divini iudicii mandamus, ut praedicta inviolabiliter, et exacte observent. Mandantes insuper omnibus Capitulis Ecclesiarum etiam Cathedralium, et maiorum, ac Universitatibus, etiam Studiorum, Monasteriis, ac Collegiis, et personis quibuscumque etiam ecclesiasticis, secularibus, et regularibus cuiuscumque Ordinis, etiam Cistercien., Instituti, Congregationis, et Societatis, etiam Iesu, etiam Militaribus, etiam Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, aliarumque Militiarum, et caeteris quibuscumque quomodolibet qualificatis, ac eadem individua expressione, et speciali nota dignis, ac Monialibus, etiam Regularium gubernio subiectis, ac etiam Sedi Apostolicae immediate suppositis, ut in eorum Ecclesiis, et locis omnia, et singula praemissa observent, et observari faciant.

§ 2. Quatenus vero ipsi, praesertim Regulares, ac Moniales praesentibus literis, ac omnibus in eis contentis parere neglexerint, possint, et debeant Episcopi, et locorum Ordinarii, et Metropolitani, Primates, et Patriarchae, Nuncii, et Legati Apostolici de Latere missi, tamquam in hoc a Sede Apostolica specialiter delegati, contra omnes, et singulos praedictos, et quoscumque alios quomodolibet inobedientes, et transgressores procedere, et quacumque appellatione, recursu, reclamatione, aliisque iuris, et facti remediis ordinariis, et extraordinariis penitus, et omnino remotis, ad omnimodam observantiam illos praevia unica monitione, censuris Ecclesiasticis, et aliis eorum arbitrio, et praesertim quoad loci Superiores etiam privationis officii, et vocis activae, et passivae poenis compellere.

[Bull. Rom., tom. 6, II, p. 321, 322].

224.

Urbanus VIII, const. *Quamvis*, 15 iul. 1642.

Quamvis fel. rec. Clemens Papa VIII, Praedecessor noster, accepto, quod aliqui Ordinarii beneficia ecclesiastica in suis mensibus vacantia, et alias dispositioni Apostolicae non reservata personis sibi benevisis conferebant, illa vero, quae reservata erant, Seminariis puerorum saepe uniebant; ad evitandum hoc Sedis Apostolicae praeiudicium, per eius decretum prohibuerit, ne uniones beneficiorum ecclesiasticorum dispositioni Sedis Apostolicae tempore, quo uniuntur reservatorum, vel affectorum fieri possent, etiam vigore Decretorum S. Concilii Tridentini in favorem Seminariorum Puerorum, ad praescriptum eiusdem Concilii erectorum, sive erigendorum:[1] nihilominus postea praetextu Indultorum Apostolicorum conferendi beneficia reservata, vel affecta per Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac etiam per Nos aliquibus personis, praesertim S. R. E. Cardinalibus concessorum, exequutio praedicti Decreti Clementis Praedecessoris de facto impedita fuit, et impeditur, quoniam Cardinales Indulta conferendi, et disponendi de reservatis, vel affectis habentes asserunt, se non esse in praedicto Decreto compre-

[1] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 18.

hensos, tamquam in eo expressim non nominatos, et ulterius tam ipsi Cardinales, quam alii, qui ex praedictis Indultis Apostolicis habent facultatem conferendi reservata, seu affecta, ac de eis disponendi, nedum praetendunt, Indulta huiusmodi continere facultatem disponendi de eisdem Beneficiis, etiam per modum unionis, et extinctionis in praeiudicium perpetuum Sedis Apostolicae, quae illorum provisione perpetuo privata remaneret, sed etiam ex ipsis Indultis esse sublatam, et extinctam reservationem, et affectionem quamcumque, ideo etiam auctoritate ordinaria potuisse, et posse per eos fieri eorumdem Beneficiorum, uti non reservatorum, nec affectorum unionem, Decretaque Concilii eis concedere facultatem uniendi etiam reservata eisdem Seminariis. Quinimmo etiamsi in Pontificatu rec. mem. Pauli V etiam Praedecessoris nostri, hactenus ex voto duorum Rotae Auditorum fuerit in Dataria observatum, et observetur, Beneficia duplici reservatione personali reservata, vel affecta non comprehendi in praedictis Indultis, tamen etiam praetendunt hanc reservationis duplicitatem non impedire eorum provisionem, vigore praedictorum Indultorum faciendam, eisdemque Beneficiorum unionibus non obstare, et propterea diversimode, etiam exequutio literarum Apostolicarum provisionis eorumdem Beneficiorum indebitis praetensionibus huiusmodi impedita fuit, et impeditur de facto in diversis Tribunalibus, et Congregationibus, praesertim Rotae, et Congregationis Concilii Tridentini, in quibus reperiuntur factae resolutiones, etiam inter se discordantes.

§ I. Volentes igitur praedicta impedimenta tollere, et nostro oraculo praetensas dubitationes dilucidare, Motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetua constitutione praedictum Decretum Clementis Praedecessoris praedicti, super exequutione, seu interpretatione eiusdem Concilii emanatum confirmamus, inviolabiliterque de caetero observari mandamus per quoscumque Patriarchas, Metropolitanos, Archiepiscopos, Episcopos, ac S. R. E. Cardinales, declaramusque praedictum Decretum etiam eosdem Cardinales comprehendisse, et comprehendere, praedictosque Cardinales, et quoscumque alios praedicta Indulta Apostolica conferendi praedicta Beneficia reservata, seu affecta, et de eisdem disponendi habentes, non potuisse hactenus post praedictum Decretum Clementis Praedecessoris, nec imposterum posse in vim illorum, nec vigore eiusdem Concilii, aut alias etiam auctoritate eorum ordinaria, praetextu quod ex praedictis Indultis extinctae, et sublatae sint reservationes, et affectiones eadem Beneficia quomodolibet tempore unionis reservata, vel affecta unire, etiam Seminariis praedictis Puerorum, nec de eis per viam cuiuscumque unionis, suppressionis vel applicationis disponere, nec etiam in vim praedictorum Indultorum reservata, et affecta conferendi, ac de eis disponendi, potuisse, nec posse conferre Beneficia duplici reservatione personali reservata, vel affecta.

[Bull. Rom., tom. 6, II, p. 335, 336].

225.

Urbanus VIII, const. *Aequum est*, 19 iul. 1642.

Aequum est, ut Nos, qui omnium Christifidelium commodis pro paterna nostra charitate iugiter invigilamus, Sacristiae nostrae Pontificiae, ac Camerae Apostolicae iura non negligamus.

§ 1. Quamvis enim etiam iuxta Constitutionem fel. record. Clementis Papae Septimi, Praedecessoris nostri desuper editam observatum fuerit, quod omnia, et singula Mitrae, Pluvialia, Planetae, et alia Altaris ornamenta, et vestimenta, ac vasa aurea, et argentea, praesertim sacra, et benedicta, cuiuscumque qualitatis, et pretii fuerint, quibus S. R. E. Episcopi, Presbyteri, et Diaconi Cardinales in Cappella Pontificia, in Missarum tam per Romanos Pontifices, quam in eorum praesentia, etiam per dictos Cardinales celebratione, ac in processionibus, et aliis caeremoniis Pontificalibus usi fuerunt, post illorum obitum fuerint, et sint applicata, et realiter consignari debeant dictae Cappellae, et illius Sacristiae, praefataque applicatio, et consignatio impediri non debeat praetextu quarumcumque facultatum testandi, etiam sub quacumque forma, et verborum tenore pro tempore concessarum, et alias prout in eadem Clementis Praedecessoris Constitutione uberius continetur. Nihilominus quia tam Romani Pontifices Praedecessores nostri concesserunt, quam etiam Nos eorum exempla sequuti concessimus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus facultatem disponendi de ornamentis, et vestimentis, ac vasis, et aliis rebus praedictis, illaque relinquendi Ecclesiis, seu Cappellis, vel locis piis, aut personis, praesertim ecclesiasticis, sibi benevisis, in grave Sacristiae praefatae praeiudicium, ac etiam Camerae Apostolicae detrimentum, quam de suo eidem Sacristiae de ornamentis, caeterisque rebus huiusmodi ea propter providere oportet.

§ 2. Hinc est, quod Nos earumdem Sacristiae, et Camerae indemnitati in praemissis consulere volentes, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, etiam ipsam Constitutionem Clementis Praedecessoris huiusmodi innovantes, et ampliantes, quod de caetero perpetuis futuris temporibus praefata omnia, et singula, Mitrae, Pluvialia, Tunicellae, aliaque ornamenta, et vestimenta, ac Calices, Patenae, vasa etiam aurea, et argentea, aliaeque res, et utensilia quomodolibet nuncupata, praesertim benedicta, seu consecrata, quibus S. R. E. Cardinales, nunc, et pro tempore existentes, etiam praefatam, aut quamcumque aliam similem, vel dissimilem facultatem apostolicam de illis disponendi, ac ad haeredes etiam ab intestato transmittendi, ut praemittitur, habentes, non solum in Cappella Pontificia, seu Processionibus, caeremoniis, et aliis functionibus Pontificiis praefatis, sed etiam in eorum Cappellis privatis hactenus, vel in futurum pro tempore quomodolibet usi fuerint, vel quae detulerint, ad Sacristiam praefatam ipso iure spectent, et pertineant, et ad illam deferri, illique realiter consignari debeant statim post obitum ipsorum Cardinalium,

excepta una Tunicella pro quolibet Cardinale Diacono, et una Planeta pro quolibet Cardinale Presbytero, ac uno Pluviali pro quolibet Cardinale Episcopo, ac exceptis Candelabris, ac Malluviis, et Gutturnis Bacili, et Bocali vulgo nuncupatis, etiam aureis, vel argenteis, hac perpetuo valitura Constitutione nostra statuimus, et ordinamus, et quascumque facultates praefatas testandi, ac ab intestato transmittendi, et disponendi de vestimentis, ornamentis, vasis, et aliis rebus, ac utensilibus praefatis, etiam in favorem quarumvis Ecclesiarum, seu Cappellarum, et locorum piorum, ac personarum etiam speciali nota, et individua expressione dignarum, etiam motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus, ac alias quomodolibet per praefatos Praedecessores nostros, ac Nos ipsos Cardinalibus praefatis quibuscumque concessas, quae hactenus effectum sortitae non fuerunt ad praesentis nostrae Constitutionis tenorem reducimus, et quatenus fuerit opus in iis, quae praesentibus adversantur, revocamus, abolemus, cassamus, annullamus, et irritamus, ac reductas, revocatas, abolitas, cassas, annullatas, et irritas fore, et imposterum per quamcumque derogationem per Nos, vel Successores nostros faciendam non censeri praesenti nostrae Constitutioni in aliquo detractum, nec d. Sacristiae praeiudicatum, nisi specialiter, et expresse huic Constitutioni referendo eius datam, ac alias sufficienter derogatum fuerit.

[Bull. Rom., tom. 6, II, p. 336–338].

226.

Urbanus VIII, const. *Universa*, 13 sept. 1642.

Universa per Orbem novit Ecclesia Romani Pontificis supremae incumbere sollicitudini Dominicum Gregem ad aeternam dirigere salutem, et apostolica sic explicare praecepta, ut fideles in viam mandatorum currere, et ad beatitudinem valeant feliciter pervenire.

§ 1. Plurimorum siquidem Venerabilium Fratrum Nostrorum Archiepiscoporum, et Episcoporum per varias Regiones constitutorum relatione ad Nos pervenit, festorum multitudinem per singulas eorum Dioeceses, atque Provincias adeo crevisse devotione, atque consuetudine nova in dies introducente, ut multi iam dubitare videantur, quaenam ex praecepto, quaeve ex libera cuiusque voluntate sint servanda, pietatis fervore ob nimiam eorumdem numerositatem tepescente. Quinimo, et clamor pauperum frequens ascendit ad Nos eamdem multitudinem, ob quotidiani victus laboribus suis comparandi necessitatem, sibi valde damnosam conquerentium, et quod summopere dolendum est, magno cum animi nostri moerore didicimus, tanta saepe saepius machinatum inimicum in Sanctos, ut ipsa multitudine, non ad aedificationem, et ad laudandum in Ecclesiis Deum populi utantur, sed ad otia, vanitates, et vitia frequenter abuti non formident, ita ut quae ad glorificandum Divinum Numen sunt primitus instituta, temporis decursu inimicus homo corruperit, et in magnam illius offensionem, gravemque iacturam converterit animarum. Quamobrem dicti Ven. Fratres Archiepiscopi, et Episcopi

Nobis fecerunt humiliter supplicari, ut in praedictis de Apostolicae potestatis plenitudine congruam aliquam iniremus rationem.

§ 2. Nos itaque volentes ex debito pastoralis officii providere, et sanctificationis festorum certum deinceps firmare praeceptum, antiquam Ecclesiae in hoc consuetudinem sectantes, habitis prius frequentibus per doctos, piosque Viros, quos ad haec specialiter deputavimus, consultationibus, ut rei videtur gravitas postulare, Motu proprio, et ex certa scientia, meraque deliberatione nostris, nec non de praedictae apostolicae plenitudine potestatis, hac perpetuo valitura Constitutione, de voto etiam Ven. Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Sacris Ritibus Praepositorum, apostolica auctoritate decernimus, et declaramus, infrascriptos dumtaxat dies pro Festis ex praecepto colendos esse, quos nempe vel ab initio veneranda sacravit antiquitas, vel universalis Ecclesiae probavit consuetudo, vel omnium gentium unanimis pietas veneratur: Dominicos scilicet dies totius anni, Nativitatis D. N. Iesu Christi, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis cum duabus sequentibus feriis, Ascensionis, Pentecostes cum duabus pariter sequentibus feriis, Sanctissimae Trinitatis, Solemnitatis Corporis Christi, et Inventionis Sanctae Crucis, necnon festivitatum Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, et Nativitatis Deiparae Virginis, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, Nativitatis S. Ioannis Baptistae, SS. Petri, et Pauli, S. Andreae, S. Iacobi, S. Ioannis, S. Thomae, SS. Philippi, et Iacobi, S. Bartholomaei, S. Matthaei, SS. Simonis, et Iudae, et Sancti Mathiae Christi Domini Apostolorum, item S. Stephani Protomartyris, SS. Innocentium, S. Laurentii Martyris, S. Silvestri Papae, et Confessoris, S. Iosephi etiam Confessoris, et S. Annae Deiparae respective Sponsi, ac Genitricis, Solemnitatis omnium SS. atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, sive Provincia, et alterius pariter principalioris in quacumque Civitate, Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi, et venerari contigerit.

§ 3. Ad reliquorum vero dierum observantiam, quos hactenus, sive in universa Ecclesia, sive in quavis Natione, aut Regno, Provincia, Dioecesi, aut loco quomodocumque, sive ex praecepto, sive ex consuetudine, sive ex devotione Christi fideles tamquam festivos celebrarunt, nequaquam ex praecepto ipsos teneri dicta auctoritate tenore praesentium perpetuo etiam decernimus, et declaramus. Ne autem dies festos a locorum Ordinariis nimia aliquorum facilitate, aut populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, eosdem Ordinarios in Domino monemus, ut ad ecclesiasticam ubique servandam aequalitatem de caetero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub praecepto novorum festorum studeant abstinere. Ut vero ea, quae superius expressa sunt, ferventiori, qua decet veneratione, ac devotione colantur, eisdem Ordinariis antiquiorum Canonum observantiam ad memoriam revocamus in concedendis licentiis laborandi diebus festis. Quae quidem licentiae non aliter, quam ad formam praedictorum Canonum, ut praemittitur, concedendae, nonnisi gratis, libere, et sine ullo prorsus pretio, aut pacto, directe, vel indirecte, concedantur, sub poenis etiam gravioribus nostro, Successorumque nostrorum arbitrio infligendis. Non intendimus tamen per hanc nostram Constitutionem dies feriatos circa Iudicialia in aliquo immutare,

quos ad hunc effectum relinquimus in eisdem statu, et terminis, in quibus erant ante eiusdem promulgationem.

§ 4. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis nostrae poena, nunc, et pro tempore existenti nostro in Urbe, eiusque districtu Vicario in spiritualibus Generali, ac universis, et singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Praelatis, ac cuiuscumque generis locorum Ordinariis, etsi Cardinalatus honore fulgeant, ut has praesentes literas, omniaque, et singula in eis contenta, singuli videlicet in eorum respective Dioecesibus publicent, et ab omnibus eorum subditis ad unguem observari faciant.

§ 5. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, etiam in Provincialibus, Synodalibus, et universalibus Conciliis editis, et edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus, ac singularum Provinciarum, Civitatum, Oppidorum, et locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus longissimo tempore praescriptis, ac observatis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, Decretis, Declarationibus, et Literis Apostolicis, aliisque gratiis, tam per ipsos Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac per Nos etiam motu simili, etiam consistorialiter, quam per Ordinarios locorum, cuiuscumque qualitatis, etiam Cardinalatus honore, ut praefertur, fulgentes, Legatos etiam de latere, et Sedis Apostolicae Nuncios, ipsis Provinciis, Civitatibus, Oppidis, et locis, aliisque quibuscumque, etiam quantumvis privilegiatis personis, etiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, Ducum, aut aliorum Principum contemplatione, vel intuitu, ac alias in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etsi alias pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus harum serie specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

[Bull. Rom., tom. 6, II, p. 341-343].

227.

Urbanus VIII, const. *Honorum*, 24 febr. 1643.

Honorum, dignitatumque vana ambitio adeo quorumdam Regularium mentes interdum excaecat, ut ab eo, quod abnegantes semetipsos sponte voverunt, postmodum inanis gloriae cupiditate ducti resilire conentur, cum tamen dicat Propheta: *Vovete, et reddite vota vestra Deo.*

§ 1. Quamvis igitur, ut accepimus, tam Fratres discalceati S. Augustini, et B. M. de Monte Carmelo, etiam discalceati Ordinum, quam Clerici Regu-

lares ministrantes infirmis respective nuncupati, et nonnulli aliorum Ordinum, seu Congregationum Regulares, etiam Societatis Iesu, et alii Regulares, etiam individuam expressionem requirentes, aut in ipsa professione una cum tribus essentialibus votis, paupertatis scilicet, castitatis, et obedientiae, aut ante, vel post professionem praedictam, sive solemne, sive, ut dicunt, simplex votum, in manibus tamen Superioris regularis emittant de non procurando, nec acceptando aliquam dignitatem, seu Praelationem, vel Praelaturam extra Religionem, nisi coacti, vel adstricti fuerint praecepto eius, qui sibi iure praecipere potest, et aliqui addant etiam illa verba, videlicet, sub poena peccati, iuxta formam suarum Constitutionum a Sede Apostolica confirmatarum, nihilominus aliqui ex ipsis Regularibus, etiam translati ad Ordines Regularium, etiam Mendicantium, qui praedictum, aut simile votum non emittunt, retro aspicientes, emissique a se voti huiusmodi immemores, Praelationes, seu Praelaturas, vel dignitates ambiunt, imo etiam Episcopatus, maiorumque dignitatum solium conscendere moliuntur, praetendentes, quod suis Superioribus regularibus, praesertimque Generalibus liceat eis praecipere, ut dignitatem, Praelationem, seu Praelaturam, vel Episcopatum, maioremve dignitatem extra Religionem acceptent, aut ipsum votum relaxare, et cum ipsis desuper dispensare, licet per praecepta, et dispensationes huiusmodi ipsi ab obedientia praecipienti, seu dispensanti debita eximantur, ac etiamsi vota praedicta, tamquam emissa in manibus Superioris regularis dicantur solemnia, vel saltem efficaciam voti solemnis habeant, regulariumque Ordinum, et Congregationum, ac Societatis huiusmodi Constitutiones sint confirmatae auctoritate apostolica, et cum decreto irritante, a quo propterea manus quorumcumque inferiorum ligatae existunt.

§ 2. Quapropter Nos ambitum hunc retundere, et praetensionem huiusmodi excludere, ac etiam omnem dubitationem super praemissorum interpretatione a nonnullis excitatam apostolicae declarationis auctoritate penitus tollere volentes, Motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac perpetua nostra Constitutione declaramus super praedicto voto, etiam per translatos ad Ordinem, seu Congregationem regularem capacem, ante translationem emisso de non procuranda, nec acceptanda extra quemlibet ex ipsis Ordinibus, seu Congregationibus Regularibus, aut Societate praedicta respective aliqua dignitate, seu Praelatione, vel Praelatura, sive aliquo Episcopatu, aut maiori dignitate neminem Superiorem Regularem, etiam Generalem, aut Capitulum, seu Congregationem generalem, nec etiam Nuncium Apostolicum, aut praedictorum Ordinum, seu Congregationum Protectorem, etiam S. R. E. Cardinalem, nec etiam Legatum Sedis Apostolicae, etiam de latere, nec quemlibet alium, etiam speciali, et individua mentione dignum, sed tantummodo Nos, et Romanum Pontificem pro tempore existentem posse dispensare, taleque votum relaxare, aut adversus illud aliquam licentiam, vel indultum concedere, aut aliquod praeceptum procurandi, seu acceptandi, vel aliud simile ipsis Regularibus voventibus facere, cuius vigore praedicti Religiosi illas, et illos procurare, vel acceptare possint, aut teneantur, ac alias quomodolibet voventes praedictos a praedicto voto liberare. Prout pariter declara-

mus, quascumque facultates generales dispensandi super quibuscumque votis, seu illa relaxandi, aut commutandi, vel adversus illa praecipiendi, aut alias quomodolibet voventes habilitandi, etiam in foro conscientiae dumtaxat, sive per dictas Constitutiones a Sede Apostolica confirmatas, sive per literas etiam in forma Brevis Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum, aut nostras, vel Successorum nostrorum, etiam motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, etiam ad supplicationem, seu contemplationem quorumcumque, etiam Imperatoris, Regum, et Principum, seu Rerumpublicarum, ac praedictorum Ordinum, Congregationum, et Societatis, aut vigore cuiuscumque Iubilaei, etiam universalis, vel Cruciatae Sanctae, aut Sanctae Inquisitionis, seu missionum, et alias quovis modo, et ex quacumque causa quantumlibet pia, favorabili, publica, et privilegiata concessae, et emanatae, concedendaeque, et emanandae, nuncque, ac pro tempore competentes ad praemissa omnia, et singula nullatenus se extendere intelligantur, sed esse Nobis, et Romanis Pontificibus Successoribus nostris dumtaxat reservata, prout tenore praesentium decernimus, et reservamus.

§ 3. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 6, II, p. 366–368].

228.

Urbanus VIII, const. *Quamvis*, 17 iun. 1644.

Quamvis alias fel. rec. Clemens Papa VIII Praedecessor Noster, Pontificale Romanum tunc multis, et non levibus erroribus scatens, piorum atque insignium virorum in Pontificalibus caeremoniis et ritibus versatorum opera undequaque corrigi et restitui curaverit,[1] attamen successu temporis compertum est plurimos errores denuo in Pontificale huiusmodi, Typographorum inscitia, seu incuria, aliave de causa irrepsisse. Unde curae Nostrae Pastoralis esse rati sumus ad novam eiusdem Pontificalis, quod caeremoniarum et rituum, quibus Catholici Antistites in suorum munerum functione uti debent, norma existit, correctionem animum appellere. Idcirco, ut idem Pontificale denuo typis quam emendatissime auctoritate Nostra ederetur, emendationem errorum, qui in illud, ut praefertur, irrepserunt, nonnullis Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, et aliis viris doctrina et pietate conspicuis, Pontificalium caeremoniarum, et rituum peritis, commisimus, quorum opera cum Pontificale praedictum ab omnibus, quibus scatebat, mendis et erroribus accuratissime repurgatum fuerit, Nos, ne tam exacta Cardinalium, et aliorum praedictorum hac in re industria et diligentia optato frustretur effectu, mandavimus dilecto filio Andreae Brogiotto, Typographiae Nostrae Apostolicae Praefecto, procurationem emendati Pontificalis huiusmodi elegantibus typis, et insigni forma in lucem edendi; quod exem-

[1] Const. *Ex quo*, 10 febr. 1596. – Cf. supra, in N. 180.

plar, qui posthac Pontificale Romanum impresserint, sequi omnes teneantur. Extra Urbem vero nemini licere volumus idem Pontificale in posterum typis excudere, aut evulgare, nisi facultate in scriptis accepta ab Inquisitoribus haereticae pravitatis, siquidem inibi fuerint; sin minus, ab locorum Ordinariis. Quod si quis quacumque forma contra praescriptam hoc Pontificale Romanum, aut Typographus impresserit, aut noviter impressum Bibliopola vendiderit, extra ditionem Nostram Ecclesiasticam excommunicationis latae sententiae poenae subiaceant, a qua, nisi a Romano Pontifice (praeterquam in mortis articulo constituti) absolvi nequeant; in alma vero Urbe, ac reliquo statu Ecclesiastico commorantes quingentorum ducatorum auri de Camera, ac amissionis librorum et typorum omnium eidem Camerae applicandorum poenas, absque alia declaratione, irremissibiliter incurrant; et nihilominus Pontificalia sine praedicta facultate impressa aut evulgata, eo ipso prohibita censeantur. Inquisitores vero, locorumque Ordinarii facultatem huiusmodi non prius concedant, quam Pontificale tam ante, quam post impressionem cum hoc ipso exemplari auctoritate Nostra vulgato diligenter contulerint, et nihil in iis additum detractumque cognoverint; in ipsa autem facultate, cuius exemplum in fine, aut initio cuiuscumque Pontificalis impressum semper addatur, mentionem manu propria faciant absolutae huiusmodi collationis, repertaeque inter utrumque Pontificale conformationis, sub poena Inquisitoribus privationis suorum officiorum, ac inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda; Ordinariis vero locorum, suspensionis a Divinis, ac interdicti ab ingressu Ecclesiae, eorum vero Vicariis privationis officiorum et beneficiorum suorum, et inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, necnon excommunicationis absque alia declaratione incurrendae. Iniungimus autem Nuntiis Nostris ubique locorum degentibus, ut huic negotio diligenter invigilent, cunctaque ad praescriptum huius voluntatis Nostrae confici curent. Non obstantibus, etc.

[Pontificale Romanum, initio].

229.

Innocentius X, const. *In supremo*, 15 nov. 1644.

In supremo Apostolicae dignitatis culmine non nostris meritis, sed inscrutabili Superni Patris providentia constituti, nostri muneris esse cernimus, ut inter innumerabiles Pastoralis officii curas, quibus gravi mole premimur, peculiari studio ad conservandam Sanctae huius Sedis temporalem ditionem intendamus, et quae propterea sedula meditatione a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris salubriter ordinata fuerunt, ea Nos ipsi inviolate servare nitamur, et ita ab aliis perpetuo statuamus observari. Dudum siquidem felicis recordationis Pius Papa Quintus Praedecessor noster per suam perpetuo valituram Constitutionem statuit, decrevit, et ordinavit,[1] ut

[1] Cf. N. 120.

omnes, et singulae Civitates, Terrae, Oppida, et Loca Sedi Apostolicae in temporalibus mediate, vel immediate, subiecta etiam eatenus in feudum, aut quemvis alienationis titulum dari solita, vel consueta etiam ad Sedem praefatam quomodolibet devoluta, et pro tempore devolvenda in iure, dominio, et proprietate, ac possessione dictae Sedis conservarentur, Civitatesque, Terrae, Oppida, et Loca huiusmodi nullo unquam tempore sub quovis praetextu in feudum, Gubernium, Vicariatum, Ducatum, aut quemvis alium titulum perpetuum, vel ad tertiam generationem, seu ad vitam, aut alias ad longum tempus nullo modo concederentur, et deinde piae memoriae Gregorius XIII, Sixtus V, Gregorius XIV, Innocentius IX, Clemens VIII, ac Urbanus VIII, Romani Pontifices Praedecessores nostri pro Pastorali eorum officio provide considerantes praefatam Pii Praedecessoris constitutionem optimam, et ad conservandam S. R. E. Iurisdictionem, ac dignitatem, Sedisque Apostolicae Dominia, Civitates, Oppida, et Loca, pie, et sancte emanatam fuisse, illam successive omnes felici emulatione de fratrum suorum eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium pro tempore existentium, consilio, Apostolica auctoritate laudarunt, approbarunt, confirmarunt, et innovarunt, prout in singulis eorumdem Praedecessorum Literis Apostolicis desuper confectis plenius continetur.[1] Nos omnium Civitatum, et Locorum praefatorum singularem fidem, et promptam devotionem eidem Sedi exhibitam omni tempore valde utilem, et salutarem fuisse, et esse considerantes, ac volentes non solum alienationes huiusmodi de medio tollere, sed ut omnis alienationum fiendarum occasio penitus aboleatur, quantum cum Deo possumus peramplius providere, Constitutionibus singulorum Praedecessorum nostrorum huiusmodi desuper pie, et sancte emanatis, ubi primum ad Apostolicae dignitatis gradum Divina favente clementia evecti fuimus, in primis cordi fuit inhaerere, illasque innovare.

§ 1. Itaque motu proprio, et certa scientia nostra, non ad alicuius super hoc Nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex mera animi nostri deliberatione, et de Apostolicae potestatis plenitudine praefatas Pii Praedecessoris literas, ac omnia, et singula in eis contenta etiam iuxta declarationem in literis Innocentii Praedecessoris huiusmodi factam, earumdem literarum continentiam, et tenorem, quem praesentibus haberi volumus pro expresso, ac de verbo ad verbum inserto, auctoritate apostolica tenore praesentium comprobamus, confirmamus, et innovamus, easque firmiter, et inviolabiliter, ac iuxta declarationem praedictam Nos similiter servaturos esse promittimus, et iuramus, atque per eos, ad quos spectat, pariter perpetuo observari praecipimus, et mandamus.

§ 2. Nulli ergo omnino hominum liceat, etc.

[Bull. Rom., tom. 6, III, p. 4, 5].

[1] Cf. N. 142, 158, 168, 174, 175, 203.

230.

Innocentius X, const. *Ex iniuncto*, 22 febr. 1645[1] (1646).

Ex iniuncto Nobis Apostolici muneris debito ad ea libenter intendimus, per quae personarum Ecclesiasticarum, tam secularium, quam regularium quarumlibet quieti opportune consulitur, et illis quae propterea inter eas concorditer facta sunt, ut firmius subsistant, libenter, cum a Nobis petitur, Apostolicae confirmationis robur adiicimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

§ 1. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum Rectorum Parochialium Ecclesiarum, necnon Cleri, et Regularium Maioricen. Civitatis, et Dioecesis Nobis expositum fuit, quod alias postquam exortis variis litibus, et controversiis inter dilectos etiam filios Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Maioricen., Clerum secularem, et Rectores Parochialium Ecclesiarum Civitatis, et Dioecesis praefatarum ex una, necnon inter S. Antonii de Sancto Antonio Viennen., et Praedicatorum, ac Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Provinciae Maioricen., ac Beatae Mariae de Monte Carmelo, et Eremitarum Sancti Augustini, necnon Sanctissimae Trinitatis, et Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, ac Minimorum Sancti Francisci de Paula respective Ordinum Fratres, et Religiosos partibus ex altera, super iure, et forma sepeliendi cadavera defunctorum, qui in ipsorum Regularium Ecclesiis sepulturam sibi elegerunt, coram Venerabilibus Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositis; ac super Quarta funerali, et Sepultura impuberum coram Congregatione etiam Venerabilium Fratrum nostrorum eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Sacri Concilii Tridentini interpretum. Tandem post nonnulla decreta desuper ab eisdem Cardinalibus emanata partes praefatae litibus, et controversiis huiusmodi, etiam indecisis pendentibus, opera, et ministerio certorum Procuratorum ad id electorum, et sufficientibus facultatibus suffultorum, praevio diligenti desuper habito tractatu, negotioque huiusmodi saepe saepius ab ipsis partibus hinc inde, diu, et mature considerato, ut iurgiis, et contentionibus obviam iretur, sumptibusque, et expensis parceretur, ad certam, et amicabilem inter se devenerunt concordiam, et compositionem tenoris, qui sequitur, videlicet.

§ 2. Noverint universi, quod Nos Doctor Ioannes Baptista Caforteza Sacrista, Doctor Marcus Antonius Cotoner, Canonici Cathedralis Ecclesiae Maioricen. electi ab admodum Illustriss. et Reverend. Capitulo eiusdem Ecclesiae, mediante resolutione Capitulari habita die tertiadecima Aprilis millesimo sexcentesimo trigesimo nono, Doctor Franciscus Lompard olim Rector Ecclesiae loci de Porrers, Doctor Michael Villanova Rector Parochialis Eccle-

[1] Secundum Bull. Rom. Lugduni (1673) Arnaud-Brode, tom. IV, p. 252-255.

siae S. Iacobi praesentis Civitatis, Michael Ioannes Sala Beneficiatus in Sede, et in Parochiali S. Crucis, Marcus Antonius Forteza Beneficiatus in Parochlali in Ecclesia S. Michaelis electi, mediante resolutione habita die duodecima Septembris millesimo sexcentesimo trigesimo sexto in Congregatione eadem die celebrata de licentia Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini Don Fratris Ioannis de Santander Episcopi tunc Maioricen. quae quidem resolutio Congregationis in actis penes Notarium infrascriptum, et in Ecclesiastica Curia reconditis reperitur, ex una, et ex alia Nos Frater Antonius Rubi Ordinis Praedicatorum S. Theologiae Magister, et Frater Iulianus Ginard Ordinis S. Francisci de Observantia Lector Iubilatus, Pater Provinciae, ac S. Inquisitionis Qualificator, habentes ad infrascripta commissionem, et specialem potestatem; ille pro omnibus Monasteriis Ordinis S. Dominici, hic pro Conventibus totius Provinciae, et Hospitalis S. Antonii Viennen. necnon Monasteriorum B. Mariae Carmelitarum, et omnium Ordinis S. Augustini, Sanctissimae Trinitatis, ac S. Catharinae eiusdem Ordinis, B. Mariae de Mercede, et omnium Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, ut constat Instrumentis publicis receptis die decimo sexto Decembris 1643, et die 8 Iunii 1644, per discretum Iacobum Pujol Notarium publicum, de quibus ego Notarius infrascriptus fidem facio, scientes, et attendentes inter Curatos, et Clericos Seculares, ex una, et Regulares ex alia partibus motas fuisse varias lites, tam super forma sepeliendi cadavera defunctorum, quam etiam super solutione quartae funeralis, et ad instandum resolutionem praedictarum litium ab utraque parte fuisse missos Syndicos, et Procuratores, qui Romae coram Sacris Congregationibus Cardinalium comparerent, et ad illorum instantiam motas fuisse sequentes controversias.

§ 3. In primis contendebant Parochi Inhibendum esse Regularibus, ne procederent amplius ad sepulturam in casibus sibi permissis per se ipsos tantum processionaliter Cruce elevata, sed cum interventu Parochi, vel eo prius convocato; allegantes Decretum Sacrae Congregationis Regularium de anno 1604.[1]

§ 4. Sed Regulares contra allegabant pacta, et conventiones de sepeliendo per seipsos tantum, et ingrediendi Parochias ad levanda cadavera Cruce elevata, et processionaliter, dicentes se non esse sub regula, sed potius sub exceptione Decreti Concilii Lateranensis sub Leone X,[2] pro cuius observatione emanatum fuit dictum Decretum Sacrae Congregationis, sibique etiam suffragari consuetudinem immemorabilem, et quod stabat pro Regularibus relatio Illustrissimi, et Reverendissimi Episcopi Maioricensis ex commissione S. Congregationis Regularium, et allegabatur Breve PP. Pii V super confirmat. consuetudinis praedictae, et pactorum, et conventionum datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die 24 februarii 1567,[3] quod incipit: *Ea, quae concordia*, iuncta praesertim eiusdem Brevis observantia. Dicebatur enim per subsecutam observantiam insurgere eiusdem Brevis indu-

[1] D. d. 12 ian. - Bizzarri, Collectanea S. C. Ep. et Reg., p. 333.
[2] *Dum intra*, 19 dec. 1516, § 9. - Cf. supra, in N. 72.
[3] Cf. Bull. Rom., tom. 4, II, p. 357, 358.

bitatam iustificationem, qua iustificatione supposita, non posse dubitari de veritate narratorum in eodem Brevi, et illorum probatione. Sed S. Congregatio praedicta auditis partibus, et allegatis hinc inde ponderatis die 19 iunii anni 1643 fuit in voto, quod partes plenius iura sua deducant in eadem S. Congregatione, et mandavit interim nihil innovari, et iuxta huiusmodi Decretum Episcopo praefato literas dedit.

§ 5. Aliae controversiae agebantur in S. Congregatione Eminentissimorum Interpretum Sacr. Concilii Tridentini. Prima. An dicti Regulares teneantur solvere integram quartam funeralium Parochis. Secunda. De quibus solvi debeat quarta praedicta. Parochi pro se allegabant, Clement. *Dudum, de Sepultur. § Verum,* et Concordiam quamdam de anno 1339 initam, ut ipsi asserebant, inter ipsos Parochos, et Fratres Dominicanos Conventus S. Dominici huius Civitatis, in qua Concordia Dominicani promittebant solvere dictam quartam funeralem iuxta praescriptum Constitutionis Bonifacii Papae Octavi incipien. *Super Cathedram,* necnon quamdam, ut asserebant, Constitutionem eiusdem Bonifacii Octavi de anno millesimo ducentesimo nonagesimo tertio, quae incipit: *Olim gravibus,* datum Avinioni, sive melius Anagnii, Pontificatus sui anno octavo in favorem Parochorum contra Regulares SS. Dominici, et Francisci praefatae Civitatis pro observantia alterius Constitutionis incipien. *Super Cathedram,* in d. Clem. *Dudum, de Sepultur.* insertae, quam etiam asserebant confirmasse Clementem Papam Sextum per quamdam aliam Constitutionem insertam in alia asserta Constitutione Clementis Papae Septimi data Avinioni quinto Kalendas Augusti, Pontificatus sui anno duodecimo, quae incipit: *Tenore quorundam*; Regulares vero allegabant consuetudinem legitimam restringentem d. Clem. *Dudum,* ad sola funeralia, et etiam patentissima privilegia eximentia a dicta solutione quartae, cum derogatione expressa dictarum Constitutionum: *Dudum, de Sepultur.* Viennen. Concilii, et *Super Cathedram* Bonifacii praedicti, necnon concordiarum, etiam auctoritate Apostolica, iuramento, vel qualibet alia firmitate roboratarum; tandem se esse in legitima possessione, et consuetudine solvendi tantum quartam partem cerae intorstitiorum, respectu Monasteriorum solventium; respectu vero aliorum, scilicet a quadraginta annis citra confirmationem Concilii Tridentini aedificatorum, nihil omnino solvere.

§ 6. Super quibus, auditis partibus Sacra Congregatio respondit. Ad primum Regulares praefatos teneri solvere iuxta praescriptum Clem. *Dudum, de Sepultur. § Verum.* Ad secundum. Teneri solvere ex his, quae disponuntur in dicta Clem. nisi concurrat legitima consuetudo ad favorem ipsorum solvendi solummodo quartam partem ex intorstitiis tantum, seu ex alia particulari re. Quod Decretum, instantibus Regularibus praedictis suspensum fuit, quia Regulares petebant a dicta Sacr. Congregatione, utrum praedictum Decretum loqueretur de omnibus Monasteriis indiscriminatim, scilicet, tam de his, quae sunt aedificata a quadraginta annis ante confirmationem Tridentini, et sunt in consuetudine solvendi tantum quartam partem ex intorstitiis, quam de aliis aedificatis a quadraginta annis citra confirmationem Tridentini. Asserebant etiam dicti Regulares pro se habere valida, et patentissima privilegia eximentia dicta Monasteria aedificata a quadraginta annis

citra dictam confirmationem Concilii a solutione quartae, et quintae funeralium. Tertia controversia. An filii impuberes, dum alibi sepulchra maiorum non extant, debeant sepeliri in eorum propria Parochiali Ecclesia. Respondit S. Congregatio filios impuberes, si non extant sepulchra maiorum, sepeliendos esse in propria Parochiali Ecclesia. Quarta. An mater pro filiis impuberibus possit eligere sepulturam. Respondit Sacra Congreg. Non licere matribus eligere sepulturam pro filiis impuberibus, cessante legitima consuetudine. Quinta. An liceat Regularibus sepelire in suis Ecclesiis Confratres laicos, qui sepulturam non elegerunt. Respondit S. Congregatio, Confratres laicos, si non praecedat eorum electio sepulturae, sepeliendos esse in eorum propria Parochiali Ecclesia.

§ 7. Attendentes Nos praedicti Electi tam Admod. Illustriss. Capituli, Curatorum, et Clericorum secularium, quam Regularium inter praefatos utriusque partis Syndicos, et Procuratores in Romana Curia, ad obviandum iurgiis, sedandum scandala, et excusandum sumptus, qui ex longissimis litium, et dubiorum anfractibus sperabautur, de consilio praestantissimorum Romanae Curiae Advocatorum, ac interveneniibus ad id Eminentiss. DD. Card. Caesarino Ponenti, Illustrissimoque D. Francisco Pauluccio Congregationis Concilii Secretario, et Perillustribus DD. Armindo Riccio, et Stephano Fabretto Iuris utriusque Doctoribus, ac utriusque causae Procuratoribus, illo pro parte Parochorum, hoc pro parte Regularium, de consensu R. D. Marci Antonii Forteza causam pro dictis Parochis in Romana Curia agentis, et Admodum R. P. Fratris Benedicti Ferrer Sacrae Theologiae Magistri, ac S. Inquisitionis Qualificatoris Ord. Praedicator. Agentis pro Dominicanis, et R. P. Fratris Ioan. Baptistae Mestre Ord. S. Francisci S. Theologiae Lectoris Agentis pro caeteris Regularibus dictae Dioecesis, actum fuisse de concordia praedictarum litium, et Nos habitis quamplurimis colloquiis, saepe saepius rebus mature consideratis, et perpensis, in unam convenisse Concordiam, quae proposita fuit Congregationi habitae die 28 aprilis anni currentis, in qua astiterunt Admodum Illustre Capitulum Ecclesiae Cathedralis, et omnes Curati, ac Syndici omnium Communitatum Ecclesiarum secularium praesentis Insulae, in qua Congregatione fuit pro maiori parte approbata praedicta Concordia, et commissum Nobis praedictis Electis Capituli, Curatorum, et Clericorum secularium, ut pro parte totius Cleri illam admitteremus, ut de dicta approbatione, et commissione constat in actis celebrationis dictae Congregationis penes Notarium infrascriptum, et in Ecclesiastica Curia reconditis: Scientes etiam eamdem potestatem Nobis attributam fuisse a Praeposito, et Communitate Clericorum secularium loci de Civitadella Insulae Minoricen. Instrumento publico mediante recepto die 2 maii anni currentis per Ioannem Companny Notarium publicum, de quo ego Notarius infrascriptus fidem facio. Et expresse declarantes, quod in hac Concordia comprehenduntur Parochi, et Clerici locorum de Maho, et Layor Insulae Maioricen. si infra quatuor menses, penes Notarium infrascriptum, eam ratam habuerint. Nos etiam praedicti Regularium Electi utentes facultatibus Nobis attributis, ut supra, confitemur inter Nos partes praedictas, et nominibus supra expressis deventum fuisse ad concordiam praefatarum litium in modum sequentem.

§ 8. Respectu causae convocationis Parochi, quae agebatur in S. Congregatione Regularium, concordatum fuit: Quod omnes Regulares possint per se ipsos tantum absque interventu Parochi, atque Clericorum secularium processionaliter Cruce elevata incedere, et Parochis non vocatis, nec requisitis eorum Parochias ingredi, indeque ad sua Monasteria levare, et efferre corpora Defunctorum, qui apud ipsos Regulares elegerint sepeliri, prout hactenus consuetum fuit; atque adeo in hoc nihil esse innovandum, exceptis Regularibus sex Conventuum, scilicet Ord. Praedicatorum S. Dominici locorum de Monacor, Pollensa, et Inca, ac Minorum S. Francisci de Petra, S. Augustini de Falantig, et Minimorum S. Francisci de Paula de Campos, qui iuxta pacta in limine fundationis non possunt absque interventu Parochi, et Cleri exire ad supradicta; et in sex praedictis locis, et si in aliis extra hanc Civitatem fuerint vocati Parochus, et Clerus secularis ad associanda cadavera in Ecclesiis Regularium sepelienda, Regulares adeant Ecclesiam Parochialem, fiatque processio sicut in Cathedrali in funeribus generalissimis, et quando Parochus, et Clerici seculares voluntarie vocabuntur pro associatione funeris, singuli Clerici non possint plusquam duos solidos, et Ministri, scilicet Hebdomadarius, Diaconus, Subdiaconus, et duo Primicerii quatuor solidos pro suis stipendiis recipere. Respectu primae, et secundae controversiae quartae funeralium concordatum fuit: Quod ea Regularium praedictorum Monasteria, quae sunt aedificata a quadraginta annis ante confirmationem Tridentini, et sunt in consuetudine solvendi tantum quartam partem ex intorstitiis, eamdem solvant, et quartam partem de pane, et candelis, quae dum missa Conventualis praesente cadavere cantatur, offeruntur, cum quinque solidis pro Rectoris cera, quae comburitur dum Missa canitur, ut usque adhuc solitum est. Et nunc de novo additur, ut deinceps de panno, quod vulgo dicitur Drap de cos de friseta negra, de libris, ensibus, et habitibus militaribus quartam partem dare teneantur, et unum de quatuor cereis, quos quatuor Regulares iuxta pheretrum defuncti deferre solent: De reliquis autem obventionibus, nempe de habitu regulari, de sudario, de sindone, de arca, de panno serico, seu de alia particulari re Confraternitatum laicorum, seu Conventuum ipsorum Regularium, de duobus cereis duorum Acolytorum Crucem comitantium, de aliis cereis, seu candelis, quae dantur ad manus Regularium, de eleemosynis pro Missis, Anniversariis, Responsis, vel aliis Divinis Officiis, piisque deprecationibus pro defunctis eisdem celebrandis, de legatis absolute, vel ad certos usus, vel etiam datis, qualitercumque donatis toti Monasterio, seu alicui ex Regularibus, et de quavis alia re particulari, nihil omnino solvere teneantur. Illa vero Monasteria quae sunt aedificata post Concilium Tridentinum nihil solvere teneantur, nisi aliter concordatum fuerit cum ipsis a principio fundationis Monasteriorum, aut postea, quo casu standum erit concordiae legitimae. Respectu tertiae, et quartae controversiae concordatum fuit, quod iuxta Constitutionem Synodi Maioricensis de Anno millesimo sexcentesimo trigesimo sexto, possint Patres eligere sepulturam pro filiis impuberibus, non vero matres. Tandem concordatum fuit praedictas conventiones, et concordias ad petitionem ambarum partium approbandas esse a Sacris Congregationibus Regu-

larium, et Concilii, et confirmandas a Sanctissimo Domino Nostro Papa cum clausulis necessariis pro maiori robore dictae concordiae, et decreti irritantis, si secus a quocumque, et quandocumque contigerit attentari, et quod committatur Ordinario Maioricen. omnimoda iurisdictio pro observantia dictae Concordiae. Non obstantibus quibuscumque privilegiis exemptionis Regularium. Hanc itaque concordiam, et transactionem, omniaque in illa contenta inviolabiliter observari. Nos Electi praedicti pro utraque parte promittimus, eamque admittimus, et approbamus, et a prima linea usque ad ultimam acceptamus, ac approbari, laudari, et confirmari promittimus, et Nos obligamus. Super quibus omnibus, et singulis supradictis sic complendis, tenendis, et inviolabiliter observandis obligamus utraque pars nostrum alteri ad invicem mutuo, et vicissim omnia, et singula bona nostra, scilicet Nos Electi praedicti, bona dictorum Rectorum, et Cleri, et Nos dicti Regulares bona dictorum Conventuum mobilia, et immobilia, praesentia, et ubique futura. Quod fuit actum in praesenti Civitate Maioricen. die videlicet, decimatertia mensis Augusti Anno a Nativitate Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto. Sig††††na nostra. Ioannis Baptistae Caforteza, Domini Doctoris Presbyteri, Canonici, et Sacristae Ecclesiae Sedis Maioricensis, et caeterorum Electorum. Sig††na nostra Fratris Antonii Rubi Ordinis Praedicatorum, et Fratris Iuliani Ginard Ordinis S. Francisci de Observantia, nomine antedicto transigentium, et concordantium praedictorum, qui haec laudamus, concedimus, et firmamus. Testes in quorum praesentia firmarunt dicti Doctores Io. Baptista Caforteza Sacrista, Marcus Antonius Cotoner Canonicus, Franciscus Lompard, et Marcus Antonius Forteza Presbyteri, P. Frater Antonius Rubi, et P. Frater Iulianus Ginard sunt Gabriel Gantallops studens, et Petrus Ferrer Ecclesiasticae Curiae Nuntius. Testes vero firmae dicti Doctoris Michaelis Villanova Presbyteri Rectoris S. Iacobi, qui firmavit die eadem, fuere R. Michael Sagarra Presbyter, et Sebastianus Carbonell. dictae Curiae Ecclesiasticae Nuntius.

§ 9. Subinde per eosdem exponentes supplicato, primo dictis Cardinalibus huiusmodi, ut praemissa confirmarent, ab eisdem Cardinalibus emanavit Decretum infrascriptum, videlicet: Sacra Congregatio Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praeposita, Eminentissimo Cardinali S. Caeciliae referente censuit, quoad primum punctum circa formam transportandi cadavera ad Ecclesias Regularium, Concordiam posse confirmari, prout praesenti Decreto confirmat: quo ad reliqua vero partes ad Sacram Congregationem Concilii remittit. Romae vigesimo quinto Novembr. millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto. M. Cardinalis Ginettus Archiepiscopus Patracen. Secretarius. Postmodum vero per eosdem primo dictos Cardinales remissis ad secundo dd. Cardinalium praefatam Congregationem certis aliis punctis, et capitibus in dicta praeinserta Concordia expressis pro illorum confirmatione iidem secundi dd. Cardinales pariter decreverunt, ut infra, videlicet. Die 4 Februarii 1645. Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum praevia revisione, ac relatione in eadem Sacra Congregatione per Eminentissimos Cardinales Cornelium, et Ginettum, censuit: confirmationem

supradictae Concordiae, quoad Decreta eiusdem Sacrae Congregationis posse concedi, si Sanctissimus D. Noster annuat.

E. Cardinalis Episcopus Sabinensis.

Loco ✠ sigilli.

F. Paulutius Sacrae Congregationis Secretarius.

§ 10. Cum autem firmiora sint ea, quae Sedis Apostolicae patrocinio roborantur, idcirco praefati Capitulum, et Canonici, Clerus, et Parochi huiusmodi, dictorumque Ordinum Superiores Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§ 11. Nos igitur eosdem exponentes, et supplicantes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, huiusmodi Supplicationibus inclinati, Concordiam praeinsertam, et desuper confectum instrumentum, seu scripturas, iuxta praeinserta dd. duarum Congregationum decreta, Apostolica auctoritate, tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque perpetuae, et inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes, et singulos, tam iuris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, aut intervenisse, dici, vel censeri possint, supplemus: salva tamen semper auctoritate utriusque Congregationis Cardinalium huiusmodi.

§ 12. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 6, III, p. 74-79].

231.

Innocentius X, const. *Cum iuxta*, 19 febr. 1646.

Cum iuxta Sacrorum Canonum dispositionem Venerabiles Fratres nostri Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales in partem solicitudinis Apostolicae sint vocati, ut Romano Pontifici pro tempore existenti personaliter assistant, et in regimine universalis Ecclesiae eorum operam praestent, dicanturque pars corporis, et membra ipsius Pontificis, ac diversis Ecclesiis Almae Urbis pro eorum Cardinalatus titulo, seu Diaconia praeficiantur, et propterea apud eumdem Rom. Pontificem in Romana Curia residere teneantur, merito iam pridem nonnulli Rom. Pontifices Praedecessores nostri provide considerantes, quam indecens, et detestabile sit, quod Cardinales locum, et mansionem adeo sublimem contra eorum officii debitum, deserant, et quod culpabilius est, non obtenta ipsius Pontificis pro tempore existentis licentia a Statu Ecclesiastico discedant, varias Constitutiones, et Decreta recessum huiusmodi prohibentia sub diversis poenis etiam per Romanos Pontifices pro tempore existentes arbitrandis ediderunt.

§ 1. Quia vero desuper satis provisum non esse experientia docemur, et ne tam perniciosum malum in dies crescere contingat, opportuniora remedia adhibere decrevimus. Motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetua Constitutione statuimus, decernimus, et declaramus, ut omnes, et singuli eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales nunc, et pro tempore existentes, qui non obtenta a Nobis, et Romano Pontifice pro tempore existente licentia extra temporalem Status Ecclesiastici ditionem imposterum se transferrent, statim, et eo ipso absque aliqua Iudicis, vel alterius praecedente declaratione omnibus, et quibuscumque privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, et indultis, etiam conferendi Beneficia Ecclesiastica, necnon transferendi pensiones, seu fructus Ecclesiasticos, etiam loco pensionum reservatos, ac testandi, et disponendi sibi quomodolibet a Sede Apostolica concessis, privati sint, et existant.

[Bull. Rom., tom. 6, III, p. 71-74].

232.

Innocentius X, const. Cum sicut, 14 maii 1648[1] (1653).

§ 1. Cum sicut accepimus aliquae fuerint ortae differentiae Inter Ven. Fratrem Ioannem Episcopum Angelopolitan., sive populi Sanctorum Angelorum in Indiis Occidentalibus ex una, et dilectos filios Clericos Regulares Societatis Iesu partibus ex altera, de et super munere praedicationis verbi Dei in propriis eorumdem Clericorum Regularium, petita solum Episcopi benedictione, quam in alienis Ecclesiis petita, et obtenta ab eodem Episcopo Dioecesano licentia exercendi; necnon super confessionibus Laicor. audiendis praevio examine, sive approbatione eiusdem Episcopi Dioecesani, quae dicti Clerici Regulares in vim privilegiorum praedictae Societati Apostolica auctoritate concessorum sibi proprio iure licere praetendebant, et desuper in partibus fuerit deventum ad plures actus iudiciales, et pro parte Clericorum Regularium huiusmodi ad electionem Conservatorum privilegiorum huiusmodi: Nobisque tam dicti Ioannis Episcopi, quam eorumdem Clericorum Regularium nomine pro sopiendis differentiis huiusmodi quaedam dubia Decisionem differentiarum praefatarum, necnon iurisdictionem Ordinariorum in exemptos, et ipsorum Clericorum Regularium exemptionem a iurisdictione Ordinarii concernentia fuerint proposita, ad quae ambae partes responderi, et quid desuper observandum sit, auctoritate nostra Apostolica statui, et stabiliri desiderabant.

§ 2. Nos qui omnium fidelium, et praesertim Ecclesiasticorum quieti libenter incumbimus, differentias praedictas, totumque negotium particulari Congregationi aliquorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, et dilectorum Romanae Curiae Praelatorum examinand. commisi-

[1] Secundum Bull. Rom. Lugduni (1673) Arnaud-Brode, tom. IV, p. 284-286.

mus, qui auditis saepius procuratoribus praedicti Ioan. Episcopi, necnon Procuratore Generali Societatis praedictae, negotio mature discusso, omnibus dubiis, et petitionibus hinc inde propositis responderunt, prout sequitur videlicet.

§ 3. Sacra Congregatio a SS. D. N. deputata super controversiis vertentibus inter Episcopum Angelorum in Indiis Occidentalibus, et Religiosos Societatis Iesu, saepius auditis Procuratoribus ab eodem Episcopo ad Urbem delegatis, necnon ipsius Societatis Procuratore Generali, negotioque accurate discusso, censuit praedictos Religiosos nequaquam posse in Civitate, et Dioecesi Angelopolitana personarum secularium Confessiones audire sine approbatione Episcopi Dioecesani, nec verbum Dei praedicare in Ecclesiis sui Ordinis, non petita ipsius benedictione, nec in aliis Ecclesiis sine eius licentia, nec in Ecclesiis etiam sui Ordinis, ipso contradicente, et contravenientes ab Episcopo, tanquam Sedis Apostolicae Delegato coerceri, et puniri posse, etiam censuris Ecclesiasticis in vim Constitutionis san. mem. Gregorii XV, quae incipit, *Inscrutabili Dei providentia.*[1] Ac proinde memoratis Religiosis, qui huiusmodi approbationem, ac licentiam se obtinuisse non docuerint, potuisse Episcopum, seu eius generalem Vicarium praecipere sub poena excommunicationis latae sententiae, ut a confessionibus audiendis, et verbi Dei praedicatione abstinerent, nec ob eam causam licuisse dictis Religiosis, quasi a manifestis iniuriis, et violentiis eligere Conservatores, eosque, ut praefertur electos, in Episcopum, eiusque Vicarium Generalem indebite, ac nulliter excommunicationem fulminasse. Caeterum Sacra Congregatio, serio in Domino hortatur, ac monet Episcopum, ut Christianae mansuetudinis memor erga Societ. Iesu, quae laudabili suo Instituto in Ecclesia Dei tam fructuose laboravit, ac sine intermissione laborabat, paterno se gerat affectu, eamque in regimine Ecclesiae suae perutilem adiutricem agnoscens benigne foveat, ac pristinae suae benevolentiae restituat, quemadmodum Sacra Congregatio ipsum facturum confidit, sibique certo pollicetur, cum eius zelum, pietatem, ac pastoralem sollicitudinem compertam habeat. Dat. Romae die 16 Aprilis anno 1648.

§ 4. Et praemissorum occasione

I. pro parte praedicti Ioannis Episcopi, necnon Religiosorum Societatis Iesu in eadem Congregatione proposita fuerunt diversa Dubia de mandato Sanctissimi resolvenda, quae quidem Sacra Congregatio saepius auditis, ut in praemissis, ab eodem Episcopo ad Urbem missis, necnon Procuratore Generali ipsius Societatis, negotioque mature perpenso, ad singula Dubia ab utraque parte proposita respondit ordine quo sequitur.

Primo ...

Quarto. An in casu in quo Regulares quicumque, etiam Societatis Iesu exhibeant aliqua privilegia, et Ordinarii iudicent ea non suffragari casui, de quo agitur, et ad rem non facere, Regulares praefati possint, et debeant provocare ad Summum Pontificem, vel in partibus Indiarum remotissimis ad Metropolitanum, sive Ordinarium viciniorem, vel potius possint hoc casu eli-

[1] Cf. N. 199

gere Iudices Conservatores? Respondit: Si verba privilegiorum sint obscura, et ambigua non licere recurrere ad Metropolitanum, vel viciniorem Episcopum, nec Conservatores eligere, sed Summum Pontificem pro interpretatione esse adeundum.

Nono. Utrum Regularis quicumque, etiam Societatis Iesu, possit administrare Sacramentum poenitentiae saecularibus absque licentia Episcopi Dioecesani, etiamsi in aliena Dioecesi approbatus sit? Respondit, Regulares etiam Societatis Iesu in una Dioecesi ab Episcopo approbatos ad confessiones personarum saecularium audiendas nequaquam posse in alia Dioecesi huiusmodi confessiones audire sine approbatione Episcopi Dioecesani.

Decimo. An Episcopus contra dictos Regulares audientes in sua Dioecesi confessiones saecularium absque sua approbatione, vel concionantes absque licentia Episcopi intra, et extra proprias Ecclesias, possit procedere, eos a talibus ministeriis removendo, sive praeceptis, et aliis Iuris remediis coercendo? Respondit eisdem Regularibus, qui confessiones personarum saecularium audiunt sine approbatione Episcopi loci, vel praedicant in Ecclesiis sui Ordinis, non petita illius benedictione, aut in aliis Ecclesiis absque ipsius licentia, vel in Ecclesiis, etiam sui Ordinis, ipso contradicente, posse Episcop. in vim Constitut. fel. rec. Gregorii XV, quae incipit: *Inscrutabili Dei providentia*, tanquam Sedis Apostolicae Delegatum administrationem Sacramenti poenitentiae, ac munus praedicationis interdicere, eosque iuris remediis coercere, et punire.

Undecimo. An quando Episcopo constat dictas licentias obtentas non fuisse, ipse possit praecipere, ut donec licentiam intra praescriptum tempus exhibeant, a tali ministerio abstineant, et an requirendus sit per Episcopum pro his exhibendis Provincialis in alia Dioecesi, vel longissime existens, vel ipsi Regulares confessarii, vel eorum Superiores eiusdem Dioecesis, in qua praedicta exercent? Respondit posse Episcopum sic praecipere, nec pro huiusmodi licentia requirendum esse Provincialem, sed satis esse ipsos Religiosos requirere, aut eorum Superiores in Dioecesi Episcopi existentes.

Duodecimo. An si contingat, ut aliquis praedictorum Regularium insurgat contra Episcopum in propria Dioecesi maledictis, cum scripto, vel dicto Populum scandalizando, possit ab Episcopo puniri, et qua animadversione, et quid si huiusmodi delinquens transiverit ad aliam Dioecesim, hoc casu servandum sit, et qua poena puniendus sit Regularis, qui commorans in sua Dioecesi spargat famosos libellos contra Ordinarium alterius Dioecesis? Respondit, si Regularis intra claustra degens extra ea in casibus in Dubio expressis ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante teneri Superiorem Regularem infra tempus ab Episcopo praefigendum severe illum punire, ac de punitione Episcopum certiorem facere, alioquin sic delinquentem ab Episcopo puniri posse ad praescriptum Concilii Tridentini cap. 14, sess. 25 de Regul., quod si delinquens ad aliam Dioecesim migraverit, servandum esse, quod praecipitur in Constitutione sanctae mem. Clem. VIII incipiente: *Suscepti muneris ratio*. [1]

[1] Cf. N. 181.

Decimoquarto. An privilegia, quae sunt contra Iurisdictionem Ordinarii et quibus gaudent, et gaudere praetendunt Regulares praedicti, debeant Episcopis notificari, sive insinuari? Respondit, Regulares teneri huiusmodi privilegia Episcopo exhibere, si eis uti voluerint.

Decimoquinto. An praedia rustica, metallorum fodinae, sacchari officinae a Regularibus Societatis, vel aliis possessa, vel aliae Domus Saeculares, in quibus videlicet, unus, vel duo Regulares tantum commorantur, gaudeant privilegio Collegiorum, seu Conventuum? Respondit non gaudere.

Decimosexto. Utrum Regulares praedicti apothecas quarumcumque mercium, macella, et similia, praesertim prope Collegia, sive Conventus exercentes, possint ab Ordinario sub censuris inhiberi, ne huiusmodi exerceant? Respondit, non posse Episcopum hoc prohibere Regularibus exemptis, sed si in praemissis notorie delinquant extra claustra, ut Populo scandalo sint, servandum esse, quod dictum est supra in responsione ad duodecimum.

Decimoseptimo. Utrum Regulares, etiam Patres Iesuitae in suis praediis, opificinis, aliisque suis Domibus Saecularibus sitis intra limites Parochialium ad se non spectantium, possint administrare Sacramentum baptismatis, solemnis matrimonii, Extremae-Unctionis, et Eucharistiae in Festo Paschatis famulis, mercenariis, rusticis, sive aliis id genus hominibus saecularibus absque Ordinarii, vel Parochi licentia? Respondit non posse.

Decimo octavo. Utrum Patres Societatis in Civitate, et Dioecesi Angelorum possint consecrare vasa sacra, altaria, et similia, in quibus unctio requiritur? Respondit itidem non posse.

II. Pro parte vero Religiosorum Societatis Iesu proposita fuerunt infrascripta Dubia.

Primo. An Episcopi in partibus Indiarum possint ex integro totum unum Monasterium, vel Collegium ab audiendis confessionibus suspendere? Respondit Episcopos Indiarum posse quidem omnibus simul unius Monasterii, vel Collegii Confessariis adimere facultatem audiendi confessiones personarum saecularium, etiam inconsulta Sacra Congregatione Episcoporum, et Regularium negotiis praeposita, cum decretum ab ea editum, sub die 20 Novembris 1615[1] ex intentionis defectu, et convenientia morali non extendatur ad Regiones illas, tam longe ab Urbe dissitas. Verum ab hac generali suspensione, quae vix sine scandalo, et animarum pernicie contingere potest, abstinendum esse Episcopis, nisi gravissima subsistente causa, super quo Sacra Congregatio illorum conscientias graviter voluit esse oneratas.

Secundo. An Episcopus Regularem pro confessionibus semel approbatum, sine nova causa suspendere possit ab ipsis confessionibus audiendis? Respondit Regulares alias libere ab Episcopo praevio examine approbatos ad audiendas confessiones personarum saecularium, ab eodem Episcopo suspendi non posse, sine nova causa, eaque ad confessiones ipsas pertinente.

Quarto. An Episcopus possit cum censuris procedere contra Regulares exemptos, si inobedientes fuerint in confessionibus audiendis, vel praedicatione verbi Dei, et hoc an vigore Conc. Trid., vel per quem canonem

[1] Cf. Bizzarri, Collectanea S. C. Ep. et Reg., p. 326, 327.

Respondit posse procedere, non quidem in vim Conc. Trident., sed in vim Constitutionis Gregorii XV, quae incipit: *Inscrutabili Dei providentia.*

Quinto. An licentia audiendi confessiones, et praedicandi, ab Episcopo per literas patentes Cancellariae concedi possit? Respondit posse concedi etiam per literas missivas, vel oretenus, si ita Episcopo videbitur.

Sexto, An talis licentia oretenus sine scriptis concedi possit? Respondit ut ad proximum...

Datum Romae die decimasexta Aprilis 1648. Quapropter, ut praemissa firmius subsistant, et inviolabiliter observentur, Nobis pro parte Ioannis Episcopi huiusmodi fuit humiliter supplicatum, ut illa auctoritate Apostolica confirmare de benignitate Apostolica dignaremur.

§ 5. Nos igitur d. Ioannis Episcopi votis hac in re annuere, illumque specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eumdem Ioannem Episcopum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati praeinserta responsa, seu resolutiones, auctoritate praedicta, tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque apostolicae firmitatis vim, et robur adiicimus, et inviolabiliter observari mandamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate dictae Congregationis.

§ 6. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 6, III, p. 244-247].

233.

Innocentius X, const. *Instaurandae,* 15 oct. 1652.

Instaurandae regularis disciplinae opus multis laboribus, ac vigiliis a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris iampridem assumptum Nobis in dies magis, magisque cogitantibus cur ad optatum finem hucusque perduci non potuerit, totque saluberrima decreta, et ordinationes fere in irritum ceciderint: illa tandem praecipua sese obtulit originis causa, quod Religiones quamplures ex parvis Conventibus, ac Domibus magna ex parte conflantur, in quibus sive ob reddituum, et eleemosynarum tenuitatem, sive ob aëris intemperiem, sive aliam ob causam non aluntur, nec ali possunt tot Religiosi, quot ad peragendum rite divinum cultum, et regularia munia ex cuiusque Ordinis praescripto sunt necessarii.

§ 1. Etenim in tam exiguo numero ibi degen., nec divinum officium nocturnum pariter, et diurnum in Choro celebrare nec orationi mentali, ac spiritualibus collationibus, et exercitiis, ac studiis in communi vacare, nec silentium, clausuram, vitam communem, caeterasque institutiones servare possunt, quae ad tria principalia vota ordinantur, et sine quibus consistere vix possunt regularis vitae bases, et fundamenta. Quamobrem otio immersi

nullum Religiosae vitae specimen praeseferunt: soli incedunt per Urbes, loca, cum secularibus vagantur, ac mundanis negotiis se involvunt. Inde que fit, ut ibi collocari renuant Religiosi probatae vitae, ac disciplinae, Superiores cogantur illic familiam constituere ex fratribus vitae laxioris, qui loci licentia peiores fiunt: et si quando ad Coenobia, seu Monasteria regularis observantiae revocantur, a claustro, quasi a squalore carceris abhorrentes vix adduci possunt, ut communem servent in moribus disciplinam, atque aliorum Institutionibus se conforment, qui potius caeteros avertunt, vel certe reddunt suo exemplo segniores. Unde relaxationes derivantur in ordines, et sensim invalescunt in ipsarum Religionum dedecus, et ruinam. Praeterea (quod dolentes referimus) ad huiusmodi Conventus, praesertim in locis infrequentibus, et solitariis tamquam ad Asylum facinorosi homines, et Curiae contumaces, vel proscripti in dies confugiunt, ibique loci immunitate freti turpiter, ac dissolute viventes, atque inde in tempore exeuntes graviora perpetrant flagitia cum maximo Populi scandalo. Cumque Conventus, in loca parva huiusmodi in effrenatam quasi exereverint multitudinem, hinc licet omnibus intelligere quaecumque reformationis remedia cassa fore, et irrita quandiu non fuerint a Religionibus abscissa. Quae potest enim spes esse corpus languidum, et infirmum ad salutem reducendi, si magna illius pars est curationis incapax, quin potius reliquam partem inficit, atque contaminat: Haec quippe sunt zizania, quae cum iam creverint usque ad messem, sunt in fasciculos alliganda, et a Religionum tritico separanda. Hae sunt vulpes parvulae, quae demoliuntur vineas. Hoc est fermentum, quod totam massam corrumpit.

§ 2. Quae omnia, atque alia plura pro Pastorali nostra sollicitudine diu, multumque animo revolventes, ut Sacrae Religiones, in multitudinem latiori incremento foecunditatis per universam Ecclesiam diffusae a vepribus, et spinis mundatae uberes germinent fructus: Nos etiam ab ipsismet Religionum Superioribus reformationem zelantibus crebris precibus interpellati, et frequentibus populorum querimoniis permoti salutare remedium adhibere consulta ordinatione decrevimus. Itaque de voto Congr. aliquorum Venerab. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardin., et dilectorum filiorum Rom. Curiae Praelatorum super statu Regularium, a Nobis deputatae, cui hoc negotium sedulo ac mature examinandum commisimus, motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine omnes, et singulos Conventus quorumcumque Monachorum, ac Regularium virorum bona immobilia possidentium, vel non possidentium cuiuscumque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, Congreg., Societatis, et cuiusvis alterius Instituti, etiam Societatis Iesu, etiam si illis animarum cura personarum saecularium incumbat, sintve Hospitia, vel Granciae, seu alterius Monasterii membra, existentes intra fines Italiae, et Insularum adiacentium in literis ab eadem Congregatione propediem expediendis nominatim exprimendos, in quibus ob parvum numerum Religiosorum regularis disciplina iuxta peculiaria cuiusque Ordinis instituta servari non potest, auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo extinguimus, supprimimus, et abolemus una cum omnibus eorum dignitatibus, officiis, ac ministeriis, illosque ab omni proprietate

dominio, superioritate, iurisdictione, ac alio quocumque iure regularium eximimus, et totaliter liberamus, omnemque Conventualitatem, titulum, essentiam, ac denominationem regularem in eis penitus extinguentes, illos ad statum saecularem reducimus. Reservata tamen ipsi Congr. facultate conservandi Religionibus aliquem ex Conventibus expressis in memoratis literis, si hoc aliqua rationabili causa expedire iudicaverit, salvis etiam iuribus, quae Fundatoribus Conventuum sic suppressorum, vel aliis ex Sacrorum Canonum praescripto, vel ex privilegio Apost. quomodolibet competunt.

§ 3. Quocirca dilectis filiis quorumcumque Regularium Superioribus tam Generalibus, quam Provincialibus, et localibus, quocumque nomine, ac titulo nuncupentur, in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus, et mandamus ut singuli, ad quos pertinet, infra terminum sex mensium inchoandum a die praesentationis literarum, a praedicta Congregatione, ut praemittitur, expediendarum faciendae in Rom. Curia Procuratori Generali cuiusque Ordin. vel Congr. aut Societ. dimittant realiter, et cum effectu coram Ordinariis locorum sub testimonio publico eidem Congreg. per eosdem Superiores regulares exhibendo possessionem corporalem Conventuum in eisdem literis expressorum; et reservata eis facultate secum asportandi prophanam tantum, non autem sacram supellectilem, Religiosos inde amoveant, atque in aliis Monasteriis eiusdem Ordinis, vel Congr., aut Soc. collocent, alioquin poenas privationis vocis activae, et passivae, necnon dignitatum, et officiorum, quae tunc temporis obtinebunt, et perpetuae inhabilitatis ad illa, vel alia imposterum obtinenda ipso facto absque alia declaratione incurrant.

§ 4. Eoque termino elapso non liceat regularibus in Ecclesiis dictorum Conventuum Missas, et divina officia celebrare, Confessiones Sacramentales audire, vel alia Sacramenta administrare, ac functiones Parochiales exercere, aut verbum Dei praedicare, vel mortuos sepelire. Quod si secus egerint, eo ipso Ecclesiae remaneant suppositae Ecclesiast. interdicto. Et nihilominus loc. Ord., ubi per literas ipsius Congr. fuerint requisiti, Religiosos rebelles, et refractarios a praed. Conventibus eiiciant, etiam invocato, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, et exinde Ecclesiarum, Domorum, bonorumque omnium ad Conventus sic suppressos quomodolibet pertinentium regimen, curam, custodiam, et administrationem suscipiant, curentque, ut ex eorum redditibus, et proventibus universis in primis, et ante omnia impleantur onera Missarum tam hucusque non celebratarum, quam imposterum celebran., et alia quaecumque ex lege fundationis, aut largitione fidelium, vel alias quomodolibet eis incumbentia quibus nullo modo derogare intendimus, et cura animarum, si qua illis immineat, per Presbyteros seculares idoneos ab ipsis Ordinariis approbandos laudabiliter exerceatur, Ecclesiaeque debito non fraudentur servitio. Caeterum intendentes de praedictis bonis, quotquot superfuerint oneribus ut supra detractis, salubriter providere, earumdem tenore praesentium bona huiusmodi applicamus, et applicata esse decernimus, et declaramus piis usibus in eisdemmet locis, ubi siti sunt Conventus, iisque non indigentibus, in aliis locis eiusdem Dioecesis iuxta designationem, et partitionem, quam eadem Congr. singulorum Episcoporum cum suis Capitulis sententia prius audita, et plena totius negotii relatione habita, de mandato nostro

faciet in suis literis ad eosdem Episcopos scribendis, et in Cancel. Episco-pali registrandis ad perpetuam rei memoriam.

§ 5. Verum quia parum est mala praecidere, nisi etiam malorum causa et radix evellatur, Constitutiones fel. rec. Bonif. VIII quae incipit: *Cum ex eo,*[1] necnon Clem. VIII incipien. *Quoniam ad institutam,*[2] aliorumque Rom. Pont. Praedecess. nostrorum super erectione novorum Conventuum editas eundem tenore innovantes, illisque addentes, hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis Regularium Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, Congr., Societ., et cuiusvis alterius instituti, etiam Soc. Iesu in aliqua Civitate, Castro, Villa, seu loco ad habitandum domos, vel loca quaecunque de novo recipere, seu Monasteria, Conventus, vel Collegia incipere, vel fundare praesumat absque Sedis Apost. licentia speciali plenam, et expressam faciente de prohitione huiusmodi mentionem in scriptis, et gratis concedenda praevia examinatione Congr. negotiis Episcoporum, ac Regularium praepositae, si secus egerint, eo ipso incurrant poenas privationis, et inhabilitatis, ut supra inflictas, et nihilominus, receptiones, fundationes, et erectiones sint ipso iure nullae, et invalidae, et domus, ac loca ipsa, et personae in eis degentes omnimodae iurisdictioni, visitationi, correctioni Ordinarii loci plene in omnibus subiaceant. Intendimus autem in praemissis etiam ultra Italiam, et Insulas adiacentes, prout expedire viderimus, providere.

§ 6. Decernen. praesentes literas, etc.

[Bull. Rom., tom. 6, III, p. 233-236].

234.

Innocentius X, const. *In supremo,* 8[3] (18) apr. 1653.

In supremo Iustitiae throno, et Universalis Ecclesiae specula divina dispositione constituti dum attente consideramus gravissimarum etiam ultimi supplicii, et quoad personas Ecclesiast. degradationis, traditionisque Curiae saeculari, ac privationis omnium officiorum, et beneficiorum Ecclesiast. ac quoad omnes Anathematis poenarum, tam per leges civiles, quam per sanctiones Canonicas, ipsamque forensium iudiciorum consuetudinem in literarum Apostolicarum falsarios statutarum, et inductarum severitatem non suffecisse cohibendae improborum turpi lucro inhiantium audaciae, nec eos a patrando detestabili falsi crimine deterruisse, imo crescente in dies hominum malitia, eo progressas esse nostri temporis iniquitates, ut nedum aliquos ex illis qui sollicitandae supplicationum, ac literarum Apost. expeditioni navant operam, sed etiam nonnullos Officiales seligendis, quae expeditione digna sunt negotiis praepositos, curamque revisionis, dispunctionis, et correctionis supplicationum desuper porrectarum, ut cum omni nitore, et fide in publicum pro-

[1] C. un., *de excessibus praelatorum et subditorum*, V, 6, in VI°.
[2] Cf. N. 190.
[3] Secundum Bull. Rom. Lugduni (1673) Arnaud-Brode, tom. IV, p. 253, 254

deant, habentes mortifera haec labes infecerit; operae pretium Nos facturos arbitramur, si novis, iisque, ut speramus, efficacioribus remediis, praedictarum scilicet sanctionum innovatione, et extensione, ac aliarum adiectione poenarum, cum opportuna tollendis quibusdam hac in re dubiis declaratione, malum Reip. Christianae adeo perniciosum, quodque ex immani cumulandae per fas, et nefas pecuniae cupiditate, omnium malorum, secundum Apostolum, radice ut plurimum oritur pro viribus extirpare satagimus.

§ 1. Itaque Motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris deque Apost. potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione, in primis crimen falsi praedictum pro vere, ac proprie atrocissimo crimine habendum, et censendum esse, et fore adeo, ut super eo possit inquiri, et procedi iisdem plane modis, et formis, quibus procedi potest in quovis alio crimine suapte natura atrocissimo decernimus, et declaramus. Praeterea Constitutionem fel. rec. Innocentii Papae III Praedeces. nostri, quae incipit *Ad falsariorum,*[1] et quascumque alias sanctiones canonicas, constitutionesque Apost. sive in corpore iuris insertas, sive non insertas, et extravag. contra falsarios huiusmodi quandocumque editas, poenasque contra eosdem falsarios in eis statutas, forensique Iudiciorum usu inductas, et receptas innovamus, illisque etiam confiscationis omnium, et quorumcumque bonorum etiam iurisdictionalium, ac devolutionis feudalium, et emphyteuticorum, necnon privationis tam quoad proprietatem, quam quoad exercitium omnium, et quorumcumque officiorum, etiam mere secularium, tam vacabilium, quam non vacabilium Rom. Curiae, vel quorumvis aliorum locorum, etiamsi emptionis, ac iustae compensationis, et remunerationis meritorum, vel quovis alio etiam vere oneroso titulo concessa, collata, et acquisita fuerint poenas ipso facto una cum antiquis, ut praemittitur, innovatis a die commissi criminis falsi huiusmodi incurrendas addimus, adiungimus, et adiicimus. Ad haec omnes, et singulas personas etiam Ecclesiast. cuiuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, et praeeminentiae, etiam cuiusvis Ordinis, Congreg., Societ., et Instituti, ac Militiarum quarumlibet, etiam Hospitalis S. Ioan. Hierosolym. Regulares quibuscumque privilegiis, exemptionibus, et indultis etiam in corpore iuris clausis munitas, et suffultas, etiam speciali nota dignas, ac etiamsi nominatim, et in individuo exprimi debeant, neque aliter quam sub praescripto certae formae in generalibus, aut specialibus constitut. includi, et comprehendi possint, et soleant, nulla prorsus excepta, quas pro tempore atrocissimi huius criminis falsi reas esse constiterit, omnibus, et singulis poenis praedictis, tam antiquis, ut praemittitur, innovatis, quam per praesentes additis, et adiectis obnoxias omnino, et irremissibiliter fore. Ac insuper easdem poenas locum habere, et executioni demandari debere contra quoscumque falsarios non solum literarum Apostol. quae sub plumbo, sed etiam illarum, quae in forma Brevis sub Annulo Piscat. expediri consueverunt, tam gratiam, quam iustitiam separatim, aut utramque mixtim continentium: Necnon contra falsarios quarumcumque supplicationum, cedularum motus proprii, ac mandatorum de expediendo gratis manu nostra,

[1] C. 7, X, *de crimine falsi*. V, 20.

seu Romani Pontificis pro tempore existentis, vel per *Concessum* ab Officialibus ad id pro tempore deputatis respective signatarum, et signatorum, etiamsi super illis Lit. Apost. sive sub plumbo, sive in forma Brevis sub Annulo Piscatoris non expediantur, neque consueverint expediri; necnon contra quoscumque falsarios cuiuscumque generis aliarum similium, vel dissimilium concessionum, in quibus adsit subscriptio nostra, seu Rom. Pont. pro tempore existentis, aut quorumvis Officialium super quibus Literae Apost. sub plumbo, vel in praedicta forma Brevis expediuntur, et expediri consueverunt; ac etiam contra quoscumque falsarios Datarum in praemissis ab Officialibus ad hoc deputatis apponi solitarum; necnon contra quoscumque falsificantes Originalium supradictorum registra Apost., seu registrorum Apost. libros, aeque prorsus, ac si falsificassent ipsa Originalia.

§ 2. Praeterea quod sub praesenti nostra Const. sint, et esse censeantur comprehensi, ac omnes, et singulas poenas tam antiquas, ut praefertur, innovatas, quam de novo additas superius expressas, ut praemittitur, ipso facto incurrant non solum illi qui per se ipsos, sed etiam ii qui per alium, seu alios quomodolibet in praemissis, seu eorum aliquo falsum committent, aut committi mandabunt, vel mandatum sibi ad id datum exequentur, seu directe, aut indirecte fieri curabunt, vel quoquomodo, ac tempore falsificationis participes fuerint, eorumque complices, mediatores, auxiliatores, seu fautores quicumque. Ac demum quod sub eadem praesenti nostra Const. includantur, et inclusi censeantur, omnibusque, et singulis poenis praedictis subiaceant, et obnoxii sint etiam illi, qui unica tantum vice in praemissis deliquerint, ac per se, vel alium seu alios unicum falsitatis actum dumtaxat in iisdem praemissis, seu eorum aliquo commiserint, in eoque participes, complices, mediatores, auxiliatores, seu fautores quoquo modo fuerint etiam decernimus, et declaramus; atque ita sanctiones, et constitutiones praedictas innovando, extendendo, illisque addendo respective in perpetuum statuimus, et ordinamus.

§ 3. Sicque, etc.

[Bull. Rom., tom. 6, III, p. 242, 243].

235.

Alexander VII, const. *Sacrosancti*, 18 ian. 1658.

Sacrosancti Apostolatus officii, quo divina disponente clementia, Catholicae Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, praesidemus, solicitudo Nos monet, ut noxia quaecumque a Dominico Grege quantum nobis ex alto conceditur, removere studeamus.

§ 1. Cum itaque ad aures nostras devenerint querimoniae Christifidelium Goae, atque in adiacentibus Insulis degentium de nonnullis abusibus Ecclesiasticorum, eorum praecipue penes quos ipsorum Christifidelium spirituale regimen, ac cura residet: Nos praedictis abusibus, quatenus irrepserint, quantocitius occurri, aut saltem praecaveri, ne illi in posterum contin-

gant, volentes, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium ex Congregatione negotio Propagandae Fidei praeposita, quibus querimonias huiusmodi discutiendas remisimus, consilio, Apostolica auctoritate tenore praesentium statuimus, praecipimus, et mandamus sedulo, inviolabiliter, et exacte servari ab omnibus, et singulis ad quos spectat, et in posterum spectabit, Decreta infrascripta, videlicet.

§ 2. Primo. Caveant Parochi, aut Ecclesiastici quicumque, sive seculares, sive regulares, ne in posterum ullo pacto cogant pauperes ad operas, seu laborem impendendum pro suis Ecclesiis, non persoluta iusta mercede, nisi id sponte, et ex pietate praestare voluerint, multoque minus audeant eos mulctare, qui renuerint.

Quarto. Ad Seminarium (nisi eius institutio, seu fundatio obstet) locus etiam iis, qui ex nobili sunt genere, et congrua (ni pauperes sint) persolverint alimenta, concedatur, ne a rectae educationis beneficio prorsus excludantur, habita tamen prudenti distinctione a reliquis, ut quieti consulatur.

Quinto. Ad scientias addiscendas, et scholas quilibet admittatur, nullo habito nobilitatis, seu generis discrimine, nisi ex aliqua propria culpa quis indignus censeatur.

Sexto. Neophytos Deo sub Religionis iugo servire volentes sine rationabili causa regulares non respuant, sed pari charitate omnes, qui spiritu Dei aguntur, et ad perfectionem anhelant, amplectantur.

Septimo. Presbyteri seculares doctrina, et moribus idonei a beneficiis curatis, et a quolibet alio ecclesiastico munere, sive praedicationis, sive administrandi Sacramenta poenitentiae, minime arceantur, attenta praesertim indigentia tot animarum millium, quibus longe impares sunt pauci regulares illuc ex Europa adventantes.

Octavo. Caveant itidem Parochi seculares, et regulares ullo modo sese ingerere in rebus spectantibus ad politiam secularem, nec ullum ad officia publica proponant, quamvis aptior caeteris videatur, nec unquam intersint comitiis, aut conventibus, ubi de rebus publicis agitur.

Nono. Ut maiori cum gaudio verbum Dei suscipiatur, altiusque radices agat, et fructum afferat, concionentur omnino regulares pluries in anno idiomate vernaculo, et patrio populorum, utque id ipsum facilius, et frequentius praestetur, curet omnino Vicarius Capitularis, aut Superior qui fuerit, ut etiam Clerus secularis eius Regionis in verbi Dei praedicatione exerceatur.

Decimo. Deputet Vicarius plures ex Sacerdotibus secularibus indigenis, quos idoneos repererit ad confessiones excipiendas, quo facilius, et libentius fideles Sacramentum poenitentiae valeant frequentare, nec cogantur solis regularibus, aut exteris sese subiicere.

Undecimo. Ut autem radicitus evellatur abusus, qui in praefatis Regionibus, ut praefertur, irrepsit, excipiendi confessiones per interpretem, aut lecto poenitentis catalogo peccatorum, ut nutibus innuat, si quae fuerint ab eo commissa, districte praecipitur Vicariis Capitularibus (graviter etiam onerando conscientiam ipsorum regularium, et quorumcumque ad quos pertinet) ut in posterum id nullo modo permittant, sed ab iis tantum audiantur

confessiones, qui illius idiomatis sensum sufficienter percipiunt, et ad ipsorum numerum pro rei exigentia augendum promoveantur omnino Sacerdotes seculares eius Regionis ad confessiones fidelium patrio idiomate excipiendas.

Duodecimo. Cumque audiatur maximum Catholicorum numerum contra praeceptum Domini, qui voluit debiles, et claudos admitti, sub praetextu ignobilitatis, et rudioris ingenii reiici a sacra Synaxi, id eadem Sacra Congregatio omnino vetat, ac prohibet, nisi prorsus eius mysterii sint incapaces.

Decimotertio. Aegrotis morti proximis cuiuscumque sint conditionis, quamvis in sordido, ac vili degant loco, aut tugurio, Sacrum Eucharistiae Viaticum deferatur, cum apud Deum nulla sit exceptio personarum, ac pro nostra salute nec stabulum, nec Crucis ignominiam exhorruerit.

Decimoquarto. Ne ob instructionis defectum, qui Sacro Baptismate initiantur, immaculatam Christi legem profanis, ac gentilitiis institutis ex ignorantia foedent, ac idololatriam cum orthodoxa fide confundant, ut saepe inibi evenire enunciatum est, caveant ii, qui iisdem instruendis incumbunt, ne in posterum ullus ad baptisma admittatur, qui veterem hominem, ac gentilitios mores prorsus exutus, Christum plene non induerit, et in fide sit sufficienter instructus.

Decimoquinto. Quoniam vero (ut veritas ipsa docet) nemo potest venire ad Christum, nisi Pater coelestis eum traxerit, moneantur Ecclesiastici, tum seculares, tum regulares, caeterique, qui ethnicorum conversionibus dant operam, ut illos non vexationibus, pollicitationibus, aut vi, sed verbi Dei praedicatione, et bonorum operum exemplo ad Baptismum inducant, perscrutantes praecipue diligenter quo fine, et spiritu ducantur, qui baptizari postulant.

Decimosexto. Nihil prorsus, ne quidem sub praetextu pietatis Parochi tam seculares, quam regulares a suis Parochianis quaestuent, et si quid pro festorum celebratione sponte ab iis tribuatur, integre in eam causam insumant, et quidquid superest, pauperibus eiusdem Parochiae dispensetur; ita ut quantumvis minima aviditatis suspicio a viris Ecclesiasticis absit.

Decimonono. Cadavera pauperum fidelium gratis omnino posthac a Parochis sepulturae tradantur, nec ad extorquendam, aut emendicandam a vicinis, vel affinibus eleemosynam publice exponantur.

Vigesimo. Districte prohibetur, ne ethnicis ullo pacto permittatur in Ecclesiis sacrificare, serio Vicariis Capitularibus iniungendo, ut in contravenientes, et maxime ob lucrum, graviter animadvertant, curentque in posterum, ne Ecclesiis praeficiantur Neophyti parum instructi.

Vigesimoprimo. Similiter Regularium Superiores sedulo curent, ut Parochi extra Conventus in praedictis Regionibus commorantes regularis observantiae specimen cunctis ubique praebeant, eosque idcirco ad claustra, et regularem disciplinam aliquando revocent, ne regulari Instituto paulatim exsolescente, dum aliis incumbunt, se ipsos amittant, ac demum in destructionem potius, quam aedificationem Populorum missi videantur.

§ 3. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 6, IV, p. 212, 213].

236.

Alexander VII, litt. ap. *Alias*, 27 febr. 1660.

§ 1. Alias pro parte Ven. Fratris Episcopi Civitatis Assumptionis nuncupatae Provinciae Paraquariensis in Indiis Occidentalibus Congregationi Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Trid. interpretum exposito, quod ipse Episcopus possessionem Ecclesiae Civitatis Assumptionis huiusmodi apprehendisset, et se a Ven. etiam Fratre Episcopo Tucumanensi consecrari curasset, non praesentatis Literis Apostolicis provisionis, et praefectionis suae in Episcopum eiusdem Ecclesiae, quae tamen revera concessae prius, et expeditae fuerant, deque ipsa concessione, et expeditione, praeviis quibusdam informationibus aliqualiter constabat; quodque consecratio huiusmodi ab unico praedicto Episcopo Tucumanen., assistentibus duobus de Capitulo Canonicis peracta fuisset, non exhibito Apostolico dispensationis indulto, quod tamen re ipsa pridem concessum fuerat, et sub aliquali huius concessionis notitia, aut saltem praesumptione (quia scilicet Sedes Apostolica solita sit circa numerum Episcoporum dispensare cum Episcopis consecrandis in Indiis) praenarrata consecratio facta fuerat, ac quaesito primo: An praedicta possessio non praesentatis Literis Apostolicis apprehensa fuerit legitima? Secundo: An praenarrata consecratio, ut supra peracta fuerit valida? Praefata Cardinalium Congreg. die quidem prima septembris 1657, respondit ad primum, non fuisse legitimam. Ad secundum vero eadem Congregatio die 15 decembris d. anni, re mature discussa, secundum ea, quae proponebantur, respondit supradictam Consecrationem Episcopi Paraquariensis quantum spectat ad Sacramentum, et impressionem characteris fuisse validam; quantum vero spectat ad licitam executionem Ord., fuisse irritam, et inanem, et Episcopum ita consecratum, ac respective consecrantem, indigere absolutione, et dispensatione.

§ 2. Quare pro parte eorumdem Civitatis Assumptionis et Tucumanen. Episcoporum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eorum statui opportune in praemissis providere de benign. Apost. dignaremur.

§ 3. Nos igitur specialem eisdem Episcopis gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, etc. harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium consilio, ipsos Civitatis Assumptionis, et Tucumanen. Episcopos, et eorum singulos a censuris, et poenis ecclesiasticis quibuslibet per eos occasione consecrationis, sicut praemittitur, peractae quoquo modo respective incursis, et quas ipsi incurrisse dici, censeri, praetendi, vel intelligi possent, auctoritate apostolica tenore praesentium absolvimus, et plenarie liberamus: ac cum eisdem Episcopis, et eorum singulis super irregularitate per eos praemissorum occasione quomodolibet contracta, ita, quod illa, et eisdem praemissis non obstantibus, dummodo nullum aliud Canonicum eis respective obstet impedimentum clericali charactere, quo alias rite

insigniti fuerunt, illiusque privilegiis uti, ac in susceptis per eos pariter nec quatuor minoribus, nec non Sacris Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus Ordinibus, etiam in Altaris ministerio ministrare, Episcopaliaque munia obire, exequi, et exercere libere, et licite possint, et valeant, auctoritate, et tenore praedictis dispensamus.

§ 4. Non obstantibus, etc.

§ 5. Volumus autem, ut d. Episcopi poenitentiam, quam eis respective Sacerdos idoneus propter praemissa imposuerit, omnino adimpleant, alioquin praesentes quoad absolutionem, eis in foro conscientiae nullatenus suffragentur.

[Bull. Rom., tom. 6, V, p. 53, 54].

237.

Alexander VII, const. *Cum circa*, 20 iul. 1660.

Cum circa iuramenti vinculum, quo Pontificiorum Collegiorum Alumni Sedis Apostolicae (a qua maximis sumptibus educantur) servitio recipiuntur adstricti, variae fuerint hucusque a nonnullis excogitatae interpretationes, quibus eiusdem Sedis in hoc eludatur intentio, et Dei gloriae, ac servitio, cui huiusmodi institutum dirigitur, non minimum detrahatur.

§ 1. Nos opportune hac in re providere cupientes, de nonnullorum Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum, super hoc a Nobis specialiter deputatorum, qui rem diligenter, et mature discusserunt, consilio, ac inhaerendo decretis alias circa praedicti iuramenti formulam emanatis, eaque, quatenus opus sit, innovando, auctoritate Apostolica, tenore praesentium declaramus, praedictos Alumnos non ad triennium tantum, ut gratis aliqui interpretantur, sed perpetuo, quoad vixerint, in quocumque statu permanserint, Sedis praedictae servitio fuisse hactenus, et futuros in posterum adstrictos, ut alias, et signanter die 7 augusti 1645 a felicis recordationis Innocentio Papa X Praedecessore nostro fuit declaratum,[1] huiusmodi autem servitio minime satisfacturos, etiamsi in salutem animarum operam suam quoquo modo impendant, nisi illud ad praescriptum Sedis Apostolicae expleverint.

§ 2. Praeterea si contigat aliquem ipsorum incorrigibilitatis, vel malae valetudinis, aut alia qualibet ex causa a Collegiis eiici, aut sponte sua quandocumque discedere, etiamsi nondum completis studiis, aut sacris Ordinibus fuerit initiatus, non idcirco censendum a iuramento ulla ex parte solutum, tam circa servitium praestandum in Missionibus, quam circa prohibitionem ingrediendi Religionem, imo ne hoc, vel alio quovis praetextu dictae Sedis mens forsan eludatur, prohibemus, ne etiam elapso triennio quovis tempore possit quilibet Alumnus ad Religionem admitti, nisi de expressa nostra, seu Romani Pontificis pro tempore existentis, vel Congregationis Ven. Fratrum

[1] Cf. Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 113.

nostrorum eiusd. S. R. E. Cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum in scriptis habenda licentia, sub poena nullitatis professionis ipso iure, si aliter fuerint ingressi, et quod ab eadem Cardinalium Congregatione, non obstante professione, ad primaevum statum revocari possint.

§ 3. Insuper declaramus, quod concessa Alumnis, ut supra, licentia ingrediendi Religionem, non idcirco censendi sunt a iuramento absoluti ex praesumpto tacito consensu, eo quod praedicta Congregatio illorum opera forsan non uteretur. Ad haec nullo pacto licere Alumnis contra formam iuramenti, vel Religionem ingredi, vel alteri statui perpetuo se addicere, eo sub praetextu, quod quilibet teneatur sibi ipsi ratione aliqua stabili consulere; eo quoad haec Sancta Sedes Alumnis, postquam fuerint dimissi, non provideat; cum memorata Congregatio neminem ex iis, qui ad Missionis titulum ordinati sunt, quive suo instituto pro viribus incumbunt, consueverit unquam destituere: quod si secus aliquando forsan contingat, hoc eorum culpae adscribendum est, qui postquam fuerunt dimissi, eiusdem Sanctae Sedis, a qua enutriti fuerunt, ac eius, quod professi sunt, instituti prorsus obliti de se, suoque statu eamdem monere negligunt omnino.

§ 4. Quia vero, ut praefertur, non desunt aliqui, qui non intelligentes gravitatem muneris Sacerdotum Secularium ad Missiones Apostolicas admissorum, quidve sanctae fidei propagationi, et universalis Ecclesiae bono, attenta praesertim temporum, ac rerum circumstantia, magis conducat, audeant adhuc asserere huiusmodi iuramentum in ea parte, qua cuiuslibet Religionis ingressum prohibet, invalidum omnino esse, tanquam impeditivum maioris boni, eoque praetextu excusationem suae contumaciae obtendentes, iuramentum quoad hanc partem negligere praesumant: Nos volentes deinceps huiusmodi abusui opportune occurrere, eosque qui contraire praesumpserint, ad statum, cui ex praedicto iuramento reperiuntur obstricti, revocare, praecipimus omnibus Alumnis, ut postquam e suis Collegiis, vel sponte egressi, vel dimissi fuerint, sive in statu, et habitu seculari permanserint, etiamsi in Sacris non fuerint, sive etiam postquam alicui Religioni fuerint adscripti, donec vixerint, quolibet anno, si intra fines Europae fuerint, vel si extra, quolibet biennio, de se, suoque statu, et loco ubi maneant, et quibus studiis, et exercitiis operam navent, per literas praedictam Congregationem certiorent; literas autem huiusmodi viciniori Sedis Apostolicae Nuncio transmittere, atque etiam eo usque iterare teneantur, donec per eiusdem epistolam certi fiant, quod ad ipsum pervenerint.

§ 5. Utque id omnino observetur, praecipimus, ut iuramento ab eisdem Alumnis praestando addatur infrascripta clausula: *Item voveo, et iuro, quod sive Religionem ingressus fuero, sive in statu seculari permansero, si intra fines Europae fuero, quolibet anno, si vero extra, quolibet biennio, mei ipsius, meique status, et exercitii, et loci ubi moram traxero, Sacram Congregationem de propaganda fide certiorabo.* Praecipimus itidem quod idipsum praestent eorum Superiores Regulares quoad eos, qui Religionem fuerint ingressi. Praefectis vero Missionum Sacerdotum secularium iniungimus sub poena suspensionis a Divinis ipso facto incurrendae, ut quolibet anno diligenter perquirant de statu singulorum, qui fuerunt Alumni, et ad eam Missionem,

vel ratione originis, vel nationis, aut alio quovis modo pertinent, sive Religionem fuerint ingressi, sive non, deque ipsis, eorumque statu, exercitiis, ac locis eamdem Congregationem omnino moneant. Praeterea praecipimus praesentes literas ad singula Collegia transmitti, eorum Superioribus iniungentes, ut adamussim illas observari curent, expositasque habeant in loco patenti, singulisque obvio, ne ullo tempore illarum ignorantia a quopiam praetendi possit; et ut quovis anno in publico Refectorio bis legantur, nimirum prima Dominica ianuarii, et prima iunii, necnon etiam immediate ante praestationem iuramenti clara voce Alumnis mox iuraturis legantur, ac ne quis ab earum exequutione excusari valeat, ipsius iuramenti formulae eam, quae sequitur, clausulam superaddi mandamus. *Denique voveo, et iuro, me praedictum iuramentum eiusque obligationem intelligere, et observaturum iuxta declarationes factas a Sacra Congregatione de propaganda fide, et Brevi Apostolico roboratas sub die 20 iulii 1660.*

§ 6. Quia vero in tanto Alumnorum numero, quos haec S. Sedes ad fidei ministerium maximis sumptibus enutrit, ac instruit, quotidiana experientia comperitur ex defectu huiusmodi Ministrorum opus Dei multoties praetermitti, et quod maxime dolendum est, plurimas Regiones, quae albae sunt ad messem, ea de causa misere deperire; districte praecipimus Superioribus Collegiorum sub poena suspensionis ipso facto incurrendae, ut qualibet vice nomina singulorum, qui ad Collegium admittuntur, necnon eorum, qui dimittuntur, vel sua sponte recedunt, statim ipsimet Congregationi praedictae, vel ipsius Secretario transmittant expressis singulorum aetate, patria, studiis, ordinibus, habilitate, ac locis, ad quae diriguntur, quove die iuramentum praestiteriut, ut in Actis eiusdem Congregationis redigi possit. Iniungentes Alumnis sub poena eiectionis a Collegio, ne iuramenti praestationem ultra aetatem in decreto recol. memor. Urbani VIII Praedecessoris nostri diei 24 novembris 1625 praescriptam [1] differant; Superioribus vero sub eadem poena suspensionis, ne ullam hac in re dilationem permittant, nisi ex gravi causa per ipsammet Congregationem supradictam Romae, extra vero per Nuncios Apost. in scriptis approbanda.

§ 7. Demum districte prohibemus, ut nullus omnino, cuiusvis dignitatis, et conditionis extiterit, audeat praedictum iuramentum, ac praesentes literas, seu declarationes, tam in totum, quam secundum singulas sui partes declarare, aut interpretari: sed si quid forsan dubitari contigerit, teneatur eamdem Sanctam Sedem consulere, ab eaque responsum in scriptis expectare, sub poena violationis iuramenti, si secus facere praesumpserit.

§ 8. Decernentes, etc.

Formula Iuramenti ad praescriptum superioris Brevis praestandi a quolibet Alumno Collegiorum Pontificiorum.

Ego *N.*, Filius *N.*, Dioecesis *N.*, plenam habens instituti huius Collegii notitiam Legibus, et Constitutionibus ipsius, quas iuxta Superiorum explicationem amplector, me sponte subiicio, easque pro posse observare promitto.

[1] Cf. Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 19.

Insuper spondeo, et iuro, quod dum in hoc Collegio permanebo, et postquam ab eo quocumque modo, sive completis, sive non completis studiis exiero, nullam Religionem, Societatem, aut Congregationem Regularem sine speciali Sedis Apostolicae licentia, vel Sacrae Congregationis de Propaganda Fide ingrediar, neque in earum aliquam professionem emittam.

Spondeo pariter, et iuro, quod volente Sacra Congregatione de Propaganda Fide statum Ecclesiasticum amplectar, et ad omnes Sacros, etiam Presbyteratus Ordines, cum Superioribus visum fuerit, promovebor.

Item voveo, et iuro, quod sive Religionem ingressus fuero, sive in statu seculari permansero, si intra fines Europae fuero, quolibet anno; si vero extra, quolibet biennio, mei ipsius, meique status, exercitii, et loci, ubi moram traxero, Sacram Congregationem de Propaganda Fide certiorabo.

Voveo praeterea, et iuro, quod iussu praedictae Congregationis de Propaganda Fide sine mora in Provinciam meam revertar, ut ibi perpetuo in Divinis administrandis laborem meum, ac operam pro salute animarum impendam, quod etiam praestabo, si cum praedictae Sedis licentia Religionem, Societatem, aut Congregationem Regularem ingressus fuero, et in earum aliqua professionem emisero.

Denique voveo, et iuro, me praedictum iuramentum, eiusque obligationem intelligere, et observaturum iuxta declarationes factas a Sacra Congregatione de Propaganda Fide, et Brevi Apostolico roboratas sub die 20 iulii 1660. Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

[Bull. Rom., tom. 6, V, p. 78-80].

238.

Alexander VII, const. *Quia Ecclesia*, 26 iul. 1662.

Quia Ecclesia *N. N.* inter schismaticos constituta non sine magna rei catholicae iactura a pluribus anni Pastoris solatio destituta reperitur, eo quod illius Episcopi, licet saepissime, ac serio moniti, canonicisque remediis pluries ac diversimode excitati in ea minime resederint adeoque illius status deplorabilis evaserit, ut nisi extremis et efficacioribus remediis huiusmodi malo succurratur, quod reliquum est ibi catholici nominis vestigium prorsus abolitum iri pertimesci posset, Sanctissimus Dominus Noster volens ex debito Pastoralis officii, ac sibi impositae universalis omnium Ecclesiarum sollicitudinis, sui muneris in tanta necessitate partes omnes explere, matura desuper habita deliberatione censuit, ubi ordinaria remedia nequaquam profecisse compertum est, etiam extraordinaria adhibere, malumque magis praecavere, quam expectare curandum; quamobrem praesenti decreto ultra poenas a sacris canonibus contra non residentes constitutas, poenam quoque suspensionis ab executione Ordinis Episcopalis, etiam in propria dioecesi ipso facto, et absque alia declaratione incurrendae vigore praesentium futuris pro tempore eiusdem Ecclesiae Episcopis imposuit, atque imponit, a qua nullius etiam rationabilis atque legitimae causae, vel impedimenti allegatio eosdem

praeservare, ac excusare valeat, nisi a Sede Apostolica, vel eiusdem in regno Nuncio residente fuerit in scriptis approbata. Decernit insuper, ac declarat Sanctitatis Suae mentem nequaquam esse, eosdem Episcopos, si Regulares fuerint, ab obligationibus professioni regulari quam emiserunt annexis, per adeptionem dignitatis, ac muneris episcopalis nullatenus absolvere, ac eximere, nisi quatenus eiusdem muneris, ac curae pastoralis exercitio impedimenti sint, ideoque quotiescumque ex ipsorum culpa (quod absit), sive ex alia qualibet causa, aut impedimento, quantumvis iusto ac legitimo in praedicta Ecclesia, aut saltem dioecesi residere, excepto tempore a Sac. Concilio Tridentino praefinito, aut noluerint,[1] aut nequiverint, minime absolutos esse ac censeri ab obligatione, quam per professionem regularem contraxerunt de vivendo intra claustra, et sub obedientia superiorum eiusdem Religionis, observandoque omnia, et singula, quae a Regularibus intra claustra degentibus sive ex voto sive ex praescripto Regulae, et Constitutionum suae Religionis quomodolibet, et qualitercumque observari debent ac solent, adeo ut quandocumque hac in parte defecerint, nec a Sancta Sede licentiam, seu dispensationem in scriptis obtinuerint, nec statim ad claustra suae Religionis sese contulerint, ad omnes illas poenas, quae contra Regulares extra claustra degentes a sacris canonibus, atque Apostolicis Constitutionibus prolatae sunt, adstricti censeantur; superioribus Ordinis, ad quos spectat iniungendo, ut ad claustra eos revocent ad praescriptum Apostolicarum Constitutionum contra Regulares extra Claustra degentes emanatarum... Pro eo vero tempore, quo, ut praefatum est, ultra tempus Concilii non resederint, nullatenus eisdem liceat proventus ullos, aut fructus Ecclesiae, tametsi alioquin beneficia legitime ipsis fuerint collata, percipere, aut illis uti, et frui, etiam sub spe dispensationis obtinendae, ad quos fructus et proventus Sanctitas Sua ex nunc eosdem pro eo tempore incapaces declarat, atque inhabilitat, nec non ad poenam restitutionis, aliasque contra usurpatores et iniustos detentores bonorum ecclesiasticorum latas teneri declarat. Quod si demum ex aliquo ingruente bellorum, aut alterius cuiuslibet gravis causae impedimento, et per Sedem Apostolicam, ut praefatum est, in scriptis approbando, alicui ipsorum minime residere permissum fuerit, saltem in loco aliquo proximiori, et per eamdem Sanctam Sedem in scriptis designando residere omnino teneantur sub eisdem prorsus poenis, quae superius de residentia in dioecesi dictae sunt. Praesens autem decretum idem Sanctissimus cuilibet ex praefatis Episcopis pro tempore, ante propositionem in Consistorio ad Ecclesiam notificari mandavit, ut ad omnium in eo contentorum observationem per iuramentum in manibus Reverendissimi Cardinalis praefatam Ecclesiam in Consistorio propondituri, et sub rogitu Notarii Sac. Congregationis de Propaganda Fide praestandum sese adstringant, eiusdemque decreti, ac iuramenti tenorem in decreto Consistoriali, et in Bullis inseri mandavit.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 146].

[1] Sess. VI, *de ref.*, c. 1; sess. XXIII, *de ref.*, c. 1.

239.

Alexander VII, const. *Apostolica solicitudo*, 7 aug. 1662.

Apostolica solicitudo humilitati nostrae divinitus imposita Nos admonet, ut circa illos, qui in alma Urbe nostra, ex qua in omnes Christiani Orbis partes bonorum operum exempla ubertim promanant, vicinisque Episcopatibus sacris addicuntur ministeriis, et in hierarchicum Ecclesiae coetum cooptantur, ea salubriter constituamus, quae matura consultatione adhibita, in Omnipotentis Dei gloriam, et animarum salutem cedere, et cessura esse arbitramur.

§ 1. Motu itaque proprio, et ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine tenore praesentium statuimus, et ordinamus, ut quicumque in eadem Urbe ratione originis, vel beneficii Ecclesiastici, aut domicilii, vel cum literis dimissoriis proprii Ordinarii, ad minores, vel sacros Ordines promoveri volent, per mensem ante generales ordinationes dilectum filium nostrum, et pro tempore existentis Romani Pontificis in dicta Urbe Vicarium in spiritualibus generalem adeant, et de ipsius mandato ab Examinatoribus ad hoc deputatis non paucioribus, quam tribus, ac simul congregatis, super scientia ad unumquemque ordinem requisita sedulo examinentur, et peracto examine, renuncientur quotcumque ab his idonei iudicati fuerint.

§ 2. Deinde ad minores quidem Ordines promovendi bonum a Parocho, et a Magistro scholae, in qua educantur, testimonium habeant, de quo publicum eidem Vicario exhibeant documentum. Pro iis vero, qui ad singulos maiores ordines erunt assumendi, idem Vicarius Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus, ac desiderio eorum, qui volent promoveri, publice in Basilica Lateranensi, et in propria cuiusque parochiali Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, genere, aetate, moribus, et vita, ordinibus ante susceptis, titulis, ad quos promoti sunt, vel promoveri cupiunt, caeterisque qualitatibus requisitis iuxta sacrorum Canonum, et Concilii Tridentini dispositionem a fide dignis diligenter inquirat, et literas testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes ad ipsum Vicarium quamprimum transmittat.

§ 3. Et nihilominus quoties aliquem ex sacris Ordinibus suscipere voluerint, ad Sacerdotes in id deputatos personaliter se conferant, a quibus decem saltem dierum spatio ante ordinationem in eorum domo inclusi, de omnibus ad digne suscipiendos, et rite exercendos ordines requisitis erudiantur, et de hoc testimoniales eorumdem Sacerdotum ad ipsum Vicarium deferant, nec sine huiusmodi literis quisquam ad ullum sacrum ordinem promoveatur, nec cum aliquo super examine, et inclusione huiusmodi dispensari possit, nisi consultis Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente.

§ 4. Denique in sex Episcopatibus prope Urbem, in quibus non sunt Suffraganei, quicumque ad minores, vel sacros Ordines volent promoveri,

cum literis dimissoriis sui Ordinarii ad memoratum Vicarium, et non ad alium Antistitem directis, ad Urbem accedant, ibique, et non alibi ordinentur, servata in omnibus forma superius praescripta. Ubi vero sunt Suffraganei, nemo ad aliquem ex maioribus ordinibus assumatur, nisi prius praeter ea, quae a Sacris Canonibus, et eiusdem Concilii decretis sancita sunt, ad minus per decem dies a dictis Sacerdotibus in Urbe deputatis in eorum aedibus inclusus, ut supra, fuerit eruditus, ac literas testimoniales eorumdem Sacerdotum ad ipsum Suffraganeum detulerit. Suffraganeus autem, qui contrafecerit, ab exercitio Pontificalium per annum, promoti vero tam ab eisdem Suffraganeis, quam etiam in Urbe non servata forma praesentis Constitutionis, ab exequutione ordinum sic susceptorum, donec Nobis, et Successoribus nostris Romanis Pontificibus visum fuerit, ipso iure sint suspensi.

[Bull. Rom., tom. 6, V, p. 245, 246].

240.

Alexander VII, const. *Felici*, 20 oct. 1664.

Felici Sacrarum Virginum statui, quae contemptis illecebris saeculi, Divinis se obsequiis manciparunt, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere volentes: Motu nostro proprio, non ad alicuius instantiam, sed ex nostra mera deliberatione, ac de apostolicae potestatis plenitudine, de voto tamen nonnullorum Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum filiorum Romanae Curiae Praelatorum, quibus negotium sedulo, ac mature examinandum commisimus.

§ 1. Praesentibus perpetuo valituris sancimus, ut imposterum intra fines Italiae, et Insularum adiacentium Generalibus, Provincialibus, Abbatibus, et quibuscumque aliis Superioribus Regularibus, quibus alioquin cura, et regimen Monasteriorum Sanctimonialium quovis modo incumbit, intra septa eorumdem Monasteriorum nullatenus ingredi liceat, nisi ex causa Visitationis localis, et hoc semel tantum in anno, ita ut in eo anno, in quo unus ex memoratis Superioribus visitaverit, alius Superior a Visitatione huiusmodi se omnino abstineat.

§ 2. Quod si ob Clausuram, quae a Sancta Tridentina Synodo, etiam in Monasteriis exemptis curae, et vigilantiae Episcopi in primis committitur, aut ob aliam urgentem, ac necessariam causam oportuerit Superiorem Regularem eodem anno pluries ingredi septa Monasterii, tunc non aliter ingrediatur, quam cum praesentia Episcopi Dioecesani, vel alterius personae Ecclesiasticae secularis boni exempli, ac maturae aetatis ab ipso Episcopo ad hoc specialiter deputatae.

§ 3. Visitet autem Superior Regularis interiorem clausuram per seipsum, non autem per alium, etiamsi fuerit legitime impeditus, quo casu differatur visitatio in aliud tempus, quo cessaverit impedimentum, et visitationem celeriter, et unica die, debita tamen cum diligentia absolvat, nec ante ortum Solis eam incipiat, nec post occasum protrahat, neque ipse Visitator, neque

eius Socii ullam sumant in Monasterio refectionem. Porro si visitet Generalis, possit secum habere duos Socios sui Ordinis, si alius a Generali, unum tantum, exclusis omnibus aliis, etiam ratione officii. Qui quidem Socii assumantur exemplares, et maturae aetatis, et in actu Visitationis a Visitatore nunquam separentur, sed eum aspicere, et ab ipso aspici semper possint.

§ 4. Ac praeterea Visitatori assistant quatuor Moniales ex Senioribus Monasterii, quae similiter visitatione durante nunquam separentur a Visitatore, et Sociis. Reliquae vero Moniales, et quaecumque aliae Mulieres, et puellae seculares in Monasterio degentes, nisi legitimo detineantur impedimento, conveniant omnes in Choro antequam Visitator ingrediatur interiorem Clausuram, et in eo permaneant durante Visitatione, et quousque idem Visitator cum Sociis e Monasterio exierit. Ideoque curet Visitator, ut tempestive admoneatur Abbatissa, seu Monasterii Praefecta de praestituta die, et hora Visitationis. Visitatio vero personalis fiat ad Crates, et omnino extra Clausuram Monasterii, et per ipsummet Superiorem dumtaxat, ut supra dictum est de Visitatione interioris Clausurae.

§ 5. Ad haec Confessor Sanctimonialium, tam ordinarius, quam extraordinarius, minime ingrediatur septa Monasterii, nisi ad Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae, et Extremae-Unctionis ministranda Monialibus, vel aliis personis infirmis ibi degentibus, necnon ad commendandam animam Agonizantium, nec unquam ingrediatur, nisi cum Socio, qui sit probatae vitae, et maturae aetatis, semperque maneat in ea parte Monasterii, qua Confessorem videre, et ab ipso videri semper possit.

§ 6. Insuper districte praecipimus memoratis Superioribus Regularibus, ut infra terminum duorum mensium a publicatione praesentis Constitutionis computandorum revocent ad Claustra Confessores, eorumque Socios, Concionatores, et alios quoscumque Regulares apud Monasteria Sanctimonialium, vel assidue, vel ad tempus quocumque titulo pernoctare solitos; neve permittant eosdem, seu alios Regulares, intra, seu prope septa Monasteriorum huiusmodi habitare, vel commorari, quin etiam infra eumdem terminum quascumque Cellas, Mansiones, seu Cubicula prope Monasteria praedicta ad usum memoratorum Regularium existentia, si Clausurae Monasteriorum earumd. Monialium contigua sint, eidem Clausurae includi, vel dirui omnino faciant: si vero sint extra septa, vendi, pretiumque in Monasterii utilitatem converti; nec in posterum alia similia aptari, aedificari, aut emi permittant. Quod si infra dictum terminum Superiores Regulares praemissa cum effectu non adimpleverint, teneatur Ordinarius loci tanquam Sedis Apostolicae Delegatus illa adimplere, et omnino exequi, etiam invocato, si opus fuerit, brachii secularis auxilio.

§ 7. Verumtamen si Monasterium Sanctimonialium sit extra Moenia Urbis, vel Oppidi, et Monasterium Regularium Virorum, quibus Moniales sunt subiectae, sit intra dicta Moenia, vel e converso, habeantur, vel conducantur, si commode fieri possit, mansiones ad usum Confessoris quae non sint coniunctae, seu contiguae ipsi Monasterio Monialium, sed ab eo penitus disiunctae, non solum per parietes, sed etiam per tecta: sin autem utrumque Monasterium sit intra Moenia, et unum ab altero Episcopi iudicio mul-

tum distans, tunc habeantur, vel conducantur huiusmodi mansiones, ut supra, distinctae, et separatae a Monasterio Monialium distantia ab ipso Episcopo recognoscenda, et approbanda; ita tamen ut in mansionibus Confessoris sive intra, sive extra Moenia constitutis, excepto ipso Confessore cum suo Socio alii Regulares, etiamsi Superiores sint, minime pernoctent.

§ 8. Si quis vero praedictorum Regularium aliquid contra praesentium tenorem facere, vel moliri praesumpserit, aut adimplere neglexerit, ipso facto poenam excommunicationis, et privationis omnium officiorum, quae obtinet, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, vel alia in posterum obtinenda, vocisque activae, et passivae absque alia declaratione incurrat. Et nihilominus nullis privilegiis, et exemptionibus tueri se possit, quominus ab Episcopo loci tamquam ad hoc Sedis Apostolicae Delegato, quoties, et quando opus fuerit, corrigi, et puniri valeat.

§ 9. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 6, VI, p. 34-36].

241.

Alexander VII, const. *Cum noviter*, 8 apr. 1666.

Cum noviter in quadam lite, et causa pendente in Tribunali Auditoris Camerae super executione Literarum Apostolicarum in forma Brevis expeditarum inter Provisum Apostolicum de quibusdam beneficiis Dioecesis Bononiensis actorem ex una, et Provisum a Cardinali Indultario reum conventum partibus ex altera, in controversiam positum fuerit, an Constitutio fel. rec. Benedicti Papae XII, quae incipit, *Ad regimen*, edita tertio Idus Ianuarii anni millesimi trecentesimi trigesimiquinti[1] per Summos Pontifices Praedecessores nostros innovari solita, et per Nos quoque innovata in Regula prima Cancellariae, induxerit reservationem Beneficiorum a Notariis Sedis Apostolicae, Protonotariis nuncupatis, et a Scriptoribus literarum Apostolicarum, et ab aliis Officialibus dictae Sedis ibidem expressis obtentorum, ratione solius familiaritatis Pontificiae eisdem Officialibus concessae a piae mem. Paulo Papa III in eius Constitutione, quae incipit, *Sanctissimus*, lecta, et publicata in Cancellaria Apostolica die vigesimasecunda Decembris, Pontificatus anno primo,[2] aut forsan etiam ab aliis Pontificibus antecessoribus, aut successoribus; vel potius ratione officii. Item an ad effectum reservationis requiratur óbitus eorumdem Officialium in Romana Curia, vel intra duas dietas: vel potius reservatio intret ubicumque eos mori contigerit. Et insuper, an Protonotariatus adeptus, ex Militia Militum Piorum, et Scriptoratus Literarum Apostolicarum separatim acquisitus constituant duas reservationes personales exclusivas Indultorum Cardinalium ad praescriptum Constitutionis editae a rec. mem. Urbano Papa VIII incipientis, *Quamvis*,

[1] C. 13, *de praebendis et dignitatibus*, III, 2, in Extravag. com.
[2] Cf. N. 80.

sub dat. die decimaquinta Iulii, Pontificatus anno decimonono:[1] vel potius constituant unam tantummodo localem ex ficto obitu Officialium in Curia.

§ 1. Ut materia haec adeo exemplaris maturius discuteretur, mandavimus in causa, et causis praedictis per dictum Auditorem Camerae procedi de voto Rotae nostrae; et sub die vigesimaquarta Ianuarii millesimi sexcentesimi sexagesimiprimi coram dilecto filio Magistro Priolo eiusdem Rotae Auditore, proposito dubio super executione Brevis praedicti, fuit negative resolutum; et subinde iterum, atque iterum reproposita causa sub diebus prima Iunii anni millesimi sexcentesimi sexagesimitertii, et vigesimaoctava Aprilis anni millesimi sexcentesimi sexagesimiquarti, eaque ex speciali nostro mandato discussa per omnes eiusdem Rotae Auditores resolutio capi non potuit propter discrepantia Auditorum suffragia.

§ 2. Interim vero emanatis aliis provisionibus Apostolicis de aliis diversis beneficiis ad retardandam earumdem provisionum executionem, allegata fuit decisio praedicta, quamvis per dictam iteratam repropositionem sine ullius resolutionis conclusione in suspenso remanserit.

§ 3. Unde causarum, et litium celeri expeditioni pro posse, sicut debemus, providere volentes, cognitionem, discussionem, et resolutionem dubiorum praedictorum demandavimus quinque Romanae Curiae Praelatorum Congregationi, a qua Collitigantibus praedictis plene informantibus, eorumque, ac Datariae nostrae iuribus iterum, atque iterum sub diebus vigesimoprimo, et vigesimo octavo Martii labentis anni 1666 accurate discussis, declaratum, ac resolutum fuit beneficia Protonotariorum, Scriptorum, et aliorum Officialium enumeratorum in dicta Constitutione *Ad regimen*, esse reservata ubicumque decedant, etiam extra Romanam Curiam, et extra duas dietas: itemque reservationem beneficiorum obtentorum per dd. Officiales intrare etiam ratione solius officii. Et insuper Protonotariatum ex dicta Militia pia, sive Militum piorum, et Scriptoratum separatim acquisitum constituere duas reservationes personales coaequales exclusivas Indulti.

§ 4. Ne autem materia haec plene discussa, et resoluta amplius in dubium revocetur in praedicta, vel aliis causis, inhaerentes vestigiis diversorum Praedecessorum nostrorum, qui ut litium anfractus praescinderent dubia iuris, tam pro causis pendentibus, quam etiam pro futuris proprio oraculo declararunt, sicut in materia reservationis beneficiorum inter caeteros fecerunt similis mem. Paulus Papa II in Constitutione, quae incipit, *Ad Romani*,[2] et d. Urbanus in Constitutione sua praefata: Motu nostro proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia, et de Apost. potestatis plenitudine singularum Constitutionum, et declarationum hactenus per dictos Praedecessores nostros respective factarum, et ordinatarum tenores, etiam veriores, ac datas praesentibus pro expressis habentes, omnes, et singulas resolutiones, et declarationes praedictas emanatas a d. Congregatione quinque Praelatorum confirmamus, approbamus, et eis inviolabile firmitatis Apostolicae robur adiicimus, sicque iterum,

[1] Cf. N. 224.
[2] C. 14, *de praebendis et dignitatibus*, III, 2, in Extravag. com.

et pariformiter nos quoque auctorit. Apost. declaramus, talemque esse mentem, et intentionem nostras denunciamus, et ita pro lege declaratoria ubique inviolabiliter observari volumus, et mandamus tam in praedicta, quam etiam in omnibus aliis litibus et causis pendentibus, atque in aliis omnibus de caetero movendis; et praemissa ut supra declarata in controversiam deinceps revocari non posse, neque licere, praecipimus, et iubemus. Sicque, et non aliter per quoscumque Iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, et Apostolicae Sedis Nuncios, et quoscumque alios etiam speciali expressione indigentes iudicari, et definiri, et interpretari debere, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, seu interpretandi facultate, et auctoritate, ac irritum, et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat, etc.

[Bull. Rom., tom. 6, VI, p. 111-113].

242.

Clemens IX, motu propr. *Cum a prima*, 28 febr. 1668.

Cum a prima nostrae Divina favente Clementia Assumptionis ad Summi Pontificatus Apicem die, impense cogitaverimus Sacrum Cardinalium S. R. E. Collegium, quod uti Senatus Universalis Ecclesiae in excolenda vinea Domini nobiscum assiduo collaborat, et singulos Cardinales tamquam membra eiusdem corporis, quorum consilio, industria, ac opere, tam in spiritualibus universi Orbis Christiani, quam in temporalibus nostrae Ditionis, aliisque negotiis, et rebus quibuscumque Romani Pontifices, uti, et cuncta sedulo administrare consueverunt, amplioribus privilegiis, et gratiis complecti, et communire, praeque aliis facultates, et privilegia testandi, et disponendi de bonis, ac iuribus ab ipsis dum vivunt, quomodolibet acquisitis ex bonis, redditibus, emolumentis, et Iuribus Ecclesiasticis, eisdemque in illis succedendi, tam suae dignitatis intuitu, quam in laborum congruam remunerationem per Sedem Apostolicam hactenus solita concedi, gratiose ampliare, et ad fructus etiam inconsumptos, vel cum aliis ipsorum bonis non commixtos, de quibus antehac nullo modo disponere poterant, extendere.

§ 1. Motu proprio, et ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, et ex mera nostra, et Sedis Apostolicae liberalitate, qua praedictos S. R. E. Cardinales prosequi volumus, privilegia, et facultates testandi praedictorum Cardinalium ad illos etiam fructus extendimus, et ampliamus, qui si naturales sint, et a solo in quo sunt producti legitime iuxta rei naturam fuerint sublati, et a manibus Colonorum, vel aliorum quorumcumque debitorum percepti, licet in horreis Ecclesiarum, vel in quovis alio loco adhuc inconsumpti, vel nullo modo aliis ipsorum Cardinalium bonis immixti, aut eorum patrimonio incorporati reperiantur: si vero civiles sint, postquam dies solutionis advenerit, fuerint per quoscumque debitores quomo-

dolibet persoluti, et ad manus Cardinalium, vel ad eorum Ministros pervenerint, seu in aliquo loco publico ad eorum creditum fuerint depositati, quod etiam servari volumus in terminis quomodolibet debitis pro affictibus bonorum, ac iurium quorumcumque, quos in dictis facultatibus comprehendi volumus et mandamus, si modo quo supra, fructus, tam civiles, quam naturales Conductoribus, et Affictuariis locati, et concessi per illos erunt percepti, quamvis termini solutionis affictuum per locatores fuerint posticipate conventi.

§ 2. Quare distinguendo inter eiusmodi facultates, et privilegia iam concessa Cardinalibus adhuc viventibus, et quandocumque aliis in futurum concedenda, ilia favorabiliter ampliamus, et extendimus, ut intelligantur, ac servari praecise debeant aeque ac si formaliter emanassent cum omnibus, et singulis extensionibus, et ampliationibus praedictis, eisdemque illa essent de verbo ad verbum inserta. Alia vero quaecumque in futurum concedenda ad eorum limites concipi omnino debeant, et pro ita conceptis intelligi, et observari, etiamsi diversimode, et contra eorum tenorem extenderentur.

§ 3. Nos etiam ita servandum lege hac perpetuo valitura statuimus, et mandamus. Sicque, etc.

[Bull. Rom., tom. 6, VI, p. 237, 238].

243.

Clemens IX, const. *Solicitudo*, 17 iun. 1669.

Solicitudo pastoralis officii, quo Ecclesiae Catholicae per universum Orbem diffusae regimini per ineffabilem Divinae Sapientiae, atque Clementiae abundantiam praesidemus, Nos stimulat, ut ea, quae Christianae Religionis, Catholicaeque Fidei propagationi remoram, vel impedimentum iniicere, ac in Virorum in sortem Domini vocatorum, et praesertim Religiosorum, qui semetipsos abnegarunt, et mundana omnia contempserunt, ut Christum lucrifacerent, eiusque obsequiis mundo corde, et mente tranquilla unice intenderent, honestatis gloria maculam ponere possent, salubri sanctione e medio tollere, atque radicitus evellere studeamus.

§ 1. Dudum siquidem fel. rec. Urbanus Papa VIII Praedecessor noster considerans per Sacros Canones, Conciliorum Decreta, et Constitutiones Apostolicas omnibus Religiosis, ac etiam aliis Ecclesiasticis, praesertim in Sacris Ordinibus constitutis, mercaturam, et negotiationes seculares districte prohiberi, ac valde damnosum, indecorum, et indecens existere huiusmodi personas divino cultui mancipatas, ac praecipue illas, quae ad praedicandum Sacrosanctum Christi Domini Evangelium destinatae sunt, mercaturae, et negotiationibus huiusmodi se immiscere, aut operam dare, per quandam suam in simili forma Brevis, die 22 Februarii 1633 emanatam Constitutionem,[1] inter alia Religiosis omnibus cuiuscumque Ordinis, et Instituti, tam

[1] Cf. N. 211.

non Mendicantium, quam Mendicantium, etiam Societatis Iesu, eorumque singulis, tam tunc in Insulis, Provinciis, Regionibus, et Regnis Indiae Orientalis, ac Chinae, et Iaponum existentibus, quam in futurum ad illa mittendis omnem, et quamcumque mercaturam, seu negotiationem quocumque modo ab eis fieri contingeret, sive per se, sive per alios, sive proprio, sive Communitatis nomine, directe, sive indirecte, aut quovis alio praetextu, causa, vel colore, interdixit, et prohibuit sub excommunicationis latae sententiae poena ipso facto incurrenda, ac privationis vocis activae, et passivae, officiorum, ac graduum, et dignitatum quarumcumque, et inhabilitatis ad ea, ac insuper amissionis mercium, et lucrorum ex eis factorum: quae omnia a Superioribus Religionum, ex quibus delinquentes existerent, reservanda essent ad usum Missionum, quas eaedem Religiones habebant, et in futurum habiturae erant in Indiis praedictis, et non in alios usus: ac eisdem Superioribus districte praecepit sub eisdem poenis, ut in hoc invigilarent, et contra delinquentes ad praedictas poenas procederent, sublata eisdem facultate huiusmodi delinquentibus aliquid ex dictis mercibus, et lucris quantumvis minimum, remittendi, aut condonandi, et alias prout in dicta Urbani Praedecessoris Constitutione, cuius tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

§ 2. Cum autem (sicut non sine gravissimo animi nostri dolore accepimus) multi ex iisdem Religiosis, et personis Ecclesiasticis, propriae professionis, iniunctique sibi gravissimi ministerii immemores, ab eiusmodi mercatura, et negotiationibus secularibus non abstineant, sed sese a debita praedictae Constitutionis Urbani Praedecessoris observatione sub variis praetextibus, coloribus, et subterfugiis eximere conati fuerint, et satagant de praesenti, in deplorandam animarum suarum perditionem, perniciosum quoque exemplum, et scandalum plurimorum: Nos salutaribus Doctoris Gentium praeceptis edocti, quod nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat, cui se probavit, tam grande, tamque exitiosum ab Ecclesia Dei malum Apostolici zeli vigore propellere, scandalorumque inde nascentium occasiones recidere, ac saluti animarum, et Christianae Religionis, Catholicaeque fidei propagationi, quantum Nobis ex alto conceditur, salubriter consulere, omnemque lucrorum mundanorum spem personis coelesti militiae adscriptis, praesertim ad infidelium conversionem, et Evangelii praedicationem destinatis, quas sicut bonos Christi milites laborare, et ministerium suum honorificare oportet, ut eo studiosius, ac impensius adspirante superni favoris auxilio horrea Domini novis semper frugibus locupletare satagant, omnino adimere decrevimus.

§ 3. Itaque Sacris Canonibus, ac Decretis, et Constitutionibus praedictis inhaerentes, illaque, et praesertim memoratam Urbani Praedecessoris Constitutionem in iis, quae praesentibus literis non adversantur, approbantes, et innovantes, et circa praemissa de novo disponentes, et statuentes, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris deque apostolicae potestatis plenitudine omnibus, et singulis personis ecclesiasticis, tam secularibus, quam regularibus cuiuscumque status, gradus, conditionis, et qualitatis, ac cuiusvis Ordinis, Congregationis, et Instituti, tam Mendicantium, quam non Mendican-

tium, etiam Societatis Iesu, et earum cuilibet, quae ad Insulas, Provincias, Regna Indiarum Orientalium, et praesertim in Provinciam Societatis Iesu de Iapone nuncupatam, ac in partes Americae, tam Australes, quam Septentrionales a Sede Apostolica, vel Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagadae Fidei praepositorum, aut ab earum Superioribus sub nomine Missionariorum, aut quovis alio titulo pro tempore missae fuerint, aut in illis partibus quomodolibet morabuntur, sub excommunicationis latae sententiae, ac privationis vocis activae, et passivae, et officiorum, dignitatum, et graduum quorumcumque per eas obtentorum, et inhabilitatis ad illa, et alia quaecumque in posterum obtinenda, necnon amissionis mercium, et lucrorum omnium ipso facto incurrendis, ac aliis Nostro, et Romani Pontificis pro tempore existentis, vel praedictae Cardinalium Congregationis arbitrio imponendis poenis, tenore praesentium districte prohibemus pariter, et interdicimus, ne mercaturis, et negotiationibus secularibus huiusmodi quovis praetextu, titulo, colore, ingenio, causa, occasione, et forma, etiam semel, per se, aut mediantibus ministris, seu aliis personis subsidiariis, directe, vel indirecte, tam nomine proprio, quam suarum respective Religionum, seu Congregationum, ac Societatum, etiam Iesu, vel aliorum quorumlibet, et alias quovis modo, et qualitercumque se ingerant, vel immisceant. Ac ex nunc prout ex tunc, et e contra postquam casus evenerit, merces, et lucra quaecumque, quae ex huiusmodi mercaturis, et negotiationibus provenerint, et provenient, in usus, et commodum Pauperum, Hospitalium, Seminariorum Ecclesiasticorum, ac Operariorum (non tamen Religionum, Congregationum, et Societatum, etiam Iesu, seu Instituti eorum, qui in praemissis, vel circa ea deliquerint) sed aliorum non delinquentium, harum serie applicamus, qui teneantur consignare merces, et lucra huiusmodi locorum Ordinariis, seu eorum Vicariis in spiritualibus generalibus, aut Officialibus, vel Apostolicis Vicariis, seu Provicariis: ii vero tanquam dictae Sedis Delegati, illa, ut praefertur, et non in alios usus distribuere, et erogare debeant; super quibus eorum conscientiam districte oneramus. Et quia in praemissis, et circa ea delinquentes, utplurimum praetextu necessitatis pro eorum Missionibus se excusare praesumunt, excusationes huiusmodi eis, eorumve cuilibet nullo modo suffragari posse, vel debere decernimus, et declaramus.

§ 4. Insuper eisdemmet censuris, et poenis innodamus, et innodatos fore declaramus Superiores immediatos, ac Provinciales, et Generales praedictorum Ordinum, Congregationum, et Societatum, etiam Iesu, qui eorum respective subditos in praemissis, vel circa ea, etiam pro unica vice quomodolibet delinquentes, saltem per amotionem illorum a locis commissi per eos delicti non puniverint; a sententia vero excommunicationis huiusmodi per Superiores, vel alium, seu alios quoscumque, etiam quavis facultate suffultos, nemo ex praedictis delinquentibus absolvi possit, praeterquam in mortis articulo constitutus, nisi lucris huiusmodi prius restitutis.

§ 5. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 6, VI, p. 344-346].

244.

Clemens IX, const. *In excelsa*, 13 sept. 1669.

In excelsa Sedis Apostolicae specula, meritis licet imparibus per ineffabilem Divinae Sapientiae, atque Bonitatis abundantiam constituti, vigilantiae nostrae oculos per universas Christiani Orbis partes iugiter circumferimus, et solicitis studiis providere satagimus, ut Divinus cultus ubique floreat, populorum devotio excitetur, et foveatur, ac omnium Christifidelium, praesertim in remotissimis partibus degentium quieti, et animarum saluti opportune consulatur. Hoc consilio ea, quae pro salubri illorum directione a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, eorumque iussu pie, prudenterque decreta, atque constituta fuisse comperimus, ut firmius subsistant, et serventur exactius, Apostolici muniminis nostri patrocinio corroboramus, ac opportune extendimus, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiae honorem, spiritualemque eorumdem Christifidelium aedificationem, et consolationem salubriter expedire in Domino arbitramur.

§ 1. Dudum siquidem emanarunt a felic. record. Alexandro Papa VII Praedecessore nostro literae in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet: Alexander Papa VII. Ad futuram rei memoriam. *Sacrosancti, etc.* [*Vide supra, in* N. 235].

§ 2. Et subinde Congr. tunc existentium S. R. E. Cardd. negotiis Propag. Fidei praeposita alia nonnulla decreta die 22 Iulii 1658 edidit tenoris sequentis, videlicet: « Ad melius, et facilius occurrendum necessitatibus spiritualibus Christifidelium in Indiis Orientalibus degentium S. Congr. de Propaganda Fide decrevit. I. Ut Parochi non naturales illarum partium, sive regulares, sive seculares sint, teneantur omnino habere apud se Cappellanum natalibus, et origine Indum pro Confessionibus audiendis, et diebus festis hortationibus ad populum lingua vernacula habendis, ne tali auxilio destituti in ea, qua initiati sunt, Orthodoxa fide langueant, ac paulatim deficiant, iisque pro sustentatione, et labore, ubi populus ipse id sponte non praestiterit, congruum suppeditent stipendium. II. Praecepit iisdem Parochis, ceterisque quarumcumque Ecclesiarum Superioribus, ut nedum Sacerdotes indigenas in eorum Ecclesiis celebrare volentes non arceant, verum etiam perurbaniter excipiant, quo frequentius illuc redeant ad Omnipotenti Deo immolandum, sentiantque Christianam charitatem omnes aequis officiis amplexari. III. Ut vero fides adhuc in iis regionibus pubescens literarum alimento coalescat, et pueri reddantur idonei ad res ecclesiasticas percipiendas, iisdem Parochis, et maxime Pagorum, et Villarum iniungit, ut eos, vel per se, vel per Cappellanos naturales, si tales ipsi non sunt, ultra fidei Christianae rudimenta Grammatices etiam Institutionem, ceterasque artes liberales quoad fieri poterit, edoceant. IV. Decrevit, quoniam, ut auditum est, in Processionibus solemnibus etiam SS. Corporis Christi ex Gentilium moribus ritus aliqui, sive actus irrepserunt, qui licet honoris, et maioris cultus gratia exhibeantur, Maiesta-

tem nihilominus Christianae religionis non minimum dedecent, S. Congr. vetuit, ne in posterum permittantur, et arceatur omnino quidquid ludicri, aut minus gravis speciem aliquam habuerit; nullo modo autem liceat ecclesiasticis, et praecipue Regularibus, praetextu dignitatis, gradus, aut officii umbellam in iis gestare: sed quo maiori praefulgent dignitate, eo demissius Divinae Maiestati obsequium praestare, aliosque Christianos humilitatis exemplo praeire nitantur. Datum Romae, die 22 Iulii 1658 ».

§ 3. Nunc autem Nos spiritualibus Christifidelium non solum Goae, et in Insulis adiacentibus, sed etiam in universis Indiarum Orientalium Regnis, Provinciis, et Regionibus degentium necessitatibus, prosperisque in via Domini progressibus pastorali solicitudine, atque charitate salubriter consulere cupientes, de Ven. Fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardd. negotiis Propagandae Fidei Praepositorum consilio, literas Alex. Praedec., et subinde emanata Decreta praeinserta, omniaque, et singula in eis respective contenta, et expressa, auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo approbamus, confirmamus, et innovamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac illa omnia, et singula ad omnia Indiarum Orientalium Regna, Provincias, et Regiones extendimus, et ampliamus, ibique locum habere decernimus, ac per quascumque personas etiam Regulares, cuiusvis Ordinis, Congregationis, et Instituti, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, etiam Societatis Iesu, Goae, et in Insulis adiacentibus, ac in universis Indiarum Orientalium Regnis, Provinciis, et Regionibus huiusmodi nunc, et pro tempore degentes, cuiuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, et praeeminentiae existant, ad unguem inviolabiliter, et exacte observari, eadem auctoritate harum serie itidem perpetuo praecipimus, volumus, et mandamus.

[Bull. Rom., tom. 6, VI, p. 357, 358].

245.

Clemens IX, const. *Speculatores*, 13 sept. 1669.

Speculatores Domus Israel, quae est Sancta Dei Ecclesia, in Terris a Domino constituti, ad illa praecipue charitatis, atque vigilantiae nostrae pastoralis studia convertimus, quae Christianae Religionis, Catholicaeque fidei propagationem concernunt; ut illis certam atque prudentem ex solita huius S. Sedis prudentia, et rectitudine normam tradamus, et sublatis dubiis, atque controversiis, quae inter operarios in Vineam Domini missos, in eaque sedulo laborantes enasci, illorumque labores, et laborum fructus turbare, vel impedire possent, omnia pie, sancteque (quantum Dominus donare dignatur) disponere satagamus, quo optati surgant benedicente Domino fructus, ac ad maturitatem perducantur, Sanctaque Mater Ecclesia uberioribus, atque laetioribus in dies gaudeat incrementis.

§ 1. Cum itaque, sicut Venerabilis Frater Franciscus Episcopus Eliopolitanus, Vicarius Apostolicus in Regno Tunchini cum administratione Provin-

ciarum Sinae huic regno adiacentium, videlicet Ianuam, Queicken, Hauquang Sucgnen, Quengsii, et Laos, a fel. rec. Alexandro Papa VII Praedecessore nostro constitutus, ac deputatus, tam suo, quam Venerabilis pariter Fratris Petri Episcopi Beryten., Vicarii Apostolici Cochinchinae, cum administratione infrascriptarum Provinciarum Sinae videlicet Cechiang, Forchien, Quantimg, Chiemsii, Insulae Haynaum, et aliarum Insularum, atque etiam Episcopi Metellopolitan. consecrati, aut mox consecrandi, Vicarii Apostolici Nanchini Sinar. cum administratione Provinciarum Pechuin, Kiansii, Kantinzg, Honan, Kensii, Coreae, et Tartariae ab eodem Alexandro Praedecessore pariter constitutorum, cum extensione administrationis dicti Episcopi Metellopolitan. ad Civitatem Juthiae, totumque Siami Regnum a Nobis nuper facta, nominibus Nobis exponi fecit, in dictis Regnis, et Provinciis reperiantur diversorum Ordinum Religiosi tam a suis respective Superioribus Generalibus, quam a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum destinati, qui Missionibus ibidem sub directione suorum respective Praepositorum, aut Praefectorum operam navant; eorumque nonnulli, ut necessarios operarios multiplicarent, aliquos ex ferventioribus Neophytis Catechistas effecerint, illosque sibi, suaeque directioni quibusdam votis adstrinxerint; praedicti vero Episcopi Vicarii Apostolici humiliter a Nobis postulaverint, ut auctoritate Nobis a Domino tradita decernere, atque declarare dignaremur: Primo an aliqua sit inter Vicarios Apostolicos, et Regulares praedictos subordinatio, et in quibus hi ab illis dependere debeant? Secundo an Cathechistae per vota Regularibus facta eximantur a iurisdictione eorumdem Vicariorum Apostolicorum. Nos attendentes eo potissimum fine in Sinam, Tunchinum, Cochinchinam, Siamum et alia vicina Regna missos, ibique constitutos esse Episcopos Vicarios Apostolicos, ut ex Christianis indigenis, seu incolis illarum partium instituerentur Clerici, et Sacerdotes, ac crescente fide, fideliumque numero disciplinae ecclesiasticae usus paulatim introduceretur; considerantesque ex independentia plurimorum operariorum in iisdem locis, praecipue cum ab hac Sancta Sede valde sint remota, oriri facile posse dissensiones, rixas, divisiones, et schismata, in Christianae Religionis detrimentum, atque perniciem eruptura, nisi illis mature occurratur: de memoratorum Cardinalium consilio, auctoritate apostolica tenore praesentium decernimus, statuimus, et ordinamus, quod praedicti Episcopi Vicarii Apostolici, ab omnibus et singulis Religiosis cuiuslibet Ordinis, Congregationis, et Instituti, etiam Societatis Iesu in praedicta Regna, et Provincias, sive a suis Superioribus missi sint, sive a Nobis, aut Congregatione eorumdem Cardinalium specialiter deputati exigere possint, et debeant, ut suas Patentes, seu alias quascumque eorum missionis, destinationis, constitutionis, et deputationis literas exhibeant, iisque, qui illas exhibere recusaverint, tanquam Sedis Apostolicae Delegati, prohibere, ne facultates sibi per literas huiusmodi concessas exerceant; ipsique Regulares licentiam exercendi suas facultates petere teneantur ab iisdem Episcopis Vicariis Apostolicis, quam isti denegare non debeant, nisi in casu gravis causae dictae Congregationi Cardinalium communicandae. Porro dicti Regulares in defectu Sacerdotum secularium non solum titulo charitatis, sed etiam iustitiae, curam

animarum teneantur exercere, et quatenus id facere recusent, a Vicariis Apostolicis ad tale munus obeundum cogi possint. Quotiescumque vero Regulares sub titulo Missionariorum curam animarum exercebunt, subditi sint quoad functiones parochiales visitationi, et correctioni Vicariorum Apostolicorum, aut Provicariorum eorumdem iuxta Constitutionem rec. mem. Gregorii PP. XV Praedecessoris pariter nostri, quae incipit: *Inscrutabili Dei providentia, etc.* Anno Incarnationis Dominicae 1622 Nonis Februarii editam,[1] nec sine licentia eorumdem Vicariorum Apostolicorum, et multo minus contra eorum voluntatem liceat Regularibus aedificare, et aperire Ecclesias, in locis, ubi ipsi, vel alii Missionarii alterius Ordinis, seu Presbyteri seculares similiter Missionarii Ecclesias habent, ubi vero apertae non sint, possint ad formam privilegiorum, et facultatum ipsis concessarum.

§ 2. Cum autem prae multitudine Neophytorum in una Provincia, aut Civitate, vel provinciarum amplitudine unus, aut alter, qui eis praesunt Missionarii non sufficiunt, aliique suppetunt Sacerdotes seculares, aut Religiosi, licet alterius Ordinis, quorum tamen subsidium, nec illi quaerunt, nec oblatum recipiunt; tunc habito dumtaxat respectu ad Christianorum necessitatem possint, et debeant Vicarii Apostolici praedicti operarios multiplicare, Parochias dividere, aliaque eiusmodi facere iuxta praescripta a Sacris Canonibus, et Concilii Tridentini Decretis. Possint quoque iidem Vicarii Apostolici exigere a Regularibus rationem executionis piarum voluntatum quatenus ad illas exequendas illi deputentur. Praeterea iuxta Constitutionem rec. mem. Urbani PP. VIII Praedecessoris pariter nostri, quae incipit: *Ex debito pastoralis officii, etc.*,[2] si forte aliquae controversiae inter Religiosos dictarum partium (quod Deus avertat) oriantur, memorati Vicarii Apostolici tanquam Sedis Apostolicae delegati, illas decidere, et terminare possint, et debeant. Si vero graviora quaedam negotia occurrerint, ea ad Nos, et Romanos Pontifices Successores nostros, quanto citius ab iisdem Vicariis Apostolicis referantur, ut quod in illis statuendum fuerit, matura consultatione adhibita decernatur. Ad haec quoad vota Catechistarum statuimus pariter, et ordinamus, votum obedientiae quo nonnulli Regulares eos obstringunt eisdem non impedire sui officii exercitium, sub directione dictorum Vicariorum Apostolicorum, eorumque Provicariorum, nec istud impediri posse a Regularibus tanquam eis vigore dicti voti Catechistae omnimode subditi sint; quinimo votum huiusmodi in hac circumstantia nullum esse declaramus. Volentes ab iisdem Vicariis Apostolicis posse dictos Catechistas compelli, ut sub eorum directione, et dependentia sua munia exerceant. Et quatenus Regulares de facto adstringerent Catechistas ad similia vota, et alias obligationes, quibus a Vicariis Apostolicis independentes remanerent, posse eosdem Vicarios Apostolicos publica significatione manifestare Regularibus, atque his intimare ut abstineant ab usu, seu verius abusu Catechistas voto obedientiae erga seipsos privative quoad Vicarios a Sede Apostolica deputatos obstringendi. Insuper volumus, ut ad Vicarios Apostolicos intra fines

[1] Cf. N. 199.
[2] Cf. N. 211.

suorum Vicariatuum praecipue spectet, maxime in concursu Visitationis, inspicere, quae spectant ad fidem, bonos mores, et administrationem Sacramentorum Baptismi, Matrimonii, et aliorum ad cultum Divinum, ad preces publicas, ad Imaginum, Reliquiarumque cultum, competat quoque dictis Vicariis Apostolicis facultas super novis Miraculis, et Martyribus processus instituendi, et ad memoratam Cardinalium Congregationem transmittendi, necnon circa observationem Festorum, Rituumque Ecclesiasticorum statuendi quaecumque opportuniora videbuntur, secundum Decreta Romanorum Pontificum, locorumque circumstantias. Ac ad eosdem Vicarios Apostolicos etiam spectet verificare, et publicare quascumque Literas Apostolicas, Constitutiones, et rescripta Romanorum Pontificum, quae locorum Ordinariis dirigi solent, Jubilaea quoque, Indulgentias, Sacrarumque Congregationum Ordinationes. Porro unicuique memoratorum Episcoporum Vicariorum Apostolicorum sex Notarios Apostolicos creandi, et instituendi facultatem dicta auctoritate harum serie tribuimus, et impertimur. Caeterum has omnes facultates dictis Vicariis Apostolicis ita elargimur, et concedimus, ut extra eorum limites excurrere ipsis nullo modo liceat, quod quidem omnino vetamus, et prohibemus: salva semper in praemissis auctoritate praefatae Congr. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum.

§ 3. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, aliisque nostro, seu dictae Cardinalium Congregationis arbitrio imponendis poenis omnibus, et singulis Regularibus praedictis, aliisve quibuslibet ad quos spectat, et pro tempore quovis modo spectabit, ut omnia et singula praemissa exacte, inviolabiliter, et inconcusse observent, et adimpleant.

[Bull. Rom., tom. 6, VI, p. 355-357].

246.

Clemens X, const. *Superna*, 21 iun. 1670.

Superna magni Patrisfamilias praeordinatione creditum Nobis universalis Ecclesiae mysticum agrum circumspecta providentia custodire, atque excolere (quantum ex alto conceditur) satagentes, animum in eas curas libenter intendimus, quibus valeant dissidia inter villicos, et operarios componi, iurgia tolli, scandalis, atque offensionibus aditus praecludi; ut quibus una fides, una Mater Ecclesia, et unus Dominus, qui charitas est, et pacis cogitans cogitationes, fiat etiam cor unum, atque anima una; sic etenim evulsis opportune zizaniis, dum plantamus, et rigamus, incrementum dabit Deus; Quo benedicente messis multa fructu centesimo coeleste in horreum congregabitur.

§ 1. Sane cum Sacri Concilii Tridentini decretis provide statutum fuerit, ut Regulares cuiuscumque Ordinis, nisi a suis Superioribus de vita, moribus

¹ Sess. XXIII, *de ref.*, c. 15; sess. XXIV, *de ref.*, c. 4.

et scientia examinati, et approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum praedicare non possint; cum qua licentia personaliter se coram Episcopis praesentare, et ab eis benedictionem petere teneantur, antequam praedicare incipiant; in Ecclesiis vero, quae suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam gratis ab eo dandam habere teneantur; sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo praedicare possint. Atque ut nullus saecularis, sive regularis etiam in Ecclesiis suorum Ordinum contradicente Episcopo praedicare praesumat. Itidemque cum nullus Sacerdos regularis possit confessiones saecularium etiam Sacerdotum audire; nec ad id idoneus reputari, nisi aut Parochiale beneficium obtineat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur; et approbationem, quae gratis detur, obtineat, privilegiis, et consuetudine quacumque non obstantibus. Innotuit nobis dubitationes nonnullas circa benedictionem, licentiam, contradictionem, examen, et approbationem eiusmodi in aliquibus Dioecesibus excitatas fuisse; ex quibus controversiae, et dissensiones permultae in diem subsequi possent occasione privilegiorum, quae per Sedem Apostolicam religiosis Ordinibus concessa fuerunt.

§ 2. Nos attendentes, quod alias diversis temporibus praedictae dubitationes, et controversiae nonnullis Praedecessorum nostrorum Summorum Pontificum Constitutionibus, earumque declarationibus definitae fuerint; eiusmodi definitiones in unum collectas, ut magis, magisque dissensionum tollantur semina, et in posterum firmior in agro Dominico pax Christi floreat, pro summo, quo fungimur, Apostolatus officio novis Apostolicis literis muniendas duximus, et roborandas. Itaque de consilio nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, et dilectorum filiorum Romanae Curiae Praelatorum pietate, doctrina, et prudentia praestantium, et matura deliberatione nostra, atque ex certa scientia, hac generali, et perpetuo valitura Constitutione decernimus, et declaramus.

§ 3. Regulares, qui in Ecclesiis sui Ordinis praedicare voluerint, teneri ab Episcopo Dioecesano benedictionem petere; praedicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint. Quod si Episcopus benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in praedictis quidem Ecclesiis licere Regularibus praedicare; eosque contravenientes ab illo tanquam Sedis Apostolicae delegato censuris aliisque poenis ecclesiasticis in vim Constitutionis fel. rec. Gregorii XV Praedecessoris nostri, incipientis: *Inscrutabili Dei providentia,*[1] coerceri, et puniri posse. Episcopum tamen absque iusta, et rationabili causa contradicere non debere; et huiusmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, si in quibuscumque Oratoriis sui Ordinis sermonem coram populo, vel in Ecclesiis, aut ad Crates Monasteriorum Sanctimonialium eorum iurisdictioni subiectarum, licet clausis ianuis, et nullus Saecularis ibi intersit, habere voluerint. Posse autem Episcopum licentiam concessurum Regularibus in Ecclesiis, quae suorum Ordinum non sunt, praedicare volentibus illos, quamvis ab universitatibus, aut a Magistratibus

[1] Cf. N. 199.

laicis nominatos, etiamsi Episcopi Antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quoad doctrinam examinare, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum, et discretum esse debet, visum fuerit. Et licentiam praedicandi semel iisdem concessam ob rationabiles causas licet occultas, praedicationem tamen concernentes, suspendere. Non posse tamen Episcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Ecclesiis suorum Ordinum praedicent.

§ 4. Ad haec Religiosos ab Episcopo ad confessiones saecularium in sua Dioecesi audiendas approbatos, non posse in alia Dioecesi eas absque Episcopi Dioecesani approbatione audire, quamvis poenitentes subditi sint eius Episcopi, a quo ipsi Religiosi iam fuerant approbati. Et generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum saecularium confessiones audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subiectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione; atque approbatos pro audiendis confessionibus Monialium unius Monasterii minime posse audire confessiones Monialium alterius Monasterii. Itidemque Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse expleta deputatione in vim approbationis huiusmodi illarum confessiones audire, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit. Caeterum in Monasteriis, ac etiam Collegiis, ubi iuxta Regularia instituta vivitur, posse tam Praelatos Regulares, quam Confessores Regularium eorundem Monasteriorum, seu Collegiorum audire confessiones illorum saecularium, qui inibi sunt vere de familia, et continui commensales, non autem illorum, qui tantum ipsis deserviunt. Illos autem Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque, et indistincte absque aliqua limitatione temporis certorumque locorum, aut generis personarum in Dioecesi propria admittendos. Quoad caeteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, et admittere, semel autem simpliciter approbatos posse in Dioecesi Episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam Paschali, et quorumcumque etiam infirmorum confessiones audire absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia. De qua tamen confessione teneri dictos Religiosos eorumdem infirmorum Parochum illico certiorem reddere. Et hoc posse illis ab Episcopo sub poena suspensionis a facultate audiendi confessiones praecipi: sufficere tamen, ut certioratio huiusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.

§ 5. Et eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, Constitutioni, quae incipit, *Omnis utriusque sexus*,[1] quoad Confessionem dumtaxat satisfecisse censendos. Regulares vero ad eiusmodi confessiones audiendas praevio examine simpliciter, et absque ulla temporis praefinitione ab ipsomet Episcopo, secus autem si ab eius Vicario, aut ab Antecessoribus Episcopis approbatos non posse ab eodem, qui sic appro-

[1] C. 12, X, *de poenitentiis et remissionibus*, V 38.

bavit, iterum examinari; aut ab eisdem Confessionibus audiendis suspendi; seu licentias illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quae ipsas confessiones concernat. De qua tamen haud necessarium esse, ut in actis constet; nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare; sed Sedi Apostolicae dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit.

§ 6. Porro si Regulares cum scandalo, aut alias inhoneste vivant; vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi iudicio videantur a confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus; cum praecipua Ministri Sacramenti poenitentiae qualitas sit vitae integritas, ac morum honestas, utique eam causam ad confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare, quominus ob eam possit Episcopus Regulares a semetipso approbatos suspendere, aut repellere a confessionibus audiendis. Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventus Regularibus confessoribus adimi ab Episcopo inconsulta Sede Apostolica nullatenus posse. Ex facultatibus per Mare magnum, aliave privilegia Regularibus cuiuscunque Ordinis, Instituti, aut Societatis etiam Iesu concessis factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab Episcopo sibi reservatis. Et per confirmationes dictorum privilegiorum, quas Regulares a Sede Apostolica post Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem Concilio, aut deinde Apostolicis etiam Decretis sublata, atque extincta, si quae habebant, absolvendi a casibus Episcopo reservatis.

§ 7. Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, non ideo a casibus Episcopo reservatis posse absolvere. Posse autem Regularem Confessorem in ea Dioecesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Dioecesi, a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem poenitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Dioecesim pro absolutione obtinenda migrasse. Vigore supradictorum privilegiorum nequaquam licere Regularibus etiam satisfacta parte absolvere poenitentes a censuris quoad externum, et iudiciale forum, et absolutos ab eis in foro Poenitentiali, utique non censeri absolutos in exteriori iudicio, et contentioso. Quinimmo censuris Ecclesiasticis irretitos, et denunciatos ab Episcopis cogi posse gerere se pro talibus, etiamsi a Regularibus fuerint absoluti. Quoties exhibitis aliquibus Regularium Apostolicis Privilegiis coram Episcopo, ab eo iudicetur ipsa non suffragari casui, de quo agitur, si dictorum Privilegiorum verba obscura sint, et ambigua: non esse ad Metropolitanum provocandum, sed cum eius sit interpretari, cuius est condere: dictorum privilegiorum interpretationem Sedis Apostolicae iudicio, prout alias Constitutione Praedecessoris nostri fel. rec. Clem. IV statutum fuit,[1] esse requirendam.

§ 8. Decernentes, etc.

(Bull. Rom., tom. 7, p. 30-32).

[1] *Ordinis vestri*, 5 iul. 1268. - Bull. Rom., tom. 3, I, p. 470.

247.

Clemens X, const. *Nuper pro parte*, 18 ian. 1672.

Nuper pro parte dilecti filii Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositae exposito, quod eadem Congregatio die 16 Decembris 1661 super controversiis, quae inter Parochos Civitatis Placentin., et Monachos Monasterii S. Sixti Congregationis Cassinen. Ordinis Sancti Benedicti occasione funerum erant exortae, inter alia decreverat servanda esse decreta, et declarationes alias factas; scilicet Parochis in associatione, seu occasione associationis cadaverum non licere ingredi Ecclesias Monachorum praedictorum, sed teneri dimittere eadem cadavera ad ianuam Ecclesiarum, ibique solum posse benedicere, et dare ultimum vale, officia vero, et munia, quae in huiusmodi ministeriis adhiberi solent, ab ipsis Monachis peragi debere, non autem a Parochis, atque ita in praemissis omnibus deinceps fieri, et executioni mandari praeceperat.

§ 1. Et in eadem expositione subiuncto, quod eaedem rationes militarent ad favorem dicti Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, ideoque supplicato, ut Congregatio praefata resolutionem, sive decisionem huiusmodi extenderet ad associationem per Parochos fieri solitam cadaverum defunctorum, quae in Ecclesiis Fratrum huius Ordinis sepeliuntur, idque ad tollendas controversias, quae in aliquibus parochiis ea occasione inter Parochos, et Fratres Ordinis huiusmodi nascuntur non sine scandalo, ac fraternae, et Christianae charitatis detrimento: emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur videlicet: « Sac. Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praeposita censuit Oratoribus dandam esse infrascriptam declarationem alias editam, nempe Parochis in associatione, sive occasione associationis cadaverum non licere ingredi Ecclesias Regularium, sed teneri dimittere eadem cadavera ad ianuam Ecclesiarum, ibique solum posse benedicere, et dare ultimum vale; Officia vero, et alia munia, quae in huiusmodi ministeriis adhiberi solent, ab ipsis Regularibus peragi debere, non autem a Parochis, atque ita in praemissis omnino deinceps fieri, et exequi, praesentium vigore mandat, et praecipit, contrariis quibuscumque non obstan. Romae 27 Novembris 1671. F. M. Cardin. Brancatius ».

Loco ✠ Sigilli.

§ 2. Cum autem sicut praefatus Procurator Generalis Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum huiusmodi pro firmiori illius subsistentia, Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret, Nos specialem ipsi Procuratori Generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a iure, vel ab homine quavis occasione

vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praeinscrtum auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congreg. Cardinalium.

§ 3. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 7, p. 163, 164].

248.

Clemens X, const. *Alias pro parte*, 18 ian. 1672.

Alias pro parte tunc existentis Commissarii Curiae Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, Congregationi tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositorum supplicato, ut prohiberetur Parochis, et Clericis Terrae de Geverano Brundusinae Dioecesis, omnibusque aliis Parochis, et Presbyteris, ne auderent accipere maiorem eleemosynam pro Defunctis, qui sepelirentur in Ecclesiis dd. Fratrum, quam accipiebant pro iis qui in ipsorum Parochorum, et Presbyterorum Saecularium Ecclesiis sepeliebantur: emanavit die 7 Decembris 1640 ab eadem Congregatione Decretum tenoris sequentis, videlicet, – *Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praeposita, ad tollendas indebitas exactiones, quae, ut proponitur, in tumulandis Defunctorum corporibus fieri solent, censuit iniungendam, prout praesentis Decreti tenore iniungit Archiepiscopo Brundisino, caeterisque locorum Ordinariis, ne permittant, ut Parochi, aliique de Clero Saeculari maiorem posthac eleemosynam sibi attribui faciant ab haeredibus Defunctorum, qui in Ecclesiis Regularium praedictorum sepulturam sibi elegerint, quam percipere possent, si in Parochiali, seu alia ipsius Cleri Saecularis Ecclesia sepeliri voluissent, contrariis quibuscumque non obstantibus, etc. Romae, die 7 Decembris 1640.* – Ita reperitur in regesto authographo Sac. Congregationis negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositae. In quorum fidem etc. Romae 31 Dec. 1671. – C. de V. Archiep. Athenar.

§ 1. Et subinde cum tunc existentes Fratres Provinciae Dalmatiae praedicti Ordinis Congregationi praefatae exposuissent, functiones funerales Defunctorum, quorum cadavera in eorum Ecclesiis sepulturae mandarentur, facere ad eos, non autem ad Parochos spectare, Congregatio praefata die 31 Augusti 1657 aliud Decretum edidit tenoris, qui sequitur, videlicet, – *Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praeposita, attentis narratis, iuxta alias resoluta censuit, functiones funeralium super cadavera Defunctorum, quae in Ecclesiis Regularium contingit sepeliri, postquam ad easdem Ecclesias pervenerint, ad ipsos Regulares, non ad Parochos pertinere, ac proinde ita in*

Oratorum Ecclesiis circa praemissa servandum esse, prout servari mandat, et praecipit, contrariis quibuscumque non obstantibus. Rom. die 31 Aug. 1651. Ita reperitur in Regesto authographo Sac. Congregationis negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositae. In quorum fidem etc. Romae 31 Decembris 1671. - C. de V. Archiep. Athenar.

§ 2. Cum autem, sicut pro patre dilecti filii Francisci Mariae a Castro S. Petri de Bononia Procuratoris Generalis Ordinis praefati Nobis nuper expositum fuit, ipse Decreta huiusmodi pro firmiori illorum subsistentia Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, summopere desideret: Nos specialem ipsi Francisco Mariae Procuratori Generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine Nobis humiliter super hoc porrectis inclinati, Decreta praeinserta auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

§ 4. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 7, p. 162, 163].

249.

Innocentius XI, const. *Exponi nobis*, 2 dec. 1676.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Conventus loci de Binasco Papien. Dioecesis Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, quod ipsi alias a Congregatione tunc existentium Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum obtinuerunt Decretum tenoris, qui sequitur videlicet: *Papien. Funerum.* Regulares Minores strictioris Observantiae S. Francisci Dioecesis Papien. ad aliqua inconvenientia orta occasione defunctorum, qui ad eorum Ecclesiam deferuntur, ubi habent proprias sepulturas, supplicant declarari:

Primo. An Curatus unius Dioecesis quaecumque sit in transitu Cadaveris, quod processionaliter defertur ad Ecclesiam Regularium ab alia Dioecesi transeundo per propriam Iurisdictionem, et Parochiam, possit aliquam partem petere Cerae, et pecuniarum ab haeredibus defuncti praetendere.

Secundo. An proprius Parochus Defuncti transeundo per Parochiam unius Parochi alterius cuiuscumque Dioecesis ad effectum deferendi processionaliter Cadaver ad Ecclesiam regularium possit libere, et licite per eamdem cum Stola, et Cruce elevata transire, etiam irrequisito Parocho.

Die 28 Novembris 1671. Sacra etc. Ad Primum respondit negative, ad Secundum affirmative. - In quorum fidem etc. Romae 14 Novembris 1676.

I. M. Brancaccius, Episcopus Viterbien.,
S. C. C. Secretarius.

§ 1. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes, Decretum huiusmodi quo firmius subsistat, et servetur exactius, Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis ac iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praeinsertum auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis Cardinalium.

§ 2. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apost. Auditores, iudicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ 3. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 8, p. 13].

250.

Innocentius XI, const. *Ad Nostri Apostolatus*, 12 mart. 1677.

Ad Nostri Apostolatus auditum detestanda quorumdam iniquitatis filiorum pervenit audacia, qui omnis impietatis terminos supergressi, manus sacrilegas ne a quidem Sancto Sanctorum, augustissimo scilicet Eucharistiae Sacramento, quod transiturus de hoc mundo ad Patrem Salvator, et Dominus noster Iesus Christus in memoriam cruenti illius Sacrificii, quo se ipsum pro generis humani redemptione in Ara Crucis Deo Patri immolavit, ineffabili Divini amoris sui largitate Corpus suum in cibum, et Sanguinem in potum Nobis tribuendo, instituit, continere tanti, tamque tremendi formidine Mysterii compelluntur.

§ 1. Quocirca ad reprimendam eiusmodi impietatem, quae animum Nostrum ipsa sui immanitate confundit in nomine eiusdem Domini Nostri Iesu Christi exurgentes motu proprio, non ad alicuius super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera scientia, et deliberatione, Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana adversus haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum, a Sancta Sede Apostolica generaliter deputatorum consilio, hac nostra perpetuo valitura Constitutione, auctoritate Apostolica statuimus, et decernimus, ut deinceps omnes, et singuli utriusque

sexus, qui de furto Hostiae consecratae, sive unius, vel plurium particularum consecratarum cum Sacra Pyxide, vel sine illa per legitima iudicia iudicialiter iuxta S. Officii Inquisitionis contra haereticam pravitatem auctoritate Apostolica instituti regulas, et praxim confessi, aut convicti fuerint, quive propria malitia, vel de alterius ordine, seu mandato hostiam, sive unam vel plures particulas consecratas praedictas apud se retinuerint, vel alio transferre, seu asportare praesumpserint condignis poenis, et adimadversionibus pro facinoris atrocitate puniantur, et nisi constiterit non fuisse ad malum finem, etiam pro prima vice Curiae Saeculari tradantur, non obstante minori aetate, dummodo vigesimum attingant annum, quibus poenis etiam mandantes subiaceant.

§ 2. Porro omnimodam cognitionem Causarum furti Hostiae consecratae, sive unius, vel plurium particularum consecratarum huiusmodi, cum Pyxide, vel sine illa, tamquam delicti haeresim, vel vehementem haeresis suspicionem continentis ad iudices Ecclesiasticos, et ad Sanctae Inquisitionis Officium praedictum privative spectare, eadem auctoritate harum serie, et motu simili declaramus.

§ 3. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 8, p. 23, 24].

251.

Innocentius XI, breve 11 apr. 1682, articuli Cleri Gallicani, reiecti. [1]

Art. 2. Sic inesse Apostolicae Sedi ac Petri successoribus, Christi vicariis, rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant atque immota consistant sanctae oecumenicae Synodi Constantiensis a Sede Apostolica comprobata ipsorumque Romanorum Pontificum ac totius Ecclesiae usu confirmata atque ab ecclesia Gallicana perpetua religione custodita decreta de auctoritate Conciliorum generalium, quae sessione quarta et quinta continentur, nec probari a Gallicana ecclesia, qui eorum decretorum, quasi dubiae sint auctoritatis ac minus approbata, robur infringant aut ad solum schismatis tempus concilii dicta detorqueant.

Art. 3. Hinc apostolicae potestatis usum moderandum per canones Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos; valere etiam regulas, mores et instituta a regno et ecclesia Gallicana recepta, patrumque terminos manere inconcussos, atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicae Sedis, ut statuta et consuetudines tantae Sedis et ecclesiarum consensione firmatae propriam stabilitatem obtineant.

Art. 4. In fidei quoque quaestionibus praecipuas Summi Pontificis esse partes, eiusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse iudicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit.

[Denzinger-Bannwart, Enchiridion, n. 1323-1325].

[1] Cf. Alexander VIII, const. *Inter multiplices*, 4 aug. 1690, ut habetur infra, N. 253.

252.

Innocentius XI, const. *Caelestis Pastor*, 20 nov. 1687, propositiones Michaelis de Molinos, damn.

Caelestis Pastor Christus Dominus, ut iacentem in tenebris mundum, variisque Gentium erroribus involutum a potestate Diaboli, sub qua misere post lapsum primi nostri Parentis tenebatur, sua ineffabili miseratione liberaret, Carnem sumere, et in ligno Crucis Chirographo Redemptionis nostrae affixo in testimonium suae in nos charitatis sese Hostiam viventem Deo pro nobis offerre dignatus est, mox rediturus in Caelum Ecclesiam Catholicam sponsam suam tanquam novam Civitatem Sanctam Hierusalem descendentem de Caelo non habentem rugam, neque maculam, unam, sanctam in terris relinquens, armis potentiae suae contra Portas Inferi circumvallatam, Petro Apostolorum Principi, et Successoribus eius regendam tradidit, ut Doctrinam ab ipsius ore haustam sartam, tectamque custodirent, ne oves pretioso suo Sanguine redemptae pravarum opinionum pabulo in antiquos errores reciderent, quod praecipue B. Petro mandasse Nos sacrae Literae docent; cui enim Apostolorum, nisi Petro dixit, *Pasce oves meas*, et rursus, *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos?* Quare Nobis qui non nostris meritis, sed inscrutabili Dei Omnipotentis consilio in eiusdem Petri Cathedra pari potestate sedemus, semper firmum in animo fuit, ut populus Christianus eam sectaretur fidem, quae a Christo Domino per Apostolos suos perpetua, et nunquam interrupta traditione praedicata fuit, quamque ipse usque ad Saeculi consummationem permansuram esse promisit.

§ 1. Cum igitur ad Apostolatum nostrum relatum fuisset quemdam Michaelem de Molinos prava dogmata tum verbo, tum scripto docuisse, et in praxim deduxisse, quae praetextu Orationis quietis contra doctrinam, et usum a Sanctis Patribus ab ipsis nascentis Ecclesiae primordiis receptum, Fideles a vera Religione, et a Christianae pietatis puritate in maximos errores, et turpissima quaeque inducebant: Nos, cui cordi semper fuit, ut fidelium animae Nobis ex alto commissae purgatis pravarum opinionum erroribus ad optatum salutis portum tuto pervenire possint, legitimis praecedentibus indiciis praedictum Michaelem de Molinos carceribus mancipari mandavimus, deinde coram Nobis, et Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus Apostolica auctoritate specialiter deputatis, auditis pluribus in Sacra Theologia Magistris, eorumque suffragiis tum in voce, tum scripto susceptis, matureque perpensis, implorata etiam S. Spiritus assistentia, cum praedictorum Fratrum nostrorum unanimi voto ad damnationem infrascriptarum Propositionum eiusdem Michaelis de Molinos, a quo fuerant pro suis recognitae, et de quibus Propositionibus tanquam a se dictatis, scriptis, communicatis, et creditis ipse convictus, et respective confessus fuerat, ut latius in processu, et Decreto de mandato nostro lato die 28 Augusti praesentis anni 1687 devenire, ut infra decrevimus.

Propositiones.

3. Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva.

16. Non convenit Indulgentias quaerere pro poena propriis peccatis debita, quia melius est Divinae Iustitiae satisfacere, quam Divinam misericordiam quaerere, quoniam illud ex puro Dei amore procedit, et istud ab amore nostri interessato, nec est Deo res grata, nec meritoria, quia est velle Crucem fugere.

18. Qui in Oratione utitur Imaginibus, Figuris, speciebus, et propriis conceptibus, non adorat Deum in spiritu, et veritate.

32. Nec ante, nec post Communionem alia requiritur praeparatio, aut gratiarum actio (pro istis Animabus Internis) quam permanentia in solita resignatione passiva, quia in ista continetur amor, qui modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui fieri possunt, et fiunt in via ordinaria. Et si hac occasione Communionis insurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscatur eos esse ex impulsu speciali Dei, alias sunt impulsus naturae nondum mortuae.

33. Male agit Anima, quae procedit per hanc viam internam, si in diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum, quoniam animae internae omnes dies sunt aequales, omnes festivi, et idem dicitur de locis Sacris, quia huiusmodi Animabus omnia loca aequalia sunt.

35. Non convenit Animabus huius vitae internae, quod faciant operationes, etiam virtuosas ex propria electione, et activitate, alias non essent mortuae: nec debent elicere actus amoris erga B. Virginem, Sanctos, aut humanitatem Christi, quia cum ista obiecta sensibilia sint, talis est amor erga illa.

36. Nulla Creatura, nec B. Virgo, nec Sancti sedere debent in nostro corde, quia solus Deus vult illum occupare, et possidere.

47. Cum huiusmodi violentiae occurrunt, sinere oportet, ut Satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo, et etiamsi sequantur pollutiones, et actus obscaeni propriis manibus, et etiam peiora, non opus est, se ipsum inquietari, sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia, et timores, quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magisque candida, et acquiritur sancta libertas. Et prae omnibus non opus est haec confiteri, et sanctissime fit, non confitendo, quia hoc pacto superatur Daemon, et acquiritur thesaurus pacis.

48. Satan, qui huiusmodi violentias infert, suadet deinde, gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in via Interna ulterius progrediatur; unde ad eius vires enervandas, melius est ea non confiteri, quia non sunt peccata, nec etiam venialia.

60. Animabus provectis, quae reflexionibus mori incipiunt, et eo etiam perveniunt, ut sint mortuae, Deus confessionem aliquando efficit impossibilem, et supplet ipse tanta gratia praeservante, quantam in Sacramento reciperent: et ideo huiusmodi Animabus non est bonum in tali casu ad Sacramentum Poenitentiae accedere, quia id est illis impossibile.

65. Praepositis obediendum est in exteriore, et latitudo voti obedientiae Religiosorum tantummodo ad exteriores pertingit. In interiore vero aliter res se habet, quo solus Deus, et Director intrant.

Quas quidem propositiones tanquam haereticas, suspectas, et erroneas, scandalosas, blasphemas, piarum aurium offensivas, temerarias, Christianae disciplinae relaxativas, et eversivas, et seditiosas respective, ac quaecumque super iis verbo, scripto, vel typis concessa pariter cum voto eorumdem Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, et Inquisitorum Generalium damnavimus, circumscripsimus, et abolevimus: deque eisdem, et similibus omnibus, et singulis post hoc quoque modo loquendi, scribendi, disputandi, easque credendi, tenendi, docendi, aut in praxim reducendi facultatem quibuscumque interdiximus, et contrafacientes omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, et Officiis ipso facto perpetuo privamus, et inhabiles ad quaecumque decrevimus, vinculoque etiam anathematis eo ipso innodavimus, a quo nisi a Nobis, et a Romanis Pontificibus Successoribus nostris valeant absolvi. Praeterea eodem Nostro Decreto prohibuimus, et damnavimus omnes libros, omniaque opera quocumque loco, et idiomate impressa, nec non omnia manuscripta eiusdem Michaelis de Molinos, vetuimusque, ne quis cuiuscumque gradus, conditionis, vel status etiam speciali nota dignus, audeat sub quovis praetextu, quolibet pariter idiomate, sive sub eisdem verbis, sive sub aequalibus, aut aequipollentibus, sive absque nomine, seu ficto, aut alieno nomine ea imprimere, vel imprimi facere, neque impressa, seu manuscripta legere, vel apud se retinere, sed Ordinariis locorum, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus statim tradere, et consignare teneatur sub eisdem poenis superius inflictis, qui Ordinarii, et Inquisitores statim ea igne comburant, et comburi faciant. Tandem, ut praedictus Michael de Molinos ob haereses, errores, et turpia facta praedicta de debitis poenis in aliorum exemplum, et ipsius emendationem plecteretur, lecto in eadem nostra Congregatione toto processu, et auditis dilectis filiis Consultoribus Nostris S. Inquisitionis Officii, in S. Theologia, et in Iure Pontificio Magistris, cum eorumdem Ven. Fr. Nostrorum S. R. E. Cardinalium unanimi voto, dictum Michaelem de Molinos tanquam reum convictum, et confessum respective, et uti haereticum formalem, licet poenitentem in poenam arcti, et perpetui carceris, et ad peragendas alias poenitentias salutares, praevia tamen abiuratione de formali per ipsum emittenda servato Iuris ordine damnavimus; mandantes ut die, et hora praefigendis in Ecclesia S. Mariae supra Minervam huius Almae Urbis praesentibus omnibus Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, et Romanae Curiae Nostrae Praelatis, universoque Populo ad id etiam per concessionem Indulgentiarum convocando, ex alto tenor processus stante in suggesto eodem Michaele de Molinos una cum sententia inde sequuta legeretur, et postquam idem Molinos habitu poenitentiae indutus praedictos errores, et haereses publice abiurasset, facultatem dedimus dilecto filio Nostri Sancti Officii Commissario, ut cum a censuris, quibus innodatus erat, in forma Ecclesiae consueta absolveret; quae omnia in executionem dictae Nostrae Ordinationis die 3 Septembris labentis anni solemniter adimpleta sunt.

§ 2. Et licet supranarratum Decretum de mandato Nostro latum ad maiorem fidelium cautelam typis editum publicis locis affixum, et divulgatum fuerit, nihilominus ne huius Apostolicae damnationis memoria futuris temporibus deleri possit, utque Populus Christianus Catholica veritate instructior per viam salutis incedere valeat, Praedecessorum Nostrorum Summorum Pontificum vestigiis inhaerentes, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione supradictum Decretum denuo approbamus, confirmamus, et debitae executioni tradi mandamus, iterum supradictas propositiones diffinitive damnantes, et reprobantes, librosque, et manuscripta eiusdem Michaelis de Molinos prohibentes, et interdicentes sub eisdem poenis, et censuris contra transgressores latis, et inflictis.

§ 3. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 8, p. 441-445].

253.

Alexander VIII, const. *Inter multiplices*, 4 aug. 1690.

Inter multiplices Pastoralis Officii Nostri curas, quibus iugiter premimur, in illam peculiari studio incumbimus, ut Apostolicae Sedis, ac universalis Ecclesiae, nec non etiam singularum Ecclesiarum iura ubique sarta tecta ac illibata tueri, et conservare, eaque adversus quaecumque, per quae illis aliquid detrimenti inferri potest, tradita Nobis divinitus potestate vindicare satagamus, sicut omnibus mature, ac debite pensatis iustitiae, ac rationi consentaneum esse in Domino arbitramur.

§ 1. Cum itaque ex quo primum humilitatem nostram inscrutabili Divinae suae providentiae arcano in suprema Militantis Ecclesiae specula collocavit Altissimus, prae ceteris, quae Pontificiae Nostrae solicitudini sese obtulere, negotiis, illa in primis gravissima, ac Nobis qui charissimum in Christo Filium Nostrum Ludovicum Francorum Regem Christianissimum, et florentissimum illius Regnum in visceribus gerimus charitatis, permolesta, et plane acerba acciderint, quae sive adversus dicti Regni Ecclesiarum iura, sive adversus Romani Pontificis, et Ecclesiae universae auctoritatem nonnulli venerabiles fratres Archiepiscopi, Episcopi, et alii eiusdem Regni Ecclesiastici Viri in Comitiis Cleri Gallicani Parisiis anno 1681 congregati, tum praestito inibi per eos extensioni illius Iuris, quod vocant *Regaliae*, ad omnes dicti Regni Ecclesias assensu, tum edita subinde de potestate Ecclesiastica quatuor propositiones continente declaratione, peregerunt, quaeque ipsa Comitia subsecuta fuerunt mandata, arresta, confirmationes, declarationes, Epistolae, edicta, et Decreta quaecumque a quibusvis personis, sive Ecclesiasticis, sive laicis quavis auctoritate, et potestate fungentibus edita, seu publicata, nec non quae alias demum nonnullis ab hinc annis in regno praefato eidem Sedi Apostolicae, Romanaeque Ecclesiae, seu quibuscumque aliis Ecclesiis, Monasteriis, et locis piis, illorumque respective personis, rebus, bonis, et iuribus, seu alias iurisdictioni, vel immunitati, aut libertati Ecclesiasticae

quomodolibet praeiudicialia quovis modo peracta, ac gesta fuerunt: haec Nos, qui Iurium Ecclesiasticorum assertores in Terris a Domino constituti sumus, dies, noctesque in amaritudine Animae nostrae cogitantes, manus nostras cum lacrymis, et suspiriis levavimus ad Dominum, cumque toto cordis affectu rogavimus, ut Nobis potenti gratiae suae auxilio adesset quo ardua hac in re commissi Nobis Apostolici muneris partes salubriter exequi valeremus; eaque consideratione adducti, ac ne supremo Iudici rationem villicationis Nostrae reddituri negligentiae in credita Nobis administratione argueremur (quantum divina Bonitas dedit) nihil huc usque praetermisimus, quo praeiudicialia praefata ab iismet, qui ea peregerant, ex animo retractarentur.

§ 2. Verum, quo efficacius, ac uberius Sedis praefatae, Ecclesiae Universae, Iurisdictionisque et Immunitatis, ac libertatis Ecclesiasticae, Ecclesiarumque, Monasteriorum, et locorum piorum huiusmodi, illorumque personarum praedictarum indemnitati perpetuis futuris temporibus consultum sit, auditis quamplurimis ex Venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, et nonnullorum in Sacra Theologia Magistrorum, ac etiam in Decretis Doctorum ad examen negotii huiusmodi a Nobis specialiter delectorum, qui illum mature discusserunt, remque totam Nobis exposuerunt, sententiis, quantum Nobis ex alto conceditur providere volentes, ac felic. record. Innocentii Papae XI Praedecessoris Nostri, qui occasione rescribendi ad Literas, quibus Archiepiscopi, et alii Ecclesiastici Viri supradicti de rebus ab ipsis gestis certiorem eum reddiderant per quasdam in simili forma Brevis die 11 Aprilis 1682 expeditas Literas improbavit, rescidit, et cassavit, quae in dictis Comitiis acta fuerant in negotio Regaliae, cum omnibus inde secutis, et quae subinde attentari contigisset, eaque perpetuo irrita, et inania declaravit,[1] vestigiis inhaerentes, necnon in dictis Comitiis Anni 1682, tum circa extensionem Iuris Regaliae, quam circa declarationem de potestate Ecclesiastica huiusmodi actorum, ac etiam omnium, et singulorum Mandatorum, Arrestorum, Confirmationum, Declarationum, Epistolarum, Edictorum, Decretorum quavis auctoritate, sive Ecclesiastica, sive etiam Laicali editorum, seu publicatorum, nec non aliorum quomodolibet praeiudicialium praefatorum in Regno supradicto quandocumque, et a quibusvis, ac ex quacumque causa, et quovis modo factorum, et gestorum, ac inde secutorum quorumcumque etiam specificam, et individuam mentionem, et expressionem de necessitate requirentium tenores, et datas, etiam veriores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, et exactissime specificatis habentes, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, omnia, et singula, quae tam quoad extensionem Iuris Regaliae, quam quoad declarationem de potestate Ecclesiastica, ac quatuor in ea contentas propositiones in supradictis Comitiis Cleri Gallicani anno 1682 habitis, acta, et gesta fuerunt, cum omnibus, et singulis Mandatis, Arrestis, Confirmationibus, Declarationibus, Epistolis, Edictis, Decretis a quibusvis personis sive Ecclesiasticis,

[1] Cf. supra, in N. 251.

sive Laicis quomodolibet qualificatis quavis auctoritate, et potestate, etiam individuam expressionem requirente fungentibus editis, seu publicatis, nec non reliqua omnia quotcumque, et qualiacumque eidem Sedi Apostolicae, Romanaeque Ecclesiae, vel iurisdictioni, immunitati, vel libertati Ecclesiasticae seu alias Ecclesiis, Monasteriis, illorumque respective personis, rebus, bonis, privilegiis, praerogativis, et iuribus quibuscumque quomodolibet praeiudicialia in dicto Regno peracta, et gesta, cum omnibus, et singulis quandocumque, et quomodocumque inde secutis, et quocumque tempore secuturis, ipso iure nulla, irrita, invalida, inania, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacua ab ipso initio fuisse, et esse, ac perpetuo fore, neminemque ad illorum, seu cuiuslibet eorum, etiamsi iuramento vallata sint, observantiam teneri, neque ex illis cuiquam aliquod ius, vel actionem, aut titulum etiam coloratum, vel possidendi, aut praescribendi causam, etiamsi longissimi, et immemorabilis temporis possessio, etiam citra ullam interpellationem vel interruptionem subsecuta sit, vel subsequatur, acquisitum fuisse, nec esse, minusque ullo tempore acquiri, et competere, neque illa ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde ac si numquam emanassent, vel facta fuissent, pro non extantibus, et non factis perpetuo haberi debere, tenore praesentium declaramus. Et nihilominus ad abundantiorem cautelam, ac quatenus opus sit, acta, et gesta praefata, aliaque praemissa omnia Motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus improbamus, cassamus, irritamus, et annullamus, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuamus, et contra illa, deque eorum nullitate coram Deo protestamur.

§ 3. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 9, p. 38-40].

254.

Alexander VIII, const. *Alias emanavit*, 21 oct. 1690.

Alias emanavit a felicis rec. Innocentio PP. XI Praedecessore nostro in Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae fidei praepositorum coram ipso Innocentio Praedecessore habita, Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: *Die 29 Ianuarii 1677. In generali Congregatione de Propaganda fide habita in Palatio Apostolico coram Sanctissimo D. Innocentio divina providentia PP. XI, ac Eminentissimis, et Reverendissimis Cardinalibus eiusdem Sacrae Congregationis.* Decretum *ne permittatur Graecis cuiuscumque status, et conditionis etc. pecunias quaestuare, vel quovis alio modo eleemosynas petere.*

§ 1. « Cum Sancta loca Hierosolymitana, in quibus Verbum caro factum est, et nostrae reparationis Mysteria Deo miserante, completa sunt, hactenus administrationi, et custodiae Fratribus Sancti Francisci de Observantia a S. Sede Apostolica commissa nuperrimis hisce diebus a Graecis Schismaticis, subornatis Aulae Turcicae Ministris de manu dictorum Fratrum Sancti Francisci summo Latinorum dedecore usurpata sint, iis praecipue subsidiis, quae ex fidelium Christianorum eleemosynis iidem Graeci perceperunt: ut

huic sceleri modus imponatur, neve ex fidelium pietate Schismaticis, et perpetuis Ecclesiae Romanae hostibus aditus ad novas cumulandas iniurias aperiatur, Sanctissimus D. N. Innocentius PP. XI suorum Praedecessorum Summorum Pontificum vestigiis inhaerendo, etiam de consilio, et voto Eminentissimorum DD. S. R. E. Cardinalium de fide Propaganda praepositorum, omnibus, et quibuscumque S. R. E. Cardinalibus a latere Legatis, Nuntiis Apostolicis, Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitanis, Episcopis, Abbatibus, caeterisque omnibus ordinariis de utroque Clero Saeculari, et Regulari, Ecclesiasticam Iurisdictionem, tam ordinariam, quam delegatam in suis Iurisdictionibus, sive Dioecesibus respective exercentibus in virtute Sanctae Obedientiae iniungit, atque inhibet, ne de caetero quibuscumque Graecis tam Saecularibus, quam Ecclesiasticis, etiam Regularibus, quacumque dignitate, quamvis Abbatiali, seu Archimandritiali, Episcopali, Metropolitica, Archiepiscopali, sive Patriarchali fulgentibus, tacite, vel expresse sub quocumque praetextu permittant pecunias quaestuare, vel quovis alio modo eleemosynas a fidelibus petere, etiamsi de eorum unione cum Ecclesia Latina per abiurationem Schismatis, et fidei Catholicae professionem in manibus Episcoporum, vel Inquisitorum contra haereticam pravitatem literis testimonialibus docuerint, vel per alios Episcopos, et locorum Ordinarios similis quaestuationis facultates in scriptis acceperint, vel ad fidem de novo conversi, aliorum Schismaticorum iram, et insidias effugere conati sint, vel ad effectum reparandi Ecclesias ab Infidelibus dirutas, et non obstantibus aliis quibuscumque praetextibus, et causis: imo potius omnes, et singulas literas patentales a quocumque Praesule etiam speciali nota digno, et a Tribunalibus Curiae Romanae, et eiusdem Sacrae Congregationis de fide Propaganda, dummodo contentis in praesenti Decreto specialiter, et expresse non fuerit derogatum cum posteriori data, statim ac in eorum Ordinariorum manus pervenerint, ad Sacram de fide Propaganda Congregationem transmittant. Et ne contra praemissorum omnium observantiam allegari possit futuris temporibus ignorantia, eadem Sanctitas Sua de consilio eorumdem S. R. E. Cardinalium voluit, ut huic Decreto, aut etiam literis ad eius formam expeditis, seu expediendis, sive scriptis, sive impressis, ab eiusdem tamen S. Congregationis Praefecto signatis, sigilloque solito munitis, fides eadem adhibeatur, quae ipsis originalibus praestaretur. Non obstantibus quibuscumque. Datum Romae die 4 Februarii 1677. P. Cardinalis de Alteriis Praefectus: loco ✠ sigilli. V. Cerrus Secretarius ».

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Bernardus Iosephus a Iesu Maria Frater expresse professus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, et Tribunalis S. Inquisitionis Qualificator, nec non charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici concionator, ac Commissarius, et Procurator Generalis in Romana Curia totius familiae Terrae Sanctae Nobis nuper exponi fecit, firmiora sint ea, quibus iterata accedit Apostolicae Sedis auctoritas: Nobis propterea dictus Bernardus Iosephus humiliter supplicari fecit, ut Decretum huiusmodi Apostolicae Confirmationis nostrae patrocinio communire de benignitate Apostolica dignaremur.

§ 3. Nos igitur ipsum Bernardum Iosephum specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a Iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati Decretum praeinsertum a memorato Innocentio Praedecessore editum, ut praefertur, auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, ac innovamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus.

§ 4. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 9, p. 87, 88].

255.

Alexander VIII, const. *Cum alias*, 22 dec. 1690.

Cum alias a fel. recor. Innocentio Papa XI, Praedecessore nostro emanaverint Literae tenoris: Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei, *Ad perp. rei memor.* Ad nostri Apostolatus auditum (*Reliqua vide supra, in* N. 250). Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo septuagesimo septimo, quarto idus Martii Pontif. Nostri Anno Primo.

§ 1. Hinc est, quod Nos tam execrandum scelus, ac nefariam temeritatem, quantum in Nobis est, cohibere, et propterea praeinsertam, et quascumque alias tam Sacrorum Canonum, quam aliorum Romanorum Pontificum pariter Praedecessorum Nostrorum Constitutiones, et Ordinationes favore Fidei Catholicae, ac Officii Sanctae Inquisitionis in praemissis, et circa ea quomodolibet emanatas confirmare, et respective declarare, ampliare, et extendere volentes, Motu proprio, non ad alicuius super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, ac de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana adversus haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatorum consilio, hac nostra perpetuo valitura Constitutione, praeinsertas Literas d. Innocentii Praedecessoris, necnon praedictas Constitutiones, et Ordinationes, omniaque, et singula in eis contenta, et expressa, quorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis haberi volumus, earumdem tenore praesentium perpetuo confirmamus, et approbamus, et innovamus, easque inviolabiliter, et inconcusse servari volumus, et mandamus.

§ 2. Et nihilominus omnes quascumque, et singulas personas, tam Saeculares, quam Ecclesiasticas, etiam Regulares cuiuscumque Dignitatis, status, gradus, Ordinis, Congregationis, Societatis, et Instituti, etiam Societatis Iesu, et Sancti Ioannis Hierosolymitani quibuscumque privilegiis, exemptionibus,

et Indultis, etiam in corpore iuris clausis munitas, et suffultas, speciali, ac etiam specialissima nota dignas, et eas, quae nominatim, et individualiter exprimi debent, neque aliter, quam sub praescripto certae formae in generalibus, aut specialibus Constitutionibus includi, et comprehendi possunt, ac solent, nulla prorsus excepta, sub praeinserta Innocentii Praedecessoris Constitutione praedicta comprehensas, et si quas ex eis pro tempore atrocissimi huius criminis reos esse constiterit, has omnibus, et singulis, tum antiquis, tum in dicta praeinserta Innocentii Praedecessoris Constitutione innovatis, etiam quoad Ecclesiasticos degradationis realis, et traditionis brachio Saeculari poenis omnino, et irremissibiliter obnoxias fuisse, et esse, cognitionemque praedicti sceleris contra eas ad Ordinarios Ecclesiasticos, et ad Inquisitores contra haereticam pravitatem, qui iuxta huius nostrae, et aliarum quarumcumque ad favorem Fidei, et Officii Sanctae Inquisitionis huiusmodi Constitutionum editarum formam, et tenorem procedere valeant, ac debeant privative quoad alios quoscumque, spectavisse ac spectare, motu, scientia, deliberatione, potestatis, plenitudine, et consilio pariter tenore praesentium declaramus, statuimus, atque decernimus.

§ 3. Insuper hac eadem Nostra perpetuo valitura Constitutione iisdem motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine, et consilio, memoratam praeinsertam dicti Innocentii Praedecessoris Constitutionem cum declarationibus, ac dispositionibus praedictis, omnibusque, et singulis superius expressis, et contentis, contra quoscumque, sive Saeculares, sive Ecclesiasticos, etiam Regulares, ut praefertur, expressos, qui dictas Hostias, vel particulas consecratas quocumque modo, etiam sine qualitate furti per se ipsos, vel alios quoscumque, aut de alterius mandato habuerint, seu retinuerint, vel alio transferre, seu transportare praesumpserint, super quibus stari volumus iudicio, et interpretationi praefatorum venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Inquisitorum, quibus pariter cognitionem super praedictis reservamus iuxta casuum, et personarum circumstantias, et qualitates cum iisdem poenis, etiam traditionis brachio saeculari, earumdem tenore praesentium ampliamus, et extendimus.

§ 4. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 9, p. 97, 98].

256.

Innocentius XII, const. *Ut iudicium*, 15 oct. 1693.

Ut iudicium Nostrum de vultu Dei prodeat et oculi eius videant aequitates, acceptionem personarum, quae apud eumdem Deum non est, nullis humilitatis Nostrae suffragantibus meritis, sed quantum Nobis ex alto concessum est arcere impense studuimus, illamque etiam a quibusdam Indultis quae a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris concessa accepimus, seu quae in posterum concedentur, congrua moderatione eliminare desideramus, nam cum unum corpus simus in Christo, singuli autem alter alte-

rius membra, grave videri non debet, si qui in Ecclesia uni Domino famulantur, una eademque libertate congaudeant, et praesertim qui in eodem gradu sunt constituti, aliquando providis sanctionibus ad aequalitates redicantur, ut sicut pari dignitate praefulgent, dispari nimis privilegio, seu indulto non distinguantur: Pondus enim, et pondus, mensura, et mensura, utrumque abominabile est apud Deum.

§ 1. Cum itaque praefati Praedecessores Nostri S. R. E. Cardinalibus, qui pro ipsius Ecclesiae statu salubriter dirigendo assidue laborare non cessant, facultatem de fructibus Ecclesiasticis, et de bonis exinde, seu alias quaesitis disponendi tam in ultima voluntate, quam alias, et respective eorum haeredibus ab intestato in praemissis succedendi, sub quadam moderata, et congrua forma de benignitate Sedis Apostolicae concedere consueverint, vice autem versa nonnulli ex iisdem Praedecessoribus huiusmodi moderationem, seu formam ampliantes, suis sive veris, sive adscitis Consanguineis, vel affinibus, et forsan etiam nonnullis aliis S. R. E. Cardinalibus longe maiora Indulta, et cum amplioribus facultatibus, modis, circumstantiis, clausulis, cautelis, et derogationibus concesserint; et propterea sicut aliis Nostris Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, decimo Kal. Iulii expeditis Literis modum circa donationes, et redditiuum Ecclesiasticorum distributionem in Consanguineos, vel affines Romani Pontificis pro tempore existentis inviolabiliter servandum salubri moderatione praescripsimus,[1] ita etiam huiusmodi Indultorum ampliationibus, differentiis, ut praefertur inter eiusdem S. R. E. Cardinales, hac Nostra speciali Constitutione occurrere, et opportune providere cupientes: Motu proprio, non ad cuiusquam Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine omnia quaecumque, et singula Indulta testandi, seu alias disponendi, et respective ab intestato succedendi, omnibus, et singulis Cardinalibus, praefatorum Romanorum Pontificum Praedecessorum, qui illa concesserunt consanguineis, vel affinibus, seu illorum loco adlectis, vel adscitis, et forsan etiam nonnullis aliis quomodocumque, qualitercumque, et quandocumque sub quibusvis verborum tenoribus, et formis, modis, cautelis, circumstantiis, qualitatibus, et cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, et irritantibus, et aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, ac potestatis plenitudine paribus, et ex quacumque causa, etiam meritorum, seu remunerationis laborum, et onerum, et alias quomodolibet insimul, vel ad partes, et semel pluries, et quantiscumque vicibus, et modis concessa, innovata, et confirmata, eorum omnium, et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti essent, pro plene, et sufficienter expressis habentes, prorsus, omnino, et irrefragabiliter moderamur, et ad terminos, modum, et tenorem, et formam ordinariam Indultorum testandi, seu alias disponendi, et respective ab intestato succedendi, omnibus aliis eiusdem S. R. E. Cardinalibus concedi solitorum penitus, omnino, ac in omnibus, et per omnia reducimus. Revocantes, cassantes ac irritantes prorsus,

[1] *Romanum decet Pontificem.* - Bull. Rom., tom. 9, p. 260-263.

et inane remanere, et fore mandantes, quidquid in Indultis ad favorem Cardinalium consanguineorum seu affinium, et forsan nonnullorum aliorum, ut praefertur, contra, praeter, vel ultra modum, et formam ordinariam cum omnibus aliis Cardinalibus in praedictis servari solitam fuerit quoquo modo concessum, indultum, seu elargitum, perinde, ac si praefata Indulta ad favorem praedictorum Cardinalium consanguineorum, vel affinium, et forsan aliorum, ut praefertur, in hac parte, seu in his partibus non emanassent.

§ 2. Ad haec cupientes super praemissis, et circa ea similiter in posterum providere, Motu, scientia et potestatis plenitudine paribus statuimus, decernimus, et ordinamus, quod illud idem, quod superius circa concessa Indulta constituimus, et mandavimus, similiter in quibuscumque Indultis, et facultatibus huiusmodi, quae deinceps singulis eiusdem S. R. E. Cardinalibus Romani Pontificis pro tempore viventis, ut praefertur, consanguineis, vel affinibus, sive veris, sive adlectis, et adscitis, et forsan etiam nonnullis aliis, etiam per Nos, et Romanos Pontifices Successores Nostros, dictamque Sedem Apostolicam pro tempore concedentur, omnino, et ad unguem debeat observari. Quodque huius [1] Indulta, seu omnes Literae Apostolicae desuper tam per Cancellariam, quam per Cameram Apostolicam, ac etiam per viam secretam, sive de Curia, vel sub Annulo Piscatoris, sive alias absque moderatione, reductione, aliisque praefatis, ac alias praeter, vel contra formam, et tenorem praesentis Constitutionis etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, etiam cum praesentium speciali, et expressa derogatione, ac sub quibusvis verborum tenoribus, et formis, et cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, et irritantibus, et aliis Decretis in genere, vel in specie pro tempore concedendae, seu expediendae, in ea parte, seu in illis partibus, quae erunt contra, praeter, vel ultra formam ordinariam cum omnibus aliis Cardinalibus in praedictis servari consuetam, nullius sint roboris, et momenti, nec cuiquam, ac si non emanassent, suffragentur.

§ 3. Caeterum perpendentes, universum eiusdem S. R. E. Cardinalium Collegium tanquam Senatum Universalis Ecclesiae in excolenda vinea Domini Nobiscum assidue collaborare, ac propterea operae pretium, ac congruum fore, ut omni personarum acceptatione sublata, eosdem omnes, et singulos Cardinales potius amplioribus privilegiis, et gratiis circa Indulta huiusmodi pariformiter complectamur, et communiamus. Cum itaque felic. record. Clemens Papa IX Praedecessor Noster privilegia, et facultates testandi praefatorum S. R. E. Cardinalium ad illos etiam fructus extenderit, et ampliaverit, qui si naturales essent, et a solo in quo sunt producti legitime, et iuxta rei naturam fuissent sublati, et a manibus Colonorum, vel aliorum quorumcumque debitorum percepti, licet in horreis Ecclesiarum, vel in quovis alio loco adhuc inconsumpti, vel nullo modo aliis ipsorum Cardinalium bonis immixti, aut eorum patrimonio incorporati reperirentur, si vero civiles essent, postquam dies solutionis advenisset, fuissent per quoscumque debitores quomodolibet persoluti, et ad manus, Cardinalium, vel eorum Ministros pervenissent,

[1] Aptius: *huiusmodi*.

seu in aliquo loco publico ad eorumdem creditum fuissent depositi; idque etiam idem Praedecessor servari voluisset in terminis quomodolibet debitis pro affictibus bonorum, et iurium quorumcumque, quos in dictis facultatibus comprehendi voluit, et mandavit, si modo quo supra fructus tam civiles, quam naturales Conductoribus, et affictuariis locati, et concessi per illos fuissent percepti, quamvis termini solutionis affictuum per Locatores fuissent posticipate conventi, et alias prout in eiusdem Clementis cedulae motus proprii sub Datum pridie Kal. Martii, Pontificatus sui anno primo uberius continetur.[1] Hinc est, quod motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus praefatam cedulam Motus proprii cum omnibus, et singulis in ea contentis, nedum amplissime, et plenissime confirmamus, et approbamus, sed quia accepimus eamdem cedulam non fuisse pacifice observatam, seu illius executionem per varias interpretationes fuisse controversam, et retardatam, omnino volumus, et quibuscumque non obstantibus mandamus, illam inviolabiliter observari, et sublata quacumque contraria interpretatione omnimodae exequutioni demandari, praesentibus pro tempore existentibus Camerae Nostrae Thesaurario Generali, Clericis Praesidentibus, Commissario pariter Generali, caeterisque dictae Camerae Officialibus, et Ministris, et quibuscumque aliis enixe prohibentes, ne in totum, vel aliqua in parte etiam minima effectum, et exequutionem memoratae cedulae Motus proprii, necnon praesentis Nostrae Constitutionis in hac parte quoquo modo impediant vel retardent, minusque ad supradictorum fructuum in praefata cedula Motus proprii, ut praefertur, contentorum incamerationem procedant, nec pro illis aliquam compositionem, ratam, portionem, seu quantitatem etiam minimam quomodolibet sub quovis praetextu, causa, quaesito colore, et contraria interpretatione consequi, seu praetendere valeant. Et nihilominus ad maiorem cautelam omnia et singula, quae in eadem cedula continentur, hac in perpetuum valitura Constitutione iterum, et ex integro plenissime, et amplissime servari mandamus, decernimus, et sancimus, salva tamen, et firma in caeteris, quae praefatae cedulae dicti Clementis Praedecessoris non adversantur, remanente Constitutione piae mem. Urbani Papae VIII etiam Praedecessoris Nostri quo ad fructus beneficiorum inexactos sub Datum quinta Aprilis Anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, et Pontificatus sui quinto,[2] quam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus in omnibus, et per omnia plenissime, et amplissime praesentium tenore confirmamus, approbamus, et innovamus.

§ 4. Quod si forsan aliqui quocumque etiam Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, vel alia qualibet dignitate, gradu, vel munere fungentes, seu functuri huiusmodi, vel etiam in aliqua parte similia Indulta, seu facultates quomodocumque, qualitercumque, et quandocumque, et sub quibusvis verborum tenoribus, et formis, ac quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia

[1] Cf. N. 242.
[2] *Aeternus rerum conditor*. - Bull. Rom., tom. 6, 1, p. 114-117.

et potestatis plenitudine similibus, et ex quaeumque causa etiam meritorum, in simul, vel ad partes, et semel, vel pluries ab eadem Sede Apostolica antehac assequuti fuerint seu in posterum assequentur, convenire pariter existimamus, ne iisdem maioribus favoribus, et gratiis, quam praedicti S. R. E. Cardinales, potiantur, et gaudeant. Ideoque motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, si quid in huiusmodi concessis, vel concedendis Indultis, forsan contineretur, quod memoratis Cardinalibus concedi, ut praefertur, non consueverit, in omnibus, et singulis illis partibus, in quibus aliquid ultra, seu contra tenorem, et formam ordinariam cum dictis Cardinalibus servari solitam, fuerit quomodolibet concessum, seu concedetur, iisdemmet modo, forma, et cum revocationibus, aliisque praemissis moderamur, et ad terminos, seu limites, et formam ordinariam dictorum Indultorum omnibus Cardinalibus, ut praefertur, concedi solitorum, in omnibus, et per omnia tenore praesentium reducimus.

§ 5. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 9, p. 324-327].

257.

Innocentius XII, const. *Christifidelium*, 16 febr. 1694.

Christifidelium, qui spretis seculi huius illecebris sub suavi Religionis iugo divini Numinis sese manciparunt obsequiis, salubriori regimini, et felicioribus in Domino progressibus, quantum Nobis ex alto conceditur, prospicere satagentes, inter multiplices curas, quibus occurrentium rerum, negotiorumque varietatibus obsidemur, ad illam quoque Nostrae considerationis aciem dirigimus, per quam huiusmodi Religiosorum Ordines S. R. E. Cardinalium protectioni commissi, ita eiusdem protectionis perfruantur subsidio, ut claustralis disciplinae vigor illibatus permaneat, Institutique observantia sarta tecta servetur, ac propterea, quae curae huiusmodi Protectorum, et quae curae censurae Superiorum Regularium respective, et magis apte conveniunt congrua distinctione ordinentur, seu potius, quae respectu alicuius Ordinis per Romanos Pontifices Praedecessores Nostros proinde desuper ordinata noscuntur, quoad illum Confirmationis Nostrae munimine constabiliantur, et quoad eumdem, et alios Ordines praefatis Protectoribus, sive similiter, sive dissimiliter commendatos, pro una, eademque regula, ad limites tamen praesentium, pariformiter constituantur. Sane licet Sanctus Franciscus de Assisio in eius Regula, per Sedem Apostolicam confirmata hisce verbis praecepit: *Per obedientiam ad hoc iniungo Ministris, ut petant a Domino Papa unum de Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector, et Corrector istius Fraternitatis, ut semper subditi, et subiecti pedibus eiusdem S. R. E. stabiles in fide Catholica paupertatem, et humilitatem, et Sanctum Evangelium Domini Nostri Iesu Christi, quod firmiter promittimus, observemus.* Nihilominus nonnulli Romani Pontifices Praedecessores Nostri Protectoris huiusmodi facultates declarandas, finesque, quibus illae concludi

deberent, praescribendos esse, in Domino existimarunt, suisque desuper editis Literis decreverunt.

§ 1. Cum enim aliqui eorumdem Protectorum suam potestatem nimium extendisse dicerentur in pluribus, ex quibus in Ordine Minorum graves perturbationes, et scandala fuissent exorta, felic. record. Gregorius Papa XI Praedecessor Noster suis sexto Kal. Iunii Pontificatus sui Anno tertio expeditis Literis,[1] ut idem Ordo in sua primaeva quiete permaneret, de virtute in virtutem iret assidue, et quibuslibet amotis praepedimentis, eradicatisque spinis, et tribulis, fructum non solum consuetum sed etiam uberiorem afferret, ad radicalem submotionem turbationum, et scandalorum huiusmodi iam exortorum, et ne orirentur in posterum providere, ac eiusdem Ordinis pro tempore existentibus Protectoribus transgressionis suae potestatis occasionem tollere efficaci remedio cupiens: Auctoritate Apostolica eisdem Protectoribus districtius inhibuit, ne praesumerent quaecumque ordinata, statuta, sive disposita, aut ordinanda, statuenda, seu disponenda per Generalia, vel Provincialia, aut Custodialia Capitula infringere, reprobare, corrigere, suspendere, aut dispensare super his, seu contra ea, vel eorum aliquid quomodolibet immutare, nisi contra praemissos articulos in praefata regula, ut praefertur positos, vel aliquem ipsorum existeret manifeste. Aut quemcumque Praelatum, seu Officialem dicti Ordinis, seu alicuius Loci eiusdem quocumque nomine nuncuparetur, ponere, seu instituere, aut deponere, destituere, seu privare, aut a suo Officio suspendere, seu impedire super eius libero exercitio quovis modo. Aut aliquem Fratrem Ordinis antedicti ad Lectoratum, aut quamcumque Lecturam, seu studium, vel gradum promovere, aut promotos ab eis removere, seu, etiam revocare. Aut de loco ad locum mittere aut mutare, sive alicui Fratrum eorumdem eundi ad quodcumque Monasterium, vel locum alium, vel domum, vel aliquam personam, licentiam impartiri. Et ne insuper quemvis singularem Fratrem memorati Ordinis de quocumque crimine, vel delicto punire, vel a poena, seu poenitentia liberare, aut eam minuere, augere, vel immutare. Aut etiam alicui Fratri locum, cameram, cellam, libros, vel alias res dicti Ordinis concedere, vel eius usui deputare. Aut quemcumque per Praelatos eiusdem Ordinis, aut alios deputatum quomodolibet amovere. Nec etiam de rebus, aut correctione Fratrum dicti Ordinis, nisi in casibus praemissis contentis in praefata Regula, seu eorum aliquo se aliquatenus intromittere quovis modo, ita ut dictus Ordo, seu Fratres eiusdem Ordinis in nullo subessent futuris Protectoribus, nisi in casu, in quo ipsorum Fratrum Communitas, vel Generale Capitulum (quod abesset) a praedictis articulis, vel eorum aliquo deviassent, alioquin si secus fecissent, id decrevit irritum, et inane. Et nihilominus Fratres qui contra eiusmodi inhibitionem quidquam impetrassent, seu post inhibitionem eiusmodi usi fuissent etiam per alios impetratis punirentur, illis poenis, quibus fuissent pro gravibus culpis secundum statuta dicti Ordinis puniendi, et nihilominus essent actibus privati legitimis, et a suis, si quae habuissent, suspensi officiis ipso facto. Caeterum memoratus Gregorius Praedecessor

[1] Const. *Cunctos Christifideles*, 27 maii 1373. - Bull. Rom., tom. 3, II, p. 352, 353.

eosdem futuros Protectores hortatus fuit attentius, quod per facti efficaciam sic nominis sui officii procurarent effectum, ut Ordo ipse per eos non laederetur in aliquo, sed potius ab adversis, pro tempore forsan imminentibus, seu opportuno defensionis clypeo protegeretur, et a noxiis praeservaretur: sic acturi provide, et aequitatis, ac modestiae limites servaturi, ut non traheretur ad noxam, quod provisum fuerat ad salutem, sed ex charitativis gestis eorum Ordo praefatus quietem, et consolationem perciperet, et ipsi Protectores magnum apud Deum praemium sortirentur, et super contrario non oporteret dictae Sedis providentiam aliud remedium adhibere.

§ 2. Successive recol. mem. Sixtus Papa IV etiam Praedecessor Noster, qui cum sibi in minoribus constituto memorati Ordinis generalis cura, et administratio incubuisset, saluberrimum, opportunum, et necessarium dicto Ordini fuisse conspexerat, ut Protectores ultra praefixum, ab eiusdem Ordinis Regula, auctoritatem non extenderent, nam expertus fuerat, et viderat quanta pax, quies, utilitas, quantaque commoda praefato Ordini, et Fratribus eiusdem ex firma, et inconcussa praefatarum Literarum dicti Gregorii pariter Praedecessoris observantia provenerant, quae, et quantae perturbationes, iacturae, incommoda, damna, et gravia scandala in dicto Ordine suscitata fuerant, quoties illius Protectores suae auctoritatis limites excedere attentantes in particularibus dicti Ordinis, et Fratrum eiusdem causis, et negotiis se intromittere, et usurpata sibi auctoritate ea videre, cognoscere, iudicare, et decernere voluerant: cupiens, ut Religio, et Ordo praefatus, quem affectuosissima charitate complectebatur, utpote quia in eo a teneris annis enutritus, et doctrina, ac regularibus disciplinis, et moribus institutus fuerat, quieto consistens statu, virtutibus, et meritis augeretur, et multiplicaretur, ut Fidei Catholicae, et Christianae Reipublicae augmentum, et multiplex, ac solidum fundamentum ex eiusdem Ordinis Fratrum operibus, et exemplis, sapientia, splendore, ac fructuosis studiis, et praedicationibus provenirent, promptissimo, et liberali animo uti dignum censuit, et debitum, ut ea, quae pro ipsius Ordinis quiete, pace, tranquillitate, et prosperitate a Romanis Pontificibus Praedecessoribus provide statuta, et ordinata fuerant, illibata perdurarent, suae approbationis munimine solidavit, interpretatus fuit, et declaravit, prout ipsius Ordinis tranquillitati conspexit salubriter expedire. Praemissa igitur dictarum memorati Gregorii Praedecessoris Literarum insertione ac praevia huiusmodi narrativa, idem Sixtus Praedecessor, ut de caetero ipsius Ordinis professoribus omnis evagandi extra Religionem occasio tolleretur, et vera suis Praelatis obedientia, in qua Religionis verum, et solidum fundamentum, et robur consistit, exhiberetur, praefatique Ordinis, et Fratrum eiusdem negotia, et causae non alibi, neque per alios, quam in ipso Ordine, et per ipsius Praelatos tractarentur, agitarentur, iudicarentur, et determinarentur, tunc existentis Generalis dicti Ordinis Ministri, ac totius generalis Capituli in hac parte supplicationibus inclinatus, inhibitionem, ac Literas praefatas memorati Gregorii Praedecessoris auctoritate Apostolica suarum tenore Literarum approbavit, et robur perpetuae firmitatis obtinere debere decrevit. Et per eas Protectori praefato pro tempore existenti, nisi in illis casibus, et articulis in Regula dictorum Fratrum expressis, et praefati Gregorii Praede-

cessoris Literis declaratis, neque in illis, dum non universi, sed aliqui ipsius Ordinis professores in quovis numero a Fidei unitate, Sacrosanctae Romanae Ecclesiae obedientia deviarent, vel Regulam praefatam non servarent, sed de eorumdem deviantium, et non observantium Regulam correctione, aut reductione, ac aliis quibuslibet causis, et negotiis dicti Ordinis se intromittere inhibitum fuisse, dicta auctoritate decrevit, et declaravit. Hortatusque fuit illum, qui ad officium Protectionis huiusmodi, quod tunc per obitum bon. mem. Bessarionis Episcopi Sabinensis dicti Ordinis, dum viveret, Protectoris, vacabat, assumi, et deputari contigisset, et ipsius Successores dicti Ordinis Protectores, ac eis in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo inhibuit, ne extra praedictos articulos, et casus in Regula praefata contentos, et expressos, nec etiam in illis, cum non universus Ordo, sed aliqua ipsius pars, vel speciales personae errarent, ipsorum Fratrum querelas audire, seu de ipsorum causis, et negotiis contra Literas, et declarationes huiusmodi intromittere se quoquomodo praesumerent; sed curarent, vigilarent, et intenderent, uti erat eorum officium, et praedicti Sancti Francisci, et praefatae Sedis intentio fuerat, ipsum Ordinem in quieto, tranquillo, et pacifico statu conservare, et augere, et ab impugnantibus, molestantibus, et perturbantibus protegere, defendere, et tueri, ne secus agendo Ordinem praefatum non solum non protegerent, conservarent, et exaltarent, ut tenebantur, sed in animarum suarum perniciem, et dicti Ordinis detrimentum, et scandalum perturbarent, destruerent, et confunderent: ut eiusdem Sixti Praedecessoris Anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo quinto Kalendas Februarii Pontificatus sui Anno secundo expeditis Literis continetur.[1]

§ 3. Quas, ac alias praefatas memorati Gregorii Praedecessoris Literas piae mem. Iulius Papa II etiam Praedecessor Noster, qui in minoribus constitutus Cardinalatus honore fulgens, dicti Ordinis Protector viginti sex annis, et ultra fuerat, dictosque Fratres tanquam peculiares filios in visceribus charitatis gerens, eadem commoda, et tranquillitatem sinceris affectibus exoptabat, praevia ambarum praefatarum insertione, aliis suis Literis sub Datum Anno Incarnationis praefatae millesimo quingentesimo octavo, Idibus Octobris, Pontificatus sui Anno Quarto, approbavit, ac earumdem suarum Literarum patrocinio communivit.

§ 4. Cupientes itaque, et pluries animo attente revolvimus, etiam in hac parte Apostolicae solicitudinis studium apponere, ac nolentes salutaris provisionis remedium iam diu a Nobis praemeditatum, ac etiam a quampluribus diversorum Ordinum Regularibus suppliciter petitum, diutius differre dictorumque Romanorum Pontificum Praedecessorum vestigiis inhaerentes, Motu proprio, ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, necnon de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, et Dilectorum filiorum Romanae Curiae Praelatorum, pietate, doctrina, prudentia, et rerum usu praestantium ad hunc effectum de mandato Nostro congregatorum consilio, praefatas

[1] Const. *Sancta Minorum Religio*. – Bull. Rom., tom. 3, III, p. 135, 136.

memoratorum Gregorii, Sixti, et Iulii Praedecessoris Literas tenore praesentium approbamus, confirmamus, et innovamus, et ad primaevum statum, pristinumque usum reducimus, et reintegramus, illisque in omnibus, et per omnia perpetuum, et inviolabilis firmitatis robur adiicimus.

§ 5. Insuper, ut in omnibus, et singulis quorumcumque Regularium Ordinibus memoratorum Protectorum curae commissis, seu committi consuetis, una, eademque, et pariformis huiusmodi protectionum sit, et perpetuo esse debeat regula, et disciplina, omnia, et quaecumque tam in praefatorum Praedecessorum, ut praefertur, confirmatis, quam in praesentibus nostris Literis contenta, in omnibus, et singulis, sive S. Francisci, sive cuiuscumque alterius Regulae, vel Instituti, ac quomodocumque erectis, reformatis, seu existentibus, ac erigendis, reformandis, seu futuris, et quomodolibet nuncupatis, seu nuncupandis Ordinibus, Religionibus, Congregationibus, vel Reformationibus tam Virorum, quam Mulierum, curae Protectorum Ordinis, cuius illi, seu illae existunt, generaliter commissorum, seu commissarum, observanda, attendenda, ac omnimodae executioni demandanda esse, et fore, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, hac in perpetuum valitura Constitutione sancimus, et mandamus.

§ 6. Et nihilominus ne huiusmodi Protectores in aliquibus negotiis, causis, seu rebus, quae universum Ordinem, seu totum corpus Religionis non concernunt, ex quacumque causa, occasione, titulo, seu praetextu sese quoquo modo intromittant, seu ingerant, etiam tenore praesentium penitus prohibemus, statuimus, atque decernimus.

§ 7. Hinc cum, retento praefatarum a Nobis confirmatarum, et ad omnes Ordines Regulares extensarum, ac praesentium nostrarum Literarum themate, congruere, et in consequentiam venire videatur, ut memorati Protectores, etiam a cognitione, et definitione causarum, seu litium, vel negotiorum dictos Regulares, vel eorum bona, iura, domos, aliaque, ut praefertur, particulariter concernentium pariter, seu magis abstinerent: vice autem versa causae, et lites, instantiae, petitiones, vel negotia huiusmodi, sive ex indultis, privilegiis, aut Constitutionibus Apostolicis, sive ex Regulis, vel Statutis, seu Ordinationibus aliquorum Ordinum, sive ex declarationibus, vel Decretis dictae S. R. E. Cardinalium aliquibus Congregationibus praepositorum, sive ex usu, vel quacumque consuetudine, in aliqua instantia, seu gradu cuiuscumque appellationis, vel recursus a memoratis Protectoribus, seu eorum aliquibus hactenus cognita, examinata, seu iudicata fuerint, vel cognosci examinari, seu iudicari potuisse, vel debuisse dignoscerentur, seu praetenderentur: propterea ut modus, forma, et ordo in praefatis confirmatis, et extensis, ac praesentibus nostris Literis constituti, suum plenarium, et consimilem etiam in hac parte sortiantur effectum, omnibus, et singulis praefatis Indultis, Privilegiis, Constitutionibus, Regulis, Statutis, Ordinibus, Declarationibus, Decretis, usibus, et consuetudinibus, quorum omnium, et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti essent, pro plene, et sufficienter expressis habemus, plenissime, et amplissime motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus derogamus, et derogatum esse volumus, et mandamus, illis alias in suo robore permansuris, ac quamcumque instantiam, sive gradum

cuiuscumque appellationis, vel recursus coram Protectoribus, seu ad Protectores huiusmodi, removentes, tollentes, seu recusantes, quamcumque instantiam, prout de iure, et iuxta Ordinis instituta relinquimus, et cuiuscumque appellationis, seu recursus gradum, quem singulis Cardinalibus Protectoribus tenore praesentium omnino, et absolute adimimus, ipsis Cardinalibus insimul tamen in Congregatione negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praeposita convenientibus earumdem tenore praesentium restituimus, concedimus, tribuimus, et impartimur, seu verius utrumque, seu duplicem appellationis gradum, qui super praemissis prius ad Cardinales Protectores praefatos, et successive, vel respective, omisso medio ad memoratam Congregationem devolvebantur in eadem Congregatione consolidamus, annectimus, et unimus, et ad unum cognitionis, seu appellationis gradum reducimus.

§ 8. Ad haec cum pariter ex Indultis, Privilegiis, seu Constitutionibus Apostolicis, vel ex Regulis, Statutis, seu Ordinationibus, sive ex usibus, et consuetudinibus, vel alias quoquo modo, aliqua nonnullos Praelatos, Superiores, seu alios in aliquibus Ordinibus eligendi, seu deputandi, vel alia quaeque facultas, seu auctoritas nonnulla quaecumque gerendi, committendi, mandandi, demandandi, seu ordinandi praefatis Protectoribus, seu aliquibus eorum quomodolibet attributa, commissa, commendata, seu demandata specialiter, vel generaliter contra formam praefatarum Gregorii, et Sixti Praedecessorum Literarum existant. Hinc Nos huiusmodi electiones, seu deputationes ad limites Sacrorum Canonum, seu Regularum, et Instituti, vel ad modum, et formam in Comitiis Generalibus, seu per Nos auctoritate Apostolica statuendum, et statuendam reducimus, et reductas esse volumus, et mandamus.

§ 9. Quo vero ad caetera, facultatem, seu auctoritatem, quam iisdem singulis Cardinalibus Protectoribns in praemissis, et circa ea penitus adimimus, eorumdem Cardinalium Congregationibus, iuxta cuiuslibet Congregationis facultates, congrua congruis referendo, similiter restituimus, concedimus, tribuimus, et impartimur; sub ea tamem moderatione, seu declaratione, ut praefatae Congregationes in illis dumtaxat, quae ad Protectores huiusmodi ex Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, seu ex Statutis, Regulis, vel Constitutionibus cuiuslibet respective Ordinis, non autem ex usu, consuetudine, vel alias spectarent, loco eorumdem Protectorum subrogentur, et subrogatae sint, et intelligantur.

§ 10. Quia vero saepe saepius contingit, ut in causis, seu negotiis, quae in memoratis dictorum Cardinalium Congregationibus proponuntur, exquiratur super expositis informatio, ac quandocumque etiam Votum, seu delegetur resolutorum exequutio, eamdem proportionem, seu distinctionem, quam praemisimus, etiam in hac parte servari mandamus, ut nimirum in respicientibus totum Ordinem Protectorum curae, ut praefertur, commissis, seu relictis, iisdem Protectoribus; in caeteris vero casibus, et negotiis Superiori Generali, seu Procuratori Generali, et in utroque, seu alterutro casu, etiam Congregationi, sive Assistentium, sive Diffinitorum, sive Consultorum, sive aliter quomodocumque nuncupatae hic in Urbe, vel in alio Italiae loco existenti, in qua Ordinis negotia tractantur, seu tractari solent, vel debent, et quoad illos Ordines, in quibus huiusmodi insimul, et continue convenien-

Congregatio non existit, seu existit, sed extra Italiam, eidem Procuratori Generali, vel soli, vel insimul etiam nonnullis aliis eiusdem Ordinis Superioribus, seu Praelatis tametsi in diversis locis in Italia, seu extra eam respective, ut praefertur, commorantibus, arbitrio semper cuiuslibet ex praefatis Cardinalium Congregationibus, iuxta rerum, locorum, et personarum qualitates, et circumstantias respective, informatio, et Votum, ut praefertur, necnon exequutio huiusmodi, congrua congruis referendo, et servata caeteroquin quoad singulos Ordines forma propriae Regulae, Statutorum, seu Instituti, remittatur, delegetur, seu committatur.

§ 11. Perpendentes etiam Christianae Reipublicae prae caeteris expedire, ut Ordinibus Regularibus Praelati inculpatae vitae, morumque integritate, virtutibus, meritis, rerumque experientia praestantiores, et aptiores praeficiantur, et ad hunc effectum omnimodam, et ab humanis respectibus undequaque immunem, et sacrosanctam libertatem in illorum electionibus, nedum mirabiliter conferre, sed requiri, memoratos Protectores in Domino hortamur, et enixe obsecramus, ac Electoribus pariter in Domino, et in virtute Sanctae Obedientiae districte praecipimus, seu hortationes, obsecrationes, et praecepta huiusmodi renovamus, ut in Comitiis praesertim Generalibus, quibus eosdem pro tempore praesidere, et respective interesse contigerit, nedum interesse, et aliis intra Claustra degentibus, sed exteris ipsis quibuscumque etiam Laicis quacumque maiestate, praeeminentia, gradu, et dignitate fulgentibus, propriae indifferentiae, ac unici in Dei gloriam, et Religionis bonum respectus, ita se praebeant singulare specimen, et exemplar, talemque huius rectae intentionis, et melioris operationis odorem diffundant, ut illi propterea vexationes, et importunas commendationes, ubi Spiritus Paraclitus spirat, et praesidet, inutiles, et incongruas esse, fore, certius agnoscentes, ab iisdem prorsus abstineant, seu desistant, indeque tam intrinsecus, quam extrinsecus, omnibus vexationibus, commendationibus, machinationibus, humanisque finibus eliminatis, et explosis, integra, illibata, et intacta vocalibus remaneat eligendi facultas, et tam Superioris Generalis, quam aliorum respective Praelatorum, undequaque libera, optima, et canonica sequatur electio, ad quam cum Voto, si quod, et eo modo, quod Protectori iuxta cuiuscumque Ordinis Regulas, Statuta, vel alias competit, Deum, eiusque honorem, et gloriam dumtaxat prae oculis habens, concurrat.

§ 12. Nolumus tamen absentium Vota, nec Protectoris, nec cuiuscumque alterius, nec etiam ipsarum Cardinalium Congregationum auctoritate suppleri, seu alios Vocales eorumdem absentium loco, seu vice subrogari, deputari, seu eligi, sed ius eligendi in solis, iuxta iuris, et Instituti regulas ad hunc effectum assumptis, et in destinatis, et tempore convenientibus consolidari, seu alias, prout de iure, permanere omnino volumus, et mandamus.

§ 13. Ut autem praemissa omnia, et singula eo magis debitum consequantur effectum, et exequutioni demandentur, ac ad maiorem cautelam, seu declarationem, omnia quaecumque, et singula, quae in praemissis confirmatis, et extensis, et praesentibus nostris Literis sunt quoquo modo explicite, vel implicite memoratis Protectoribus interdicta, in posterum annullamus, cassamus, et irritamus, seu potius nulla, cassa, inania, irrita, nulliusque

roboris, et momenti ipso iure, et ipso facto omni meliori modo declaramus, atque decernimus.

§ 14. Mandantes iisdem nunc, et pro tempore in futurum existentibus Protectoribus, ne cuncta, vel singula praemissa quoquo modo iniungant, faciant, mandent, committant, permittant, sive tolerent, necnon quibuscumque Regularibus utriusque sexus, tum Superioribus etiam Generalibus, tum Subditis, ne iisdem omnibus, et singulis, ut praefertur, praemissis pareant, obediant, morem gerant, adhaereant, seu illa tolerent, vel permittant, sive omnia, vel singula praemissa quaecumque fiant, seu attententur per sententias, vel Decreta, sive in forma iudiciali, sive extraiudiciali, tam per patentes, quam per privatas Literas, seu epistolas, sive per se ipsos, sive per quoscumque alios, nedum per viam praecepti, iussionis, mandati, vel commissionis, sed etiam commendationis, et sive palam, sive secrete tum in quibuscumque scriptis, tum oretenus, et tam directe, quam indirecte, mediate, vel immediate, ac aliis quibuscumque formis, et modis, nihil penitus omisso, praefatorum omnium conscientias desuper onerantes.

§ 15. Propterea omnes, quascumque, et singulas facultates, auctoritates, et iurisdictiones qundocumque, qualitercumque, et quomodocumque, tam in genere, quam in specie omnibus, et singulis ante hac, sive nunc existentibus Protectoribus huiusmodi, et tam eorum personis, quam gradui, muneri, vel officio concessas, et attributas, vel communicatas, seu ab illis quoquo modo exerceri consuetas, etiam speciali, et individua mentione, moderatione, seu revocatione dignas, earumdem omnium, et singularum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti essent, pro plene, et sufficienter expressis habentes, in omnibus, et singulis, quae praemissis adversantur, moderamur, reformamus, et ad limites, modum, formam, et tenorem praesentium reducimus, et pro sic moderatis, reformatis, et reductis haberi, censeri, et intelligi volumus, et decernimus; sicque pariter, et non alias quam servata forma praesentium omnium, ac singulorum in illis contentorum facultates, iurisdictiones, et auctoritates huiusmodi, necnon deputationes eorumdem Protectorum in posterum quomodocumque concedendas, attribuendas, seu communicandas, et respective faciendas, observari, attendi, intelligi, et exequi omnino volumus, et mandamus.

§ 16. Quocirca praefatae Congregationi memoratorum negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositorum Cardinalium, et dilecto filio Curiae Causarum Camerae Apostolicae Generali Auditori per Apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus omnibus, et singulis praemissis semper salvis, et in suo robore permanentibus, Congregatio, vel Auditor praefati praesentes Literas in ea parte, qua praedictam moderationem, seu limitationem facultatum Protectorum huiusmodi, ac in contrarium desuper ab iisdem Protectoribus gerendorum, nullitatem, seu irritationem dumtaxat concernunt, ubi, et quandoque opus fuerit, quoties pro parte quorumcumque desuper interesse habentium Congregatio, vel Auditor praefati fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque desuper efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem praesentes in dicta parte dumtaxat firmiter observari, et singulos, quos eaedem Literae in dicta

parte concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes eos quomodolibet indebite molestari, contradictores, auctoritate nostra, appellatione postposita compescendo.

§ 17. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 9, p. 344-349].

258.

Innocentius XII, const. *Speculatores*, 4 nov. 1694.

Speculatores Domus Israel, quae est S. Dei Ecclesia, per ineffabilem Divinae Bonitatis abundantiam constituti, eo potissimum ab ipsis Pontificatus nostri primordiis pastoralis vigilantiae nostrae studia convertenda esse duximus, ut qui in sortem Domini vocantur, sacrisque addicuntur Ministeriis, quippe quos irreprehensibiles esse convenit, ut praeesse valeant corrigendis, ac in quos tanquam in speculum reliqui oculos coniiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur, tales sint, qui digne possint Dominica Sacramenta tractare, ac aedificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina.

§ 1. Sane hoc inito consilio, non alios, quantum fieri potest, quam qui in sanctitate, et iustitia per ordinatissimos Ecclesiasticae Militiae gradus statis intervallis ambulaverint, ac pie, et fideliter in Ministeriis anteactis se gesserint, ad Sacerdotium assumi, Sacrasque Ordinationes, iuxta priscum Ecclesiae morem, praescriptis a iure temporibus orationi, et ieiunio consecratis, haberi cupientes, severiorem quandam in concedendis Indultis suscipiendi Sacros Ordines extra tempora huiusmodi, et interstitiis ad id designatis minime servatis, ultro Nobis proposuimus adhibendam rationem, qua videlicet servata, ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinae Sacerdotalis honor non probatis minime tribuatur, nec unquam heri sacrilegi, hodie Sacerdotes, heri profani, hodie Sacrorum Antistites, veteres vitio, virtute rudes, et recentes, discipuli simul, ac Magistri pietatis creentur; sed ii tantum, iuxta constitutas a maioribus Leges, ab humili gradu fidelis Populi ad Sacrarum administrationum sublimitatem promoveantur, qui post mutatum habitum saecularem diuturna conversatione inter Clericos fuerint comprobati, ac multo tempore didicerint, quae postmodum alios docere tenentur; caeterum per ea ipsa Indulta, quae super praemissis parcius quidem, ac ex certis tantum, et magis rationabilibus causis concedere decrevimus, contraria quavis illorum interpretatione penitus improbata, salutarem illam, quam Sacri Generalis Tridentini Concilii Decreta de non ordinandis ad patrimonii titulum nisi illis, quos Episcopi pro necessitate, vel commoditate suarum Ecclesiarum assumendos iudicaverint,[1] praescribunt disciplinam, nequaquam relaxatam intelligi; quinimo nec unquam ad Indulta huiusmodi exequenda Episcopos ipsos arctare, sed illorum executionem arbitrio semper eorumdem Episcoporum, quorum conscientias hac

[1] Sess. XXI, *de ref.*, c. 2.

in re strictissime oneratas voluimus, prorsus relinquere declaravimus; sperantes in Domino eos, qui, iuxta Apostoli monitum, nemini cito manus imponendas esse probe norunt, sibi, et universo gregi attendentes, in quo eos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei; reverenda ipsis Spiritibus Angelicis Ministeria ab hominibus sine consideratione apprehendi nunquam permissuros, nec temere praeripi passuros, quae vita probata dumtaxat accipere promeretur. Omnes insuper, et singulos cuiuscumque tandem gradus, ordinis, et dignitatis fuerint, quibus ex huius Sanctae Sedis gratia Sacros Ordines praefatos extra eadem tempora conferendi, vel aliis, ut illos sic conferre valeant, indulgendi potestas fieri consuevit, cum Divinos Ordines largiri districti semper esse iudicii oporteat, serio monitos voluimus, ut praescriptos sibi desuper in suis quique facultatibus terminos religiose custodiant, nec eos cuiusvis consuetudinis, aut exempli praetextu ullatenus transgrediantur.

§ 2. Verum quo impensius Apostolicae gubernationis curam, et cogitationes in haec intendimus, eo maiori cum animi nostri dolore ex quamplerium Venerabilium Fratrum nostrorum Archiepiscoporum, et Episcoporum in diversis Regionibus existentium delatis ad Nos querelis accepimus, graviora quotidie malignari inimicum in Sancto, sacrilega scilicet illorum impudentia in dies crescente, qui propriae salutis immemores, Clericales Ordines sibi forsan a propriis Praesulibus denegatos, seu quos aliquibus cononicis sibi obstantibus impedimentis, denegari merito verentur, ab alienis Episcopis, non quae Iesu Christi, sed eas, quae ad ipsos non pertinent Oves, in animarum suarum perniciem quaerentibus, nec tot cononicas damnationes contra usurpantes alienae plebis hominem latas perhorrescentibus, absque suorum Praelatorum commeatu, hoc est dimissoriis, commendatitiisve eorum literis destituti, quinimo eis insciis, et sepe etiam invitis, sub minus legitimis Beneficii Ecclesiastici, Originis, Domicilii, seu etiam familiaritatis, ac continuae Ordinantium Episcoporum commensalitatis quaesitis titulis, in Sacrarum Legum fraudem, et contemptum, illegitime suscipiunt, atque ita non intrantes per ostium, et nihilominus Tabernaculum Domini cum maculis inhabitare non dubitantes, sacrificium in sacrilegium convertunt, iudicium absque misericordia sibi consciscunt, Deoque minime placentes, et tamen placere velle praesumentes, non modo eum non placant, sed magis irritant, dum videntur in cordibus suis dicere: Non requiret.

§ 3. Hinc est quod Nos ex commissae Nobis Divinitus Apostolicae servitutis munere, abusus, fraudes, ac scandala huiusmodi penitus, et omnino e medio tollere, ac irreligiosam contrafacientium audaciam, quantum Nobis ex alto conceditur, compescere, et reprimere volentes, necnon fel. rec. Urbani VIII contra male ordinantes, et male ordinatos, quae incipit: *Secretis.*[1] aliorumque Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum, ac etiam Conciliaribus hac in re editis Constitutionibus, et Ordinationibus inhaerentes, illasque quoad ea, quae praesentibus non adversantur, quatenus opus sit, innovantes: de Venerabiiium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium eiusdem Concilii Tridentini Interpretum, qui quaecumque ante hac super prae-

[1] Cf. N. 205.

missis ab ipsorum Cardinalium Congregatione in particularibus casibus edita Decreta, declarationes, seu responsa ad earumdem praesentium limites reducenda esse censuerunt, consilio, ac etiam Motu proprio, et ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiae utilitatem, veteris disciplinae instaurationem, totiusque Christiani Populi aedificationem, hac generali nostra, et perpetuo valitura Constitutione, decernimus, et declaramus, nulli Episcopo, seu cuiusvis loci Ordinario, tametsi Cardinalatus honore fulgeat, licere exterum quempiam, ac si ratione originis, seu domicilii, iuxta modum inferius declarandum, legitime contracti, non Subditum ad Clericalem Tonsuram promovere, cuiusvis Beneficii Ecclesiastici ei statim ac tonsura huiusmodi insignitus fuerit conferendi, seu ad quos is a Patronis iam praesentatus, seu nominatus fuerit, praetextu, etiamsi Beneficium praedictum de novo ea expresse adiecta lege fundatum fuisse constiterit, ut quis immediate post Clericalem characterem susceptum ad illud instituatur; praeterea Clericum, qui legitime iam a proprio Episcopo ad eamdem Clericalem tonsuram, seu etiam ad Minores Ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo ratione, ac titulo cuiuscumque Beneficii in illius Dioecesi obtenti ad ulteriores Ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem Testimoniales Literas proprii Episcopi tam originis, quam domicilii super suis natalibus, aetate, moribus, et vita sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo Ordinanti in actis illius Curiae conservandas exhibuerit. Licet vero Clericus ratione cuiusvis Beneficii in aliena Dioecesi obtenti subiici dicatur Iurisdictioni illius Episcopi, in cuius Dioecesi Beneficium huiusmodi situm est, eam tamen de caetero hac in re inconcusse servari volumus Regulam, ut nemo eiusmodi subiectionem ad effectum suscipiendi Ordines acquirere censeatur, nisi Beneficium praedictum eius sit redditus, ut ad congruam vitae sustentationem, sive iuxta Taxam Synodalem, sive, ea deficiente, iuxta morem Regionis pro promovendis ad Sacros Ordines, detractis oneribus, per se suffciat, illudque ab Ordinando pacifice possideatur, sublata quacumque facultate supplendi, quod deficeret fructibus eiusdem Beneficii cum adiectione Patrimonii etiam pinguis, quod ipse Ordinandus in eadem, seu alia quavis Dioecesi obtineret: ac Episcopus sic Ordinans tam de praedictis Testimonialibus Literis, quam de redditu Beneficii huiusmodi expressam in consueta collatorum Ordinum attestatione mentionem facere debebit.

§ 4. Caeterum Subditus ratione Originis is tantum sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea Dioecesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, Officii, Legationis, mercaturae, vel cuiusvis alterius temporalis morae, seu permanentiae eius Patris in illo loco, quo casu nullatenus eiusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum, et naturalis Patris origo erit attendenda. Quod si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti, sicut praemittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem Canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario eius loci Literas Testimoniales, ut supra, obtinere, illasque Episcopo Ordinanti per eum in collatorum Ordinum Testimonio similiter recensendas praesentare teneatur.

§ 5. At si Pater in alieno loco, ubi eius filius natus est, tamdiu, ac eo animo permanserit, ut inibi vere Domicilium de iure contraxerit, tunc non origo Patris, sed Domicilium per Patrem legitime ut praefertur, contractum pro Ordinatione eiusdem filii attendi debeat. Subditus autem ratione Domicilii ad effectum suscipiendi Ordines is dumtaxat censeatur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel maiorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis aedibus in locum huiusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit; et nihilominus ulterius utroque casu se vere, et realiter animum huiusmodi habere iureiurando affirmet. Si quis tamen a propriae originis loco in ea aetate discesserit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii suae originis Testimoniales Literas, ut supra, afferre debebit, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum Ordinum Literis facienda erit.

§ 6. Ad haec nullus Episcopus alienae Dioecesis Subditum familiarem suum ad aliquos Sacros, seu Minores Ordines, vel etiam primam Tonsuram promovere, seu ordinare praesumat absque eius proprii originis scilicet, seu domicilii Praelati Testimonialibus Literis, ut supra, et nisi ad praescriptum Conc. Trid. praefati Sess. 23, Cap. 9, *De reform.* familiarem praedictum per integrum, et completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit; beneficium insuper, quod ei ad vitam sustentandam, iuxta modum superius praefinitum, sufficiat, quacumque fraude cessante, statim, hoc est saltem intra terminum unius mensis a die factae Ordinationis, re ipsa illi conferat, ac in Ordinationis huiusmodi Testimonio expressam itidem familiaritatis, ac Literarum praedictarum mentionem facere teneatur.

§ 7. Porro, ut quicumque fraudibus aditus omnino praecludatur, volumus, et Apostolica auctoritate statuimus, atque decernimus, ut Episcopus quilibet suos ratione originis, sive domicilii Subditos Clericos quoscumque ab alienis Episcopis quavis auctoritate, etiam cum suis commendatitiis Literis promotos, nedum ad formam Concilii Tridentini supradicti Sess. 14, Cap. 3, *De reform.*, quoad scientiam examinare valeat, verum etiam Ordinum eis collatorum Testimoniales Literas, gratis tamen, recognoscere, ac diligenter perquirere, an quoad illos praesentis Constitutionis forma, et dispositio adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti ei magis beneviso ad docendum de eiusmodi adimplemento, ita ut quos eo termino elapso id minime praestitisse compererit, a susceptorum Ordinum exercitio, si ita, et quamdiu ei expedire videbitur, suspendere, illisque, ne in Altari, aut in aliquo Ordine ministrent, interdicere possit.

§ 8. Ita vero praemissa omnia, et singula perpetuo, ac inviolabiliter observari, atque adimpleri volumus, ut si quid in iisdem praemissis, seu eorum aliquo secus fiat, Ordinans quidem a collatione Ordinum per annum, Ordinatus vero a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, aliisque insuper gravioribus

poenis pro modo culpae Nostro, et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis uterque subiaceat.

§ 9. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 9, p. 374-377].

259.

Innocentius XII, const. *Ecclesiae Catholicae*, 22 sept. 1695.

Ecclesiae Catholicae per universum Orbem diffusae regimini meritis licet imparibus, Divina dispositione praesidentes, ea, quae a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, sive ad illicitorum, ac praesertim Ecclesiasticae libertati adversantium Iuramentorum abusum tollendum, sive ad quamcumque avaritiae labem a personis in sortem Domini vocatis, quas non quae sua sunt, sed quae Iesu Christi quaerere maxime convenit, excludendam, prudenti, salubrique consilio, ac illo qui secundum scientiam est, zelo constituta, et ordinata esse noscuntur, Apostolici muniminis nostri patrocinio libenter roboramus, novisque praesidiis, ut serventur exactius, constabilimus, ac alias desuper concessae Nobis a Domino potestatis partes studiosa charitate interponimus, sicuti Ecclesiarum omnium, quam gerimus, sollicitudo postulat, Nosque, omnibus maturae considerationis trutina perpensis, ad Omnipotentis Dei gloriam, rectam, ac felicem Ecclesiasticarum rerum directionem, necnon animarum pretioso Unigeniti Dei Filii, et Domini Nostri Iesu Christi sanguine redemptarum salutem expedire in Domino arbitramur.

§ 1. Dudum siquidem, postquam fel. record. Nicolaus Papa III Praedecessor noster, accepto in nonnullis Ecclesiis de earum consuetudine observari, ut cum earum Praelati ad Ecclesias ipsas primo accederent, vel cum de recipiendis ibidem novis Canonicis ageretur, nec Praelatos admitti, nec Canonicos aliter recipi in iisdem Ecclesiis, nisi iurassent statuta, et consuetudines ipsarum Ecclesiarum scripta, et non scripta inviolabiliter observare. Inter Laicos quoque multarum Civitatum, Castrorum, et Terrarum eum consuetudinis morbum in suis Potestatibus, Rectoribus, vel Officialibus assumendis irrepsisse, ut ipsi Potestates, Rectores, et Officiales ad eiusmodi Potestarias, Rectorias, et Officia nullatenus admitterentur, nisi prius se Statuta ipsorum locorum clausa servaturos similiter iurassent: in Statutis vero, ac Consuetudinibus supradictis interdum aliqua reperiri illicita, sive impossibilia, vel Ecclesiasticae libertati obviantia; ne sub tali generalitate iurandi sic iurantibus peccandi occasio praeberetur, animarum periculis obsistere cupiens, salubri sua ac generali Constitutione praeceperat a quibuscumque scientibus contineri in praedictis Consuetudinibus, et Statutis illicita, impossibilia, vel libertati Ecclesiasticae obviantia, Iuramenta huiusmodi nullo modo praesentari; ac praeterea decreverat talia Iuramenta ea intentione facienda, vel facta, ut etiam illicita, vel impossibilia, seu Ecclesiasticae libertati obviantia observarentur, cum etiam sub tali intentione praestari non possent absque Divinae Maiestatis offensa in huiusmodi illicitis, impossibilibus, seu libertati

Ecclesiasticae obviantibus non servanda: quin potius pro animarum salute si sub forma praefata, vel simili aliquos ignorantes praedicta illicita, vel impossibilia, vel libertati Ecclesiasticae obviantia iurare contigisset, ad observanda dumtaxat licita, possibilia, et libertati Ecclesiasticae non obviantia, Iurantium intentionem referri debere; declarans insuper Iuramenta sub huiusmodi generalitate qualitercumque, et sub quacumque verborum forma praestita, vel praestanda, ad licita, possibilia, ac Ecclesiasticae libertati non obviantia dumtaxat extendi, ipsosque Iurantes ad alia per praestationem Iuramenti huiusmodi non teneri.[1]

§ 2. Rec. mem. Gregorius Papa XIII etiam Praedecessor noster per quasdam suas desuper sub Plumbo expeditas literas, quarum initium: *Literas Apostolicas*, etc.,[2] praedictam Nicolai Praedecessoris Constitutionem, itidemque alias omnes Canonicas Sanctiones de abusu, et reprobatione Iuramentorum huiusmodi promulgatas innovavit, voluitque eas ubique ab omnibus etiam quo ad praeterita inviolabiliter observari. Praeterea praecepit, et interdixit Praelatis, Canonicis, et aliis supradictis, necnon Ecclesiarum Capitulis et Monasteriorum, caeterisque Conventibus, Civitatum quoque Castrorum, et Terrarum Communitatibus, et personis quacumque dignitate praeditis, ne ulla omnino Iuramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel libertati Ecclesiasticae, aut Decretis Concilii Tridentini obviantia, sive ante, sive post electiones, confirmationes, privationes, receptiones, admissiones, aut alios actus ubicumque, ac quocumque tempore, etiam praetextu cuiusvis consuetudinis quantumcumque tempore observatae, quae potius corruptela esset censenda, sive in genere, sive in specie praestare, reddere, vel exigere, neve super praestitis, redditis, vel exactis eo usque quempiam in Iudicio, vel extra illud inquietare auderent quoquo modo, vel turbare. Ac illos, qui Iuramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel Ecclesiasticae libertati, aut Decretis dicti Concilii obviantia exigere contendissent, Episcopos quidem, et alios quoscumque Pontificali dignitate praeditos a Divinis suspendit, Capitula vero, et Conventus, eorumque Ecclesias, et loca omnia interdicto Ecclesiastico supposuit, ac singulares personas Excommunicationis sententia innodavit, inhabilesque fecit ad obtenta, et alia obtinenda eo ipso, sibique, et Romano Pontifici pro tempore existenti relaxationem suspensionis, et interdicti necnon absolutionem ab excommunicationis sententia huiusmodi perpetuo reservavit. Decernens eos, qui tale Iuramentum scienter praestitissent, usu, et commodo rei, ac gratiae, cuius causa iurassent, eo ipso privatos esse; alios vero ignorantes ad praestitorum Iuramentorum huiusmodi observationem minime teneri, et alias prout in praefatis Gregorii Praedecessoris literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

§ 3. Porro antequam literae huiusmodi emanassent, simills mem. Pius Papa V etiam Praedecessor Noster, eiusmodi Concilii Tridentini Decretis, quibus, ne quidquam, quod in usus pios non convertatur, in electione, prae

[1] C. 1, *de iureiurando*, II, 11, in VI°.
[2] Cf. N. 154.

sentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem alicuius Cathedralis Ecclesiae vel Beneficii, Canonicatuum, aut Praebendarum, vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas quoquo modo persolvi possit, strictissime, prohibetur inhaerens, suam hac in re Constitutionem ediderat tenoris qui sequitur, videlicet. Pius Episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Durum nimis*, etc.

Omittitur Const., quia eam habes supra, in N. 134.

§ 5. Cum autem, sicut, non sine gravi animi nostri dolore, ex quam plurium, ac praesertim nonnullorum Ven. Fratrum Archiepiscoporum, et Episcoporum ad Apostolatum nostrum delatis querelis accepimus, adeo creverit tam salutarium legum transgressorum impudentia, ut non desint, qui sive avaritiae, quae est idolorum servitus, improbo affectu, sive ambitioso Ecclesiasticorum graduum cupiditatis consilio ducti, hominibus trepide paciscentibus fidem habentes, et tamen Deo veraciter promittenti minime credentes, sacras ipsas electiones, quas Sanctissimi Ecclesiae Canones, omni prava pactione submota peragi tam districte praecipiunt, illicitis, iniustis, ac per tot Apostolicas Sanctiones reprobatis conventionibus per electos, quicumque illi sint observandis, quibus Canonica Praesulum iurisdictio, ut plurimum circumscribitur, vacantium Ecclesiarum Iura laeduntur, ac ipsius etiam Apostolicae Sedis auctoritas interdum violatur, temere inquinare satagant, atque ita abominationem desolationis in Sanctuarium invehere, Sacrasque Ecclesiae Dignitates ad quas olim non nisi ex persecutionis tolerantia ascendebatur, in turpem quaestum, ac tenebrarum negotium commutare minime vereantur, non sine gravissima Ecclesiasticae disciplinae perturbatione, fidelium scandalo, ac salutis animarum detrimento. Hinc est quod Nos - qui libertatis, Iurisdictionis, aliorumque Iurium Ecclesiasticorum assertores in Terris a Domino constituti sumus, omniumque Christifidelium curam superna dispositione gerimus, abusus quoscumque circa praemissa introductos e medio tollere, illisque in futurum omnem ansam praecidere, necnon animarum periculis, quantum Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, habita super iisdem praemissis cum particulari Congregatione Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium eiusdem Concilii Tridentini Interpretum, qui rem mature discusserunt, diligenti deliberatione de illorum consilio pariter, et assensu, ac Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine omnia, et singula praemissa a praefatis Nicolao, Pio, et Gregorio Praedecessoribus constituta, ordinata, interdicta, decreta, et respective declarata, ut praefertur, expeditasque desuper illorum Constitutiones, seu literas supradictas tenore praesentium perpetuo approbamus, confirmamus, et innovamus illisque perpetuae, atque irrefragabilis Apostolicae firmitatis robur, patrocinium, et praesidium adiicimus.

§ 6. Praeterea, ut eadem praemissa firmius, atque inviolabilius de caetero observentur, ultra omnes, et singulas poenas in iisdem Constitutionibus, seu literis impositas, privationis, Dignitatum, Canonicatuum, et Praebendarum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, et quo ad Regulares, etiam

vocis activae. et passivae, ac graduum, munerum, et officiorum tam quorumcumque per eos respective obtentorum, perpetuaeque inhabilitatis ad illa, et alia similia, vel dissimilia quaecumque in posterum quomodolibet obtinenda poenas per contrafacientes ipso facto, absque alia declaratione incurrenda adiungimus.

§ 7. Porro ad penitus extirpandum, atque evellendum abusum Capitulationum, pactionum, Conventionum, concordatorum, seu statutorum quorumcumque, quae perperam, ac adversus Sacrorum, et Canonum et Constitutionum Apostolicarum dispositionem, occurrente Ecclesiarum quarumlibet praesertim Cathedralium, Metropolitanarum, seu Monasteriorum quovis vacatione, ab iis, ad quos electio personarum idonearum ipsis Ecclesiis, seu Monasteriis ad electionem huiusmodi respective praeficiendarum iuxta privilegia, et Indulta Apostolica eis desuper concessa, aut alias legitime spectat, sive ante, sive post electionem praedictam interdum iniri, condi, ac fieri consueverunt, motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus earumdem tenore praesentium omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae, vel dignitatis fuerint sub eisdem omnino poenis superius expressis, quarum absolutionem, seu relaxationem Nobis, et Romano Pontifici pro tempore existenti dumtaxat specialiter reservamus, districte prohibemus, et interdicimus, ne Capitulationes, pactiones, concordata, seu statuta huiusmodi ante ipsam quidem electionem, seu etiam postulationem de caetero inire, condere, aut facere audeant quovis modo, seu praesumant. Illaque proinde, quatenus de facto contra praesentis nostrae prohibitionis formam inita, condita, seu facta fuerint, nulla, inania, invalida, irrita, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacua, ac nullius roboris, et momenti esse, et perpetuo fore, neminemque ad illorum, seu cuiuslibet eorum, etiamsi iuramento vallata sint, observantiam teneri, aut obligatum existere, vel fore decernimus, et declaramus.

§ 8. Quae vero electione, seu postulatione huiusmodi secuta quomodolibet iniri, condi, seu fieri contigerit, ad Nos, seu eumdem Romanum Pontificem pro tempore existentem quamprimum deferri atque ita Nostro, et Sedis Apostolicae iudicio subiici praecipimus, suspensa interim eorum omnium, et singulorum executione, donec, et quousque ab eadem Sede, sine cuius auctoritate nihil omnino in similibus pacisci fas est, Apostolicae confirmationis robur in totum, vel in partem receperint.

§ 9. Caeterum per praesentes non intendimus ea, quae ante hac contra supradictarum Nicolai, Pii, et Gregorii Praedecessorum, seu forsan aliarum Apostolicarum Constitutionum, seu Literarum formam quomodolibet gesta fuerunt ullatenus approbare, nec poenas ea de causa per trangressores incursas remittere, vel condonare.

§ 10. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 9, p. 412-416.]

260.

Innocentius XII, const. *Nuper*, 23 dec. 1697.

Nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum prodierunt Decreta tenoris infrascripti videlicet:

§ 1. Alias super celebratione Missarum, ac prohibitione illas moderandi, seu reducendi absque Sedis Apostolicae licentia, necnon super earumdem oneribus perpetuis suscipiendis, et Religiosorum numero ultra redditus, et consuetas eleemosynas locorum Regularium non habendo emanarunt ab hac S. Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate per fel. rec. Urbanum Papam VIII illi specialiter attributa, quam plura Decreta tenoris sequentis.

§ 2. Cum saepe contingat in quibusdam Ecclesiis, tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex variis Defunctorum relictis, aut piorum eleemosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus praescriptis nequeat satisfieri, et tamen nova onera Missarum in dies suscipiantur; indeque fiat, ut depereant piae Testantium voluntates, obstricta Benefactoribus fides violetur, Defunctorum animae suffragiis priventur, Ecclesiis debitus subtrahatur cultus, ac Christifideles gravi scandalo affecti, plerumque a similibus charitatis operibus retrahantur. Cumque his malis maximum inter caetera fomentum praebeat, aut quod ii, qui Missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas brevi ad pauciorem numerum a Superioribus reductum iri; aut quod Ecclesiis sorte pecuniarum assumpta, plerumque nuda remaneant onera Missarum, absque ullo emolumento, aut quod eleemosyna pro illis celebrandis sit adeo tenuis, ut non facile inveniantur, qui velint huic se muneri subiicere, et redditus Ecclesiae, aut Monasterii adeo exigui, ut Sacerdos pro necessaria sua sustentatione novis se oneribus obstringere compellatur. S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum animadvertens, facturam se rem Deo gratissimam, charitatique, ac iustitiae maxime consentaneam, si pro viribus satagat, hunc teterrimum abusum e Christiana Republica convellere, atque eradicare, auctoritate Ssmi Domini Nostri Urbani Divina Providentia Papae VIII sibi specialiter attributa, infrascripta Decreta edidit.

§ 3. Ac primo districte prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Dioecesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel alias quoquomodo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quae re diligenter perspecta, id statuet quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes, commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit.

§ 4. Deinde ubi pro pluribus Missis, etiam eiusdem qualitatis celebrandis, stipendia, quantuncumque incongrua, et exigua, sive ab uno sive a pluribus

personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, ac Locis Piis quibuscumque tam Saecularibus, quam Regularibus: S. Congregatio sub obtestatione Divini Iudicii mandat, et praecipit, ut absolute tot Missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suae obligationi non satisfaciant; quinimo graviter peccent, et ad restitutionem teneantur.

§ 5. Id vero, ut deinde observetur exactius, S. Congregatio eadem auctoritate revocat Privilegia, et Indulta omnia quibusvis personis, Ecclesiis, et Locis Piis, tam Saecularibus, quam Regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, et Instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

§ 6. Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat.

§ 7. Praeterea ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis tepidiores, ac segniores reddantur, quod onera huiusmodi cum nulla, aut parva sint utilitate coniuncta: statuit, atque decernit, ut pecuniae, ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis Conventibus, ac Locis omnibus, tam Saecularibus, quam Regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum ab iis, ad quos pertinet, sub poena interdicti ab ingressu Ecclesiae ipso facto incurrenda a die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes Aedem Sacram, vel personam fide, et facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium quamprimum investiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expressa, et individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur. Ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium, sub eadem poena, ut supra, deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cum eiusdem oneris repetitione, atque annexione converti debeat. Ad haec Sac. Congregatio quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, et Congregationibus, necnon omnibus, et singulis Ecclesiarum, ac Piorum Locorum, tam Saecularium, quam Regularium Superioribus, vel aliis ad quos pertinet, districte prohibet, ne in posterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum; Saeculares quidem sine Episcopi, vel eius Generalis Vicarii; Regulares vero sine Generalis, vel Provincialis consensu, et licentia in scriptis, et gratis concedenda; alioquin Saecularis, qui huius prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiae interdictus sit eo ipso: Regularis vero poenam privationis omnium Officiorum, quae tunc obtinebit, ac perpetuae inhabilitatis ad alia de caetero obtinenda, vocisque activae, ac passivae, absque alia declaratione incurrat. Eleemosynas vero manuales, et quotidianas pro Missis

celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant, alioquin omnino abstineant ab huiusmodi elemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, et capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa « *Eleemosyna pro Missis* », vel alia simili sub iisdem poenis, ipso facto incurrendis; ne Fideles hac ratione frustrentur.

§ 8. Episcopus vero, seu eius Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant, de singulis Missarum celebrandarum obligationibus, cuique Ecclesiae, Monasterio, aut Loco Pio incumbentibus; nec antea assensum huiusmodi, aut licentiam praebeant, quam eis legitime constiterit, illius Sacerdotes tam novo oneri suscipiendo, quam antiquis iam susceptis satisfacere, posse, praecipuamque rationem habeant, ut redditus, qui Ecclesiis, et Locis Piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adiunctis secundum morem cuiuscumque Civitatis, vel Provinciae, intelligantque, si in re tanti momenti desides, aut negligentes fuerint, in novissimo die se huius praetermissi muneris rationem esse reddituros.

§ 9. Postremo Illustrissimi Patres non sine gravi animi dolore intelligentes mala fere omnia, quae Regularem disciplinam evertunt, ac praecipue nimiam hanc facilitatem fovent, in oneribus Missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex maiori Regularium numero, quam ferant redditus, et eleemosynae cuiusque Monasterii, inhaerentes Summorum Pontificum, ac Sacri Concilii Tridentini Decretis, hac de re editis, Sanctissimi Dom. Nost. auctoritate praecipiunt, ac mandant omnibus, et singulis Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Praesidentibus, Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Guardianis, Vicariis, et quibuscumque aliis Superioribus Monasteriorum, Conventuum, ac Domorum Regularium, bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cuiuscumque Ordinis, Congregationis, et Instituti existentium intra fines Italiae, et Insularum adiacentium, ut singuli, ad quos pertinet in qualibet Provincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus sui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, et rerum usu peritioribus, bona immobilia, census, redditus, et proventus omnes, consuetas item eleemosynas, et obventiones tam communes Monasteriorum, Conventuum et Domorum eiusdem Provinciae, quam etiam singularibus personis Religiosis assignatas, seu permissas in communem usum deinceps conferendas decem annorum immediate praecedentium habita ratione diligenter, et mature recognoscant, iis omnibus detractis, quae reparationes, praestationes, grandines, sterilitates, aliave cuiuslibet generis onera, consueverunt absorbere. Eaque omnia scripto fideliter exarata, idem Superior, cuius interest, in proximo Capitulo, seu Congregatione Generali, vel Provinciali coram tribus Iudicibus ab ipsomet Capitulo, seu Congregatione deligendis proponat, qui computatis huiusmodi redditibus, eleemosynis, et obventionibus universis, et oneribus, ut supra detractis seduto examinent, quot Religiosi homines connumeratis etiam Laicis, aliisque necessariis servientibus in unoquoque Monasterio, Conventu, et Domo Regulari iuxta Regionis, et proprii Instituti morem, victum, et vestitum, et medicinalia in communi habentes, compe-

tenter valeant sustentari. Tum eorumdem bonorum, redditaum, eleemosynarum, et onerum praecisam notam ipsimet Capitulo, seu Congregationi exhibeant, ut in illo diligenter omnibus discussis, cuiusque Familiae Monasterii, Conventus, ac Domus Regularis in singula quaque provincia certus earum tantum personarum numerus. Patrum Capitularium voto praefigatur, quae redditibus, eleemosynis, et obventionibus, ut superius sufficienter ali possint. Ne vero Superiores, qui id praestare debent, serius, aut remissius, quam par est, suo muneri satisfaciant: mandat Sacra Congregatio, ut intra annum post proximun Capitulum Generale, vel Provinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter gesta, in authenticam formam redacta, ad Sacram ipsam Congregationem Concilii singuli mittant. Numerumque Familiae, singulorumque Conventuum, Monasteriorum, et Domorum huiusmodi Regularium, Capituli, seu Congregationis Generalis, vel Provincialis sententia, et auctoritate praefinitum, iidem Superiores tam Generales, et Provinciales omnes, quam Locales perpetuo servare omnino teneantur, nec possint illum quoquomodo augere, etiam praetextu augmenti reddituum absque Sacrae ipsius Congregationis licentia; Superiores autem huiusmodi, qui praedicta omnia in praefixo termino non praestiterint, vel numerum, ut supra, praescriptum, quovis modo augere praesumpserint, vel privationis omnium Officiorum, quae tunc temporis obtinebant, vocisque activae, et passivae, et ad omnia suae Religionis Officia, et gradus inhabilitatis perpetuam poenam eo ipso incurrere, atque aliis etiam gravioribus a Sede Apostolica infligendis poenis S. Congregatio subiacere voluit, et declaravit.

§ 10. Deinceps vero Monasterium, Conventus, Domus, Congregatio vel Societas Religiosorum, seu Regularium nullibi recipiatur, nisi praeter alia ad id requisita, in singulis huiusmodi locis duodecim saltem Fratres, aut Monachi, seu Religiosi degere, et ex redditibus, et consuetis eleemosynis detractis omnibus, ut supra, detrahendis, competenter sustentati valeant ad praescriptum Decreti felic. recordationis Gregorii XV, hac de re editi.[1] Alioquin Monasteria, et loca huiusmodi post hac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, ut supra sustentari, atque inhabitare non poterunt, et actu non inhabitaverint Ordinarii Loci visitationi, correctioni, atque omnimodae iurisdictioni subiecta esse intelligantur.

§ 14. Et ne praemissorum ignorantia a quoquam praetendi possit, voluit eadem Sacra Congregatio, ut praesentes Ordinationes in Valvis Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, et Principis Apostolorum de Urbe, ac in Acie Campi Florae, ut moris est, affixae omnes, ad quos pertinet, ita arctent, et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent.

§ 15. Utque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae die 21 Iun. 1625. - Cosmus Cardinalis de Torres. - Prosper Fagnanus S. Congregationis Secretarius.

[1] S. C. Ep. et Reg., 17 aug. 1622, § 2. - Bull. Rom., tom. 5, V, p. 47, 48.

Excitatis autem super praemissorum Decretorum intelligentia, seu interpretatione infrascriptis dubiis, prodierunt a memorata Congregatione simili auctoritate illi a praefato Urbano Papa VIII specialiter attributa responsiones, seu declarationes inferius apponendae.

Super primo Sacrae Congregationis Decreto de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Dioecesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel alias quoquo modo, reducant onera illa Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis. Quaeritur, quid si legatum sit ita tenue, ut non sit, qui velit onus illi iniunctum subire, et si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis? Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione, ut possit huiusmodi onera moderari.

Secundo, An super secundo eiusdem Congregationis Decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Missae, quot ad rationem tributae eleemosynae praescriptae fuerint. Quaeritur, an verba illa (*praescriptae fuerint*) intelligenda sint de praescriptione facta ab Offerente, vel ab Ordinario?

Tertio, An cum Ordinarius praescripserit eleemosynam congruam iuxta qualitatem Loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur Missas illis ab Offerente praescriptas celebrare?

Quarto, An Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Cappellae, Legati, aut Salarii, possint etiam manualem eleemosynam, pro Missis Votivis, aut Defunctorum recipere, et unico Missae Sacrificio utrique oneri satisfacere?

Quinto, Posito, quod Testator relinquat, ut celebrentur pro eius Anima centum Missae, absque ulla praescriptione eleemosynae. Quaeritur, an liberum sit haeredibus, eleemosynam sibi bene visam praescribere, an vero eadem eleemosyna praescribenda sit ad Ordinario.

Septimo, Super quarto eiusdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui suscepit Missam celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat. Quaeritur, an permittendum sit Administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem, pro expensis manutentionis Ecclesiae, altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiae, et similium?

Octavo, An hoc Decretum habeat locum in Beneficiis, quae conferuntur in titulum, idest, an Rector Beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium, ad rationem reddituum Beneficii?

Decimo, An Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna maior solita, pro celebratione Missae, debeant dare eandem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt; an satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

Undecimo, Super quinto eiusdem Congregationis Decreto, quo inter caetera statuitur per haec verba: eleemosynas vero manuales, et quotidianas

pro Missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus ante impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant; alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, et capsulas auferant etc. Quaeritur, an hoc Decretum prohibeat absolute, quo minus accipiant novas eleemosynas, qui acceptis non satisfecerunt et quid, si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

Duodecimo, Quid si offerens eleemosynas, audito impedimento consentiat, ut Sacerdos Missam celebret, cum primum poterit?

Decimoquinto, An Administratores Ecclesiae, magnae devotionis, et concursus, possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis, non nisi post longum tempus satisfacere valeant, ne alias cultus Ecclesiae, et devotio, ac concursus Fidelium, ut aiunt, minuantur?

Decimosexto, Quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, necnon omnibus, et singulis Ecclesiarum, et Piorum Locorum, tam Saecularium, quam Regularium Superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali (*et aliis ad quos pertinet*) supplicatur pro opportuna declaratione?

Ultimo, An idem Decretum, ubi disponit, ut nullibi recipiantur Monasteria, nisi etc., habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum Decretum proxime antecedens, an vero etiam extra Italiam.

Declarationes, seu Responsiones ad supradicta Dubia.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate sibi a Sanctissimo Domino Nostro attributa, ad singula Dubia superius proposita, ad hunc modum respondit, videlicet:

Ad primum. Et si legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut supra, impositi, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quae absque ulla impensa id statuet, quod magis in Domino e re esse iudicaverit: verumtamen, si in ipsa Beneficii erectione expresse cautum fuerit, ut liceat Episcopo iniunctum onus reducere, et moderari, legem hanc fundationis, quam Decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam, et observandam.

Ad secundum. Esse intelligenda de praescriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario: quod si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non praescripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot praescripserit Ordinarius secundum morem Civitatis, vel Provinciae.

Ad Tertium. Teneri.

Ad Quartum. Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Cappellae, Legati, aut Salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.

Ad Quintum. Censuit, ubi nullam certam eleemosynam Testator reliquit, esse ab Episcopo praescribendam eleemosynam congruam, quae respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundum morem Civitatis, vel Provinciae.

Ad Septimum. Respondit, permittendum non esse, ut Ecclesiae, ac loca pia, seu illorum Administratores, ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam, utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiae, et loca pia alios non habent redditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint, et tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum Missae Sacrificio necessario sunt subeundae, at nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quae supersunt, expensis, ut supra, deductis, absolute tot Missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab Offerentibus eleemosynas.

Ad Octavum. Non habere locum, sed satis esse, ut Rector Beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundum morem Civitatis, vel Provinciae, nisi in fundatione ipsius Beneficii aliud cautum fuerit.

Ad Decimum. Debere absolute integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Ad Undecimum. Respondit non prohibere absolute; ac propterea, et si oneribus iam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad Duodecimum. Quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione[1] id sciat, et consentiat, ut illae tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quo minus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem Missis iuxta Benefactoris consensum celebrandis.

Ad Decimumquintum. Non posse nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, ut supra in responsione ad Duodecimum.

Ad Decimumsextum. Comprehendi etiam privatos Sacerdotes.

Ad Ultimum. Habere locum extra Italiam.

Cosmus Cardinalis de Torres.
Prosper Fagnanus Sacrae Congregationis Secretarius.

Cum autem super praemissis diversi irrepserint abusus, illorumque occasione, quamplures querelae, et recursus ad Apostolicam Sedem pervenerint, cupiens eadem Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum huiusmodi detestabiles abusus e Christiana Republica pro viribus evellere, ac opportune providere, ut sublatis fraudibus, ac emendata negligentia piae Disponentium, seu Benefactorum voluntati fides illibata servetur, Defunctorum animabus integra, et prompta praestentur suffragia, itidemque Deo maior gloria, et Ecclesiis praestantior cultus reddatur, praevia auctoritate per SSmum D. Nostrum Innocentium Divina Providentia Papam XII ei specialiter attributa infrascripta Decreta, prius in particulari nonnullorum ex praefatis Cardinalibus per Sanctitatem suam deputata, et postea in generali

[1] Adde: offerens.

huiusmodi Cardinalium Congregatione mature, et accurate discussa, recognita, examinata edidit.

§ 16. In primis, praeinserta Decreta cum praemissis illorum declarationibus plenissime, et amplissime approbat, confirmat, et innovat, omniaque, et singula ibidem contenta, et expressa iterum omni meliori modo decernit, statuit, ac ab omnibus, et singulis etiam speciali, et individuali nota, seu expressione dignis penitus observari, et omnimodae executioni demandari decernit, sancit, et praecipit.

§ 17. Insuper, ut in re tanti momenti consultius, ac maiori, ut par est, circumspectione procedatur, si qui forsan fuerint, vel sint, qui suis pravis, et erroneis intentionibus, seu opinionibus blandiri volentes Missarum celebrationem omittunt sub malitiosa, vel irrationabili spe earumdem condonationem, vel reductionem a Sede Apostolica, vel compositionem a Reverenda Fabrica Sancti Petri de Urbe obtinendi; Congregatio praefata tum eosdem, tum quoscumque alios, qui post hac in adeo detestabiles abusus ausi fuerint offendere, certiores fieri, et monitos esse voluit, praefatas condonationes, et reductiones ab eadem Sede, nonnisi ex rationabili causa, seu aequa commiseratione: compositiones vero a dicta Fabrica utente suis facultatibus, et privilegiis, nonnisi ex causa pariter rationabili, et cum clausulis opportunis, et praesertim cum illa « *dummodo malitiose non omiserint animo habendi compositionem, alias gratia nullo modo suffragetur* » admitti consuevisse, et solere; quapropter, ut locus omnis in posterum hisce praetextibus praecludatur, memorata Congregatio tales intentiones, opiniones, seu spes, ac eleemosynarum, sive in toto, sive in parte versiones in alium, quam praefatarum Missarum usum, seu satisfactionem, et quascumque alias directas, vel indirectas, immediatas, vel mediatas contraventiones, seu circumventiones declarat prorsus irrationabiles, iniustas, et illicitas, illasque omnino reprobat, damnat, et interdicit.

§ 18. Cumque huiusmodi absurda ex eo plerumque proveniant, quod onera Missarum supra vires suscipiantur: caveant omnes, et singuli Rectores, Superiores, et Ministri quarumcumque tum Saecularium, tum Regularium Ecclesiarum, seu illarum Capitula, ne onera, seu Missas tum temporales, tum etiam manuales, quarum satisfactioni impares fuerint, quoquomodo suscipiant, utque id ipsum quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere, semperque in loco magis patenti, et obvio retinere Tabellam onerum perpetuorum, et temporalium Literis perspicuis, et intelligentibus descriptorum, quorum implemento, si moraliter, et intra praescriptum, seu breve tempus satisfacere non posse, seu illa dumtaxat, et non ulteriora adimplere posse crediderint, seu credere debuerint, alias Missas, sive perpetuas, sive temporales, sive manuales per se, vel per interpositas personas quoquomodo recipere, seu acceptare omnino desistant, seu abstineant, et ulterius tali casu in eadem Tabella similiter exprimant sese, propterea aliis Missis acceptandis, et celebrandis impares esse.

§ 19. Iidemque teneantur pariter in Sacrario duos Libros retinere, ac in eorum altero singula onera perpetua, et temporalia, in altero autem Missas manuales, et tam illorum, quam istarum adimplementum, et eleemosynas

distincte, et diligenter annotare, et annotandas, seu annotanda curare, singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis, et oneribus pariter exactam rationem suis Superioribus reddere, ac omnes, et singulas rationes huiusmodi in praefatis respective Libris simili distinctione, et diligentia, tam praefati a quibus rationes debent reddi, quam Superiores, quibus reddendae erunt, describere, seu annotare, sive describendas, vel annotandas respective curare.

§ 23. Meminerint igitur, et satagant Ordinarii, ut a personis, et in Ecclesiis quoquomodo etiam in vim Decretorum Concilii Tridentini sibi subiectis, Missae ea, qua par est, fide, et diligentia celebrentur, et cuncta, et singula Decreta huiusmodi omnimodae executioni demandentur, nedum iustitiam recurrentibus, seu instantibus reddentes, sed ex officio tum in visitationibus, tum in aliis actibus, et modis, quos expedire, et convenire toties, quoties iudicaverint inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, differatur, vel omittatur, quod his omnibus, et singulis Decretis adversatur.

§ 24. Caveant etiam respective omnes Regulares tum Subditi, tum Superiores quicumque nedum Locales, sed etiam Provinciales, et Generales, ne Missarum celebratio, et omnium Decretorum praemissorum executio, cum pernicie propriarum animarum, cum praeiudicio illarum, quibus Missae sunt applicandae, et cum magno Christifidelium scandalo quoquomodo omittantur, differantur, negligantur, seu pervertantur, alioquin ultra propriae conscientiae onerationem, poenam privationis vocis activae, et passivae, ac graduum, et officiorum, quae obtinent, necnon inhabilitationis ad huiusmodi gradus, et officia obtinenda prorsus incurrant.

§ 29. Non obstantibus quoad suprascripta omnia, et singula in huiusmodi Decretis contenta Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militiarum etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, et Congregationum, Societatum, ac cuiuslibet alterius Instituti etiam necessario, et in individuo exprimendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hospitalium, Confraternitatum, et aliorum quorumcumque tam Saecularium, quam Regularium locorum, necnon illorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate roboratis Statutis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis etiam mari magno, seu Bulla aurea, aut alias nuncupatis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, et insolitis clausulis, necnon irritantibus Decretis, etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, et iteratis vicibus approbatis, et innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, et formis specialis, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus[1] adversantur, illis

[1] Adde: pro expressis habens, eisdem quatenus praesentibus.

alias in suo robore pemansuris, Sacra Congregatio Sanctitatis Suae auctoritate specialiter, et expresse derogat, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae die 23 Novembris 1697. - Ioseph Card. Sacripantes Praefectus. - Ferdinandus Nuptius Sacrae Congr. Secretarius.

§ 30. Quocirca, cum dilectus Filius noster Ioseph Tituli Sanctae Mariae Transpontinae Sanctae Rom. Eccl. Presbyter Cardinalis Sacripantes, memoratae Congregationis Praefectus, praefata Decreta Nobis retulerit: Nos considerantes eadem, et singula omnia Decreta, ea qua decet maturitate digesta et examinata, ac in vim Apostolicae auctoritatis eidem Congregationi specialiter, ut praefertur. attributae peracta, perutilia fore censentes, illaque propterea perpetuo, et inviolabiliter observari, necnon Constitutionis nostrae munimine roborare volentes, Motu proprio, non ad cuiusquam nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia, et matura deliberatione, deque Apostolicae potestatis plenitudine praeinserta Decreta, omniaque, et singula in eis contenta, tenore praesentium auctoritate Apostolica confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis, et irrefragabilis Apostolicae firmitatis robur, et efficaciam adiicimus, quinimo motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine similibus, omnia, et singula in supradictis Decretis contenta, de novo statuimus, decernimus, et ordinamus, ac ab omnibus, et quibuscumque, etiam speciali, et individua nota dignis omnino exacte et perpetuo servari volumus, sancimus, et mandamus.

§ 31. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 9, p. 464-471].

261.

Innocentius XII, const. *Emanavit*, 6 sept. 1698.

Emanavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praeposita in Causa Lusitana Iurisdictionis inter Venerabiles Fratres modernos Archiepiscopum Bracharen., et Episcopum Lerien. ex una, necnon dilectos filios Regulares Regni Portugalliae ex altera partibus vertente, Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet. In Causa Lusitana Iurisdictionis vertente inter Archiepiscopum Bracharen., et Episcopum Lerien. ex una, necnon Regulares eiusdem Regni partibus ex altera, instantibus dictis Archiepiscopo, et Episcopo declarari: An Episcopi possint in sua Dioecesi prohibere Regularibus ad Confessiones audiendas approbatis ab Antecessoribus Episcopis, vel ab Episcopis alienae Dioecesis, ne amplius Confessarii munus exerceant sine ipsorum nova approbatione, et licentia, non obstante Bulla Cruciatae, et contra Regulares transgressores procedere valeant ad suspensionem, Censuras, et alias Canonicas poenas, Sacra Congregatio Eminentissimorum, et Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negociis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praeposita, audita relatione Nuncii Apostolici apud Serenissimum Lusitaniae Regem residentis, referente Eminentissimo Collo-

redo, censuit, et declaravit, servandam esse omnino Constitutionem Septimam sa. me. Clementis X quae incipit *Superna* etc.[1] non obstante Bulla Cruciatae, quae in hac materia nihil novi Iuris induxit, neque quoad Poenitentes, neque quoad Confessarios, prout praesentis Decreti vigore servari mandat, ac praecipit. Romae 11 aprilis 1698. - G. Cardinalis Carpineus. - I. D. Archiepiscopus Athenarum, Secretarius.

§ 1. Cum autem sicut pro parte Archiepiscopi, et Episcopi praedictorum Nobis subinde expositum fuit, ipsi Decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicae Confirmationis Nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent, Nos ipsos Archiepiscopum, et Episcopum specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a Iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praeinsertum auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illique Inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus: salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

§ 2. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 9, p. 488].

262.

Innocentius XII, const. *Nuper a Congregatione*, 24 apr. 1699.

Nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum emanavit super quodam dubio pro parte Venerabilis Fratris moderni Episcopi Pistorien., et Praten. Congregationi huiusmodi proposito, Decretum tenoris, qui sequitur videlicet: Pistorien. Praten. Cum Parochi Ecclesiarum Pistorien., et Praten. inter varias opiniones Doctorum involuti negligant in dies celebrationem, et respective applicationem Sacrificii pro Populo iuxta dispositionem Sacrorum Canonum, et Concilii Tridentini, Episcopus ad consulendum, nedum propriae, verum etiam dictorum Parochorum conscientiae, supplicat declarari: *An Parochi teneantur omnibus diebus festis applicare Sacrificium pro Populo, sive non?* Die 14 februarii 1699. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, dandas esse resolutiones alias hac de re editas, et signanter in Nullius Nonantulan. Eminentissimo Abbati 30 augusto 1698 tenoris, ut infra: Cum praecepto Divino iis, quibus animarum cura commissa est, mandatum sit pro ovibus suis Sacrificium

[1] Cf. N. 246.

offerre, saepe alias Sacra Congregatio Concilii censuit, Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, et praecipue in dubio applicationis Sacrificii proposito, et respective resoluto sub die 10 maii 1692 his praecisis verbis concepto: *An Parochus Missam celebrare teneantur, et Sacrificium applicare pro Parochianis, in diebus Dominicis, et festis, sive habeat congruam, sive non?* Sacra etc., iuxta alias declarationes censuit teneri, nec posse eisdem diebus aliam eleemosynam recipere. Ac proinde idem nunc respondendum esse censuerunt Eminentissimi Patres quoad Parochos Nonantulanae Dioecesis, addentes insuper, quod E. V. pro suo Pastorali zelo detrectantes Parochos compellere non gravetur. - I. Cardinalis Sacripantes Praefectus. - F. Nuptius Secretarius.

§ 1. Cum autem, sicut dictus Episcopus Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, et servetur exactius, Apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: Nos specialem ipsi Episcopo gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati Decretum praeinsertum auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus; salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

§ 2. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 9, p. 501].

263

Innocentius XII, const. *Cum sicut*, 19 apr. 1700.

Cum sicut non sine gravi animi Nostri dolore ex nonnullorum Venerabilium Fratrum Episcoporum Regni Portugalliae, et aliorum timoratae conscientiae Virorum delatis ad Nos querelis accepimus, in Regno praefato revixerit, ac in dies magis invalescat opinio per quasdam fel. rec. Pauli V,[1] Urbani VIII,[2] et Clementis X[3] Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum Constitutiones, necnon plura Congregationum tunc existentium S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ac respective negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium Praepositorum Decreta dudum damnata, ac reprobata, qua innixi plerique illarum partium Privilegia, et

[1] Const. *Alias*, 24 dec. 1608. - Bull. Rom., tom. 5, III, p. 352, 353.
[2] Cf. N. 208.
[3] Cf. N. 246.

indulta per Literas Apostolicas pro Cruciata Sancta emanatas, seu, ut vocant, Bullam Cruciatae, ita intelligenda esse existimant, ut facultas in Literis, seu Bulla huiusmodi Christifidelibus attributa confitendi peccata sua cuilibet Confessario per quemcumque Ordinarium ad Confessiones audiendas approbato, locum habeat, et habere censeatur, etiamsi is non fuerit Ordinarius loci, in quo confessiones praefatas excipi contigerit: hinc est, quod Nos ex debito Pastoralis Officii, quod humilitati nostrae meritis licet, et viribus longe impari commisit Divina dignatio, animarum periculis in re tanti momenti, qualis est sacramentalis confessio, quantum Nobis ex alto conceditur, paterna charitate occurrere cupientes, necnon Constitutionibus, et Decretis supradictis inhaerentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium, primum quidem supradictis negotiis, et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, subinde vero etiam aliorum in tota Republica Christiana contra haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum a Sede Apostolica specialiter deputatorum, qui opinionem praefatam ex integro examinarunt, remque totam mature discusserunt, consilio, ac etiam motu proprio, et ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine tenore praesentium decernimus, et declaramus, Bullam Cruciatae Sanctae nihil novi Iuris induxisse, nullumque privilegium continere quoad approbationem Confessariorum contra formam eiusdem Concilii Tridentini, et praedictarum Constitutionum Apostolicarum, adeo ut Confessarii tam Saeculares, quam Regulares quicumque illi sint, in vim dictae Bullae Cruciatae a Poenitentibus ad audiendas eorum Sacramentales Confessiones electi, nullatenus confessiones huiusmodi audire valeant sine approbatione Ordinarii, et Episcopi Dioecesani Loci, in quo ipsi Poenitentes degunt, et Confessarios eligunt, vel ad excipiendas Confessiones requirunt, nec ad hoc suffragari approbationem semel, vel pluries ab aliis Ordinariis aliorum locorum, et Dioecesum obtentam, etiamsi Poenitentes illorum Ordinariorum, qui Confessarios electos approbassent, subditi forent; Confessiones autem aliter, et contra earumdem praesentium, aliarumque Apostolicarum Constitutionum formam deinceps faciendas, et excipiendas respective, praeterquam in casu necessitatis in mortis articulo nullas fore, irritas, et invalidas, et Confessarios ipso iure suspensos esse, et etiam rigide puniendos ab ipsis Ordinariis Locorum. Porro quamcumque contrariam opinionem tamquam falsam, temerariam, scandalosam, et in praxi perniciosam, praetenso quovis contrario usu, contrariaque consuetudine, etiam antiquissima minime obstantibus, Motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus harum serie damnamus, et reprobamus, contrariumque usum, ac contrariam consuetudinem huiusmodi penitus, et omnino abrogamus, et abolemus.

§ 1. Ac proinde omnibus, et singulis Christifidelibus cuiuscumque status, gradus, conditionis, et dignitatis existant, etiam specifica, et individua mentione, et expressione dignis, ne supradictam opinionem docere, tueri, aut ad praxim deducere quovis modo audeant, seu praesumant sub poena excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo a quoquam praeterquam a Nobis, seu Romano Pontifice

pro tempore existente, nisi in mortis articulo huiusmodi constitutus absolutionis beneficium obtinere valeat interdicimus, et prohibemus.

§ 2. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 9, p. 537-539].

264.

Clemens XI, decr. *Nonnulli*, 15 dec. 1703.

Nonnulli Episcopi, et complures Regulares, sub praetextu privilegiorum, ea sibi licere putant, quae prohibita sunt; siquidem Episcopi etiam in aliena Dioecesi, extra domum propriae habitationis, in privatis Laicorum domibus erigi faciunt Altare, ibique per unum, aut plures e suis Cappellanis vivificam Christi Hostiam immolari; Regulares vero in quibusdam Magnatum, seu aliarum Nobilium personarum privatis Oratoriis, quae certis quandoque ex causis a Sede Apostolica concedi solent, celebrare audent, vel plures Missas, quam in iis sit indultum, vel absque praesentia personarum, quarum contemplatione gratiosa concessio emanavit, vel extra debitas horas, et post meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per Constitutiones Dioecesanas, aut etiam Decreta Sacrae Congregationis Concilii, celebrari prohibetur, aut quae in ipsis Indultis Apostolicis excipiuntur, quo minus in illis celebrari possit; aut etiam Altari portatili uti non verentur, in Sacrarum Sanctionum contemptum, ac Sancti Sacrificii irreverentiam. Quamobrem, ad abusus huiusmodi eliminandos, et ad instaurandam venerationem tremendo Mysterio debitam, Sanctissimus Dominus Noster, ex unanimi Voto S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, inhaerendo declarationibus alias hac de re editis, expresse declarat: Episcopis et his maioribus Praelatis, etiam Cardinalatus Dignitate fulgentibus, neque sub praetextu privilegii clausi in corpore Iuris, neque alio quoquo titulo, nullo modo licere extra domum propriae habitationis, in domibus Laicis, etiam in propria Dioecesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi Dioecesani consensus adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare, sive celebrari facere. Ac pari modo in Oratoriis privatis, quae per Sanctam Sedem concessa fuerint, non licere Regularibus cuiusvis Ordinis, aut Instituti, seu Congregationis, etiam Societatis Iesu, aut etiam cuiuscumque Ordinis Militaris, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, aut aliis quibuscumque Sacerdotibus, etiamsi essent Episcopi, in iis celebrare in diebus Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Christi Domini, aliisque anni Festis solemnioribus, ac diebus in Indulto exceptis. In reliquis vero diebus, praedictis Regularibus, et Sacerdotibus quibuscumque, etiam Episcopis, in praefatis Oratoriis celebrare non licere, ubi iam unica Missa, quae in Indulto conceditur, fuerit celebrata; super quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, et de eo se optime informare; atque illa etiam in casibus praemissis celebrari nequeat post meridiem; demandando ulterius, et declarando in omnibus casibus, personas quascumque dictas Missas audientes nullatenus praecepto Ecclesiae satisfacere. Quo vero ad

Altare portatile, iterum inhaerendo declarationibus supradictis censuit, licentias, seu privilegia concessa nonnullis Regularibus in Cap. *In his, De privileg.*, ac per aliquos Summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto Altari portatili, in eoque celebrandi absque Ordinariorum licentia, in locis, in quibus degunt, omnino revocata esse per idem Concilium Tridentinum, atque idcirco eosdem Regulares prohibendos, ne illis utantur, ac mandandum, prout praesentis tenore mandat Episcopis, aliisque Ordinariis locorum, ut contra quoscumque contravenientes, quamvis Regulares, procedant, etiam tamquam Sedis Apostolicae Delegati, ad poenas praescriptas per idem Sacrum Concilium in dicto Decreto sess. 22, cap. unico, usque ad Censuras latae Sententiae; tributa etiam iisdem facultate per hoc Decretum, ita procedendi, perinde ac si per Sanctam Sedem specialiter concessa fuisset: et ita Sanctitas Sua declarat, et servari mandat etc.

[Bened. XIV, Bull., tom. 3 p. 389, 390].

265.

Clemens XI, const. *Commissi Nobis*, 6 dec. 1708.

Commissi Nobis divinitus Sacrosancti Apostolatus officii exigit ratio, ut gloriosissimae Virginis Dei Genitricis Mariae, cuius Conceptio gaudium annuntiavit universo Mundo, venerationem, et cultum, plurium Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum more, ampliare studentes in terris, illius, quae super Choros Angelorum exaltata pro populo Christiano sedula exoratrix apud eum, quem genuit, assidue intercedit in Caelis, potentissimam opem, in tot tantisque, quibus premimur, Christianae Reipublicae, et Catholicae Ecclesiae necessitatibus, quantum Nobis ex alto conceditur, promereri iugiter satagamus. Sincera itaque nostra erga eamdem Augustissimam Caeli Reginam, Patronam, Advocatam nostram devotione incitati Festum Conceptionis ipsius Beatae Mariae Virginis Immaculatae ubique Terrarum in posterum ab omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus, sicut alia Festa de Praecepto observationis Festorum comprehendi, auctoritate Apostolica tenore praesentium decernimus, praecipimus, et mandamus.

§ 1. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 10, p. 206].

266.

Clemens XI, const. *In supremo*, 24 aug. 1709.

In supremo Apostolicae dignitatis culmine, meritis licet imparibus, per ineffabilem Divinae bonitatis abundantiam collocati, Ecclesiasticam Immunitatem Dei ordinatione, et Canonicis sanctionibus constitutam, nostraque, et huius Sanctae Sedis, inferiorumque Ecclesiarum iura, ex commissi Nobis

coelitus Pastoralis Officii debito, sarta tecta tueri, et si quando ea quorumcumque, praesertim Laicorum, quos in rebus Ecclesiasticis obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, ausibus violata esse novimus, ab eiusmodi violationibus asserere satagimus, sicut omnibus maturae considerationis trutina perpensis, aequitati, et iustitiae, rectoque ordini consentaneum esse in Domino arbitramur.

§ 1. Ad nostri siquidem Apostolatus notitiam non sine gravi animi nostri molestia pervenit, quod alias tunc existens Secretarius universae, ut vocant, Expeditionis charissimi in Christo Filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici dilectis filiis Decano, Capitulo, et Canonicis Ecclesiae Abulen. per suas literas die IV Februarii proxime praeteriti, seu alio veriori tempore ea conscriptas nunciavit, quod cum dilectus filius Froilanus Diaz Frater expresse professus Ordinis Praedicatorum dudum ad dictam Ecclesiam per obitum ultimi illius Episcopi solatio Pastoris destitutam a dicto Philippo Rege Nobis praesentatus, praesentationi huiusmodi, antequam illam Nobis admitti contigeret, renunciasset, ac subinde idem Philippus Rex ad Ecclesiam praedictam Venerabilem Fratrem Franciscum de Solis Episcopum Ilerden. (uti in eisdem literis asseritur) similiter praesentasset, quia ab illo sic praesentatus curam, et regimen dictae Ecclesiae quamprimum suscipi, et assumi cupiebat, eidem Secretario mandaverat, ut Decano, Capitulo, et Canonicis praefatis significaret ipsi Philippo Regi gratissimum fore, si dictus Franciscus Episcopus incunctanter ab eis in Provisorem, et Vicarium Generalem, seu Gubernatorem praedictae Ecclesiae eligeretur, seu nominaretur, eique iura, et facultates, quae ipsis, illius Sede Episcopali vacante, competebant, attribuerentur, ad hoc ut absque ulla mora, donec dictae Ecclesiae de persona ipsius Francisci Episcopi a Nobis provideretur, et literae Apostolicae desuper de more expedirentur, eamdem Ecclesiam, tamquam futurus eius Sponsus, regere, et gubernare posset, et valeret; dicti vero Decanus, Capitulum, et Canonici per suas etiam literas die 21 eiusdem mensis, seu alio veriori tempore exaratas, Secretario praefato rescripserunt, se quaecumque iura sibi circa gubernium dictae Ecclesiae, illius Sede Episcopali vacante, competentia dicto Philippo Regi libenter deferre, paratos se exhibentes in eius voluntatis implementum illa dicto Francisco Episcopo subdelegare, eumque in Gubernatorem eiusdem Ecclesiae eligere, ac nominare, et alias, prout in binis literis supradictis, quarum tenores, non approbandi, sed omnino reprobandi animo, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis haberi volumus, plenius dicitur contineri.

§ 2. Cum autem, sicut pariter Nobis innotuit, in praemissorum sequelam Decanus, Capitulum, et Canonici praedicti iuribus sibi, sicut praemittitur, competentibus in eumdem Franciscum Episcopum translatis, illum subinde in Provisorem, seu Gubernatorem dictae Ecclesiae eligere, seu nominare ausi fuerint, ipseque Franciscus Episcopus, electionis, seu nominationis huiusmodi vigore Ecclesiam suam Ilerden. absque nostra licentia deserere, necnon curam, regimen, et gubernium eiusdem Ecclesiae Abulen. suscipere, gerere, et exercere praesumpserit, et adhuc praesumat: explorati vero iuris sit ipsum Franciscum Episcopum minime potuisse, nec posse sub Oeconomatus, Procura-

toris, Provisoris, Vicarii Generalis, seu Gubernatoris nomine, aut alio quovis quaesito colore, seu titulo curam, regimen, et administrationem eiusdem Ecclesiae Abulen. in spiritualibus, vel temporalibus per se, vel alium, pro parte, vel in totum gerere, vel recipere, aut illis ullatenus se immiscere, antequam a vinculo, quo tenetur Ecclesiae Ilerden. cui praeest, et a quo nonnisi a Nobis absolvi potest, realiter, et cum effectu absolvatur, ac ad praefatam Ecclesiam Abulen. transferatur, eique de illius persona a Nobis provideatur; praesertim cum eiusmodi absolutio, translatio, et provisio adhuc a Nobis nequidem petita fuerit, quinimo nec asserta eiusdem Francisci Episcopi ad dictam Ecclesiam Abulen. praesentatio Nobis ullatenus facta fuerit; indeque pateat, quam temere, et perperam praemissa omnia, in Regnis Hispaniarum hactenus inaudita, contra eorumdem Regnorum consuetudines, contra Sacrorum Canonum, Apostolicarumque Constitutionum dispositionem, ac rectum ordinem per damnabilem saecularis potestatis abusum gesta fuerint: quantum illa Ecclesiae, et nostra iura laeserint, ac laedant, quam gravibus denique periculis animas pretioso Salvatoris, et Domini Iesu Christi Sanguine redemptas involverint, et adhuc involvere pergant. Hinc est, quod Nos, qui libertatis, ac iurisdictionis, aliorumque iurium Ecclesiasticorum Assertores in terris a Domino constituti sumus, omniumque Ecclesiarum, et Christifidelium curam, et solicitudinem superna dispositione gerimus, Ecclesiae praefatae Abulen. Nostrorumque, et Apostolicae Sedis Iurium indemnitati providere, nec non animarum periculis, quantum Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, ac omnium, et singulorum in praemissis tam a Secretario, quam a Decano, Capitulo, et Canonicis, nec non Francisco Episcopo supradictis per se, vel alios quoscumque quomodolibet actorum, et gestorum seriem, causas, et occasiones, aliave quaelibet, etiam specificam, et individuam mentionem, et expressionem requirentia, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac exactissime, et accuratissime specificatis habentes: Motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, electionem, seu nominationem eiusdem Francisci Episcopi in Provisorem, seu Gubernatorem praefatae Ecclesiae Abulen., ac quorumcumque iurium, et facultatum circa eiusdem Ecclesiae regimen, et administrationem Decano, Capitulo, et Canonicis praedictis, illius Sede Episcopali vacante, competentium in ipsum translationem, seu concessionem ei ab eisdem Decano, Capitulo, et Canonicis factas, ut praefertur, aliaque omnia, et singula tam ab ipsis Decano, Capitulo, et Canonicis, quam a dicto Francisco Episcopo suae electionis, seu nominationis, ac in ipsum, sicut praemittitur, translatorum, seu ei concessorum iurium, et facultatum huiusmodi vigore, seu praetextu per se, vel alios quoscumque, etiam specifica, et individua mentione, et expressione dignos in praemissis, vel circa ea quomodocumque, et qualitercumque acta, facta, gesta, mandata, decreta, ordinata, vel disposita, ac forsan in futurum (quod Deus avertat) agenda, gerenda, facienda, mandanda, decernenda, et ordinanda, cum omnibus, et singulis inde quovis modo secutis, et quandocumque secuturis penitus, et omnino nulla, invalida, inania, irrita, temeraria, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, et de facto praesumpta, nulliusque roboris, momenti, et efficaciae esse, et ab initio fuisse,

ac perpetuo fore, tenore praesentium declaramus, et reprobamus; ac nihilominus ad maiorem, et abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, ea omnia, et singula, quatenus de facto processerunt, revocamus, cassamus, irritamus, et annullamus, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuamus in omnibus, et per omnia, perinde ac si nunquam facta fuissent, nec evenissent, neque unquam fierent, vel evenirent.

§ 3. Quocirca eidem Francisco Episcopo in virtute sanctae obedientiae, ac sub suspensionis ab exercitio Pontificalium, nec non Interdicti ab ingressu Ecclesiae ipso facto, et absque alia declaratione incurrendis poenis districte prohibemus, et interdicimus, ne suae irritae electionis, seu nominationis, aliorumque praemissorum huiusmodi vigore, seu praetextu susceptum praefatae Ecclesiae Abulen. regimen, seu gubernium de caetero retinere, minusque ullam iurisdictionem, potestatem, vel auctoritatem Ecclesiasticam, et Spiritualem in Civitate, vel Dioecesi Abulen. exercere, ullumve inibi actum iurisdictionalem facere, seu continuare, neque ullos dictae Ecclesiae Abulen. fructus, redditus, et proventus percipere, seu forsan iam perceptos retinere audeat, quovis modo, seu praesumat. Illos vero qui ei in praemissis parverint, vel auxilium, consilium, vel favorem quovis modo praestiterint, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae, vel dignitatis fuerint, Excommunicationis maioris, nec non privationis fructuum Beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque, aliorumque quorumvis reddituum Ecclesiasticorum per eos respective obtentorum, similiter eo ipso incurrendis poenis, innodamus, et innodatos fore decernimus, et declaramus; ipsarumque poenarum absolutionem, seu relaxationem Nobis, et Romano Pontifici pro tempore existenti dumtaxat specialiter reservamus.

§ 4. Caeterum de salute Dominici gregis paterna charitate soliciti omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus tam Ecclesiasticis Saecularibus, et cuiusvis Ordinis, Congregationis, vel Instituti Regularibus, quam Laicis harum serie denunciandum, et ad eorum notitiam deducendum esse censuimus, praefatum Franciscum Episcopum nullam in eadem Ecclesia Abulen. suae irritae, et invalidae electionis, seu nominationis, aliorumque praemissorum huiusmodi vigore, vel praetextu, sive quoad temporalia, sive quoad spiritualia iurisdictionem, aut potestatem habere, vel habuisse, adeoque nec ullam circa ea, quae Sacramentorum administrationem, causarum cognitionem, aut alias forum conscientiae, vel contentiosum quomodolibet concernunt, auctoritatem interponere ullo modo valide posse, nec potuisse. Ne autem dicta Ecclesia Abulen. tempore, quo praesens illius Sedis Episcopalis vacatio duraverit, Administratore in spiritualibus careat, volumus, et ordinamus, ut eius Vicarius Capitularis antea legitime deputatus, Officium Vicarii huiusmodi cum omnibus, et singulis facultatibus eiusmodi Vicariis Capitularibus de iure, usu, et consuetudine, ac alias quomodolibet iuxta Decreta Concilii Tridentini competentibus, cum quibus illud ante praefatam irritam eiusdem Francisci Episcopi electionem, seu nominationem gerebat, et exercebat, seu gerere, et exercere poterat, etiam nunc, et in posterum gerere, et exercere pergat, ac quatenus opus sit, illum in eodem Officio harum serie confirmamus, ut illud etiam nostra, et Sedis Apostolicae auctoritate, donec tamen alius similis

Vicarius a Capitulo, et Canonicis praefatis legitime deputatus non fuerit, gerat, et exerceat.

§ 5. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 10, p. 212-214].

267.

Clemens XI, const. *Alias*, 5 oct. 1709.

§ 1. Alias cum ad Apostolatus Nostri notitiam, non sine gravi animi Nostri molestia, pervenisset in Civitate, et Ducatu Mediolanen. prodiisse a Saeculari potestate Edictum quoddam paulo ante nempe die 20 Martii 1708 editum, quo sub gravissimis poenis prohibebatur, ne quis cuiuscumque status, gradus, et conditionis esset, genus ullum pecuniarum in quavis quantitate, specie, vel moneta e Civitate, ac Ducatu praefatis ad almam Urbem nostram, aliave loca Status Nostri Ecclesiastici deferendarum per se, vel alios directe, vel indirecte ex quavis causa, seu praetextu, etiam privilegiato extrahere, seu extrahi facere auderet; ac insuper sub iisdem poenis interdicebatur, ne ullus Campsor, seu alia quaelibet persona directe pariter, vel indirecte pecunias praedictas ad effectum illas sive per mandata, sive per literas Cambii, ut vocant ad Urbem, aliave loca Status Ecclesiastici huiusmodi transmittendi, recipere, seu solvi facere ex quacumque causa, seu praetextu, ut supra, etiam privilegiato similiter auderet, seu praesumeret. Simulque Nobis innotuisset, die subsequenti nempe 21 eiusdem mensis Martii in Civitate Mediolanen. praedicta ab eadem saeculari potestate itidem prodiisse mandatum, seu decretum quoddam quo tunc existenti nostro, et Apostolicae Sedis Oeconomo Generali in Ducatu Mediolanensi huiusmodi auctoritate Apostolica deputato praecipiebatur, ut illico super fructibus, redditibus, et proventibus cuiuscumque tandem generis essent, omnium, et quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum in Ducatu praefato a personis extra illum degentibus possessorum sequestrum apponeret, fructusque, redditus, ac proventus huiusmodi tam tunc decursos, et non solutos, quam de caetero decurrendos exigeret, ac illos, seu illorum pretium penes personam fide, et facultatibus idoneam deponeret, neque eos absque praedictae saecularis potestatis licentia quovis modo distrahi permitteret. Praeterea quascumque pensiones, ac praestationes a quibusvis personis dicti Ducatus quibuscumque personis Ecclesiasticis extra eumdem Ducatum, ut praefertur degentibus solvi, seu dari consuetas, similiter sequestro committeret, et ad effectum supra expressum retineret, ac alias, prout in Edicto, ac Mandato, seu Decreto supradictis, quorum tenores non approbandi, sed omnino reprobandi animo praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis haberi volumus, plenius continetur.

§ 2. Nos probe considerantes, ex Edicto, ac Mandato, seu Decreto huiusmodi maximum Pontificiae non minus auctoritatis, quam dignitatis detrimentum nec non manifestam Iurium Ecclesiasticorum subversionem sequi primum quidem, hoc est, statim ac praemissa Nobis innotuerunt, Pastoralis muneris

nostri partes quantocius implere satagentes per plures literas iussu nostro a dilecto filio nostro Fabritio S. R. E. Presbytero Cardinali Paulutio nuncupato Secretario nostro status, tam dilecto pariter filio nostro Iosepho eiusdem S. R. E. etiam Presbytero Cardinali Archinto nuncupato Metropolitanae Ecclesiae Mediolanen. ex concessione, et dispensatione Apostolica Praesuli, quam aliis Venerabilibus Fratribus Episcopis in dicto Ducatu Mediolanen. suas Ecclesias, vel Dioeceses habentibus conscriptas edictum, et mandatum, seu Decretum supradictum, tanquam iuribus, et rationibus Ecclesiae manifeste adversantia improbavimus, ipsisque Iosepho Cardinali, et Praesuli, ac Episcopis propterea commisimus, et mandavimus, ut contra eos, qui illis exequendis quovis modo se ingerere ausi fuissent, via iuris procederent. Subinde vero per alias binas literas ab eodem Fabritio Cardinale, ac Secretario status tam eidem Iosepho Cardinali, ac Praesuli, quam tunc in humanis agenti bo: me: Iacobo Antonio S. R. E. praedictae Cardinali Morigia nuncupato, dum vixit Ecclesiae Papien. ex concessione, et dispensatione paribus Praesuli die 28 Aprilis eiusdem anni 1708 iussu nostro datas, utrique eorum iniunximus, ut non modo iis, qui edictum, ac mandatum, seu Decretum huiusmodi ediderant, seu subscripserant, sed etiam aliis omnibus, qui pro illorum editione, promulgatione, seu forsan etiam executione, auxilium, consilium, favorem, aut operam quovis modo praestitissent, quocumque tandem gradu, seu dignitate praefulgerent, censuras, et poenas Ecclesiasticas a Sacris Canonibus, generalium Conciliorum Decretis, ab Apostolicis Constitutionibus, ac praesertim literis die Coenae Domini singulis annis legi, et promulgari solitis, signanter vero dicto anno 1708 ca ipsa die, qua Edicti, et Mandati, seu Decreti praefatorum exemplaria typis impressa ad manus nostras pervenerant, lectis, et promulgatis, inflictas, quibus ipsi irretiti reperiebantur, Pastorali pectore aperte edicerent, illos praeterea paterna charitate admonerent se a censuris, et poenis huiusmodi, non nisi post debitam, et condignam Ecclesiae praestitam satisfactionem a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente absolvi, et liberari posse, validis demum, ac salutaribus officiis apud eum agerent, cuius auctoritate praemissa a pietate quidem Austriaci nominis, quod praeseferebant, nimium aliena, gesta fuisse dicebantur, quatenus scandalis tam gravibus constanti suo in Ecclesiam cultu, acceptoque ab inclytis maioribus more confestim occurrens, omnino curaret, quae Nos iure nostro petebamus, et exigebamus pro reparatione auctoritatis, et iurisdictionis Ecclesiasticae, ipso etiam lubente quamprimum implerentur. Quae sane omnia idem Iosephus Cardinalis, et Praesul se Evangelica libertate, suoque munere, ac loco, quem in Ecclesia Dei obtinet vere digne fideliter, et alacriter implevisse suis ad eumdem Fabritium Cardinalem, et Secretarium status datis literis rescripsit. Ad haec nostris in simili forma Brevis ad Charissimum in Christo filium nostrum Iosephum Romanorum Regem in Imperatorem electum die 6 Maii eiusdem anni 1708 expeditis literis, ei per celerem Cursorem transmissis, gravissimam, quam inde conceperamus, amaritudinem ei denunciavimus, enixe illum hortantes, ac commonentes, quatenus auctoritate sua efficeret, ut Ecclesia ab illis ipsis, a quibus tanta iniuria affecta fuerat congruis remediis sarciretur, ac nedum ad iura sua, sed et ad pristinam dignitatem quamprimum rediret.

Postmodum vero cum accepissemus, praedictis monitionibus nostris penitus contemptis mandatum signanter, seu Decretum supradictum, quo Beneficiorum Ecclesiasticorum fructus illorum Possessoribus extra dictum Ducatum, sicut praemittitur, degentibus nulliter, aeque, ac perperam intercipiebantur vere in Civitate, et Ducatu praedictis executioni demandatum fuisse, per alias literas a praedicto Fabritio Cardinale, et Secretario status tam Iosepho Cardinali, et Praesuli, quam Episcopis supradictis die 7 Iulii eiusdem anni 1708 iussu itidem nostro scriptas districte praecepimus, et mandavimus, ut adversus quoscumque in executione huiusmodi culpabiles, ac potissimum adversus Oeconomum Generalem supradictum, ac suboeconomos ad legitimam censurarum a Tridentino Synodo *sess. 22 de Reformatione, cap. 11* ac ab Apostolicis in die Coenae Domini promulgari consuetis literis supradictis, praesertim Canone XVII contra talia perpetrantes latarum, atque inflictarum Declarationem absque ulla cunctatione devenirent: Nobis interim iustum, et misericordem Dominum assidue exorantibus, ut Nobis quidem caelesti sua ope clementer adesse, errantibus vero, ut in viam possent redire Iustitiae veritatis suae lumen ostendere non dedignaretur.

§ 3. Cum autem, sicut Nobis nuper innotuit, ab eadem saeculari potestate, cuius nomine praemissa contra Iura, et rationes Ecclesiastici Ordinis, ut praefertur, gesta fuerunt, talia tandem pro illorum, atque inde secutorum quorumcumque revocatione, rescissione, ac retractione mandata prodierint, ut merito sperare possimus, unde Nobis oborta fuit iusta, ac diuturna amaritudinis causa, brevi dandam esse amplam materiem gratias agendi misericordiarum Patri, quod antiqui hostis conatus deteriora consilia mentibus hominum insinuantis irritos fecerit, inclytumque illud nomen, in quo Sancta Dei Ecclesia tutelam, atque salutem, nec non validum inter pericula praesidium toties est nacta, a veteri sua, ac praeclari laude deflectere non permiserit. Hinc est, quod Nos, qui Iurium Ecclesiasticorum assertores in Terris a Domino constituti sumus, simulque omnium Christifidelium curam, et sollicitudinem gerimus, Ecclesiae indemnitati, ultra ei praeiudicialium praedictorum revocationem, ac retractationem eadem auctoritate, qua illa peracta fuerant, sicut praemittitur faciendam Apostolici etiam Iudicii nostri accessione efficacius, ac uberius consulere, ac alias animarum saluti quantum Nobis ex alto conceditur, prospicere cupientes, nec non omnium, et singulorum quae in praemissis, seu illorum occasione quovis modo acta, et gesta fuerunt, seriem, causas, et circumstantias, etiam aggravantes, aliave quaecumque etiam specificam, et individuam mentionem, et expressionem requirentia praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et exacte specificatis habentes, Motu proprio, et ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, Edictum, ac Mandatum, seu Decretum supradicta, cum omnibus, et singulis in eis eorumque quolibet contentis, ac inde secutis, et quandocumque secuturis ipso Iure nulla, irrita, invalida, inania, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacua ab ipso initio fuisse, et esse, ac perpetuo fore, neminemque ad cuiuslibet eorum observatiam teneri, imo nec ea a quopiam observari potuisse, vel debuisse, neque ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde ac si nunquam emanassent, vel facta

non fuissent, pro non extantibus, et non factis perpetuo haberi debere, tenore praesentium declaramus. Et nihilominus ad abundatiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia, et singula motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus cassamus, irritamus, et annullamus, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuamus, firmis tamen remanentibus censuris, et poenis Ecclesiasticis quibuscumque, quas ii omnes, qui praemissa perpetrarunt, sive alias in illis, ut praefertur, culpabiles fuerunt, propter eadem praemissa incurrerunt, a quibus non nisi a Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente post debitam, et condignam Ecclesiae praestitam satisfactionem (praeterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentia in easdem censuras eo ipso, quo convaluerint) absolvi, et liberari valeant.

§ 4. Quoniam vero Sedes Apostolica pia Mater recurrentibus ad eam post excessum cum humilitate filiis se propitiam exhibere solet, et benignam: idcirco omnes, et singulos primodictos, seu aliquos ex eis, qui verae poenitentiae signa ostenderint, paterna nostra clementia prosequi volentes, eidem Iosepho Cardinali, et Praesuli per praesentes committimus, et mandamus, ut si et postquam sibi constiterit Edictum, et Mandatum, seu Decretum supradictum cum omnibus inde secutis congrue revocata, et retractata fuisse, ac alias desuper debitae, ac condignae satisfactioni Ecclesiae opportune consultum fuisse, omnes, et singulos, sive Laicos, sive Clericos tam saeculares, quam regulares ad ipsum recurrentes cuiuscumque status, ordinis, gradus, dignitatis, et conditionis existant, qui praemissa peregerunt, seu alias in illis quovis modo culpabiles fuerunt, si hoc ab eo humiliter petierint, et facta prius per eos promissione, quod in futurum a similibus abstinebunt, et quidquid eis praescriptum, et iniunctum fuerit, priusquam infrascriptae absolutionis beneficium obtineant, observabunt, et adimplebunt, a censuris, et poenis Ecclesiasticis quibuslibet, quas propter eadem praemissa quovis modo incurrerunt, seu incurrisse dici, censeri, vel praetendi possent, iniunctaque cuique pro modo culpae poenitentia salutari, et aliis, quae de iure fuerint iniungenda, similiter iniunctis in utroque foro auctoritate nostra Apostolica in forma Ecclesiae consueta absolvat, et totaliter liberet, dictasque poenas eis, et eorum cuilibet gratiose remittat, et condonet. Ac cum illis, qui Clerici, seu etiam Presbyteri fuerint, super irregularitate per eos, quia censuris huiusmodi propter eadem praemissa innodati Missas, et alia Divina officia (non tamen in contemptum clavium) celebrarunt, seu alias in suis ordinibus ministrarunt, quomodolibet contracta, ad quemcumque effectum in utroque pariter foro dispenset; ipsosque, et eorum quemlibet ad famam, gradus, dignitates, nec non Beneficia, et officia Ecclesiastica quaecumque, caeteroqui tamen canonice per eos obtenta, ac alias in pristinum, et eum, in quo antea quomodolibet erant, statum adversus eadem praemissa rehabilitet, restituat, reponat, ac plenarie reintegret. Nos enim quamcumque necessariam, et opportunam ad praemissa facultatem, quam etiam aliis, prout sibi opportunum videbitur, communicare, et subdelegare valeat, eidem Iosepho Cardinali, ac Praesuli harum serie auctoritate praedicta tribuimus, et impertimur.

§ 5. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 10, p. 214-217].

268.

Clemens XI, const. *Alias cum*, 5 oct. 1709.

Alias cum ad Apostolatus nostri notitiam, non sine gravi animi nostri molestia, pervenisset, in Civitate Neapolitana prodiisse a Saeculari potestate Edictum quoddam paulo ante nempe die 8 iunii 1708 editum, quo sub gravibus poenis prohibebatur, ne quis cuiuscumque status, gradus, ac conditionis esset, genus ullum pecuniarum in quavis quantitate, specie, vel moneta a Regno Neapolis ad Almam Urbem nostram, aliave loca Status nostri Ecclesiastici deferendarum per se, vel alios directe, vel indirecte ex quavis causa, seu praetextu, etiam privilegiato extrahere, seu extrahi facere auderet; ac insuper sub iisdem poenis interdicebatur, ne ulla persona directe, vel indirecte pecunias praedictas, ad effectum illas sive per mandata, sive per literas Cambii, ut vocant ad Urbem, aliave loca Status Ecclesiastici huiusmodi transmittendi, recipere, seu solvi facere ex quacumque causa, seu praetextu, ut supra, etiam privilegiato similiter auderet, seu praesumeret, simulque Nobis innotuisset, vigore quarumdam Literarum ab eadem Saeculari potestate datarum, quibus omnes, et singulos fructus, redditus, et proventus quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum tam in Civitate, quam Regno Neapolis huiusmodi a personis extra idem Regnum degentibus cuiuscumque Ordinis, ac qualitatis essent, possessorum, sequestro committi, illosque penes Montem pietatis dictae Civitatis deponi, ita ut quidquam ex eis absque praedictae Saecularis potestatis licentia distrahi minime posset, districte praecipiebatur; aliud itidem Edictum in executionem literarum huiusmodi in praedicta Civitate Neapolis die 11 eiusdem mensis iunii promulgatum fuisse, quo omnibus, et singulis personis cuiuscumque tandem status, gradus, et conditionis existerent, sub gravibus poenis mandabatur, ut intra certum inibi praefixum tempus, fructus, redditus, pensiones, praestationes, et alia quaevis emolumenta, quae ex quavis causa, seu titulo a personis Ecclesiasticis extra dictum Regnum degentibus, in eadem Civitate, eiusque districtu percipiebantur ad effectum supradictum denunciare tenerentur, et alias prout in literis, ac Edictis huiusmodi, quorum tenores non approbandi, sed omnino reprobandi animo praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis haberi volumus, plenius continetur.

§ 1. Nos probe considerantes ex Edictis, et literis praedictis, maximum Pontificiae non minus auctoritatis, quam dignitatis detrimentum, necnon manifestam Iurium Ecclesiasticorum subversionem sequi: primum quidem, hoc est statim ac praemissa nobis innotuerunt, Pastoralis muneris nostri partes quantocitius implere satagentes, per literas iussu nostro a dilecto filio nostro Fabritio S. R. E. Presbytero Cardinale Paulutio nuncupato Secretario nostro status, tam dilecto pariter filio nostro Francisco eiusdem S. R. E. etiam Presbytero Card. Pignatello nuncupato Metropolitanae Ecclesiae Neapolitanae ex concessione, et dispensatione Apostolica Praesuli, quam aliis

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, et Episcopis in dicto Regno Neapolis suas Ecclesias, vel Dioeceses habentibus, conscriptas Edicta, et alia praemissa tamquam Iuribus, et rationibus Ecclesiae manifeste adversantia improbavimus, ipsisque propterea Francisco Cardinali, et Praesuli, ac Archiepiscopis, et Episcopis supradictis commisimus, et mandavimus, ut confestim contra eos, qui illis exequendis quovis modo directe, vel indirecte se ingerere ausi fuissent, via iuris procederent; subinde vero per alias literas a dicto Fabritio Cardinale, ac Secretario status, eidem Francisco Cardinali, et Praesuli iussu itidem nostro datas iniunximus, ut non modo iis, qui Edicta, et alia praemissa ediderant, seu subscripserant, sed etiam aliis omnibus, qui pro illorum editione, promulgatione, seu forsan etiam executione auxilium, consilium, favorem, aut operam quovis modo praestitissent, quocumque tandem gradu, seu dignitate praefulgerent, censuras, et poenas Ecclesiasticas a Sacris Canonibus, Generalium Conciliorum Decretis, et Apostolicis Constitutionibus, ac praesertim Literis die Coenae Domini singulis annis legi, et promulgari solitis, ac eo ipso anno lectis, et promulgatis inflictas, quibus ipsi irretiti reperiebantur, Pastorali pectore aperte ediceret, illosque praeterea se a censuris, et poenis huiusmodi nonnisi post debitam, et condignam Ecclesiae praestitam satisfactionem a nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente absolvi, et liberari posse paterna charitate admoneret. Praeterea id ipsum per tunc existentem Nostrum, et Apostolicae Sedis in dicto Regno Neapolis Nuncium ei potissimum, qui Regnum praedictum cum potestate Proregis tunc gubernabat, et cuius auctoritate, et nomine eadem praemissa gesta fuerant, nostro nomine edici, et denunciari curavimus. Interea tamen cum ad aures nostras pervenisset, praedictis monitionibus nostris penitus contemptis executionem edicti signanter, seu Mandati illius, quo Beneficiorum Ecclesiasticorum fructus, eorum Possessoribus extra dictum Regnum, ut praefertur degentibus, nulliter, aeque, ac perperam intercipiebantur, variis oeconomis in Regno praedicto ab eadem Saeculari potestate deputatis, seu forsan aliis personis commissam fuisse, Nos per alias literas a praedicto Fabritio Cardinale, et Secretario status tam Francisco Cardinali, et Praesuli, quam Archiepiscopis, et Episcopis supradictis die 6 Iulii eiusdem anni 1708 scriptas districte praecepimus, et mandavimus, ut adversus quoscumque in dicta executione culpabiles, ac potissimum adversus Oeconomos, seu alias personas huiusmodi ad legitimam censurarum a Tridentina Synodo sess. 22, *De reform.*, cap. 11, ac ab Apostolicis in die Coenae Domini promulgari consuetis literis supradictis praesertim Canone 17 contra talia perpetrantes latarum, atque inflictarum declarationem absque ulla cunctatione devenirent.

§ 2. Ad haec cum accepissemus, per quasdam Saecularis Magistratus dicti Regni Collateralis nuncupati literas ad eosdem Archiepiscopos, et Episcopos datas, non sine gravi comminatione vetitum illis fuisse, ne ad censurarum declarationem huiusmodi a nobis, sicut praemittitur, demandatam adversus eos, qui exequendo praedicto Edicto, seu Mandato se ingessissent, ullatenus procederent, Nos tam apertam, et inverecundam Sanctissimarum legum violationem dissimulare minime volentes, dilecto Filio Nostro Vincentio eiusdem S. R. E. Diacono Cardinali Grimano nuncupato dicti Regni

Proregi, cuius nomine literae huiusmodi subscriptae prodierant per nostras in simili forma Brevis die prima septembris eiusdem anni 1708 expeditas literas, sub certis inibi expressis poenis iniunximus, ut omnino abstineret tum a procurando quomodolibet, sive per se, sive per alios praedicti Edicti, seu Mandati, quod suapte natura nullius prorsus roboris, et efficaciae esse pronunciavimus executionem: tum ab impediendo directe, vel indirecte eosdem Archiepiscopos, et Episcopos, quominus contra quos propter huiusmodi Edictum procedendum esse cognovissent, Pastoralis sui muneris partes libenter exequerentur, quemadmodum expresse illis, et iterato mandaveramus; Iustum interim, ac misericordem Dominum humiliter benedicentes, quod plurimos ex Archiepiscopis, et Episcopis supradictis superno Christianae fortitudinis spiritu adeo roborasset, ut propositas sibi minas nullatenus pertimescentes, Sacrificium Iustitiae pro officii sui debito sacrificare parati essent; Eumque insuper assiduo exorantes, ut tam nobis, quam illis Caelesti sua ope clementer adesset: errantibus vero, ut in viam possent redire Iustitiae, veritatis suae lumen ostendere non dedignaretur.

§ 3. Cum autem, sicut Nobis nuper innotuit, ab eadem Saeculari potestate, cuius nomine praemissa contra Iura, et rationes Ecclesiastici Ordinis, ut praefertur, gesta fuerunt, talia tandem pro illorum, atque inde secutorum quorumcumque revocatione, rescissione, ac retractatione mandata prodierint, ut merito sperare possimus, unde nobis oborta fuit iusta, ac diuturna amaritudinis causa, brevi dandam esse amplam materiem gratias agendi misericordiarum Patri, quod antiqui hostis conatus deteriora consilia mentibus hominum insinuantis irritos fecerit, inclytumque illud nomen, in quo Sancta Dei Ecclesia tutelam, atque salutem, necnon validum inter pericula praesidium toties est nacta, a veteri sua, ac praeclara laude deflectere non permiserit. Hinc est, quod Nos, qui Iurium Ecclesiasticorum assertores in Terris a Domino constituti sumus, simulque omnium Christifidelium curam, et solicitudinem gerimus, Ecclesiae indemnitati, ultra ei praeiudicialium praedictorum revocationem, ac retractationem, eadem auctoritate, qua illa peracta fuerant, sicut praemittitur, faciendam, Apostolici etiam Iudicii nostri accessione efficacius, ac uberius consulere, ac alias animarum saluti, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere cupientes, necnon omnium, et singulorum, quae in praemissis, seu illorum occasione quovis modo acta, et gesta fuerunt, seriem, causas, et circumstantias, etiam aggravantes, aliave quaecumque etiam specificam, et individuam mentionem, et expressionem requirentia, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et exacte specificatis habentes: Motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, Edicta, seu Mandata supradicta aliaque praemissa cum omnibus, et singulis in eis, eorumque quolibet contentis, ac inde secutis, et quandocumque secuturis, ipso Iure nulla, irrita, invalida, inania, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacua ab ipso initio fuisse, et esse, ac perpetuo fore, neminemque ad cuiuslibet eorum observantiam teneri, imo nec a quopiam observari potuisse, vel debuisse, neque ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde ac si nunquam emanassent, vel facta non fuissent, pro non extantibus, et non factis perpetuo haberi debere tenore

praesentium declaramus. Et nihilominus ad abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia, et singula motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus cassamus, irritamus, et annullamus, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuamus, firmis tamen remanentibus censuris, et poenis Ecclesiasticis quibuscumque, quas ii omnes, qui praemissa perpetrarunt, sive alias in illis, ut praefertur, culpabiles fuerunt, propter eadem praemissa incurrerunt, a quibus nonnisi a nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente, post debitam, et condignam Ecclesiae praestitam satisfactionem (praeterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentia in easdem censuras eo ipso, quo convaluerint) absolvi, et liberari valeant. Quoniam vero Sedes Apostolica pia Mater recurrentibus ad eam post excessum cum humilitate filiis se propitiam exhibere solet, et benignam: idcirco omnes, et singulos praedictos, seu illos ex eis, qui verae poenitentiae signa ostenderint, paterna nostra clementia prosequi volentes, eidem Francisco Cardinali, et Praesuli per praesentes committimus, et mandamus, ut si et postquam sibi constiterit Edicta, seu Mandata praedicta, aliaque praemissa cum omnibus inde secutis congrue revocata fuisse, ac alias desuper debitae, ac condignae satisfactioni Ecclesiae opportune consultum fuisse; omnes, et singulos, sive Laicos, sive Clericos tam Saeculares, quam Regulares ad ipsum recurrentes cuiuscumque status, ordinis, gradus, dignitatis, et conditionis existant, qui praemissa peregerunt, seu alias in illis quovis modo culpabiles fuerunt, si hoc ab eo humiliter petierint, et facta prius per eos promissione, quod in futurum a similibus abstinebunt, et quidquid eis praescriptum, et iniunctum fuerit, priusquam infrascriptae absolutionis beneficium obtineant, observabunt, et adimplebunt, a censuris, et poenis Ecclesiasticis quibuslibet, quas propter eadem praemissa quovis modo incurrerunt, seu incurrisse dici, censeri, vel praetendi possent, iniuncta cuique pro modo culpae poenitentia salutari, et aliis, quae de iure fuerint iniungenda similiter iniunctis, in utroque foro auctoritate nostra Apostolica in forma Ecclesiae consueta absolvat, et totaliter liberet, dictasque poenas eis, et eorum cuilibet gratiose remittat, et condonet; ac cum illis, qui Clerici, seu etiam Presbyteri fuerint, super irregularitate per eos, qui a censuris huiusmodi propter eadem praemissa innodati, Missas, et alia Divina Officia (non tamen in contemptum Clavium) celebrarunt, seu alias in suis Ordinibus ministrarunt, quomodolibet contracta, ad quemcumque effectum in utroque pariter foro dispenset, ipsosque, et eorum quemlibet ad famam, gradus, dignitates, necnon Beneficia, et officia Ecclesiastica quaecumque, caeteroqui tamen canonice per eos obtenta, ac alias in pristinum, et cum in quo antea quomodolibet erant statum adversus eadem praemissa rehabilitet, restituat, reponat, ac plenarie reintegret. Nos enim quamcumque necessariam, et opportunam ad praemissa facultatem, quam etiam aliis, prout sibi opportunum videbitur communicare, et subdelegare valeat, eidem Francisco Cardinali, et Praesuli harum serie auctoritate praedicta tribuimus, et impertimur.

§ 4. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 10, p. 217-220].

269.

Clemens XI, const. *Ad Apostolatus*, 18 iun. 1712.

Ad Apostolatus nostri notitiam, non sine gravi animi nostri perturbatione pervenit, quod cum Venerabilis Frater Nicolaus Maria Episcopus Liparensis ante aliquot menses Ioannem Baptistam, sive Baptistam Tesorerum, et Iacobum Christo Civitatis Liparen. Officiales, vulgo: *Catapani* nuncupatos ex causa violatae ab eis Immunitatis Ecclesiasticae poena excommunicationis Nobis, et Apostolicae Sedi reservatae innodatos, rite, ac servato iuris ordine, declarasset, Saecularis potestatis Regni Siciliae Administri, quamvis eiusmodi negotio, quod ad eos non pertinebat, nullatenus sese ingerere debuissent, nihilominus minime attento, quod Ecclesiae Liparen. Antistes Nobis, et huic Sanctae Sedi immediate subiectus, ac tot, tantisque ab ea gratiis, et privilegiis insignitus reperitur, eumdem Nicolaum Mariam Episcopum, eiusque Ministros multiplicibus, gravibusque vexationibus propter praemissa afficere, ac exagitare veriti non fuerunt. Quinimo, tametsi excommunicatio praedicta, tamquam ab Ecclesiasticae Immunitatis violatione proveniens, in earum numerum referenda esset, quarum absolutio nonnisi a Romano Pontifice pro tempore existente obtineri potest, ita ut nemini alteri, etiam ad cautelam, ac cum reincidentia, et ad effectum agendi tantum, eam concedere fas sit; attamen quoddam praetensum Tribunal eiusdem Regni nulla ad id legitima facultate suffultum Officialibus praedictis, sicut praemittitur, excommunicatis absolutionis beneficium impendere ausum fuit. Qua postmodum re ad iudicium nostrum delata, et a Nobis Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Immunitati Ecclesiasticae, et Controversiis Iurisdictionalibus praepositae commissa ab eadem Congregatione, praevio diligenti, ac maturo examine, Decretum prodiit, quo absolutio a dicto praetenso Tribunali concessa praefatis Excommunicatis nulla prorsus, ac irrita ex defectu iurisdictionis declarata fuit, idemque Decretum a Nobis approbatum, in dicta Civitate Liparen. iussu nostro promulgatum subinde fuit, ut pro veteri Ecclesiae more iidem Excommunicati, velut aqua, et igne interdicti, et tamquam putrida membra canonicae severitatis gladio abscissa, ne totum corpus inficerent, ab omnibus Christifidelibus vitarentur. Hinc porro secutum fuit, ut quidam Vincentius Aucellus Ecclesiae Sancti Petri Panormi Canonicus cum Notario, armataque familia Liparam ablegatus fuerit ad hoc, ut nedum authores, et conscios promulgationis memorati Decreti diligenter inquireret, ac puniret, verum etiam praedictos Officiales, sicut praemittitur, excommunicatos Christifidelium commercio, Sacramentorumque participationi, publica eiusdem Congregationis declaratione contempta, restitueret. Quae omnia idem Vincentius pro Regio, sive antedicti praetensi Tribunalis Delegato se gerens, non sine maximo fidelium scandalo, summaque Ecclesiasticarum Legum iniuria, ac manifesta etiam Apostolicae Sedis offensione, audacter executus fuit. Primum enim omnium, statim ac

Liparam pervenit, praedictos Excommunicatos secum ad Ecclesiam B. Virginis Gratiarum nuncupatae palam adduxit, et Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare ipsis praesentibus non exhorruit. Deinde pluribus ex Saeculari et Regulari Clero Sacerdotibus ad se accitis iniunxit, ut ipsos Excommunicatos ad communionem in divinis, et Sacramentorum participationem admitterent, gravibus, si secus fecissent, indictis poenis, quin etiam nonnullos, qui divini iudicii timore correpti iis Sacramenta Ecclesiae administrare ante illud tempus merito detrectaverant, pecuniariis mulctis afficere, et ad eas repraesentandas vi compellere non erubuit. Praeterea peccata peccatis adiiciens, misso Francisco Aucello nepote suo una cum Laurentio Mauricello, sive Morello executore ad Dilectum Filium Didacum Hurtado praedicti Nicolai Mariae Episcopi Vicarium in Spiritualibus Generalem, tunc maxime in Episcopali Palatio de rebus ad Sanctum Officium pertinentibus cum Consultoribus, et Qualificatoribus ad id deputatis agentem, pari temeritate personaliter ei praecipi, ac intimari fecit, ut sub poena quadringentarum unciarum monetae Siculae usque ad novum ipsius Vincentii mandatum domum pro carcere retineret. Cumque idem Didacus Vicarius Generalis ipsius Vincentii impetum coercere, eumque ad salubriora consilia revocare satagens illi transmisisset iudiciale Monitorium, quo tam ipse, quam Franciscus eius nepos, ac Laurentius praedicti causam dicere requirebantur, propter quam declarandi non essent innodati censuris, quae Apostolicis Constitutionibus, ac praesertim fel. rec. Iulii Papae III, quae incipit: *Licet a diversis,*[1] necnon Pii Papae V Praedecessorum nostrorum, cuius initium est: *Si de protegendis,*[2] adversus impedientes Inquisitores, et Causas Sanctae Inquisitionis praescribuntur: idem Vincentius caeca, inconsultaque abreptus ira eo audaciae progressus fuit, ut non modo binos Sacerdotes, qui eiusmodi Monitorium ipsi reddiderant, constringi vinculis, ac arctissimum in carcerem detrudi mandaverit, verum insuper assumptis secum Ioanne Baptista de Albertis Notario, Nicolao Sciacca Actuario, praedicto Laurentio Mauricello, seu Morello, et Iosepho Xhiaxia Executoribus, vulgo *Algoziriis* nuncupatis, necnon quinquaginta Militibus Stationariis, Episcopale Palatium, ubi supradictus Didacus Vicarius Generalis morabatur, bellico more circumsepserit, portam vi adhibita, occupaverit, iniectisque in eumdem Didacum Vicarium Generalem sacrilegis manibus, tum ipsum, tum etiam Dilectum filium Ildephonsum Arctium Monachum Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Cassinensis memorati Nicolai Mariae Episcopi Confessarium captivos detineri praeceperit, domumque ipsius Didaci Vicarii Generalis, in quam ambo mox sese receperant, a praedictis Stationariis Militibus diu, noctuque per plures dies custodiri fecerit. Ad haec pari audacia in custodiam tradiderit Notarium, Actuarium, ac reliquos omnes Curiae Episcopalis Liparen. Ministros, necnon dilectum pariter filium Franciscum Canalem Parochum Cathedralis Ecclesiae Liparen., et octo alios Sacerdotes non alterius criminis reos, nisi quod praefatis Officialibus, quibus Sacris interdictum erat, Ecclesiae Sacramenta ministrare abnuissent. His

[1] Cf. N. 85.
[2] Die 1 apr. 1569. – Bull. Rom., tom. 4, III, p. 60-62.

vero minime contentus praefatus Vincentius dictum Didacum Vicarium Generalem bonis quoque exuere aggressus fuit, eiusque domesticam supellectilem a supradictis suis Ministris, et Executoribus accurate describi fecit, ac publico in foro venalem se propositurum comminari non timuit, nisi ingens pecuniae summa re ipsa sibi numeraretur, quam cum praedictus Didacus Vicarius Generalis promptam non haberet, illam ad redimendam suam suppellectilem praefatam, foenore accipere compulsus fuit. Nec tamen ea expressa pecuniae summa, totque, ac tantis aliis illatis vexationibus idem Vincentius ingenio suo adhuc satisfecisse videbatur, sed, quemadmodum novissimae illarum partium literae nunciarunt, de praefato Didaco Vicario Generali, et aliis aliquot Sacerdotibus in custodia detentis Panormum traducendis cogitabat. Quid porro deinde iis evenerit, incompertum hactenus nobis est, deteriora tamen quaeque metuere nos cogit Viri temeritas, ac impudentia, qui tam probrosa, ac indigna facinora admittere non dubitavit, Ecclesiasticae Immunitatis hostis, et eversor factus, qui utpote Ecclesiae ministeriis addictus, illius potius vindex, ac propugnator esse debuisset.

§ 1. Cum autem praemissa omnia, quae ex processibus desuper confectis respective constant, ac ita notoria, et publica existunt, ut nulla possint tergiversatione celari, praefatis, aliisque Apostolicis Constitutionibus manifeste adversentur, necnon Ecclesiae libertati, atque authoritati maximum, et gravissimum praeiudicium intulerint, atque adhuc inferant, ac praeterea in scandalum plurimorum tendant, animasque pretioso Salvatoris, et Domini Nostri Iesu Christi Sanguine redemptas in gravissima pericula coniecerint, et deplorandis malis involvere pergant: hinc est, quod Nos, qui Iurium Ecclesiasticorum assertores in terris a Domino constituti sumus, libertatem, immunitatem, et iurisdictionem Ecclesiasticam a temerariis, et perniciosis huiusmodi conatibus illaesam tueri, et conservare, necnon animarum periculis, quantum Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, ac omnium, et singulorum, quae in praemissis, seu eorum occasione quovis modo decreta, ordinata, acta, et gesta fuerunt, seriem, causas, et circumstantias, etiam aggravantes, necnon Tribunalium, Iudicum, Ministrorum, Officialium, et aliorum quorumcumque in praemissis quomodolibet culpabilium qualitates, dignitates, nomina, et cognomina, aliave quaecumque etiam specificam, et individuam mentionem, ac expressionem requirentia praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et singillatim specificatis habentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine omnia, et singula decreta, praecepta, processus, sententias, ordinationes, mandata, et alia quaelibet tam a praedicto Vincentio Aucello, sive per se, sive per alios, quam a quibusvis Tribunalibus, Iudicibus, Ministris, et Officialibus, aliisque quibuscumque personis etiam specifica, et individua mentione dignis in praemissis seu eorum occasione, in praeiudicium, ac detrimentum libertatis, immunitatis, et iurisdictionis Ecclesiasticae, atque authoritatis Apostolicae respective quovis modo emanata, edita, acta, gesta, et perpetrata, cum omnibus, et singulis inde secutis, et forsan quandocumque secuturis, penitus, et omnino nulla, irrita, invalida, iniusta, reprobata, damnata, inania, temeraria, et a non habentibus potestatem damnabiliter

attentata, ac de facto praesumpta, nulliusque roboris, et momenti, vel efficaciae esse, et ab initio fuisse, ac perpetuo fore, neque illa ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde ac si nunquam emanassent, nec facta fuissent, pro non extantibus, et non factis perpetuo itidem haberi debere, tenore praesentium declaramus. Et nihilominus, ad maiorem, et abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia, et singula harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, annullamus, et abolemus, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, et abolitis, viribusque, et effectu penitus, ac omnino vacuis semper haberi volumus, et mandamus.

§ 2. Praeterea motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus, ex parte Omnipotentis Dei, authoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, ac nostra, eosdem Vincentium Aucellum, eiusque nepotem Franciscum Aucellum, Ioannem Baptistam de Albertis Notarium, Nicolaum Sciacca Actuarium, Laurentium Mauricellum, sive Morellum, et Iosephum Xhiaxia Executores vulgo *Algozirios* nuncupatos, necnon N. N. N. N. N. N., et N. Stationarios Milites, qui praedicto Vincentio in praemissis damnabilem operam, et auxilium, ut praefertur, praestiterunt, propter eadem praemissa in maiorem excommunicationem, ac in alias censuras, et poenas a Sacris Canonibus, Universalibus Conciliis, necnon praedictis, aliisque Constitutionibus Apostolicis, ac speciatim illa quotannis in die Coenae Domini legi solita contra similia perpetrantes inflictas, promulgatas, et fulminatas, a quibus nonnisi a Nobis, et pro tempore existente Romano Pontifice (praeterquam in mortis articulo, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiae mandatis, et satisfaciendo cautione praestita, atque cum reincidentia eo ipso, quo convaluerint) absolvi valeant, damnabiliter incurrisse, earumdem tenore praesentium declaramus, ipsosque, et eorum quemlibet excommunicatos publicamus, et denunciamus. Easdem porro censuras, et poenas se incurrisse sciant nedum alii omnes, cuiuscumque tandem status, gradus, ordinis, praeminentiae, et dignitatis fuerint, qui praemissa mandarunt, perpetrarunt, et executi fuerunt, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet praestiterunt, sed, et illos, qui in eorum sequelam, et executionem gesta approbarunt, et rata habuerunt, seu alias in eisdem praemissis quovis modo culpabiles fuerunt, seque praeterea a censuris, et poenis huiusmodi nonnisi pariter a Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo sub certis modo, et forma superius expressis) absolvi, et liberari posse.

§ 3. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 10, p. 320-322].

270.

Clemens XI, const. *Unigenitus*, 8 sept. 1713, propositiones Paschasii Quesnel, damn.

Unigenitus Dei Filius pro nostra, et totius Mundi salute filius hominis factus, dum discipulos suos doctrina veritatis instrueret, universamque Ecclesiam suam in Apostolis erudiret, praesentia disponens, et futura prospiciens, praeclaro, ac saluberrimo documento nos admonuit, ut attenderemus a falsis Prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, quorum nomine potissimum demonstrantur Magistri illi mendaces, et in deceptione illusores, qui splendida pietatis specie prava dogmata latenter insinuantes, introducunt sectas perditionis sub imagine sanctitatis; utque facilius incautis obrepant, quasi deponentes lupinam pellem, et sese divinae legis sententiis, velut quibusdam ovium velleribus obvolventes, Sanctarum scripturarum, adeoque etiam ipsius novi Testamenti verbis, quae multipliciter in suam aliarumque perditionem depravant, nequiter abutuntur: antiqui scilicet, a quo progeniti sunt, mendacii Parentis exemplo, ac magisterio edocti, nullam omnino esse ad fallendum expeditiorem viam, quam, ut ubi nefarii erroris subintroducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum praetendatur auctoritas.

§ 1. His nos vere divinis monitis instructi, ubi primum, non sine intima cordis nostri amaritudine accepimus, Librum quemdam gallico idiomate olim impressum, et in plures Tomos distributum, sub titulo: *Le nouveau Testament en françois avec des réflexions morales sur chaque verset, etc. A Paris 1699.* Aliter vero: *Abrégé de la morale de l'Evangile, des Actes des Apostres, des Epistres de S. Paul, des Epistres Canoniques, et de l'Apocalypse, ou pensées Chrétiennes sur le Texte des ces Livres Sacrez, etc. A Paris 1693, et 1694,* tametsi alias a Nobis damnatum, ac revera Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiscentem, adhuc tamen tamquam ab omni errore immunem, a pluribus haberi, Christifidelium manibus passim obtrudi, ac nonnullorum nova semper tentantium consilio, et opera studiose nimis quaquaversum disseminari, etiam latine redditum, ut perniciosae institutionis contagium, si fieri possit, pertranseat de gente in gentem, et de Regno ad Populum alterum: versutis huiusmodi seductionibus, atque fallaciis creditum nobis Dominicum Gregem in viam perditionis sensim abduci summopere doluimus; adeoque Pastoralis non minus curae nostrae stimulis, quam frequentibus orthodoxae Fidei Zelatorum querelis, maxime vero complurium Venerabilium Fratrum, praesertim Galliae Episcoporum literis, ac precibus excitati, gliscenti morbo, qui etiam aliquando posset in deteriora quaeque proruere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

§ 2. Et quidem ad ipsam ingruentis mali causam provide nostrae considerationis intuitum convertentes, perspicue novimus summam huiusmodi libri perniciem ideo potissimum progredi, et invalescere, quod eadem intus lateat, et velut improba sanies, nonnisi secto ulcere foras erumpat: cum liber ipse primo aspectu legentes specie quadam pietatis illiciat; molliti enim

sunt sermones eius super oleum: sed ipsi sunt iacula, et quidem inter arcu ita ad nocendum parata, ut sagittent in obscuro rectos corde. Nec propterea opportunius, aut salubrius praestari a nobis posse arbitrati sumus, quam si fallacem Libri doctrinam generatim solummodo a nobis hactenus indicatam, pluribus singillatim ex eo excerptis propositionibus, distinctius, et apertius explicaremus, atque universis Christifidelibus noxia zizaniorum semina e medio tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Iis nimirum denudatis, et quasi in propatulo positis non uno quidem, aut altero, sed plurimis, gravissimisque, tum pridem damnatis, tum etiam nove adinventis erroribus, plane confidimus, benedicente Domino, fore ut omnes tandem apertae iam, manifestaeque veritati cedere compellantur. Id ipsum maxime e re Catholica futurum, et sedandis praesertim in florentissimo Galliae Regno exortis ingeniorum varie opinantium, iamque in acerbiores scissuras protendentium dissidiis apprime proficuum: conscientiarum denique tranquillitati perutile, et propemodum necessarium, non modo praefati Episcopi, sed et ipse in primis charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus, cuius eximium in tuenda Catholicae Fidei puritate extirpandisque erroribus zelum satis laudare non possumus, saepius nobis est contestatus; repetitis propterea vere piis, et Christianissimo Rege dignis officiis, atque ardentibus votis a nobis efflagitans, ut Instanti animarum necessitati prolata quantocius Apostolici censura iudicii consuleremus.

§ 3. Hinc adspirante Domino, eiusque caelesti ope confisi, salutare opus sedulo, diligenterque, ut rei magnitudo postulabat, aggressi sumus, ac plurimas ex praedicto Libro, iuxta supra recensitas respective editiones, fideliter extractas, et tum Gallico, tum Latino idiomate expressas propositiones a compluribus in Sacra Theologia Magistris, primo quidem coram duobus ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus accurate discuti: deinde vero coram nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium consilio, quam maxima diligentia, ac maturitate, singularum insuper propositionum cum ipsomet Libri Textu exactissime facta collatione, pluries iteratis Congregationibus, expendi, et examinari mandavimus. Huiusmodi autem propositiones sunt, quae sequuntur, videlicet:

87. *Modus plenus sapientia, lumine, et charitate, est dare animabus tempus portandi cum humilitate, et sentiendi statum peccati, petendi spiritum poenitentiae, et contritionis, et incipiendi, ad minus satisfacere iustitiae Dei, antequam reconcilientur.*

90. *Ecclesia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu, saltem praesumpto, totius Corporis.*

91. *Excommunicationis iniustae metus, nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro: Nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia, videmur ab ea expulsi, quando Deo, Iesu Christo, atque ipsi Ecclesiae per charitatem affixi sumus.*

101. *Nihil spiritui Dei, et doctrinae Iesu Christi magis opponitur, quam communia facere iuramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones peierandi, laqueos tendere infirmis, et idiotis, et efficere, ut nomen, et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.*

§ 4. Auditis itaque tum voce, tum scripto Nobis exhibitis praefatorum Cardinalium, aliorumque Theologorum suffragiis, divinique in primis luminis, privatis ad eum finem, publicisque etiam indictis precibus, implorato praesidio, omnes, et singulas propositiones praeinsertas, tanquam falsas, captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiae, et eius praxi iniuriosas, neque in Ecclesiam solum, sed etiam in Potestates Saeculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de haeresi, ac haeresim ipsam sapientes, nec non haereticis, et haeresibus, ac etiam schismati faventes, erroneas, haeresi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam haereticas, variasque haereses, et potissimum illas, quae in famosis Jansenii propositionibus, et quidem in eo sensu, in quo hae damnatae fuerunt, acceptis, continentur, manifeste innovantes respective, hac nostra perpetuo valitura Constitutione declaramus, damnamus, et reprobamus. Mandantes omnibus utriusque sexus Christifidelibus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, ac praedicare aliter praesumant, quam in hac eadem Nostra Constitutione continetur; ita ut quicumque illas, vel illarum aliquam coniunctim, vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis, etiam disputative, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, Ecclesiasticis censuris, aliisque contra similia perpetrantes a lure statutis poenis ipso facto absque alia declaratione subiaceat. Caeterum per expressam praefatarum propositionum reprobationem alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus; cum praesertim in decursu examinis complures alias in eo deprehenderimus propositiones illis, quae, ut supra, damnatae fuerunt, consimiles, et affines, iisdemque erroribus imbutas; nec sane paucas sub imaginario quodam, veluti grassantis hodie persecutionis obtentu, inobedientiam, et pervicaciam nutrientes, easque falso Christianae patientiae nomine praedicantes; quas propterea singulatim recensere et nimis longum esse duximus, et minime necessarium; ac demum, quod intolerabilius est, Sacrum ipsum novi Testamenti Textum damnabiliter vitiatum compererimus, et alteri dudum reprobatae versioni Gallicae Montensi in multis conformem: a vulgata vero editione, quae tot saeculorum usu in Ecclesia probata est, atque ab Orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter discrepantem, et aberrantem, pluriesque In alienos, exoticos, ac saepe noxios sensus, non sine maxima perversitate detortum. Eumdem propterea librum, utpote per dulces sermones, et benedictiones, ut Apostolus loquitur, hoc est, sub falsa piae institutionis imagine, seducendis innocentium cordibus longe accommodatum, sive praemissis, sive alio quovis titulo inscriptum, ubicumque, et quocumque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hactenus impressum, aut in posterum (quod absit) imprimendum, authoritate Apostolica tenore praesentium iterum prohibemus, ac similiter damnamus; quemadmodum etiam alios omnes, et singulos in eius defensionem tam scripto, quam typis editos, seu forsan (quod Deus evertat) edendos libros, seu libellos, eorumque lectionem, descriptionem, retentionem, et usum omnibus, et singulis Christifidelibus sub poena excommunicationis per contrafacientes ipso facto incurrenda, prohibemus pariter, et interdicimus. Praecipimus insuper Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis, aliisque locorum Ordinariis,

nec non haereticae pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, et rebelles q... cumque per censuras, et poenas praefatas, aliaque iuris, et facti remedia, in... cato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii Saecularis auxilio, omnino coe... ceant, et compellant.

[Bull. Rom., tom. 10, p. 340-344].

271.

Clemens XI, const. *Ad plurimas*, 23 dec. 1713.

Ad plurimas, et vere acerbissimas, quas in Regno Siciliae non mi... Ecclesiae, quam huius S. Sedis authoritas a Saeculari potestate iamdiu pe... tulit, et adhuc perfert, iniurias, considerationis nostrae intuitum convertentes id ferme Nobis evenire experimur, quod patientissimo Viro Iob accidisse Sacrae Literae commemorant: ut scilicet unius aerumnae nuncium alius gravioris calamitatis relator excipiat, novaque in dies, ac semper tristiora ex illis partibus ad Nos afferantur. Nostra proinde, et eiusdem Sedis, Ecclesiae quae Iura, ex commissi Nobis caelitus Pastoralis Officii debito, ab eiusmodi Laicorum ausibus constanter asserere pergimus, sicut omnibus maturae considerationis trutina perpensis, aequitati, et iustitiae, rectoque ordini consentaneum esse In Domino arbitramur.

§ 1. Nuper siquidem ad Apostolatus Notri notitiam pervenit, quod alias postquam Venerabilis Frater Franciscus Archiepiscopus Ramırez Episcopus Agrigentinus, non alia profecto de causa, nisi eo quod Ecclesiastica authoritate strenue asserta, ministerium suum diligenter implevisset, et quo par erat obsequio Nostris, atque eiusdem Sedis mandatis fideliter obtemperasset, per summam iniuriam, ac intolerabilem eiusdem Saecularis potestatis abusum e sua Civitate, ac Dioecesi Agrigentin., totoque Regno Siciliae expulsus, eiusmodi suae expulsionis Executores, nec non quoscumque illius complices, auxiliatores, et mandantes in Excommunicationem maiorem ab Apostolicis Constitutionibus, et speciatim illa die Coenae Domini singulis annis legi, et promulgari solita contra similia perpetrantes inflictam incidisse declaraverat; ac insuper Civitatem, et Dioecesim Agrigentin. praefatas Ecclesiastico interdicto subiecerat. Tametsi haec omnia ab eo rite, ac recte, necnon iuxta Sacrorum Canonum praescriptum, imo etiam de speciali, ac praevio mandato nostro peracta fuerint, nihilominus paucos post dies, ineunte scilicet mense Septembri proxime praeterito, quidam Andreas Ficani, tanquam praetensi Tribunalis Monarchiae Siculae nuncupati, illiusque asserti Iudicis specialiter ad infrascripta Delegatus, primum quidem, nempe die secunda eiusdem mensis Septembris, Ecclesiam Sancti Ioannis Civitatis Agrigentin., quae iurisdictioni supradicti praetensi Tribunalis subesse praetenditur, temere, ac violenter aperiri fecit. Deinde vero eos, quos dictus Franciscus Episcopus in Excommunicationem Nobis, et eidem Sedi reservatam incurrisse, sicut praemittitur, declaraverat, maiori temeritate absolvere praesumpsit, vigore scilicet praetensae facultatis sibi ad id concessae a Francisco Miranda, et Gayarre as-

serto Iudice supradicti praetensi Tribunalis per eius literas die 31 Augusti proxime praeteriti expeditas, quibus execrando non minus, et impudenti ausu, quam falsis, et ineptis rationibus eadem Excommunicatio, sive Excommunicationis declaratio nulla, iniusta, insubsistens, temeraria, et irregularis declarabatur: ipsique Andreae nihilominus mandabatur, ut ad tollendum quodcumque scandalum, aditumque praecludendum cuivis pharisaico zelo (hoc nomine in eiusdem literis Christiana illa obedientia, quae Ecclesiae mandatis exhiberi debet, impie traducebatur) Excommunicatos praedictos, si absolutionem petiissent, tanquam specialiter Delegatus a dicto praetenso Tribunali, absolvere deberet; et alias, prout uberius legi potest in supradictis literis, quas memoratus Andreas eadem die secunda Septembris promulgari, ac in pluribus locis Civitatis Agrigentin. affigi mandavit, tenoris, qui sequitur, videlicet:

§ 2. Nos utrisque Iuris Doctor D. Franciscus Miranda, et Gayarre, de Consilio Sacrae Catholicae Maiestatis, Abbas Sanctae Mariae Terranae, ac Iudex Ordinarius Tribunalis Apostolicae Legatiae, et Regiae Monarchiae pro praefata Catholica Maiestate in hoc Siciliae Regno, Reverendo Sacerdoti Andreae Ficani Delegato in Causa Fideli Regio Dilecto salutem: *Ha pervenuto non senza doglianze alla nostra notizia, e di questo Tribunale dell'Apostolica Legazia, e Regia Monarchia, che essendo stato il Reverendissimo Arcivescovo Vescovo di Girgenti Don Francesco Ramirez intimato d'ordine di S. E. a partirsi da quella Diocesi, e da questo fedelissimo Regno per li giusti motivi, che mossero l'animo di S. E., concernenti al Real servigio, e publico bene, e quiete del Regno, valendosi con matura riflessione ed evidente giustizia della potestà economica contro il nomato Prelato, quello abusandosi del Titolo specioso di Consigliere di Sua Maestà (che la Divina guardi), e del proprio giuramento di fedeltà, e d'osservare le prerogative Regie, e del Regno, facendosi scudo, benchè ideato, d'esser lesa la libertà Ecclesiastica, e d'avere patito violenze dal Capitano Ochoa, Dottor Don Giovan Battista Guzzardo, Clerico D. Pompeo Grugno, Ettore Antinori, ed altre Persone generalmente, specialmente, et individualmente nominati passò a scomunicarli, e supponendo, che l'esercizio di tal Potestà economica fosse enorme delitto, passò ad interdire la Cattedrale, e tutte le Chiese della Diocesi, mostrando in ciò poco buon genio verso il Real Servigio, e la Potestà economica di S. E., per la totale elevazione del quale Interdetto, per l'evidente nullità, ed altre ragioni, e per aprirsi le Chiese con la continuazione de' divini officj, ed amministrazione di Sacramenti, si stan spedendo per via del Tribunale gl'ordini opportuni, ma per adesso riflettendo, che la riferita censura fulminata contro le persone, così in specie, come in genere riferite, ha processo indebitamente* ex abrupto, de facto, nullo Iuris ordine servato, *contro la forma de' Precetti Evangelici, de' Sacri Canoni, Concilj Ecumenici, con publico scandalo, evidente perturbazione de' Popoli, ed impedimento al corso della Giustizia, ed esercizio della potestà economica, ed in esecuzione di supposta potestà concessali dalla Corte Romana non eseguta, nè presentata nel Regno, in grave pregiudizio delle Regalie e prerogative del Regio* Exequatur, *secondo si prescrive da più Reali dispacci de' Serenissimi Monarchi, fondati in evidenti ragioni, avvalorati da antichissima, ed immemorabile osservanza, mai interrotta nel lungo*

corso di più secoli, non solo in questo fedelissimo Regno, ma anche per tutto il Mondo Cattolico, come uniforme al dritto delle genti, alli sacri Canoni, Concilj Universali, e Concordie con la Santa Sede; ed accrescendosi li motivi di sudetta nullità, ed insussistenza dalli notabili eccessi, ed evidenti aggravj, resta la sudetta censura, come sopra, fulminata assolutamente nulla, ed ingiusta, da temersi solamente da chi la fulminò, non avendo nè tampoco premessi le solite, e necessarie monizioni, nè tampoco la citazione ad dicendum causam Quare, *secondo precettò l'istessa Verità increata, li sacri Canoni, e Concilj Ecumenici, e senza veruna inibizione a desistersi dal fatto, o pretese violenze; avendo perciò tutto maturatamente esaminato, e discusso con matura riflessione, abbiamo stimato dichiarar nulla, ingiusta, insossistente, temeraria, ed irregolare la riferita censura per le ragioni riferite, con fare a voi le presenti, per rendere manifesta, e publica la nullità di sudetta censura, e per togliere anche da codesta Città, e Diocesi li Cedoloni, Interdetti, ed altre Scritture forse affissate contro le accennate persone in specie, ed in genere nominate, e benchè stante la sudetta nullità, ed ingiustizia, non vi fusse di bisogno veruna assoluzione, nondimeno per non dar luogo a verun zelo farisaico, e a qualunque scandalo possibile, che potesse originarsi nelle coscienze semplici, erronee, e scrupolose: perciò vi ordiniamo, che presentandosi innanzi a voi le succennate Persone, in specie, ed in genere nominate, ed ogn'uno di loro, domandandovi l'assoluzione della sudetta Scomunica, vogliate, e dobbiate Voi, come Delegato di questo Tribunale della Regia Monarchia, a quelli, ed ogn'uno di loro assolvere libere dalla sudetta Scomunica, e fatta la sudetta assoluzione ne farete fede, e quella trasmetterete, dove sarà di bisogno, per aversene piena scienza, ed altra trasmetterete a Noi, e questo Tribunale della Regia Monarchia, con vostre lettere responsali, per avere anche Noi scienza della sudetta assoluzione, procedendo soora ciò contro li perturbanti, ed impedienti l'esecuzione delle presenti a quelli rimedj, che vi pareranno convenienti, e di giustizia; comandando per le presenti a tutti, e singoli Officiali così spirituali, come temporali del Regno, che sotto la pena di scudi cento per ogn'uno di essi d'applicarsi al Fisco di questo Tribunale della Regia Monarchia v'abbiano, e debbano dare, e prestare ogni lor braccio, aiuto, e favore tante volte, quante da voi saranno richiesti, che Noi sopra le cose sudette vi diamo, e concediamo ogni nostra potestà ed autorità necessaria, e così eseguirete ad istanza delle sudette prenominate Persone, seu di qualsivoglia Persona per esse presentate, e comparente, etiam senza procura, per quanto la grazia di Sua Maestà tenete cara, e sotto le pene a Noi ben viste. Datum Panormi die trigesimaprima Augusti sextae Indictionis 1713: D. Franciscus Miranda, et Oayarre: Iulius Rotundo Pro-Magister Notarius: Iesus: Praesentetur, Exequatur, Registretur, et Affigatur: Sacerdos D. Andreas Ficani Delegatus in Causa: Die 2 Septembris 1713 praesentes praesentatae, executae, et registratae fuerunt, et sunt in Officio Admodum Reverendi Sacerdotis D. Andreae Ficani degentis in hac Civitate Agrigenti, uti Delegati Illustrissimi, et Reverendissimi Domini D. Francisci Miranda, et Oayarre Iudicis Ordinarii Tribunalis Regiae Monarchiae, et fuerunt affixae iuxta supradictam decretationem. Unde etc. Clericus Angelus Fiano Magister Notarius in Causa, etc.*

§ 3. Post haec Ministri dicti praetensi Tribunalis, cum forsan suarum iniquitatum mensuram nondum satis per praemissa implevisse sibi viderentur, admissis criminibus nova, et sane semper graviora crimina adiicere non formidarunt. Quidam enim Canonicus Isidorus Navarro, asserens se eiusdem praetensi Tribunalis, illiusque asserti Iudicis delegatum existere, nec non speciale ab eo mandatum habuisse revocandi generale Interdictum, cui praefatus Franciscus Episcopus Civitatem, et Dioecesim supradictas, ut praefertur, supposuerat, ad praedictam Civitatem Agrigentin. die 15 eiusdem mensis Septembris, plurium armatorum militum turma stipatus se contulit, ibique tam Ecclesiasticos ad aperiendas, quam Populum ad frequentandas Ecclesias inducere tentavit. Sed cum illos in exacta eiusdem Interdicti observantia, fidelique erga Pastorem suum, atque hanc Sanctam Sedem obedientia firmissimos invenisset, ad violenta remedia confugit, eorumque constantiam, antiqua propemodum ab Ethnicis in Christifideles illatarum persecutionum exempla renovando, bonorum interceptionibus, carceribus, exiliis, aliisque irrogatis mulctis, expugnare studuit. Plures proinde tam Saeculares, quam Regulares Sacerdotes, sive in carceres, et vincula crudeliter coniecit, sive bonis spoliavit, sive exulare acerbe iussit, atque hos inter plerosque etiam Parochos oves Christi sibi commissas eo plane tempore, quo Pastorum suorum praesentia, ac custodia maxime indigebant, deserere coegit. Et, quod sane sine horrore, ac lacrymis audiri nequit, tres Vicarios in spiritualibus Generales a memorato Francisco Episcopo successive deputatos, nempe dilectos Filios Petrum Attardum, Iosephum Mariam Rhinum, et Gasparem Salernum, in odium constantis, et invicti illorum zeli pro Ecclesiae Iurium, atque Apostolicae authoritatis tuitione in carceres detrusit, ingenti prius pecunia ab eis extorta; ac quartum, qui illis successerat, nempe quendam Blasium Mairam, nisi hic interea non tam lethalis morbi violentia, quam innumeris pro eadem Ecclesiae causa toleratis aerumnis confectus, ac pene morti proximus, ad gravis pecuniariae multae solutionem implo eiusdem Isidori iussu immanissime adactus, ab humanis decessisset, eadem carceris poena afficere decreverat. Neque his contentus dictus Isidorus, propriae non minus conscientiae, quam divini timoris penitus immemor, censuris omnibus, ac poenis in Ecclesiastici Interdicti violatores per sacros Canones, et Apostolicas sanctiones inflictis prorsus contemptis, Cathedralem Ecclesiam Agrigentinam violenter aperiri fecit, ibique detestabili impietate a sacrileglis ad Altare progrediens, imo Altare ipsum sacrilegiis polluens, maiori Excommunicatione, aliisque censuris non uno, sed plurimis nominibus innodatus, Sacrosanctum, ac tremendum Missae Sacrificium, concrepantibus interea plurium scloporum dispositionibus per eius milites factis, aliisque igniarii pulveris fragoribus additis, cum interventu quorumdam, qui ad eamdem Ecclesiam metu, et violentiis compulsi convenerant, celebrare ausus fuit: promulgato tamen prius in eadem Civitate Agrigentin. quodam Edicto, per quod idem Isidorus Interdictum praefatum nullum, iniustum, illegitimum, insubsistens, et irritum, nulliusque roboris, et efficaciae declaraverat, adeoque omnibus Superioribus Ecclesiarum tam Saecularium, quam Regularium, nec non Parochis, Beneficiatis, Capellanis, Presbyteris, et Clericis Civitatis, et Dioecesis Agrigentin. praefatarum, ut illo minime attento,

Ecclesias omnes apertas, ut prius, retinere, ac in illis Missas, et alia Divina Officia celebrare, et celebrari, ac Christifidelibus Ecclesiae Sacramenta administrare, et administrari facere deberent, perinde ac si Interdictum huiusmodi nunquam emanasset, sub Excommunicationis, aliisque poenis districte mandaverat, et alias, prout etiam uberius continetur in praefato Edicto, tenoris sequentis, videlicet:

§ 4. Nos Doctor D. Isidorus Navarro Canonicus Sanctae Metropolitanae Primariae huius Siciliae Regni Ecclesiae Panormitanae, Examinator Synodalis, et Delegatus Tribunalis Apostolicae Legatiae, et Regiae Monarchiae seu ad infrascripta constitutus vigore literarum datarum Panormi die nona septembris septimae Indictionis 1713 praesentatarum, executarum, et registratarum in hac Civitate Agrigenti die 15 Instantis, ad quas etc.: Omnibus, et singulis Christifidelibus utriusque sexus huius praedictae Civitatis, eiusque Dioecesis salutem in Domino sempiternam: *Non senza doglianza, e perturbazione della pubblica quiete ha pervenuto alla notizia di S. E., e del Reverendiss. Mons. D. Francesco Miranda, e Gayarre Abate di Santa Maria di Terrana, del Conseglio di Sua Maestà (che la Divina guardi), e suo Giudice Ordinario del Tribunale dell'Apostolica Legazia, e Regia Monarchia in questo fedelissimo Regno, che essendo stato il Reverendissimo Arcivescovo D. Francesco Ramirez Vescovo di Girgenti intimato d'ordine di S. E. a partirsi da questa Diocesi, e da tutto il Regno per li giusti motivi mossero il zelo indefesso, e l'animo di S. E., attinenti al Real servigio, publico bene, e quiete de' Popoli, valendosi con matura riflessione, e con giustizia della Potestà Economica contro il succennato Prelato, quale abusandosi del titolo specioso di Consigliere di Sua Maestà, e del proprio giuramento di fedeltà, e di osservare le Regie prerogative, privilegj, e lodevoli osservanze del Regno, fingendo di esser stata lesa la libertà Ecclesiastica, e di aver patito violenze dal Capitan D. Giovanni Ochoa, Dottore D. Giovan Battista Guzzardi, Clerico D. Pompeo Grugno, Ettore Antinoro, e d'altre persone generalmente, specialmente, ed individualmente nominate, passò a scomunicarli, e supponendo, che l'esercizio di tal Potestà Economica fosse enorme delitto, credendo esser Prelato per la sola grazia della Corte Romana, non per la Real munificenza, interdisse questa Cattedrale, e tutte le Chiese della Diocesi, con lo scudo di essersi commesso gravissimo eccesso contro il Pastore di questo Gregge, senza però riflettere le turbolenze, e pessime conseguenze può partorire tanto scandaloso attentato contro il Real servigio, publica quiete, ed in dispregio della Potestà Economica, ma anche totalmente irregolare, assolutamente,* et de facto, et ex abrupto, nullo Iuris ordine servato, *contro la forma de' sacri Canoni, e Concilj Generali, mancando li requisiti necessarj dell'Interdetto, e la materia, e causa efficiente del medesimo, con supposizione di violenze non vere, ed eccessi non commessi, mentre il mettere in dubio la Potestà Economica, e chiamare abuso, violenza, ed eccesso l'esercizio della medesima è contro ogni diritto, contro ogni Ius delle genti, e l'inveterate, e mai interrotte prerogative, e diritti di Sua Maestà (che la Divina guardi), e di questo fedelissimo Regno, e Tribunale dell'Apostolica Legazia, e Regia Monarchia, maggiormente, che si asserisce in sudetto asserto, e nullo Interdetto d'aver processo per potestà con-*

cessati dalla Corte Romana, non esecuta, nè presentata nel Regno in grave pregiudizio, anzi dispregio delle Regalie, e prerogative del Regio Exequatur, *secondo si prescrive da più Reali Dispacci de' Serenissimi Monarchi fondati in evidenti ragioni, avvalorate d'antichissima, ed immemorabile osservanza mai interrotta nel lungo corso di più Secoli, non solo in questo fedelissimo Regno, ma anche per tutto il Mondo Cattolico, come uniforme al dritto delle Genti, alli sacri Canoni, Concilj Universali, Privilegj Apostolici, e Concordie con la Santa Sede, ed includendo per conseguenza manifesta ingiustizia, notoria insussistenza, ed evidente nullità, s'ha stimato perciò dal detto Tribunale dell'Apostòlica Legazia, e Regia Monarchia, e dal riferito Reverendissimo Monsignor Giudice della medesima provedere d'opportuno rimedio, riparando col suo zelo non solo alli pregiudizj del Real servigio, ma anche a quelli delli Popoli di questa Diocesi ingiustamente lesi dal sudetto Prelato loro Pastore contro la carità Pastorale, ha deliberato commettere a Noi la sua autorità, e potestà,* ac vices, et voces suas, et eiusdem Tribunalis, *con ordinarci, che dovessimo passare in questa Città, e qualsivoglia parte della Diocesi, e levare, e far levare sudetto Interdetto, e qualsivoglia Cedolone affissato, e dichiarare* iuxta Iuris formam ex Commissione speciali *l'istesso Interdetto nullo, ingiusto, illegitimo, ed insossistente. Per tanto Noi valendoci della sopradetta potestà amplissima nelle sopracitate lettere, come speciale Delegato in questo negozio, e Causa, precedendo le prove legitime di non esser veri li motivi addotti nel citato Interdetto. passassimo in dorso la petizione del nostro Procuratore Fiscale D. Domenico Piccione, con interlocutoria* in scriptis *a dichiarare nullo, ingiusto, illegitimo, ed insussistente, irrito, di nessuna forza, e valore il succennato Interdetto. In tanto per il nostro presente Editto* auctoritate, qua supra, *publichiamo la nullità, ingiustizia, ed insossistenza del medesimo, ed ordiniamo in virtù della facoltà a Noi specialmente, come s'ha detto, concessa a tutti li Superiori delle Chiese, tanto Regolari, quanto Secolari, Parochi, Beneficiati, Cappellani, Sacerdoti, e Chierici, che non ostante il sudetto Interdetto, stante la sua notoria ingiustizia, nullità, ed insossistenza, dovessero tenere le Chiese aperte, ed ivi celebrare, e far celebrare li Divini Offizj, e Messe, come si faceva prima del sudetto ingiusto, nullo, ed insossistente Interdetto, ed amministrare a tutti li Fedeli li Santi Sacramenti della Santa Chiesa, come prima, e come se mai vi fosse stato detto Interdetto, nullo, ingiusto, ed insossistente, e questo sotto la pena alli Contraventori, e disobedienti della Scomunica Maggiore riservata al sudetto Reverendissimo Giudice della Regia Monarchia, della disgrazia di Sua Maestà, e di altre pene a Noi ben viste, e non altrimente. Datum Agrigenti die trigesima Septembris septimae Indictionis 1713. Affigatur: Canonicus Navarro Delegatus. Innocentius Guerreri Magister Notarius.*

§ 5. Idem porro Edictum a memorato Isidoro per universam Dioecesim Agrigentin. transmissum fuit, ut iuxta eius tenorem Presbyteri omnes singulorum locorum Dioecesis huiusmodi, Interdicto praefato nequaquam obstante, Missas celebrare, aliaque Divina peragere per assertos Delegatos locales supradicti praetensi Tribunalis compelli possent; quemadmodum inter caeteros ita fecisse, atque executum fuisse Nobis innotuit quemdam Iosephum

Alexandri, qui asserens se eiusmodi Delegatione munitum esse, in Oppido *Castel Tervine* nuncupato, eiusdem Dioecesis quoddam praeceptum, seu mandatum hac de re edidit, addita in eo adversus transgressores poena incorporationis omnium bonorum, illudque nonnullis Ecclesiasticis dicti Oppidi transmisit, imo et ad quorumdam ex eis domorum ianuas affigi fecit, tenoris sequentis, videlicet: *Die 28 Octobris septima Indictione 1713. Portiero d'ordine del Reverendo Sacerdote D. Gioseppe Alessandro Delegato del Tribunale dell'Apostolica Legazia, e Regia Monarchia in virtù di Lettere Patenti date in Palazzo in detto Tribunale diebus etc., e di Commissione parimente del Reverendo Signor Canonico D. Isidoro Navarro Delegato speciale in Causa di detto Tribunale, e in virtù di suo ordine, e Lettera data in Girgenti diebus etc.: alli quali etc. s'ingiange, notifica, et intima al Sacerdote D. Antonino Matteliano, quatenus domane Domenica 29 del corrente 7 Indictione 1713 e successivamente in appresso di giorno in giorno abbia, voglia, e debba celebrare la Santa Messa, assistere in detto giorno die 29 Ottobre alla Messa Cantata, e Divini Officj, Amministrazione delli Santissimi Sacramenti, stante l'evidente nullità dell'Interdetto, come chiaramente si vede nelli Editti affissati d'ordine di detto Reverendo Delegato in Causa nelli luoghi publici di questa predetta Terra. Altrimente, facendo il contrario, e non facendo copia di se, s'intende incorso in quelle pene publicate, ed espressate in detto ordine, e Lettere, procedendosi per la disobedienza all'espressi nell'istesse Ordinazioni, con la incorporazione di tutti li suoi beni. Unde etc.*

§ 6. Cum autem nimium evidens sit, nec quisquam inficiari valeat gravissimam ex praemissis Ecclesiasticae Libertati, imo etiam Pontificiae auctoritati illatam fuisse iniuriam: ac similiter exploratum sit nullum Iudicem, quacumque tandem potestate, et auctoritate suffultum, quoties de Excommunicatione, Interdicto, aliisque censuris ex causa laesae, seu violatae Immunitatis Ecclesiasticae, ac potissimum de speciali Nostro, et Sedis Apostolicae mandato latis, agi contingit, in illarum validitatis, seu invaliditatis, iustitiae, seu iniustitiae cognitionem, quae non nisi Nobis, ac dictae Sedi reservata est, se ingerere ullatenus posse; adeoque eadem praemissa in maximum plurimorum perniciem, ac scandalum tendant, animasque pretioso Salvatoris, et Domini Nostri Iesu Christi Sanguine redemptas in gravissima pericula, et errores coniicere, ac deplorandis malis involvere valeant: hinc est, quod Nos, qui Iurium Ecclesiasticorum Assertores in Terris a Domino constituti sumus, omniumque Christifidelium curam, et solicitudinem superna dispositione gerimus, Libertatem, Immunitatem, et iurisdictionem Ecclesiasticam, nec non Sanctae huius Sedis authoritatem ab eiusmodi nefariis, ac perniciosis conatibus sartam, tectamque, atque illibatam tueri, et conservare, nec non animarum periculis, quantum Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, omniumque et singulorum, quae in praemissis, seu eorum occasione quovis modo decreta, iussa, ordinata, acta, et gesta fuerunt, seriem, causas, et circumstantias, etiam aggravantes, nec non praefatorum, ac quorumvis aliorum Tribunalium, Iudicum, Ministrorum, etiam Principalium, seu Supremorum, Officialium, Notariorum, Scribarum, et Personarum quarumcumque in eisdem praemissis quomodolibet culpabilium qualitates, dignitates, nomina,

et cognomina, aliave quaecumque, etiam specificam, et individuam mentionem, ac expressionem requirentia, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et singillatim specificatis habentes: Motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, Literas, Edictum, ac Praeceptum, seu Mandatum praeinserta, nec non quaecumque in iis contenta, aliaque omnia ea occasione per memoratos Franciscum Miranda, et Gayarre assertum Iudicem dicti praetensi Tribunalis, nec non Andream Ficani, Isidorum Navarro, et Iosephum Alexandri vigore suarum respective assertarum Delegationum acta, gesta, et ordinata, cum omnibus, et singulis inde secutis, et forsan quandocumque secuturis, penitus, et omnino nulla, irrita, invalida, iniusta, reprobata, damnata, inania, temeraria, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, ac de facto praesumpta, nulliusque omnino roboris, et momenti, vel efficaciae esse, et ab initio fuisse, ac perpetuo fore, neque illa a quoquam observari posse, vel potuisse, adeoque nec ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde, ac si nunquam emanassent, nec facta fuissent, pro non extantibus, et non factis perpetuo itidem haberi, tenore praesentium declaramus. Et nihilominus ad maiorem, et abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia, et singula harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, abolemus, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, et abolitis, viribusque, et effeetu penitus, et ommino vacuis semper haberi volumus, et mandamus.

§ 7. Praeterea, tametsi de veteri Nationis Siculae pietate, ac Religione confisi, minime dubitemus Christifideles illarum partium, ac praesertim Civitatis, et Dioecesis Agrigentin. praefatarum Incolas, etiam nostra hac declaratione minime expectata, Literas, Edictum, ac Praeceptum, seu Mandatum huiusmodi, aliaque per dictos Franciscum Miranda, et Gayarre, Andream, Isidorum, et Iosephum gesta pro irritis, et invalidis, nulliusque prorsus roboris, ac valoris iam habuisse, et in posterum habituros esse, adeoque omnia e converso per supradictum Franciscum Episcopum acta, et ordinata religiose, ac exacte observasse, et observaturos esse, nihilominus ad maiorem similiter cautelam, generale Interdictum, cui praefatus Franciscus Episcopus Civitatem, et Dioecesim supradictas, sicut praemittitur, subiecit, nec non censuras, seu declarationes Excommunicationis ab eo contra suos Expulsores promulgatas pro validis, et iustis habentes, ipsumque Interdictum, ac ceusuras, seu declarationes huiusmodi auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, ac Nostra approbantes, et confirmantes, ac adversus praemissa, quatenus opus sit, renovantes: Motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus, omnes, et singulas personas Ecclesiasticas tam saeculares cuiusvis gradus, praeeminentiae, ac dignitatis fuerint, quam cuiusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, et Societatis, etiam Iesu, Regulares ad exactam eiusdem Interdicti observantiam omnino teneri, et obligatas existere, et fore, ita ut in quibusvis Ecclesils, Locis piis, Oratoriis, etiam privatis, ac Capellis domesticis Civitatis, et Dioecesis Agrigentin. praedictarum, praetensa etiam memoratae assertae Monarchiae Siculae authoritate

munitis, sive alias quocumque privilegio, exemptione, et indulto, etiam praetensae Protectionis Regiae, seu praetensi Iurispatronatus Regii, tametsi pluries, ac quantiscumque vicibus a Sede praefata approbati suffultis, nec Missae, nec alia Divina Officia celebrari, neque Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum administrari, minusque Fidelium Defunctorum cadavera sepeliri, aliaque tempore Interdicti prohibita exerceri, nisi temporibus, casibus, et modis per supradictos Sacros Canones permissis, ullo modo valeant, earumdem pariter tenore praesentium statuimus, et ordinamus. Ad haec omnes, et singulos, quantumvis exemptos, et quovis modo privilegiatos, qui statuto, decreto, et ordinationi Nostris huiusmodi sub quovis quaesito colore, ratione, aut praetextu quomodolibet contravenerint, quocumque tandem titulo, munere, aut dignitate praefulgeant, eo ipso, et absque alia declaratione in censuras, et poenas Ecclesiasticas per praefatos Sacros Canones, et Constitutiones Apostolicas desuper latas, et impositas incidisse, illisque innodatos fuisse, et esse, ac fore, nec ab eis a quoquam, nisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentia in easdem censuras eo ipso, quo convaluerint) absolvi, et liberari posse, harum serie similiter statuimus.

§ 8. Caeterum, cum notorii Iuris sit non tam eos, quos praefatus Franciscus Episcopus in actu suae expulsionis Excommunicatos declaravit, quam supradictos Franciscum Miranda, et Gayarre, Andream Ficani, Isidorum Navarro, et Iosephum Alexandri, ac ulterius Iulium Rotundo Promagistrum Notarium, qui praeinsertis literis praedicti Francisci Miranda, et Gayarre, Clericum Angelum Fiano Magistrum Notarium, qui promulgationi literarum huiusmodi per dictum Isidorum, ut praefertur, factae, ac Innocentium Guerreri similiter Magistrum Notarium, qui praeinserto Edicto eiusdem Isidori respective subscripserunt, nec non Dominicum Piccione, ad cuius nimirum instantiam, uti Procuratoris Fiscalis eiusdem praetensi Tribunalis, dictus Isidorus in suo praeinserto Edicto se processisse asseruit: aliosque omnes, et singulos cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae, dignitatis, quantumcumque excelsae, ac sublimis fuerint, qui sive Francisci Episcopi expulsionem huiusmodi, sive gesta per dictos Franciscum Miranda, et Gayarre, Andream, Isidorum, et Iosephum quovis modo mandarunt, ac ordinarunt, seu illis consilium, auxilium, favorem, vel quamvis aliam damnabilem operam praestiterunt, aut in eorum sequelam, et executionem gesta approbarunt, et rata habuerunt, seu alias in eis quomodolibet culpabiles fuerunt, censuras omnes, et poenas Ecclesiasticas a Sacris Canonibus, Generalium Conciliorum decretis, et Apostolicis Constitutionibus, ac praesertim Literis die Coenae Domini singulis annis legi, et promulgari consuetis inflictas eo ipso incurrisse. Noverint idcirco illi omnes, etiam specialissima mentione digni, a censuris, et poenis huiusmodi, post debitam, ac condignam Ecclesiae realiter, et cum effectu praestitam satisfactionem, non nisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo constituti, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiae mandatis, et satisfaciendo cautione praestita, ac cum reincidentia praefata eo ipso, quo convaluerint) absolvi, et liberari posse, prout harum serie similiter decernimus, et declaramus; facul-

tatem insuper quandocumque procedendi ad alia severiora remedia, quatenus praedicti Ecclesiasticae libertatis violatores in sua contumacia persistentes censuras, et poenas huiusmodi animo, quod absit, sustinuerint indurato, Nobis, et eidem Apostolicae Sedi expresse reservantes.

§ 9. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 11, p. 1-6].

272.

Clemens XI, const. *Ad Apostolatus*, 7 sept. 1714.

Ad Apostolatus nostri notitiam, non sine gravi paterni cordis nostri dolore, pervenit, quod cum alias dilectus filius Didacus Hurtado Venerabilis Fratris Nicolai Mariae Episcopi Liparensis Vicarius in spiritualibus Generalis, non alia profecto de causa, nisi quod quibusdam mandatis nostris Apostolicae auctoritatis tuitionem respicientibus, sibi antea per literas die XXI augusti MDCCXII a dilecto filio nostro Fabritio Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Paulutio nuncupato Secretario nostri Status ei iussu nostro conscriptas datis illa, qua par erat fide et obedientia obtemperans, ab executione cuiusdam dispensationis matrimonialis sibi ab Alonso Mercorella, qui illam obtinuerat, exhibitae provide abstinuisset, per summam iniuriam, ac manifestum saecularis potestatis abusum, adnitente in id, atque instigante apud eiusdem saecularis potestatis Ministros supradicto Alonso, e Civitate, ac Dioecesi Liparen. expulsus fuerit; ipseque in actu eiusmodi suae expulsionis, quo Immunitati Ecclesiasticae per id enormiter laesae consuleret, ac vim vi repelleret, Ioannem Baptistam Gastaldum, et Carolum Alconanda expulsores suos, omnesque alios, qui eamdem expulsionem mandarunt, seu illi auxilium, favorem, aut consilium quovis modo praestiterunt, cuiuscumque gradus, et conditionis essent, in excommunicationem maiorem a Constitutionibus Apostolicis, et speciatim illa quotannis die Coenae Domini legi solita contra similia perpetrantes inflictam incidisse declaraverit, ac insuper Civitatem, et Dioecesim Liparen. praefatas generali Ecclesiastico Interdicto, affixis super excommunicatione, et Interdicto huiusmodi publicis schedulis, subiecerit. Tametsi haec omnia, a memorato Didaco Vicario generali rite, ac recte, nec non iuxta Sacrorum Canonum praescriptum, imo de speciali praevio mandato nostro peracta fuerint: nihilominus quidam Iosephus Marotta Canonicus Saecularis, et Collegiatae Ecclesiae S. Petri Panormitan. asserens se specialem praetensi Tribunalis Monarchiae Siculae nuncupati, illiusque asserti Iudicis Delegatum existere, una cum Francisco Bruno Notario, Corrado Chirco Fiscali, Francisco Zavaglio executore, Algozzino vulgariter nuncupato, ad dictam Civitatem Liparen. accessit, ibique assumpto in Consultorem Iosepho Russo Liparensi Edictum quoddam promulgari, ac in locis publicis eiusdem Civitatis affigi fecit, per quod temerario non minus, quam execrando ausu, generale Interdictum, cui praefatus Didacus Vicarius Generalis Civitatem, et Dioecesim praedictas, sicut praemittitur, supposuerat, nullum, irritum, iniustum, illegitimum, insubsistens, nulliusque roboris, et valoris declaravit, illoque minime

attento, mandavit, ut Ecclesiae omnes tam saeculares, quam regulares Civitatis, et Dioecesis huiusmodi apertae, ut prius, retineri, ac in illis Missae, et alia Divina Officia celebrari, nec non Christifidelibus Sacramenta administrari deberent, perinde ac si ipsum Interdictum nunquam emanasset, et alias, prout uberius continetur in praefato Edicto, quod non alio quidem, quam illud penitus, et omnino reprobandi animo praesentibus inserendum duximus, tenoris, qui sequitur, videlicet.

§ 1. Nos D. Ioseph Marotta Cap. et M. et Canonicus Regiae Capellae Sancti Petri S. R. P. Sen. Iudex Ecclesiasticus revisionis causarum decisarum in Tribunali Consistorii S. Regiae conscientiae, et Delegatus Regiae Monarchiae huius Regni serio ad infrascripta constitutus vigore literarum datarum Panormi die prima februarii 1714 ad quas, etc. Omnibus, et singulis Christifidelibus utriusque sexus huius praedictae Urbis, eiusque Dioecesis salutem in Domino sempiternam: *Essendo pervenato a notizia, non con poca meraviglia dell'Illustrissimo Monsignor Giudice della Monarchia, che essendo stato intimato al Reverendo Don Diego Hurtado Canonico, e Vicario Generale della Cattedrale Chiesa di questa nobile, e fedelissima Città di Lipari dal Luogotenente Giovanni Battista Castaldi, e di ordine speciale del Governo a partirsi dalla Città, ed Isola di Lipari, e sua Diocesi, per li motivi maturatamente esaminati, che mossero il zelo del Governo, a far ciò per l'accertato del Real servizio, publico bene, e quiete de' Popoli, esercitando con matura riflessione la Potestà economica, e le regole del buon Governo contro il sudetto Vicario perturbatore di detta quiete, il quale scordatosi l'obbligo di fedel Vassallo, e di osservare le Regie prerogative, e lodevoli osservanze del Regno, lusingando, per forsi ragione, di esser stata lesa l'Immunità Ecclesiastica, e di aver patito violenza dal riferito di Castaldi, e Carlo Alconada Agiutante, coprendosi col specioso scudo, erroneo però, e premeditato non meno, che affettato, di essere il sudetto di Castaldi Commissario, seu Delegato del Tribunale della Monarchia, a cui per sfogo del suo naturale dà indebitamente il titolo di preteso, e quando il sudetto Tribunale della Regia Monarchia non ha dato ordine contro il sudetto Vicario, sua Corte, e Chiesa, nè mai il detto di Castaldi fu Commissario, seu Delegato di detto Tribunale, nè disse, nè poteva dire, essere Ministro con delegazione speciale di detto Tribunale, come nella scommunica, e quel che è più, con molto disconsolo di tutti i Fedeli, non solo di questa, ma del Regno interdisse questa Santa Catedrale, e tutte l'altre della Città e Diocesi, sottomettendoli ad Interdetto locale, e generale, senza però riflettere alla falsità delle supposizioni, ed alle turbolenze, e pessime conseguenze può partorire tal scandaloso attentato contra il Real servizio, e publica quiete, e quel che è più* nullo iuris ordine servato, *e contro la forma de' Sagri Canoni, per mancanza delli requisiti necessarj all'Interdetto. Perciò si ha stimato da detto Monsignor Illustrissimo Giudice della Regia Monarchia provedere dell'opportuni rimedj, riparando col suo sommo zelo alli pregiudizj del Real servizio, come anche a quello de' Popoli di questa Città, e Diocesi, i quali sono stati tanto ingiustamente lesi dal sudetto Vicario contro la carità non solo Pastorale, ma Ordinaria, tanto dal Sommo Dio incaricata; deliberò commettere a Noi la sua autorità, e potestà,* ac vices, et voces dicti Tribunalis, *e di conferirci in questa*

e dichiarando ex commissione speciali *lo stesso Interdetto nullo, ingiusto, illegitimo, ed insussistente, far levare il sudetto Interdetto. Per tanto Noi valendoci della sudetta Potestà amplissima in dette lettere sopracitate, come speciale Delegato in questo negozio, dichiariamo con il presente nostro Editto,* auctoritate, qua fungimur, *nullo, ingiusto, illegitimo, insussistente, irrito, e di nessuna forza, e valore il cennato Interdetto, ed ordiniamo a tutti i Superiori delle Chiese tanto Regolari, quanto Secolari, Parochi, Beneficiati, Cappellani, Sacerdoti, e Clerici, che non ostante il sudetto Interdetto, stante la sua notoria ingiustizia, insussistenza, e nullità, dovessero tenere le Chiese aperte, ed ivi celebrare, e far celebrare li Divini Ufficj, e Messe, come si faceva prima di detto Interdetto, ed amministrare a tutti li Fedeli li Santissimi Sagramenti della Santa Chiesa, come prima, e come mai vi fosse stato il sudetto nullo Interdetto, e questo sotto pena alli contravenienti, e disobbedienti di scommunica maggiore riservata al sudetto Monsignor Giudice della Monarchia, della disgrazia di Sua Maestà (che Dio guardi) ed altre pene a Noi, ed a detto Monsignore riservate, e non altrimenti. Datum Liparae die 10 mensis februarii 1714. Affigatur: Canonicus D. Ioseph Marotta Delegatus: Dominus D. Franciscus Bruno Magister Notarius.*

§ 2. Subinde vero dictus Iosephus Marotta, his minime contentus, dilectos quoque filios Franciscum Canalem Canonicum, et Parochum Ecclesiae Liparen., Dominicum Francolinum, Franciscum Corsum, Dominicum Sciachitanum, Alonsum Bonica, Presbyteros, et Franciscum Canalem Clericum, non alterius delicti reos, nisi quod affixioni schedularum excommunicationis, et Interdicti huiusmodi operam suam praestitisse, ac in actu expulsionis dicti Didaci Vicarii Generalis campanas sono funebri pulsasse insimulati fuerint, in carceres detrudi iussit.

§ 3. Cum autem valde manifestum sit, nec quisquam inficiari valeat gravissimam tam Ecclesiae, quam huic Sanctae Sedi illatam fuisse iniuriam ex praedicti Didaci Vicarii Generalis expulsione, aliisque praemissis adversus personas Ecclesiasticas sacrilege perpetratis: praesertim vero ex promulgatione Edicti praeinserti praefatum Interdictum temere annullantis; tum quia explorati Iuris est nullum Iudicem, quacumque tandem potestate, et auctoritate suffultum, quoties de excommunicatione, Interdicto, aliisve Censuris causa laesae, seu violatae Immunitatis Ecclesiasticae, ac potissimum de speciali nostro, et Sedis Apostolicae mandato latis agi contingit, in illarum validitatis, seu invaliditatis, iustitiae, seu iniustitiae cognitionem, quae non nisi Nobis, ac eidem Sedi reservata est, se ingerere posse; tum etiam quia satis similiter perspectum est, Ecclesiam Liparensem Nobis, ac dictae Sedi immediate subiectam esse, et quoad spiritualia a quorumcumque Tribunalium, etiam Ecclesiasticorum, Regni Siciliae iurisdictione exemptam, et liberam existere; quandoquidem licet dicta Civitas Liparen. anno MDCIX per clarae memoriae Philippum III dum vixit, Hispaniarum Regem Catholicum, qui etiam utriusque Siciliae Rex existebat, a Regno Neapolitano pro maiori commoditate gubernii dismembrata, et separata, ac eidem Regno Siciliae ultra Pharum unita, et incorporata fuerit: indubitati tamen iuris est, eiusmodi dismembrationem, et unionem sola Seculari, ac Regia auctoritate, ut prae-

fertur, factas, locum habere ad summum potuisse quoad ea, quae gubernium, ac regimen rerum temporalium dumtaxat concernunt, ac semper sine praeiudicio directi dominii utriusque Siciliae huiusmodi, iuriumque ab eo dependentium, ad eamdem Sedem etiam in temporalibus, ut notum est, pertinentium: nunquam vero quoad ea, quae administrationem rerum Ecclesiasticarum, ac Spiritualium respiciunt, quarum statum, et ordinem Laicalis potestas immutare non valuit. Unde nec indulgentiae illae, et gratiae tam spirituales, quam temporales Cruciatae Sanctae nuncupatae, alias ab hac Sancta Sede diversis earumdem Hispaniarum Regibus Catholicis, Religionis Christianae contra Turcas defensioni incumbentibus, nec non Christifidelibus in ipsarum Hispaniarum Regnis, et illis adiacentibus, ac Sardiniae Insulis consistentibus, et ad illa declinantibus, qui quaedam sibi iniuncta opera adimplevissent, ad certum tunc expressum tempus concessae, ac subinde ad Regnum Siciliae ultra Pharum extensae, et pluries prorogatae: nec etiam ius praesentandi personas idoneas Romanis Pontificibus pro tempore existentibus ad praesentationem huiusmodi praeficiendas quibuscumque Cathedralibus, etiam Metropolitanis Ecclesiis praedicti Regni Siciliae ultra Pharum, memorati Philippi Regis descendentibus in Hispaniarum, ac Siciliae ultra Pharum Regnis huiusmodi legitimis Successoribus, quamdiu illi vixissent, ab eadem Sede concessum, et assignatum: neque demum Tribunal Inquisitionis Hispaniarum adversus haereticam pravitatem auctoritate Apostolica institutum, cuius iurisdictio ad praedictum Siciliae ultra Pharum Regnum caeteroqui extenditur, in Ecclesia, Civitate, ac Dioecesi Liparen. praedictis locum unquam habuerunt: imo nec ipsi Ministri saeculares eiusdem Regni Siciliae ultra Pharum, sive sub dismembrationis, et unionis praedictarum obtentu, sive sub alio quovis praetextu praemissa locum habere debuisse, vel debere unquam praetenderunt. Hinc est, quod Nos, qui iurium Ecclesiasticorum Assertores in terris a Domino constituti sumus omniumque Christifidelium curam, et solicitudinem superna dispositione gerimus, libertatem, immunitatem, et iurisdictionem Ecclesiasticam, nec non Sanctae huius Sedis authoritatem, ac dignitatem, ab eiusmodi nefariis, ac perniciosis conatibus sartam, tectamque, atque illibatam tueri, et conservare, animarumque periculis, quantum Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, ac omnium, et singulorum, quae in praemissis, seu eorum occasione quovis modo decreta, iussa, ordinata, acta, et gesta fuerunt, seriem, causas, et circumstantias etiam aggravantes, nec non praedictorum, ac quorumvis aliorum Tribunalium, Iudicum, Ministrorum, etiam principalium, seu Supremorum Officialium, Notariorum, Scribarum, et personarum quarumcumque in eisdem praemissis quomodolibet culpabilium qualitates, dignitates, nomina, et cognomina, aliave quaecumque etiam specificam, et individuam mentionem, et expressionem requirentia, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et singillatim specificatis habentes; in praemissis vero supradictae Ecclesiae Liparensis immediatam Nobis, et Sedi praefatae subiectionem, illiusque quoad spiritualia a quocumque Tribunali, etiam Ecclesiastico Regni Siciliae exemptionem, ac libertatem approbantes, et confirmantes, ac quatenus opus sit, innovantes: Motu proprio, et ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, Edictum praein-

sertum, ac quaecumque in eo contenta, nec non alia per memoratum Canonicum Iosephum Marotta ea occasione vigore suae assertae delegationis acta, gesta, et ordinata, cum omnibus, et singulis inde secutis, et forsan quandocumque seculuris, penitus, et omnino, nulla, irrita, invalida, iniusta, reprobata, damnata, inania, temeraria, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, ac de facto praesumpta, nulliusque omnino roboris, et momenti, vel efficaciae esse, et ab initio fuisse, ac perpetuo fore, neque illam a quoquam observari posse, vel potuisse, adeoque nec ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde, ac si nunquam emanassent, nec facta fuissent, pro non extantibus, et non factis perpetuo itidem haberi debere tenore praesentium declaramus. Et nihilominus ad maiorem, et abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia, et singula, et si quae insuper praemissorum occasione, seu in eorum sequelam per praedictum Canonicum Iosephum Marotta, aut quaecumque praefati Regni Siciliae Tribunalia, seu eorum Delegatos, vel Commissarios hac in re de caetero agi, geri, et ordinari quomodolibet contigerit, harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, abolemus, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, et abolitis, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuis semper haberi volumus, et mandamus.

§ 4. Praeterea, tametsi de perspecta Populi, et Incolarum Civitatis, et Dioecesis Liparen. praefatarum pietate, illorumque veteri in Ecclesiam, atque hanc Apostolicam Sedem devotione tam praeclare sentiamus, ut minime dubitemus ipsos, etiam eiusmodi nostra declaratione minime expectata, praeInsertum Edictum, aliaque per dictum Canonicum Iosephum Marotta, gesta, pro irritis, et invalidis, nulliusque prorsus roboris, ac valoris iam habuisse, et imposterum habituros esse, adeoque omnia e converso per supradictum Didacum Vicarium Generalem acta, et ordinata religiose, ac exacte observasse, et observaturos esse: nihilominus ad maiorem similiter cautelam generale Interdictum, cui praefatus Didacus Vicarius Generalis Civitatem, et Dioecesim supradictas, sicut praemittitur, subiecit, nec non censuras, seu declarationes excommunicationis ab eo contra praenominatos Ioannem Baptistam Gastaldum, et Carolum Alconanda expulsores suos, aliosque omnes, qui eamdem expulsionem mandarunt, seu illi opem, favorem, aut consilium quovis modo praestiterunt, promulgatas, pro validis, et iustis habentes, ipsumque Interdictum, ac Censuras, seu declarationes huiusmodi auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, ac nostra approbantes, et confirmantes, ac adversus praemissa, quatenus opus sit, innovantes: Motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus, omnes, et singulas personas Ecclesiasticas tam Saeculares, cuiusvis gradus, praeeminentiae, ac dignitatis fuerint, quam cuiusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, et Societatis, etiam Iesu, Regulares, ad exactam eiusdem Interdicti observantiam iuxta formam a Sacris Canonibus praescriptam omnino teneri, et obligatas existere, et fore, ita ut in quibusvis Ecclesiis, Locis piis, Oratoriis etiam privatis, ac Capellis domesticis Civitatis, et Dioecesis praedictarum, quibuscumque tandem privilegiis, exemptionibus, et Indultis, etiam praetensae protectionis Regiae, seu praetensi iuris patronatus Regii, tametsi pluries, ac quantiscumque vicibus

ab hac Sancta Sede approbati munitis, nec Missae, nec alia Divina Officia celebrari, neque Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum administrari, minusque fidelium defunctorum cadavera sepeliri, aliave tempore Interdicti prohibita exerceri, nisi temporibus, casibus, et modis per supradictos Sacros Canones permissis, ullo modo valeant, earumdem tenore praesentium statuimus, et ordinamus. Ad haec omnes, et singulos, quantumvis exemptos, et quovis modo privilegiatos, qui Statuto, Decreto, et Ordinationi nostris huiusmodi sub quovis quaesito colore, ratione, aut praetextu quomodolibet contravenerint, quocumque tandem titulo, munere, aut dignitate praefulgeant, eo ipso, et absque alia declaratione in censuras, et poenas Ecclesiasticas per eosdem Sacros Canones, et Constitutiones Apostolicas desuper latas, et impositas incidisse, illisque innodatos fuisse, et esse, ac fore, nec eos a quoquam, nisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentia in easdem censuras, et poenas, eo ipso, quo convaluerint) a censuris, et poenis huiusmodi absolvi, et liberari posse, harum serie similiter statuimus.

§ 5. Caeterum cum notorii iuris sit, non tam eos, quos praefatus Didacus Vicarius Generalis in actu suae expulsionis excommunicatos declaravit, quam supradictum Canonicum Iosephum Marotta, necnon Franciscum Bruno Magistrum Notarium, qui praeinserto Edicto subscripsit, Corradum Chirco Fiscalem, Iosephum Russo Consultorem, Franciscum Zavaglio Executorem, Alonsum Mercorella Instigatorem, aliosque omnes, et singulos cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae, et dignitatis quantumcumque excelsae, ac sublimis fuerint, qui sive eiusdem Didaci Vicarii Generalis expulsionem, sive publicationem, et affixionem praeinserti Edicti, sive detrusionem in carcere Presbyterorum, ac Clerici praefatorum, sive alia gesta per dictum Canonicum Iosephum Marotta mandarunt, ac ordinarunt, seu illis consilium, auxilium, favorem, vel quamvis aliam damnabilem operam praestiterunt, aut in eorum sequelam, et executionem similiter gesta approbarunt, et rata habuerunt, seu alias in eis quomodolibet culpabiles fuerunt, censuras omnes, et poenas Ecclesiasticas a Sacris Canonibus, generalium Conciliorum Decretis, et Apostolicis Constitutionibus, ac praesertim literis die Coenae Domini singulis annis legi, et promulgari consuetis inflictas eo ipso incurrisse. Noverint idcirco illi omnes, etiam specialissima mentione digni a censuris, et poenis huiusmodi, post debitam, ac condignam Ecclesiae realiter, et cum effectu praestitam satisfactionem, nonnisi a nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo, ut praefertur, et tunc cum reincidentia praefata eo ipso, quo convaluerint) absolvi, et liberari posse, prout earumdem tenore praesentium decernimus pariter, et declaramus; facultatem insuper, ad alia severiora remedia, quatenus praedicti Ecclesiasticae libertatis violatores in sua contumacia persistentes, censuras, et poenas huiusmodi animo, quod absit, substinuerint indurato, Nobis, et eidem Apostolicae Sedi reservantes.

§ 6. Demum, cum etiam intellexerimus, quod postquam idem Didacus Vicarius Generalis, sicut praemittitur, exulare coactus fuit, dilecti Filii Capitulum, et Canonici dictae Ecclesiae Liparen. in Vicarium Generalem huius-

modi dilectum quoque filium Emmanuelem Carnevale praefatae Ecclesiae Archidiaconum elegerint, notorii autem, et explorati iuris sit, quod quemadmodum Pastoralis cura eiusdem Ecclesiae penes praedictum Nicolaum Mariam Episcopum, tametsi ab ipsa Ecclesia absentem, omnino, atque integre remansit, ita sane ad ipsum quoque ius deputandi suum Vicarium Generalem irrefragabiliter spectabat, et spectat: idcirco in virtute Sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis latae sententiae poena per contrafacientes eo ipso incurrenda, a qua nemo, nisi a Nobis, vel Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo constitutus) absolvi possit, Capitulo, et Canonicis supradictis, necnon reliquo Clero tam Saeculari, quam Regulari Civitatis, et Dioecesis Liparen. praefatarum districte prohibemus, et interdicimus, ne postquam earumdem praesentium, nec non deputationis alterius Vicarii in spiritualibus Generalis a praedicto Nicolao Maria Episcopo factae, vel faciendae notitiam habuerint, eumdem Emmanuelem Archidiaconum, ut Vicarium Generalem amplius agnoscant, aut illi actum ullum obedientiae praestent; illos serio monentes, ac tam eis, quam universo Populo Civitatis, et Dioecesis huiusmodi enixe praecipientes, ut ei dumtaxat Vicario Generali, qui a memorato Nicolao Maria Episcopo deputatus fuit, vel in posterum deputabitur, congruam obedientiam exhibeant; simulque sciant ea omnia, quae de caetero Vicariatus eiusmodi titulo, sive a supradicto Emmanuele Archidiacono, sive a quovis alio, qui absque nostra, seu praefati Nicolai Mariae Episcopi facultate dicti Vicariatus auctoritatem sibi quomodolibet usurparet, geri contingeret, omnino irrita, invalida, et inania, nulliusque roboris, ac momenti fore, quemadmodum Nos vere illa pro irritis, invalidis, et inanibus habenda esse harum serie similiter declaramus.

§ 7. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 11, p. 19-24].

273.

Clemens XI, const. *Nova semper*, 29 nov. 1714.

Nova semper in dies, ut alias non semel diximus, et semper acerbiora ex Regno Siciliae ad Nos afferuntur. Nuper siquidem Nobis innotuit, quod ille idem Caietanus Buglio, qui dudum, uti Delegatus praetensi Tribunalis Monarchiae Siculae nuncupati, generale Interdictum, cui Venerabilis Frater Andreas Episcopus Cataniensis e sua Civitate Cataniensi, eiusque Dioecesi, per execrabilem Saecularis potestatis abusum eiectus, in actu eiusmodi suae eiectionis Civitatem, ac Dioecesim praefatas non ita pridem iussu nostro subiecerat, nullum, irritum, iniustum, ac illegitimum, speciali suo in eadem Civitate Cataniensi ad id promulgato Edicto, temere declaravit. Gravissimo hoc patrato crimine minime contentus, sed secundum duritiam suam, et impoenitens cor, addens peccatum super peccatum, ac thesaurizans sibi iram in die irae, animo forsan, ut stulte opinabatur, enervandi efficaciam eorum, quae ex iniuncti Nobis Apostolici muneris debito adversus ipsum, eiusque

acta a Nobis decerni contigisset, ac potissimum eludendi executionem earumdam nostrarum in simili forma Brevis Literarum die 17 iunii 1713 expeditarum, quibus non modo illius Edictum praefatum, aliaque per ipsum ea occasione vigore suae assertae Delegationis perperam gesta, cum omnibus inde secutis, et quandocumque secuturis, damnavimus, reprobavimus, cassavimus, et irritavimus, ac pro damnatis, reprobatis, cassatis, et irritis semper et omnino haberi voluimus, et mandavimus: verum etiam eumdem Canonicum, nec non Ioannem Baptistam Perino Magistrum Notarium, qui memorato Edicto subscripserat, censuras omnes, et poenas Ecclesiasticas a Sacris Canonibus, generalium Conciliorum Decretis, et Apostolicis Constitutionibus, ac praesertim Literis die Coenae Domini singulis annis legi, et promulgari consuetis contra similia perpetrantes inflictas incurrisse declaravimus; sequenti mense Iulio eiusdem anni, in suarum iniquitatum cumulum, impudenti non minus, quam detestabili ausu, Praeceptum quoddam, seu Mandatum edidit, illudque typis impressum, et ab eodem Ioanne Baptista Perino similiter subscriptum Ecclesiasticis tam Saecularibus, quam Regularibus universae Dioecesis Catanien. transmitti, ac denunciari curavit, per quod inter caetera ipsaemet Apostolicae Literae, aliaque Decreta, Mandata, Edicta, Censurae, Interdicta, et Rescripta quaecumque ab hac Romana Curia, hoc est, ab hac Sancta Sede provenientia, quorum executionem Saecularis potestas minime permisisset, nulla, irrita, ac, quod horrendum est, conscientiarum Christifidelium tranquillitati adversantia, impie, et sacrilege declarantur: gravibus constitutis poenis adversus eos, qui illa quovis modo executi fuissent, et aliis, prout uberius continetur in eodem Praecepto, seu Mandato, quod non alio quidem, quam illud penitus, et omnino damnandi, et anathematizandi animo praesentibus inserendum duximus, tenoris, qui sequitur, videlicet:

§ 1. *Portiero. D'ordine del Reverendissimo Dottor Don Gaetano Buglio Decano, e prima Dignità di questa Santa Proto-Metropolitana Chiesa di Messina, Commissario Ordinario del Tribunale del Sant'Offizio, e Santissima Inquisizione, e Delegato del Tribunale della Regia Monarchia di questo Regno di Sicilia, non solo Ordinario in questa Città di Messina, ma ancora Delegato speciale in Causa dato dall'Illustriss. e Reverendiss. Dottor D. Francesco Miranda, e Gayarre del Conseglio di Sua Maestà (che la Divina guardi) e suo Giudice Ordinario dell'Apostolica Legazia, e Regia Monarchia in questo Regno di Sicilia, in virtù di lettere spedite dal Tribunale della medesima sotto il primo Luglio corrente presentate, ed esecute nell'Officio dell'Istesso Buglio sotto li 11 del medesimo, injungi, ed intima con la seguente ingiunzione trasmessane dal Tribunale di detto Illustrissimo, e Reverendiss. Giudice: Quatenus nel caso si publicassero qualsivoglia Editti, Interdetti, Censure, o altri qualsisia Ordini, Decreti, o Rescritti eziandio forma Brevis della Corte Romana per qualsivoglia via, o sotto qualsivoglia Titolo, senza prima precedervi il Regio* Exequatur; *per li quali, o qualsivoglia di loro direttamente, o indirettamente, tacita, o espressamente venissero revocati, lesi, e pregiudicati, o in qualsivoglia modo alterati gl'Editti publicati, d'ordine di Sua Ecc. o d'altri d'ordine nostro, stante le speciali Commissioni per via dell'istesso Tribunale sotto li 25 Aprile, e 16 Maggio scorsi, o che rinovassero l'Inter-*

detto, Censure, ed altre publicate d'ordine del Rmo Monsignor Don Andrea Reggio Vescovo di Catania, o d'ordine di qualsisia Prelato, Vicario Generale, o altro Commissionato di sudetta Corte, o vero, che publicassero altri Editti, Interdetti, e Censure contra qualsisia persona di qualunque stato, e condizione, che fosse, non abbia, nè debba quelli eseguire, nè osservare, nè fare eseguire, nè osservare da' proprj Sudditi; et quatenus *fossero eseguiti, o in qualsivoglia modo osservati, abbia, voglia, e debba ogni cosa ridurre allo stato primiero, come se mai fossero stati li sudetti Decreti, Editti, Interdetti, e Censure, nè publicati, nè osservati, nè affissati, e questo sotto pena della disgrazia di Sua Maestà (che la Divina guardi) di privazione di voce attiva, e passiva, e di anni cinque di Carceri formali per ogni Contraventore, ed'altre pene riservate all'arbitrio di Sua Ecc., e Tribunale sudetto; e questo stante, che li sudetti Decreti, Brevi, Interdetti, Rescritti, e Censure non sono nel Regno esecuti, anzi tendano contro la publica quiete del Regno, contro la tranquillità delle Coscienze de' Fedeli del medesimo, ed in grave pregiudizio delle Regalie di Sua Maestà (che la Divina guardi), del Regno, e di sudetto Tribunale dell'Apostolica Legazia, e Regia Monarchia, con evidente perturbazione de' Popoli, scandali, ed inconvenienti, contro la publica quiete, e contro la disposizione delle Leggi del Regno, di più Reali Dispacci de' Serenissimi Monarchi, fondati in evidentissime ragioni, avvalorate da antichissima, immemorabile osservanza, mai interrotta nel corso di più Secoli, ma uniforme al diritto delle Genti, Sacri Canoni, Privilegj Apostolici, Concordie con la Santa Sede, e stante, che notoriamente sono di nissuna forza, e valore li Decreti, e Rescritti sudetti, come quelli, che tengono l'origine d'altri Decreti assolutamente non essecuti nel Regno, ma emanati* de facto, et ex abrupto, nullo Iuris ordine servato, *e senza essere intese le ragioni di Sua Maestà, del Regno, de' Regnicoli, e del Fisco di sudetto Tribunale dell'Apostolica Legazia, e Regia Monarchia, senza veruna cognizione, nè discussione di Causa, e senza monizione, nè citazione alcuna, assolutamente necessaria per ogni Legge Divina, ed Umana, e nemmeno senza citazione* ad dicendum Causam Quare, *secondo li Precetti dell' istessa Verità increata, Costituzioni Apostoliche, e Concilj Generali, e non altrimenti etc. Fiat D. D. Caietanus Buglio Delegatus: Ioan: Baptista Perino Magister Notarius.*

§ 2. Cum autem in praecepto, seu Mandato huiusmodi nullum plane sit verbum, per quod tam Ecclesiastica Libertas Dei ordinatione, et Canonicis Sanctionibus constituta, quam Apostolicae Sedis auctoritas acerbissime non laedantur: potissimum vero per ea, quae inibi continentur, illamet suprema ligandi, atque solvendi potestas Beatissimo Apostolorum Principi, eiusque Successoribus a Christo Domino tradita Saecularis potestatis arbitrio per summam iniuriam, atque intolerabilem temeritatem manifeste subiiciatur: necnon execrandus abusus quoquo modo impediendi executionem Literarum Apostolicarum per eosdem Sacros Canones, et plurimas notissimas Pontificias Constitutiones sub anathemate damnatus, plene conformis non tam Iuri Gentium, quam ipsismet Sacris Canonibus, Privilegiis Apostolicis, ac Concordiis cum Sede praefata initis, falso non minus, quam perverse nuncupetur: adeoque animae pretioso Salvatoris nostri Sanguine redemptae in

maxima pericula coniici possint: hinc est, quod Nos, qui quorumcumque tam eiusdem Apostolicae Sedis, quam Ecclesiae Iurium Assertores in terris a Domino constituti sumus, tametsi credamus Praeceptum, seu Mandatum praeinsertum, omniaque in eo contenta, satis, superque tam per seipsa, quam vigore eorum, quae in aliis memoratis nostris literis pro reprobatione, irritatione, et annullatione Edicti ab eodem Caietano dudum promulgati, necnon aliorum ab eo in vim suae assertae Delegationis gestorum, omniumque inde secutorum, et quandocumque secuturorum, sicut praemittitur, edicta, amplissime decrevimus, et mandavimus, pro reprobatis itidem, irritis, et omnino nullis haberi potuisse, ac debuisse, et forsan a sanioris saltem mentis hominibus iam habita fuisse; nihilominus, cum inter tam gravia animarum pericula liberum Nobis non sit fidelibus populis documenta salutis subtrahere, nec Nos in tam aperta, atque effraenata Sacrarum Legum violatione turpiter tacere, aut Pastoralis providentiae nostrae ministerium otiosum esse velimus: omnium idcirco, et singulorum, quae in praemissis, seu eorum occasione tam ab eodem Caietano, quam ab aliis quibuscumque in sequelam Praecepti, seu Mandati praeinserti quovis modo decreta, acta, et gesta fuerunt, seriem, causas, et circumstantias, necnon praefatarum nostrarum Literarum tenorem, aliave quaelibet, etiam specificam, et individuam mentionem, et expressionem requirentia, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis, ac singillatim specificatis habentes: Motu proprio, ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, Praeceptum, seu Mandatum praeinsertum, ac quaecumque in eo contenta, necnon alia a memorato Caietano Buglio in praemissis, vel circa ea quomodocumque, et qualitercumque acta, gesta, mandata, decreta, et ordinata, cum omnibus, et singulis inde secutis, et forsan quandocumque secuturis, penitus, et omnino nulla, irrita, et invalida, iniusta, reprobata, damnata, inania, temeraria, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, ac de facto praesumpta, nulliusque omnino roboris, et momenti, vel efficaciae esse, et ab initio fuisse, ac perpetuo fore, neque illa a quoquam observari posse, vel potuisse, adeoque nec ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde, ac si nunquam emanassent, nec facta fuissent, pro non extantibus, et non factis perpetuo itidem haberi debere tenore praesentium declaramus.

§ 2. Et nihilominus ad maiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia, et singula, et si quae insuper praemissorum occasione, sive in eorum sequelam a praedicto Caietano, seu eius iussu, mandato, vel nomine ab aliis quibuscumque in futurum (quod Deus avertat) agi, geri, mandari, decerni, et ordinari quomodolibet contigerit, harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, abolemus, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, et abolitis, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuis semper haberi volumus, et mandamus.

§ 3. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 11, p. 31-34].

274.

Clemens XI, const. *Accepimus*, 11 ian. 1715.

Accepimus nuper, quod statim ac in Regno Siciliae vulgatae fuerunt quaedam nostrae in simili forma Brevis Literae die 6 novembris proxime praeteriti expeditae, quas pro omnimoda, ac debita observantia Ecclesiastici Interdicti, cui Civitates, ac Dioeceses Cataniensis, et Agrigentina iussu nostro subiectae reperiuntur, obtinenda, nec non quibuscumque effugiis ad excusandam eiusdem Interdicti transgressionem exquisitis penitus praecludendis, novissime edidimus: Saecularis Potestatis in eodem Regno Administri nullam dimittentes occasionem, quae eis offeratur, novis semper iniuriis Pontificiam auctoritatem, ac iurisdictionem Ecclesiasticam impetendi, ac forsan, tametsi inaniter, arbitrantes posse earumdem Literarum Nostrarum efficaciam eludere, simulque executionem illarum ulteriorum, graviorumque deliberatio num praepedire, quas Nos, ut Pastoralis muneris Nostri debito satisfaciamus, omnino suscipere compellimur, quasque ipsi sese abunde promereri minime ignorant: absque ulla cunctatione in Panormitana Civitate, ac forsan etiam in aliis praedicti Regni Locis, promulgare praesumpserunt, praefixo nomine cuiusdam Congregationis, Iunctae nuncupatae, specialiter deputatae super conservatione ac defensione iurium, et praerogativarum, quae eidem Saeculari Potestati in illo Regno competere praetenduntur, Edictum, seu Bannimentum quoddam Typis impressum, tenoris sequentis, videlicet:

§ 1. *Bando, e comandamento, d'ordine dell'Illustre Giunta deputata da S. S. R. M. (che Dio guardi) sovra la conservazione, e defensione delli Reali diritti, che ha, e possiede, come Re Augusto, e Monarca in questo Regno, e di quelle prerogative, e Privilegi, che il medesimo gode, come con suo Real ordine in data di 17 Aprile 1714. Invigilando Sua Maestà (che Dio guardi) colla sua Regia protezione ed amore, all'intera conservazione de' Privilegi, ed antiche consuetudini di questo fidelissimo Regno, come della sua Real giurisdizione, ed antichissima preeminenza della Legazia Apostolica, e Regia Monarchia, si per sostegno de' diritti toccanti alla sua Real Corona, che della giusta difesa, e buon governo de' suoi Vassalli, accordando anche su questi punti quelle providenze supplicateli dal General Parlamento detenuto in questa felice, e fidelissima Città di Palermo capo di questo Regno sotto li 7 del trascorso Marzo composto da tre Bracci, Ecclesiastico, Militare, e Demaniale rappresentante il Regno tutto; ha determinato stabilire una Giunta di Ministri, quali debbano invigilare con particolar zelo, attenzione, e cura, perchè venghino ovviati, ed impediti gl'inconvenienti, e riparati tutti i pregiudici, che potessero in qualche maniera indursi. Essendosi servita la Maestà Sua per sua Real benignità appoggiare a noi Don Giuseppe Fernandez Presidente del Tribunale della Regia Gran Corte, Don Antonino Nigri Presidente del Tribunale del Concistorio della Sacra Regia coscienza, Conte Borda Consultore, Don Nicolò Pensabene Presidente*

Avvocato Fiscale del Tribunale della Regia Gran Corte, Don Francesco M... Cavallaro Giudice della Gran Corte Civile, e Don Ignazio Perlongo Av... cato Fiscale del Tribunale del Real Patrimonio l'incumbenza di tanta p... mura, e rilievo, conferendoci tutte l'opportune potestà, e giurisdizioni nec... sarie ad usarsi per il conseguimento di sì importante fine: E perchè non s... conviene, che fosse manifesta a tutti la Real determinazione, ma anche a c... ogn'uno, come da sua parte debba corrispondere all'obligo di buon Vass... di S. M. sù l'osservanza dell'accennati Privilegi, consuetudini, preeminenze, regaglie, e quali siino le pene, che s'incorreranno da Trasgressori, si è ... nato d'ordine nostro alla presente general Notificanza, ed Editto in vig... della giurisdizione, e suprema potestà Economica conferitaci da S. M., acc... che resti intesa, e notificata ogni Persona di qualsivoglia grado, e condizione, sì Secolare, che Ecclesiastica, o Regolare, come arrivando in questo Regno, e sue Isole coadiacenti per via diretta, o indiretta qualsisia legge, rescritto, diploma, determinazione, bando, editto, dispaccio, privilegio, breve, provisione, esorto, o letera in forma publica, o privata, manuscritti, o in stampa, spediti da qualsivoglia Corte, o Potestà straniera, quali immediatamente, o mediatamente venissero, o senza alcuna particolar direzione, ed indi apparissero clandestinamente, o in altra maniera affissati in luoghi publici, o privati, o pure con qualche direzione a qualsivoglia Persona publica, o privata, Giudici, Magistrati, Superiore d'ogn'ordine, consesso, e Communità, Rettori particolari, e universali di qualunque condizione di ciascuna Città, Provincia, Diocesi, Università del Regno, o di sue Isole Coadjacenti, non se li dovrà dare nessuna fede, esecuzione, ed osservanza, ove pria non fossero resi autentici, legali, ed esequibili nella forma sempre costumata, si per diritto di legge particolare, e consuetudine legitimamente prescritta in questo Regno, come per altra universal ragione toccante ad ogni Sovrano ne' suoi Domini. Avvertendosi ogn'uno che mai debbano intendersi resi autentici, ed eseguibili li rescritti stranieri, ed altri sovracennati, se prima non fussero segnati dal Regio Exequatur per via dell'Avvocato Fiscale del Real Patrimonio, a chi vien commesso l'esame di riconoscere, se racchiudono pregiudizio, o apportino diminuzione, o lesione alcuna agli antichissimi Privilegi, Leggi, Consuetudini del Regno, o pure a' dritti della Real Corona di S. M., e preeminenze della Legazia Apostolica e Regia Monarchia. E dandosi diversamente fede, osservanza, o esecuzione, si notifica, ed intima in vigor della presente Notificanza, ed Editto alli Contraventori, e Trasgressori, se saranno Ecclesiastici, o Regolari l'occupazione de' beni temporali, e come sediziosi, e perturbatori della publica quiete, avessero fra il termine di giorni quindici da partirsi da questo Regno, e non entrare in Parte, Luoco, Terra, o Città del Dominio di S. M. e se saranno Laici, e Secolari, se gli notifica, ed intima la maggior disgrazia di S. M. ed altre pene le più gravi ad arbitrio nostro, etiam usque ad mortem naturalem inclusive. *Ed acciochè venghi alla notizia di tutti, s'ha fatto la presente publica dichiarazione d'affigersi nei luoghi soliti, che servirà per intima formale ad ogn'uno, e non altrimente, ne in altro modo: Promulgetur: Persabene Praeses F. P. P. S. P. V. Benza Sindacus: Die septimo Decembris octavae Indictionis 1714. Constat per me Franciscum Perino publicum Pro-*

conem huius Foelicis, et Fidelissimae Urbis Panormi, publicasse supradictum Bannum per loca solita, publica, et consueta, Tubis Regiis etc.

§ 2. Perspectum profecto, ac compertum habemus eos, qui praeinsertum Edictum, seu Bannimentum promulgarunt, Mandata, Literas, aliaque Decreta Apostolica in eo complecti, ac forsan praecipue comprehendere voluisse; quemadmodum satis, superque coniici potest nedum ex eiusdem Edicti tenore, verum etiam ex tot aliis praecedentibus actis, quibus eiusdem Saecularis Potestatis Ministri pravum suum animum etiam apertius ostenderunt, dum minime contenti publicatione aliorum consimilium Edictorum, Praeceptorum, seu Mandatorum, quibus libertas Ecclesiastica, et Apostolica auctoritas manifeste laedebantur, ac libera huius Sanctae Sedis Rescriptorum executio impediebatur, minis insuper, atque terroribus, imo etiam carceribus, vinculis, exiliis, bonorum proscriptionibus, aliisve poenis eos fere omnes, qui eidem Sanctae Sedi debitam obedientiam praestiterunt, temere non minus, quam sacrilege afflixerunt: adeoque certi sumus, quod ex sola memorati Edicti lectione quilibet sanae, rectaeque mentis non modo illius evidentem nullitatem, verum etiam manifestam iniustitiam perspicue intelliget. Ambigere praeterea non possumus, quin horrore perfundendus sit quisquis illud legerit, dum inter caetera perspiciet, ac animo reputabit eo temeritatis perventum esse, ut Potestatis exterae titulus Potestati illi adscribatur, quam Nos per Beatum Petrum, eiusque Successores a Domino accepimus in Terris maximam, et quae in indigno haerede non deficit: perinde ac si Siciliae Regnum extra Terrarum Orbem situm esset, cum neminem pene lateat, verba illa, quibus inclytus Claravallensis Abbas Eugenium Pontificem allocutus fuit: *Orbe exeundum ei, qui forte volet explorare, quae non ad tuam pertinent curam.* Illud insuper omnibus satis exploratum, ac plane cognitum fore credimus, eiusdem Saecularis Potestatis Administros, dum in memorato Edicto vetitum voluerunt, ne cuiuscumque speciei rescripta ullo modo executioni demandari debeant, nisi prius ab Advocato Fiscali Regii Patrimonii recognita, ac approbata fuerint, expresse declarando eidem Advocato Fiscali iniunctum esse munus, praevio examine, discutiendi, an eiusmodi rescripta ullum praeiudicium Privilegiis, Legibus, et Consuetudinibus Regni vel iuribus Regiis, aut praeeminentiis assertae Regiae Monarchiae inferre possint, execrabili nimis ausu conatos fuisse praedictum Advocatum Fiscalem Iudiciorum Apostolicae Sedis Iudicem constituere, ac uno, eodemque tempore sublimem illam Potestatem ligandi, atque solvendi Nobis, ac Romano Pontifici pro tempore existenti a Domino traditam, quae non ancilla est, sed libera, ipsius Saecularis Potestatis arbitrio subiicere, et mancipare; cum tamen sciamus, quod Magistratui, ac Principi Sacerdotum exprobrantibus: *Praecipiendo praecepimus vobis ne doceretis in nomine isto; et ecce replestis Ierusalem doctrina vestra,* Petrus, et Apostoli responderunt: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* Demum nec pariter dubitamus, quin quilibet Catholicus, etiam absque ullius peculiaris nostrae declarationis, vel admonitionis ope, satis agniturus per se sit, quam irregularis, absona, ac scandalosa existat praefati Edicti conclusio, in qua ad iniquitatis non minus, quam nullitatis ipsius Edicti cumulum Transgressoribus, et Contraventoribus, illis nempe fidelibus, qui nulla interposita

mora, promptoque animo Mandata Apostolica observant, et exequuntur, Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis Successori, et Iesu Christi Vicario veram illam obedientiam, quam ei quicumque Catholicus in professione Fidei spondet, praestare non detrectant, eadem Saecularis Potestas poenas imponit, si Ecclesiastici quidem fuerint tam Saeculares, quam Regulares occupationis bonorum temporalium, ac exilii a Regno, tanquam seditiosis publicaeque tranquillitatis perturbatoribus, si vero Laici extiterint, indignationis ipsius Saecularis Potestatis, praeter alias poenas illius arbitrio irrogandas usque ad mortem naturalem inclusive.

§ 3. Nihilominus Nos, qui quorumcumque tam Apostolicae Sedis, quam Ecclesiae iurium Assertores in Terris a Domino constituti sumus, probe intelligentes, et recogitantes liberum Nobis non esse in tam aperta, ac detestabili utriusque oppugnatione silere, ac insuper ambarum indemnitati, quantum Nobis ex alto conceditur, opportune consulere, nec iis tantum, quae hactenus gesta sunt, congruum adhibere remedium, verum etiam aliis, quae sub iisdem erroneis, falsis, damnatisque principiis, tam ab antedicta Congregatione, Iuncta nuncupata, quam ab aliis quibuscumque Ministris, et Delegatis, sive eiusdem Saecularis Potestatis, sive etiam praetensi Tribunalis Monarchiae Siculae deinceps attentari possent, tempestive occurrere cupientes: omniumque idcirco, et singulorum, quae in praemissis, vel circa ea tam ab iis, qui praeinsertum Edictum, seu Bannimentum promulgarunt, quam ab aliis quibuscumque, sive in sequelam eiusdem Edicti, vel Bannimenti, sive alias ad eumdem finem impediendi in Regno praedicto executionem quarumcumque Literarum, Mandatorum, aliorumve Rescriptorum Apostolicorum quovis modo decreta, iussa, ordinata, acta, et gesta fuerunt, seriem, causas, et circumstantias; ac tam praedictae, quam alterius cuiusvis Congregationis, seu Iunctae, Coetus, et Tribunalis eiusdem Regni, nec non quorumcumque Iudicum, Ministrorum, etiam principalium, seu supremorum, Officialium, Notariorum, Scribarum, et Personarum quarumlibet in eisdem praemissis culpabilium qualitates, dignitates, nomina, et cognomina, aliave quaecumque, etiam specificam, et individuam mentionem, et expressionem requirentia, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et singillatim specificatis habentes: Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Potestatis plenitudine, Edictum, seu Bannimentum praeinsertum, ac quaecumque in eo contenta, aliaque omnia sive in illius sequelam, sive eodem consilio, tam ab ipsamet Congregatione, seu Iuncta, quae idem Edictum, vel Bannimentum promulgavit, quam ab aliis quibuscumque Congregationibus, Coetibus, Tribunalibus, Iudicibus, Ministris, Officialibus, et personis praefati Regni Siciliae forsan acta, gesta, et ordinata, cum omnibus et singulis inde secutis, et quandocumque secuturis penitus, et omnino nulla, irrita, invalida, iniusta, reprobata, damnata, inania, temeraria, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, ac de facto praesumpta, nulliusque omnino roboris, et momenti, vel efficaciae esse, et ab initio fuisse, ac perpetuo fore, neque illa a quoquam observari posse, vel potuisse, adeoque nec ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde ac si nunquam emanassent, nec facta fuissent, pro non extantibus, et non factis perpetuo itidem

haberi debere, tenore praesentium declaramus. Et nihilominus ad maiorem, et abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia, et singula, ac si quae insuper a praedictis, seu aliis praemissorum occasione, sive ad eumdem finem quoquomodo impediendi executionem Literarum, Mandatorum, et Decretorum Apostolicorum in eodem Regno quandocumque, et quomodocumque (quod Deus avertat) de caetero similiter agi, geri, et ordinari contigerit, harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, abolemus, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, et abolitis, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuis semper haberi volumus, et mandamus.

§ 4. Sciant propterea universi Christifideles eiusdem Regni, memorato, sive alio quovis Edicto, Mandato, seu praecepto, quod a praefatae saecularis potestatis, sive etiam praetensi Tribunalis Monarchiae Siculae Ministris quibuslibet in posterum promulgari contingeret, non obstante, sese teneri, ac obligatos esse Decretis, Ordinationibus, Mandatis, literis, aliisque provisionibus Apostolicis quibuscumque, vigore illius potestatis Nobis, ac pro tempore existenti Romano Pontifici divinitus concessae tam hactenus editis, quam de caetero quandocumque edendis, veram, integram, et omnimodam obedientiam praestare, atque exhibere. Praeterea cum notorii Iuris sit non tam illos, qui praeinsertum Edictum, seu Bannimentum ediderunt, ac promulgarunt, quam alios omnes, et singulos cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae, et dignitatis quantumcumque excelsae, ac sublimis fuerint, qui sive editionem, publicationem, et affixionem eiusdem Edicti, vel Bannimenti, sive alia eodem consilio, sicut praemittitur, quovis modo gesta mandarunt, ac ordinarunt, seu illis consilium, auxilium, favorem, vel quamvis aliam damnabilem operam praestiterunt, aut in eorum sequelam, et executionem similiter gesta approbarunt, et rata habuerunt, seu alias in eis quomodolibet culpabiles fuerunt, censuras omnes, et poenas Ecclesiasticas contra similia perpetrantes a Sacris Canonibus, Generalium Conciliorum Decretis, et Apostolicis Constitutionibus, ac praesertim Literis die Coenae Domini singulis annis legi, et promulgari consuetis inflictas eo ipso incurrisse, illasque insuper etiam incursuros esse eos omnes, qui similia ad eumdem finem quoquomodo impediendi executionem Literarum, aliorumve Decretorum Apostolicorum in Regno supradicto de caetero peregerint, ut praefertur. Noverint idcirco illi omnes, etiam specialissima mentione digni, a censuris, et poenis huiusmodi, post debitam, et condignam Ecclesiae realiter, et cum effectu praestitam satisfactionem, nonnisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentia in easdem censuras, et poenas eo ipso, quo convaluerint) absolvi, et liberari posse, prout eorumdem tenore praesentium decernimus, et similiter declaramus.

§ 5. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 11, p. 36-39].

275.

Clemens XI, const. *Ex illa*, 19 mart. 1715.

Ex illa die, qua, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, Catholicae Ecclesiae gubernacula, hoc est, munus sua amplitudine gravissimum, ac temporum iniquitate molestissimum, Deo sic disponente, suscepimus: nihil Nobis manum clavo admoventibus antiquius fuit, quam acerrimas contentiones iampridem in Imperio Sinarum inter Apostolicos illarum partium Missionarios exortas, semperque in dies magis invalescentes, tam circa quasdam voces Sinicas ad Sanctum, et ineffabile Dei Nomen exprimendum inibi usurpatas, quam circa nonnullos earum gentium ritus, veluti superstitiosos a quibusdam ex Missionariis praedictis reprobatos: ab aliis vero, utpote eos civiles tantum asserentibus, permissos Apostolici Iudicii censura opportune dirimere, ut sublatis dissidiis, Christianae Religionis, Catholicaeque Fidei propagationem turbantibus, omnes tandem id ipsum dicerent in eodem sensu, et in eadem sententia, unoque ore glorificaretur Deus ab iis, qui sanctificati sunt in Christo Iesu.

§ 1. Hoc consilio responsa illa, quae ad varias quaestiones super eiusmodi rebus excitatas, praevio diuturno examine dudum, videlicet tempore fel. rec. Innocentii Papae XII Praedecessoris nostri inchoato, ac deinde iussu nostro per plures annos continuato, auditisque utriusque partis rationibus, necnon complurium Theologorum, et Qualificatorum sententiis a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium in tota Republica Christiana Generalium Inquisitorum adversus haereticam pravitatem auctoritate Apostolica deputatorum data fuerunt, Nos die xx Novembris MDCCIV eadem auctoritate confirmavimus, et approbavimus.

§ 2. Ea autem, quae in responsis huiusmodi decreta fuerunt, sunt, quae sequuntur: *Cum Deus Optimus Maximus congrue apud Sinas vocabulis Europaeis exprimi nequeat: ad eumdem verum Deum significandum, vocabulum* Tien Chu, *hoc est, Caeli Dominus, quod a Sinensibus Missionariis, et Fidelibus longo, ac probato usu receptam esse dignoscitur, admittendum esse. Nomina vero* Tien *Caelum, et* Xang Ti, *Supremus Imperator, penitus reiicienda.*

Idcirco tabellas cum inscriptione Sinica King Tien, *Coelum colito, in Ecclesiis Christianorum appendi, seu iam appensas in posterum inibi retineri permittendum non esse.*

Ad haec nullatenus, nullaque de causa permittendum esse Christifidelibus, quod praesint, ministrent, aut intersint solemnibus sacrificiis, seu oblationibus, quae a Sinensibus in utroque aequinoctio cuiuscumque anni Confucio, et Progenitoribus defunctis fieri solent, tanquam superstitione imbutis. Similiter nec esse permittendum, quod in Aedibus Confucii, quae Sinico nomine Miao *appellantur, iidem Christifideles exerceant, ac peragant caeremonias, ritus,*

et oblationes, quae in honorem eiusdem Confucii fiunt; tum singulis mensibus in novilunio, et plenilunio a Mandarinis, seu primariis Magistratibus, aliisque Officialibus, et Literatis: tum ab iisdem Mandarinis, seu Gubernatoribus, ac Magistratibus, antequam dignitatem adeant, seu saltem post eiusdem possessionem adeptam: tum denique a Literatis, qui postquam ad gradus sunt admissi, e vestigio ad Templum, seu Aedem Confucii se conferunt.

Praeterea non esse permittendum Christianis in Templis, seu Aedibus Progenitoribus dicatis oblationes minus solemnes eisdem facere, nec in illis ministrare, aut quomodolibet inservire, vel alios ritus, et caeremonias peragere.

Item nec esse permittendum praefatis Christianis oblationes, ritus, et caeremonias huiusmodi coram Progenitorum tabellis in privatis Domibus, sive in eorumdem Progenitorum sepulchris, sive antequam Defuncti sepulturae tradantur, in eorum honorem fieri consuetas, una cum Gentilibus, vel seorsim ab illis peragere, eisque ministrare, aut interesse; imo praedicta omnia, utpote quae, perpensis hinc inde deductis, necnon diligenter, ac mature discussis omnibus, ita peragi comperta sunt, ut a superstitione separari nequeant, Christianae Legis cultoribus ne quidem permittenda esse praemissa publica, vel secreta protestatione se non religioso, sed civili, ac politico tantum cultu erga Defunctos illa praestare, nec ab eis quidquam petere, aut sperare.

Non tamen per haec censendam esse damnatam praesentiam illam, seu assistentiam mere materialem, quam cum Gentilibus superstitiosa peragentibus, citra ullam sive expressam, sive tacitam gestorum approbationem, ac quovis ministerio penitus secluso, eisdem superstitiosis actibus quandoque praestari contingat a Christianis, cum aliter odia, et inimicitiae vitari non possunt, facta tamen prius, si commode fieri poterit, fidei protestatione, ac cessante periculo subversionis.

Demum permittendum non esse Christifidelibus tabellas Defunctorum Progenitorum in suis privatis domibus retinere iuxta illarum partium morem, hoc est, cum inscriptione Sinica, qua Thronus, seu Sedes Spiritus, vel Animae N. significetur; imo nec cum alia, qua Sedes, seu Thronus, adeoque idem, ac priori, licet magis contracta inscriptione, designari videatur. Quo vero ad tabellas solo Defuncti nomine inscriptas, tolerari posse illarum usum, dummodo in eis conficiendis omittantur omnia, quae superstitionem redolent, et secluso scandalo, hoc est, dummodo qui Christiani non sunt, arbitrari non possint tabellas huiusmodi a Christianis retineri ea mente, qua ipsi illas retinent, necnon adiecta insuper declaratione ad latus ipsarum tabellarum apponenda, qua, et quae sit Christianorum de Defunctis fides, et qualis Filiorum, ac Nepotum in Primogenitores pietas esse debeat, enuncietur.

Per praemissa nihilominus non vetari, quominus erga Defunctos peragi possint alia, si quae sint, ab iis Gentibus, peragi consueta, quae vere superstitiosa non sint, nec superstitionis speciem praeseferant; sed intra limites civilium, et politicorum Rituum contineantur. Porro quaenam haec sint, et quibus adhibitis cautelis tolerari valeant, tum pro tempore existentis Commissarii, et Visitatoris Generalis Apostolici, seu eius vices exercentis in Imperio Sinarum, tum Episcoporum, et Vicariorum Apostolicorum illarum partium

iudicio relinquendum esse; qui tamen interea omni, quo poterunt, studio, ac diligentia curare debebunt, ut Gentium caeremoniis penitus sublatis, illi tantum a Christianis, et pro Christianis hac in re usu recipiantur Ritus, quos Catholica Ecclesia pro Defunctis pie praescripsit.

§ 3. Post haec vero labente fere sexennio, nempe die xxv septembris MDCCX, auditis iterum dictorum Cardinalium, qui rem mature, ac diligentissime discusserunt, suffragiis, eadem Responsa, necnon mandatum, seu Decretum, quod illis expresse inhaerendo a piae recordationis Carolo Thoma, dum vixit, eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali de Tournon nuncupato, tunc Patriarcha Antiocheno, Commissario, et Visitatore Apostol. Generali in praedicto Imperio Sinarum die xxv Ianuarii MDCCVII editum fuit, ab omnibus, et singulis, ad quos spectabat, inconcusse, et inviolabiliter sub censuris, et poenis in Mandato, seu Decreto huiusmodi expressis observanda esse decrevimus, et declaravimus, quovis contrafaciendi quaesito colore, seu praetextu penitus sublato, ac potissimum non obstante quacumque appellatione a quibusvis personis ad Nos, et Sedem Apostolicam interposita, quam propterea prorsus reiiciendam esse similiter decrevimus, ac re ipsa reiecimus, prout in Decreto hac de re edito fusius continetur.

§ 4. Haec omnia plene, et abunde sufficere debuissent, ut ea, quae inimicus homo superseminaverat zizania ex agro illo radicitus evellerentur, Fidelesque omnes nostris, et huius Sanctae Sedis mandatis ea, qua par erat, humilitate, et obedientia obsequerentur: praesertim cum in calce Responsorum praedictorum a Nobis, sicut praemittitur, confirmatorum, et approbatorum causam iam finitam esse apertis, et perspicuis verbis pronunciatum fuerit. Verum cum, sicuti ex eisdem partibus, non sine intimo animi nostri dolore, ad nostri pervenit Apostolatus auditum, tam enixe a Nobis praescripta Responsorum huiusmodi executio male a plerisque sive vano, falsoque obtentu, quod illa a Nobis suspensa fuerint, vel minus legitime promulgata, sive conditionum, ut perperam asseritur, in eis insitarum, et ante executionem ipsam verificandarum, factorumque, super quibus ipsa emanarunt, non iustificatorum ratione, sive ulteriorum a Nobis ea in re edendarum declarationum colore, sive gravium, quae tam Missionariis, quam Missioni ipsi ex demandata executione obvenire possent, periculorum formidine, sive demum Decreti dudum, nempe die xxiii Martii MDCLVI super eiusmodi Ritibus, seu Caeremoniis Sinicis a praefata Congregatione Cardinalium editi,[1] ac a rec. mem. Alexandro PP. VII, etiam Praedecessore nostro approbati praetextu, non sine gravi Pontificiae nostrae auctoritatis iniuria, Christifidelium scandalo, ac salutis animarum detrimento, satis diu, multumque eludatur, aut saltem nimium retardetur.

§ 5. Hinc est, quod Nos, ex commissae Nobis divinitus Apostolicae servitutis munere, difficultates, tergiversationes, subterfugia, et praetextus huiusmodi penitus, et omnino e medio tollere, ac reiicere, necnon Christifidelium quieti, animarumque saluti, quantum Nobis ex alto conceditur, prospicere cupientes: de eorumdem Cardinalium consilio, ac etiam motu proprio, et

[1] Cf. Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. 1, n. 126.

ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, omnibus, et singulis Archiepiscopis, et Episcopis in supradicto Sinarum Imperio, aliisque ei conterminis, sive adiacentibus Regnis, ac Provinciis nunc, et pro tempore quandocumque existentibus sub suspensionis ab exercitio Pontificalium, et interdicti ab ingressu Ecclesiae, eorum vero Officialibus, ac Vicariis in spiritualibus Generalibus, aliisque illorum locorum Ordinariis, ac etiam Vicariis Apostolicis, qui Episcopi non sint, eorumve Provicariis, necnon Missionariis tam Saecularibus, quam cuiusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, et Societatis, etiam Iesu, Regularibus sub excommunicationis latae sententiae, a qua nemo a quoquam, praeterquam a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit, et quoad Regulares etiam privationis vocis activae, et passivae poenis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrendis, tenore praesentium praecipimus, ac in virtute sanctae obedientiae mandamus, ut responsa praeinserta, omniaque, et singula in eis contenta exacte, integre, absolute, inviolabiliter, et inconcusse observent, ac ab eis, quorum cura ad illos spectat, similiter observari, quantum in ipsis est, curent, et faciant. Neque illis sive ullo ex superius expressis, sive alio quovis titulo, causa, occasione, colore, vel praetextu contravenire quoquo modo audeant, vel praesumant.

§ 6. Praeterea motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus, harum serie statuimus, et sub eisdem excommunicationis reservatae, ac privationis vocis activae, et passivae poenis ordinamus, ut omnes, et singuli Ecclesiastici tam Saeculares, quam praedictorum Ordinum, Congregationum, Institutorum, et Societatum, etiam Iesu, Regulares, ad Sinas, aliave praefata Regna, et Provincias, sive ab hac Sancta Sede, sive etiam ab eorum Superioribus missi, et quandocumque in posterum mittendi, cuiusvis tandem tituli, aut facultatis vigore illic existant, vel in futurum extiterint: missi scilicet, statim ac praesentes literae eis innotuerint, mittendi vero, antequam ibidem aliquod Missionarii munus exercere incipiant, iuramentum de fideliter, integre, ac inviolabiliter observando eiusmodi Praecepto, ac Mandato nostro iuxta formulam in praesentium literarum calce annotandam, in manibus Commissarii, et Visitatoris Apostolici in praefato Imperio Sinarum pro tempore existentis, vel alterius ab illo deputati, sive eo deficiente, in manibus Episcoporum, vel Vicariorum Apostolicorum dictarum partium, in quorum respective iurisdictione commorantur, vel commorabuntur, aut aliorum ab eis deputatorum: Regulares vero in manibus insuper Superiorum suae Religionis, vel ab illis deputatorum in eisdem partibus existentium, praestare omnino debeant, ac teneantur, ita ut ante praestationem iuramenti huiusmodi, et subscriptione sub eadem formula ab unoquoque, qui iuramentum ipsum praestiterit, propria manu faciendam, nullum Missionarii munus continuare, aut exercere, imo nec tanquam deputati ab Episcopis, seu Ordinariis locorum, aut tanquam simplices suae Religionis Presbyteri, sive alio quovis titulo, causa, seu privilegio, de quibus expressa, specialis, et specialissima esset facienda mentio, Christifidelium confessiones audire, concionari, aut Sacramenta quomodolibet administrare ullo modo valeant, nullisque omnino facultatibus,

sive sibi speciatim, sive suis respective Ordinibus, Congregationibus, Institutis, et Societatibus, etiam Iesu, huiusmodi generaliter a Sede praefata concessis uti possint, sed quoad eos, praeter, et ultra superius expressas poenas omnes, et singulae facultates praedictae omnino cessent, nulliusque roboris sint, et esse censeantur.

§ 7. Omnia autem iuramenta huiusmodi per quoscumque Missionarios tam Saeculares, quam Regulares in memoratorum sive Commissarii, et Visitatoris Apostolici pro tempore existentis, sive Episcoporum, aut Vicariorum Apostolicorum manibus, sicut praemittitur, praestanda, post quam subscriptione munita fuerint, vel saltem authentica illorum exempla per eosdem Commissarium, et Visitatorem Apostolicum pro tempore existentem, Episcopos, et Vicarios Apostolicos ad praefatam Congregationum Cardinalium, quantocitius fieri poterit, transmittantur. Superiores vero Regulares, cuiusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, et Societatis, etiam Iesu, illic nunc, et pro tempore existentes sub eisdem poenis teneantur non solum idem iuramentum in praefatorum, sive Commissarii, et Visitatoris Apostolici pro tempore existentis, sive Episcoporum, aut Vicariorum Apostolicorum manibus, iuxta modum praescriptum, praestare, eiusque formulae subscribere, sed etiam illius praestationem a suis respective Subditis exigere, ac authentica ea super re documenta quamprimum transmittere ad suos respective Superiores Generales, qui illa memoratae Congregationi Cardinalium statim tradere debebunt.

§ 8. Decernentes, etc.

§ 10. Formula autem iuramenti, sicut praemittitur, praestandi, est quae sequitur, videlicet:

Ego N. Missionarius ad Sinas, vel ad Regnum N. vel ad Provinciam N. a Sede Apostolica, vel a Superioribus meis iuxta facultates eis a Sede Apostolica concessas missus, vel destinatus, Praecepto, ac Mandato Apostolico super ritibus et caeremoniis Sinensibus in Constitutione Sanctissimi Domini Nostri Domini Clementis divina providentia Papae XI hac de re edito, quo praesentis iuramenti formula praescripta est, contento, ac mihi per integram eiusdem Constitutionis lecturam optime noto, plene ac fideliter parebo, illudque exacte, absolute ac inviolabiliter observabo, et absque ulla tergiversatione adimplebo. Si autem (quod Deus avertat) quoquo modo contravenerim, toties, quoties id evenerit, poenis per praedictam Constitutionem impositis me subiectum agnosco, et declaro. Ita tactis Sacrosanctis Evangeliis, promitto, voveo, et iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

Ego N. manu propria.

[Bull. Rom., tom. 11, p. 50-53].

276.

Clemens XI, const. *Pastoralis officii*, 28 aug. 1718.[1]

Pastoralis officii, quod superni dispositione consilii gerimus, cura Nos admonet, ut animarum saluti ubique terrarum procurandae, ac praesertim Orthodoxae Fidei, sine qua impossibile est placere Deo, puritati servandae omni studio advigilemus.

§ 1. Eapropter cum in quibusdam ultra Montes Provinciis, et praecipue in amplissimo Galliae Regno, varia pravarum Doctrinarum, imo, et haeresum semina, occasione damnati cuiusdam Libri Gallico idiomate iam pridem editi sub titulo: *Le nouveau Testament en françois avec des réflexiones morales sur chaque verset, etc.* Aliter vero: *Abrégé de la morale de l'Evangile, des Actes des Apostres, des Epistres de S. Paul, des Epistres Canoniques, et de l'Apocalypse,* vel *Pensées Chrétiennes sur le Texte de ces livres sacrés, etc.*, germinare cognovissemus; iisdem eradicandis, Nostri non minus muneris debito admoniti, quam crebris multorum Catholici Orbis, ac praesertim Galliae Episcoporum, precibus excitati: quin etiam piis, ac saepius repetitis clar. mem. Ludovici XIV, dum vixit, Francorum Regis Christianissimi votis, et officiis adducti, quascumque potuimus Apostolicae nostrae solicitudinis partes, adiuvante Domino, interponere non praetermisimus. Quae autem, et quanta in hoc arduo, gravissimoque negotio per plures annos egerimus, et passi simus, quaeve inobedientium hominum, et paucorum (quod valde dolentes dicimus) illustrium etiam Ecclesiarum Antistitum veritati non acquiescentium opera in idem inclytum Regnum mala provenerint, Vobis fere omnibus minime ignota esse existimamus. Postquam siquidem, Divino in primis implorato praesidio, curaque omni, studio, ac labore, prout rei gravitas exposcebat, diutissime collatis, adversus praedictum librum Constitutionem nostram, quae incipit: *Unigenitus Dei Filius*, anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo decimo tertio, sexto Idus septembris editam promulgavimus,[2] in qua plures noxios articulos ex eodem libro excerptos censuris variis, quas respective, ut aiunt, hoc est, singuli aliquam saltem earum merebantur, notatos pro huius Sanctae Sedis more proscripsimus: cuiusmodi remedii necessitatem tum memoratus Ludovicus Rex, tum plerique ex Gallia Episcopi supradicti iteratis obtestationibus inculcaverant, non aliter suborta dissidia sedari posse constanter affirmantes; tota quidem Christi Ecclesia Petrum per Nos, tametsi indignos, loquentem secuta, Apostolicam eiusdem Constitutionis doctrinam debito obsequio, atque obedientia suscepit. At Novatores, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident, ex inconsulta eorundem paucorum Antistitum haesitatione ita animos extulerunt, ut incredibili audacia Constitutionem ipsam perverse interpretari, et incessere, pravaeque etiam doctrinae

[1] Universis Christifidelibus.
[2] Cf. N. 270.

per impudentes calumnias insimulare non erubuerint. Itaque, ut reluctantes illos Episcopos ad sectanda Fratrum suorum vestigia excitaremus, ac turbarum, malorumque omnium fomitem, quem improvida illa cunctatio substraverat, extingueremus, canonicas animadversiones post diuturna trium annorum longanimitatis experimenta adhibere constitueramus. Verum Venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales, quibuscum rationem consilii nostri communicare aequum esse censuimus, Nos enixe obsecraverunt, ut paulisper a severioribus remediis supersedere vellemus, dum interim communibus literis Collegam suum Constitutioni nostrae sese subiicere detrectantem, et iisdem propterea animadversionibus obnoxium ad unitatis, et pacis consilia revocare conarentur. Eorum igitur precibus annuentes, ne quam lenitatis viam intentatam relinqueremus, per illas ipsas inducias Nos quoque ad universos Archiepiscopos, et Episcopos Regni Galliarum literas in forma Brevis die xx novembris MDCCXVI expeditas dedimus, quibus rerum gestarum serie, et Ecclesiarum perturbatione uberius exposita, illos hortati sumus, ut dissentientes Coepiscopos suos, nostro etiam nomine, convenirent, eosque officii sui fraterna charitate admonerent, necnon omnibus Sacerdotalis solicitudinis argumentis, imploratoque, nostris etiam verbis, dilectissimi in Christo Filii nostri Philippi Ducis Aurelianensis, eiusdem Regni Rectoris, patrocinio, ad reparanda Ecclesiasticae unitatis, et disciplinae detrimenta, atque ad avertenda Catholicae Religionis pericula flectere satagerent. Speravimus quidem uberem ex eiusmodi nostris literis fructum, iunctoque nobiscum praeclarissimorum Galliae Praesulum zelo, qui maximo sane numero pro veritate certabant, factum iri credidimus, ut dissidentes Fratres, quod Nobis adeo in votis erat, lucrari possemus. Atqui spe nostra frustratos confestim Nos vidimus, dolentesque clamare coacti sumus: sustinuimus pacem, et non venit, quaesivimus bona, et ecce turbatio, et sane tam gravis, ut qui ex adverso erant, illas ipsas nostras, et huius Sanctae Sedis voces variis artibus pene intercludere tentaverint. Neque profecto felicius cesserunt officia illa, quae Cardinales praedicti per impetratas a Nobis, ut diximus, inducias praestiterunt. Quamquam enim communi totius Sacrii Collegii epistola, suasiones, consilia, obsecrationes, atque omnem ministerii sui, fraternaeque benevolentiae fidem, sedulitatem, ac solicitudinem adhibuissent, frustra se tamen laborasse intellexerunt, neque alium, praeter inanes scandalorum, ac dissidiorum expostulationes sed sine voluntate veram amovendi causam, unde illa emerserant, operae suae fructum reportarunt. Non tamen propterea concidimus animo, immo necdum a mitioribus consiliis recessimus: nihil interim curantes, quomodo homines modum hunc agendi nostrum interpretarentur, quippe qui sciremus Deo aeque per infamiam, et bonam famam serviendum esse. Itaque, ut aberrantes in viam iustitiae suaviter revocaremus, iteratis saepius hortationibus nostris, etiam preces addidimus, eumdemque in scopum, privatis literis manu nostra conscriptis, ea omnia paternae mansuetudinis officia implevimus, quae suggerere nobis potuit Christiana charitas, quae patiens est, benigna est, omnia suffert, omnia sustinet. Plures interea Gallicani Antistites non minus sapientia et doctrina, quam pietate, ac studio tuendae Religionis illustres, ex iis scilicet qui debita submissione Constitutionem nostram amplexi fuerant, dignitate

et muneris sui probe memores, votisque, et officiis nostris obsecundantes, favente etiam eorum conatibus memorato Philippo Duce, ac Rectore, curas omnes suas, assiduosque labores ad discordantium Fratrum animos permovendos enixe conferre non omiserunt. Sed haec omnia prosperum illum, quem summopere praestolabamur, exitum minime habuerunt. Obscurati siquidem sunt renitentium oculi, ne viderent, ac obturatae sunt aures, ne audirent; adeo ut nonnulli eorum, non sine bonorum omnium luctu, hostiumque Ecclesiae plausu, ad ea insuper publice devenire ausi fuerint, quae omnes ex vobis, quibus illa innotuerunt, improbasse non dubitamus, quaeque ipsimet, qui ea perpetrarunt, a Nobis, et a Sancta Romana Ecclesia palam, atque perpetuo damnanda, atque execranda esse non ignorabant.

§ 2. Quare Nos, qui supremo Divini Pastoris mandato deesse nec possumus, nec debemus, quo et illius oves pascere, et fratres nostros confirmare praecipimur, animo nobiscum reputantes, quod Verbum Dei non est alligatum, postquam diu tentatis inutiliter consiliis pacis hucusque siluimus, adhuc ulterius tacere Nobis non tutum, Christiano autem Populo perniciosum fore censemus. Ad vos proinde omnes ex unaquaque Natione, quae sub Coelo est, Christifideles, paternas voces nostras dirigimus, quo primum quidem doloris nostri participes, vestras nobiscum ad Deum preces deferatis, ut superna adspirante gratia, qui hactenus contumaces fuerunt, non iam ulterius alta sapientes, sed humilibus consentientes ad debitam cum caeteris Christifidelibus in sana Catholicaque Doctrina profitenda veniant unitatem. Hoc nempe ex animo unice quaerimus, hoc dies, noctesque, nec sine lacrymis a Domino imploramus; neque enim oblivisci potest mulier infantem suum, nec Sancta Romana Ecclesia filios suos. Deinde ne quis Christianum Populum seducere pergat inanibus verbis, vos omnes, ut necesse est, monitos volumus, et certos facimus, quod frustra, et quidem non sine fermento malitiae, et nequitiae, istiusmodi homines nobiscum in Doctrina Religionis consentire se iactant, dum interim, Heterodoxorum exemplo praeeunte, editam a Nobis Constitutionem, quam universa Ecclesia veneratione debita complectitur, non modo alienis ab ipso verborum tenore interpretationibus, sed et apertis calumniis superinductis, maligne carpere audent, et immanium errorum accusatione perstringere; perinde, ac si ipsi soli, aliis Christifidelibus ubique gentium desipientibus, saperent, ipsi soli, reliquis caecutientibus, lumen veritatis aspicerent. Nec profecto minor est illorum culpa, qui ut, facilius incautis illudant, cum haec ipsa moliuntur, eidem Constitutioni nostrae nequaquam adversari, sed solas declarationes, in rebus tamen apud caeteros omnes plane perspicuis, postulare se simulant, non quidem discere, sed tentare cupientes, ut Ecclesiam, si possint, quaestionibus inutilibus, et interminatis immisceant, et luci Catholicae veritatis tenebras quoquo modo obscuritatis offundant. Ita sane patientia nostra abutentes, Apostolicae authoritatis obsequium, ac reverentiam se exhibere gloriantur illo ipso tempore, quo ei gravissimam inferunt iniuriam. Iisdem siquidem explicationum petitionibus satis aperte ostendunt ideo se Constitutioni nostrae debitam obedientiam nondum praestitisse, quia verentur, ne per illam Catholica Dogmata convellantur, ne laudabilis, et ab hac Sancta Sede probata Ecclesiastica disciplina infringatur, neve demum

salubriores Christianorum morum regulae subvertantur; quod plane ti-
est ac vereri, ne defecerit Fides Petri, totaque Christi Ecclesia magiste-
Apostolicae vocis imbuta a via veritatis, et salutis erraverit. Praeterea, :
pessimae causae splendidum patrocinium concilient, praefataeque Consti-
tioni maiorem undecumque invidiam faciant, se ab ea suscipienda retra-
affirmant, eo quod suspicentur per illam damnari sententias, atque doctrinas
quas insignes Catholicorum Scholae absque ulla censura hactenus tenuere,
ac tradiderunt. Cum tamen, nisi ab antiquis semitis, Sanctorumque Patrum
vestigiis, imo et ab eorundem Scholarum instituto, quod verbis profitentur,
reipsa recessissent, probe reminisci deberent, quod illarum Principes, quorum
nomina pertinaciae suae temere praetendunt, quemadmodum et caeteri il-
striores Ecclesiae Scriptores, suum semper esse duxerunt, ut ab Apostolica
Sede discerent quid credere, quid tenere, quid docere deberent, ut ad illam
scripta sua examinanda, et emendanda dirigerent, ut inde lumen Catholicae
Fidei reciperent, ubi non posset Fides ipsa sentire defectum, ut nemo contra
denique sententiam suam adversus Petri authoritatem defenderet. Caeterum
in hoc ipso praepostero iudicio consuetum calumniandi morem non dere-
linquunt; nisi enim excaecaret eos malitia eorum, ac nisi diligerent magis
tenebras, quam lucem, ignorare non deberent sententias illas, ac doctrinas
quas ipsi cum erroribus per Nos damnatis confundunt, palam, et libere e
Catholicis Scholis, etiam post editam a Nobis memoratam Constitutionem,
sub oculis nostris doceri, atque defendi, illasque propterea minime per eas
fuisse proscriptas. Verum supercecidit ignis contentionis, et aemulationis, et
non viderunt Solem lucidissimae veritatis. Hinc iusto Dei iudicio ambulantes
in tenebris nesciunt plane, quo vadant: scandalum siquidem de Constitutione
Nostra comminiscuntur, sed se ipsos potius de pervicaci sua inobedientia
scandalum facere non agnoscunt. Sacrosanctam Episcopatus Dignitatem exal-
tare se velle declarant; sed re ipsa deprimunt, dum interim fraternitatem
ipsi contemnunt, audacissimae inferioris Cleri rebellioni fomentum tribuunt,
universumque Ecclesiasticum Ordinem Laicis Tribunalibus, vel in ipsa Reli-
gionis causa, indecore, ac perperam subiici non attendunt. De veteris
ac novae Legis discrimine, tanquam de re ipsis solis perspecta, multa, et
plerumque inutiliter disputant, novaeque praestantiam, quam omnes agno-
scunt, et profitentur, inculcare non desinunt; utriusque tamen Legis plenitu-
dinem, quae est dilectio, minime observant. Charitatem nulli impensius lau-
dant: nulli impudentius violant. Divinae Gratiae veritatem praedicant, quam
Catholicus nullus negat: sed damnatis erroribus faventes Spiritui Gratiae
contumeliam faciunt. Quod vero Nos de pusillorum scandalo solicitos plu-
rimum excruciat illud est, quod dum plerique eorum haec faciunt, vel con-
sentiunt facientibus, adhuc specioso quodam ementitae severitatis amictu se
contegentes, rigidioris doctrinae gloriam captare non cessant, instituendaeque
in melius Christianorum vitae, et ad normam Evangelii componendae zelum
magnifice ostentant.

§ 3. Quare Nos perniciosam hanc larvam, quae animabus pretiosissimo
Christi sanguine redemptis certum parare posset exitium, palam detrahere,
urgente Nos Apostolici Ministerii debito, volentes, ipsos primum aberrantes

Fratres, ut alias saepe privatim fecimus, publice modo, et coram universa Ecclesia monitos facimus, ne sibi ulterius de falsa exactioris disciplinae fama blandiantur; neque enim vera virtus absque humilitate, pietas absque obedientia, Christiana demum perfectio absque charitate potest consistere. Porro quae humilitas, sensum proprium communi Fratrum sententiae, quin, et Supremae Beati Petri Cathedrae iudicio obstinate praeferre? Quae obedientia Apostolicis definitionibus reluctari? Quae tandem charitas, iniuriis, et contumeliis agere, iras, rixas, et contentiones ubique disseminare? Agnoscant igitur, Divini luminis irradiante fulgore, quam gravibus coram Deo, et Ecclesia reatibus, et periculis involvantur. Meminerint scriptum esse, quod quasi peccatum ariolandi est, repugnare, et quasi scelus Idololatriae est nolle acquiescere. Omnipotentis Dei, qui superbis resistit, tremendum, et imminens sibi iudicium timeant, Ecclesiaeque pacem simul, et Reipublicae tranquillitatem perturbare tandem aliquando desistant. Reliquos deinde Vos omnes per Universum Terrarum Orbem Apostolicae Fidei Cultores paterne admonemus, requirimus, et obtestamur, ut ad eos, qui veniunt ad Vos in vestimentis ovium, probe dignoscendos, certissimam illam, quam Dominus, ac Salvator Noster Nobis reliquit, regulam adhibeatis, videlicet: A fructibus eorum cognoscetis eos. Qui autem fructus isti sint, ex eorum, qui Constitutioni Nostrae sese submittere renuerunt, contumacia provenientes, toti iam pene Christiano Orbi nimium perspecti sunt, et manifesti. De illis propterea, ne acerbissimi doloris nostri vulnera refricemus, prolixius eloqui libenter absistimus. Nolite ergo, Filii dilectissimi, Vosque potissimum, qui ut loco, ita, et periculo propinquiores estis, nolite effici participes eorum, nolite omni spiritui credere, doctrinis variis, et peregrinis nolite abduci, sed sanam, et Orthodoxam Sanctae Romanae Ecclesiae doctrinam, quae sacrum Fidei depositum intemerate servat, tuto sequimini, et firmiter custodite. Nos vero, quos caeteris zelo Domus Dei non minus, quam Dignitate praeire oportet, ut ingruentium tot malorum gravitati, quantum rerum, et temporum praesens conditio patitur, opportune occurramus, praesertim ne Pastores errantes, et in errorem mittentes, disperdere, et dilacerare gregem Domini, nemine cohibente, prosequantur: neve oves Christi, Nobis tacentibus, rapi in praecipitia se sinant, Universis Christifidelibus, quid interim gravissima hac in re Nos agere duxerimus, palam edicere, ac declarare statuimus.

§ 4. Noverint ergo omnes, qui ubicumque terrarum Catholico nomine gloriantur, Nos, qui Unigeniti Filii Dei, et Salvatoris Nostri Iesu Christi vices, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, in terris gerimus, eos omnes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis illi sint, etiamsi Episcopali, Archiepiscopali, aut alia qualibet, etiam Cardinalatus Dignitate praefulgeant, qui memoratae Constitutioni Nostrae debitam, et omnimodam obedientiam praestare hactenus recusarunt, aut in posterum recusare ausi fuerint, ut veros Sanctae Romanae Ecclesiae filios non agnoscere: neque ut Nobis, et Beati Petri Cathedrae, quod falso autumant, adhaerentes, et consentientes, sed contra potius, uti aperte inobedientes, ac notorie contumaces, et refractarios habere, tenere, ac reputare. Et quoniam primo ipsi a Nobis, et Sancta Romana Ecclesia, si minus expressis verbis, factis certe, pertinacisque, et obduratae

mentis multiplici significatione recesserunt, illos similiter a Nobis, tamquam a Nostra, et eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae charitate prorsus segregatos haberi: nullamque proinde Nobis, et ipsi Sanctae Romanae Ecclesiae deinceps cum illis communionem Ecclesiasticam extituram, donec (quod faxit Deus) integre resipiscant, reiectaque penitus audacia refragandi, per exhibitionem verae obedientiae, quam complures eorum Romano Pontifici Beati Petri Successori, ac Iesu Christi Vicario in ipsamet solemni professione Catholicae Fidei, interposita Iuris iurandi religione, ad Sancta Dei Evangelia saepius spoponderunt, pristinae charitati, et unitati ab eadem Apostolica Sede restitui mereantur.

§ 5. Ad vos postremo, Venerabiles Fratres, Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, caeterique omnes Ecclesiarum Praesules, gaudium nostrum, et corona nostra, Apostolicae dilectionis nostrae sermonem convertimus, hortantes Vos, et obsecrantes in Domino, ut pro eo, quo polletis, pastorali zelo, commissas Vobis Christi Oves a venenatis pascuis, idest profanarum Vocum, et Doctrinarum novitatibus sedulo arceatis, simulque paternam sollicitudinem nostram in revocandis ad saniora consilia quibuscumque dissidentibus efficacius adiuvetis, ita ut Vobis indivulsam cum Sancta Romana Ecclesia et Doctrina Fidei unitatem, quod iam plerique Vestrum egregie praestitistis, firmissime profitentibus, Christiani omnes agnoscant Vos longe ab iis esse, qui elongaverunt se a Nobis, ac illorum damnabilem inobedientiam una Nobiscum aversari, et improbare, eosque, nisi resipuerint, a communis societatis charitate prorsus alienos habere. Utinam qui Paternis hactenus humilitatis nostrae vocibus reluctati sunt, Vobis omnibus non modo arguentibus, obsecrantibus, et increpantibus, sed, et ab eorum consortio penitus abstinentibus, erubescant, confundantur, et convertantur, detque illis Deus poenitentiam ad cognoscendam veritatem, ut secundum Apostolicam Doctrinam idem ipsum tandem dicamus omnes, et non sint in nobis schismata: simus autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia, auxiliante Nobis per omnia gratia Domini Nostri Iesu Christi, cui est honor, et gloria in saecula. Amen.

[Bull. Rom., tom. 11, p. 139-142].

277.

Clemens XI, const. *Ad Apostolatus*, 18 aug. 1719.

Ad Apostolatus nostri notitiam, non sine ingenti animi Nostri moerore, pervenit sub nomine Senatus in Civitate Taurinen. residentis, ultra tot, tantasque alias Ecclesiae, ac Sedi Apostolicae in illis partibus a Saeculari potestate illatas iniurias, novissime prodiisse quoddam Edictum Typis impressum, ac nomine Secretarii Ordinarii eiusdem Senatus subscriptum tenoris, qui sequitur, videlicet. *Il Senato di S. M. in Torino sedente. Il desiderio, che ha sempre avuto S. M. di mantenere la tranquillità ne' suoi Stati, e di prevenire tutto ciò, che potesse turbarla, vien'ad eccitar nuovamente la nostra particolare attenzione, perchè in vista d'un fine sì salutare, et in conformità*

anche delli usi già pratticati non si lasci eseguire alcuna provisione procedente da fuori Stato, sia Bolla, Breve, o altra, senza che prima ci sii presentata, per accertarsi, se vi si contenga cosa alcuna contraria, o pregiudiziale agl'Indulti, Prerogative, e Diritti, sì suoi, che della Corona, e de' Sudditi, ad effetto, che quelle di dette provisioni, che non saranno ritrovate contrarie, o pregiudiziali, come sopra, abbino la loro pronta, e spedita essecuzione: e per le altre all'opposto si possa provedere a quanto si conviene, e particolarmente per le procedenti da Roma avvisarne la M. S. per rappresentare a Sua Santità, e quanto all'altre adoperare i mezzi opportuni. A qual fine per suo Regio viglietto delli 13 Giugno corrente, ci ha espressamente incaricati di far publicare il nostro Manifesto, acciò sappia ogn'uno l'obbligo suo, com'anco di servirci de' mezzi della Podestà Economica, e Politica in odio de' Contraventori secondo l'esigenza de' casi. In essecuzione di che si notifica ad ogni persona di qualsivoglia grado, e condizione, niuna esclusa, nè riservata, che chiunque avrà ottenuto, o verrà ad ottenere, Bolle, Brevi, Rescritti, o altre provisioni procedenti da fuori stato, non possa, nè debba farle esseguire, senza che prima siino state presentate per le cause sovra espresse a questo Senato, e dichiaratosi dal medemo non aver cosa in contrario. Il che si farà dal Senato con ogni prontezza per tutte quelle di dette provisioni, che non saranno contrarie agl'Indulti, Prerogative, e Diritti della Corona, e de' Sudditi, o che non si ritroveranno essere state surrettiziamente ottenute, e che in caso contrario ne darà immediatamente avviso alla M. S. affine di rappresentare come sopra a Sua Santità per le provisioni di Roma, et adoperare quanto alle altre i rimedii opportuni. Ammoniamo a tal'effetto, et esortiamo tutti, e ciascheduno degl'Ecclesiastici, ed espressamente inibiamo a Secolari, Prefetti, Giudici, Podestà, Notari, Segretarj, Sindici, e Consiglieri de' Luoghi, e Communità, ed a chi si sia altro di non dare, nè permettere l'esecuzione di dette provisioni, meno esseguirle, autenticarle, o altrimente prevalersene, salvo che vedino la dichiarazione sudetta di questo Senato, quale s'accorderà senza difficoltà, ritardo, nè spesa alcuna su la presentazione, che sarà fatta di dette provisioni, da chi le averà impetrate, o per parte d'esso; dichiarando, che in caso contrario si procederà in odio di tutti, e ciascheduni i Contraventori con li mezzi della Podestà Economica, e Politica, o altrimente sì, e come li casi esigeranno, e che sarà spediente per la tranquillità publica, e per l'esatta osservanza degl'usi predetti. Mandiamo perciò, ed espressamente commandiamo a detti Giudici, Podestà, Sindici, Consiglieri, e Segretarii delle Communità di dare avviso di dette contravenzioni, cioè quanto alla Provincia di Torino al Segretario Ordinario di questo Magistrato, e quanto alle altre a respettivi Prefetti, quali Prefetti incarichiamo d'esseguire gl'ordini Nostri sotto pena della privazione de' loro impieghi, incapacità d'averne altri, e di scudi cento d'oro al Fisco di S. M. applicandi, quali pene incorreranno anche li Giudici, Podestà, Segretarii, e Notari, e rispetto a Sindici, e Conseglieri, quella di scudi cinquanta d'oro, e del carcere per mesi tre, ed eziamdio altra maggiore arbitraria secondo i casi rispetto a tutti. Dichiarando la publicazione, ed affissione di questo da farsi all'Albo Pretorio di cadauna Città, Terre, e Luoghi valer, come se fosse a cadauno personalmente eseguita, e che alla copia stam

pata dallo Stampatore Regio se gli debba prestare tanta fede, come al proprio Originale. Dat. in Torino li venti Giugno mille settecento diecinove: Per lo Eccellentissimo Reale Senato: Il Segretario Ordinario del medemo: In Torino stampato nella Stamparia Regia 1719.

§ 1. Cum autem nimium evidens sit, nec quisquam inficiari valeat a praefato Edicto, et in eo contentis gravissimum Ecclesiasticae libertati, et Pontificiae nostrae auctoritati vulnus infligi; adeoque illa a Nobis aequo animo ferri, aut dissimulari minime posse; hinc est, quod Nos ex commisso Nobis divinitus Pastoralis muneris debito, Ecclesiae, atque huius Sanctae Sedis iura ab eiusmodi scandalosis ausibus, quantum Nobis ex alto conceditur, sarta, tectaque, atque illibata tueri, et conservare cupientes, omniumque, et singulorum, quae eiusdem Edicti, quod non alio, quam illud penitus, et omnino damnandi, et reprobandi animo praesentibus inserendum duximus, seu in eo contentorum occasione quovis modo acta, et gesta fuerunt, seriem, causas, et circumstantias, etiam aggravantes, aliave quaecumque etiam specificam et individuam mentionem, ac expressionem requirentia, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et singillatim specificatis habentes: Motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, Edictum praeinsertum, et quaecumque in eo contenta, cum omnibus, et singulis inde secutis, et forsan quandocumque secuturis penitus, et omnino nulla, irrita, invalida, iniusta, reprobata, damnata, inania, temeraria, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, ac de facto praesumpta, nulliusque omnino roboris, et momenti, vel efficaciae esse, et ab initio fuisse, ac perpetuo fore, neque illa a quoquam observari posse, vel potuisse, adeoque nec ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde, ac si nunquam emanassent, nec facta fuissent, pro non existentibus, et non factis perpetuo itidem haberi debere, tenore praesentium declaramus; et nihilominus ad maiorem, et abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia, et singula, prout etiam quaecumque alia praemissorum occasione in praeiudicium libertatis, et immunitatis, et iurisdictionis Ecclesiasticae, seu Apostolicae auctoritatis quovis modo emanata, edita, acta, gesta, et perpetrata cum omnibus pariter inde secutis, et quandocumque secuturis, harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, abolemus, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, et abolitis, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuis semper haberi volumus, et mandamus.

§ 2. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 11, p. 146-148].

278.

Clemens XI, const. *Non sine ingenti*, 5 ian. 1720.

Non sine ingenti animi nostri moerore novissime accepimus, quod cum alias, nempe die 7 novembris 1718 dilectus filius Canonicus Ioannes Maria Raimberti Vicarius Capitularis Ecclesiae Niclen. illius Sede Episcopali vacante legitime deputatus aliquos Officiales, et Ministros Senatus Niclen., qui Presbyterum Petrum Caietanum Albanelli ex Ecclesia Fratrum Eremitarum Ordinis Sancti Augustini eiusdem Civitatis, ad quam confugerat, nulla prorsus tam loci Sacri, quam Personae ipsius Petri Caietani utpote Presbyteri, adeoque laicali potestati minime subiecti habita ratione, publice, ac per vim extrahere, et in carceres ipsiusmet Senatus, in quibus de praesenti adhuc detinetur coniicere per sacrilegum, ac detestabile facinus ausi fuerant, Ecclesiasticis Censuris per notissimas Canonicas Sanctiones, ac Pontificias Constitutiones adversus similia perpetrantes inflictis innodatos declarasset, ac palam denunciasset: Officialis Venerabilis fratris Archiepiscopi Ebredunen., ad quem tanquam Metropolitanum, memorati Officiales, et Ministri a censuris sic contra eos publicatis appellationem interposuerant, tametsi eiusmodi negocio, quod ad Curiam Metropolitanam Ebredunen. minime pertinebat, nullatenus se ingerere debuisset, nihilominus sibi omnino incompetentem auctoritatem assumens, non modo appellationem admittere, ipsique Vicario Capitulari ne quidquam in praeiudicium eiusdem appellationis sub comminatione poenarum de iure (ut erronee asserebat) indictarum faceret, inhibere, verum eosdem quoque Officiales, et Ministros a praenarratis censuris ad cautelam absolvere temere, ac nulliter praesumpsit; ac licet postmodum praefatus Vicarius Capitularis adversus praemissa ab eodem Officiali perperam gesta protestationem emisisset, eamque ipsi Officiali legitime intimari fecisset, in qua potissimas rationes recensuerat ob quas eiusmodi appellationi, inhibitioni et absolutioni ad cautelam a dicto Officiali concessis, et decretis deferre minime poterat, nec vicissim eidem Officiali de viribus memoratarum censurarum neque de alia causa, num videlicet praedicto Petro Caietano Ecclesiasticae Immunitatis beneficium suffragaretur nec ne, citra insanabilis omnium, quae egisset nullitatis vitium, ob necessariae iurisdictionis, qua dictus Officialis hac in re destitutus reperiebatur, defectum cognoscere licebat: his tamen minime attentis idem Officialis die 8 novembris proxime praeteriti sententiam protulit, per quam, promulgationem censurarum adversus memoratos Officiales, et Ministros Senatus Niclen. uti publicos, ac notorios immunitatis, et libertatis Ecclesiasticae violatores a praedicto Vicario Capitulari, sicut praemittitur, factam, pari temeritate nullam, iniustam, et praecipitem declaravit, ipsique Vicario Capitulari, et aliis quibuscumque inhibuit, ne dictos Officiales, et Ministros ratione earumdem censurarum quoquo modo molestarent, aut perturbarent, et alias, prout in praefata sententia, quam non quidem approbandi, sed penitus, et omnino reprobandi animo praesentibus

pro plene, et sufficienter expressa, ac de verbo ad verbum inserta habere volumus, uberius continetur.

§ 1. Cum autem satis exploratum sit, nec quisquam inficiari valeat nullum Iudicem quacumque tandem potestate, et auctoritate suffultum, quoties de Censuris Ecclesiasticis ex causa laesae, seu violatae Immunitatis, et libertatis Ecclesiasticae latis, seu declaratis agi contingit, in illarum validitatis, seu invaliditatis, iustitiae, vel iniustitiae cognitionem, quae nonnisi Romano Pontifici pro tempore existenti, vel Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Immunitati Ecclesiasticae, et controversiis iurisdictionalibus praepositae ad id ab hac Sancta Sede specialiter delegatae, reservata est, se ingerere posse, quinimo nemini alteri absolutionem ab huiusmodi Censuris, etiam ad cautelam, ac cum reincidentia, et ad effectum agendi dumtaxat, concedere fas esse; adeoque praemissa per dictum Officialem attentata ultra manifestam eorum nullitatem, Pontificiae Nostrae auctoritati gravissimum praeiudicium intulerint, et adhuc inferant, ac propterea in plurimorum perniciem, et scandalum tendant, animasque pretioso Salvatoris, et Domini Nostri Iesu Christi Sanguine redemptas in maxima pericula, et errores coniicere, ac deplorandis malis involvere valeant: hinc est, quod nos ex debito Sacrosancti Apostolatus Officii, quod humilitati nostrae commisit divina dignatio, Nostram, et huius Sanctae Sedis dignitatem, auctoritatem, et iurisdictionem a temerariis, et perniciosis huiusmodi conatibus sartam, tectamque, atque illibatam tueri, et conservare, necnon animarum periculis, quantum Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, omniumque, et singulorum, quae in praemissis, seu eorum occasione quovis modo decreta, ordinata, acta, et gesta fuerunt, seriem, causas, et circumstantias, etiam aggravantes, aliaque quaecumque etiam specificam, et individuam mentionem, et expressionem requirentia praesentibus pariter pro plene, et sufficienter expressis, et singillatim specificatis habentes, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, praenarratam sententiam, et quaecumque in ea contenta, aliaque omnia ea occasione per eumdem Officialem Ebredunen. acta, gesta, et ordinata, cum omnibus, et singulis inde secutis, et forsan quandocumque secuturis, penitus, et omnino nulla, irrita, invalida, inania, et a non habente potestatem temere attentata, ac de facto praesumpta, nulliusque omnino roboris, et momenti, vel efficaciae esse, et ab initio fuisse, ac perpetuo fore, neminemque ad illorum observantiam teneri, imo nec illa a quoquam observari posse, vel potuisse, adeoque nullum statum facere, vel fecisse; sed perinde ac si numquam emanassent, nec acta fuissent, pro non extantibus, et non factis perpetuo itidem haberi tenore praesentium declaramus. Et nihilominus ad maiorem, et abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia, et singula, et si quae insuper praemissorum occasione, seu in eorum sequelam per Officialem praedictum aut alias per Curiam Metropolitanam Ebredunen. hac in re de caetero agi, geri, et ordinari quomodolibet contigerit, harum serie revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, et abolemus, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuamus, ac pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, et abolitis, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuis haberi volumus, et mandamus

§ 2. Praeterea tametsi perspecta Cleri Populique Nicien. pietas, ac religio spem nobis ingerat, fore, ut memoratae sententiae, aliorumque per praedictum Officialem Ebredunen. gestorum nullam hactenus, ut par erat, rationem habuerint, imo nec de praesenti habeant, eisque minime attentis, a qualibet consuetudine, et commercio cum praedictis Officialibus, et Ministris tanquam vere excommunicatis, et omnino vitandis penitus ultro abstinuerint, et abstineant; nihilominus motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus, eosdem Officiales, et Ministros tanquam veros excommunicatos vitandos ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus habendos esse, donec, et quousque absolutionis beneficium Christiana humilitate petierint, et a Nobis, ac Sede Apostolica, vel praedicta Congregatione Cardinalium impetrare meruerint, vel quatenus censurae adversus eos promulgatae nullae, aut iniustae praetendantur, eas uti tales a Nobis itidem, et Sede praefata, vel memorata Congregatione Cardinalium declarari obtinuerint, cum ante huiusmodi declarationem pro validis, ac iustis ab omnibus haberi, ac reputari debeant, earumdem tenore praesentium decernimus similiter, et declaramus. Quocirca universis Presbyteris, et Clericis tam saecularibus cuiuscumque gradus, praeeminentiae, et Dignitatis fuerint, quam cuiusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, et Societatis, etiam Iesu, Regularibus divinis ministrantibus, harum serie districte praecipimus, et mandamus, ut quatenus praedicti Officiales, et Ministri ad eorum Ecclesias, ac Oratoria accedere, ibique divinis Officiis, aliisve sacris functionibus interesse praesumerent, cum eis ita se gerant, quemadmodum ex Sacrorum Canonum praescripto excommunicatis publice denunciatis agendum esse probe norunt, sub poenis ab ipsis Sacris Canonibus in eos, qui secus fecerint constitutis.

§ 3. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 11, p. 154-156].

279.

Innocentius XIII, const. *Cum ad infrascriptam*, 13 sept. 1721.

Cum ad infrascriptam Cardinalium Congregationem delatum fuerit dubium: An Custos et Guardianus Sancti Sepulchri Domini Nostri Iesu Christi ex speciali huius Sanctae Sedis delegatione, et vigore nonnullorum privilegiorum per dilectos filios Superiores Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum exhibitorum, necessarias facultates habeat conferendi Sacramentum Confirmationis, Nos pro commissa Nobis caelitus Pastoralis Officii cura omnes difficultates, ac in posterum dubitandi hac in re occasionem tollere cupientes, ac dilectum Filium Ioannem Philippum a Mediolano Fratrem expresse professum dicti Ordinis, ac Custodem, et Guardianum dicti Sancti Sepulchri specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum

praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, auditis votis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana adversus haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum auctoritate Apostolica specialiter deputatorum, eidem Ioanni Philippo Custodi, et Guardiano eiusdem Sancti Sepulchri durante eius Officio, et pro locis Terrae Sanctae tantum, ubi non erunt Episcopi Ritus Latini, in propria Dioecesi residentes, potestatem, et facultatem conferendi Sacramentum Confirmationis huiusmodi Oleo, et Chrismate etiam veteris, si nova haberi non possint per Catholicum Antistitem gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente, benedictis, dicta auctoritate, tenore praesentium concedimus, et delegamus; salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

§ 1. Non obstantibus, etc.

[Bull. Rom., tom. 11, p. 228].

280.

Innocentius XIII, const. *Apostolici ministerii*, 23 maii 1723.

Apostolici ministerii, quod Nobis licet immerentibus, imposuit superni dispositio Consilii, ratio praecipue exigit, ut Ecclesiasticae disciplinae in iis qui in sortem Domini vocati sunt, aut servandae aut ubi opus fuerit, restaurandae, iuxta Sacrorum Canonum instituta, et Sanctissimas Ecclesiae leges et Ordinationes omni studio advigilemus; post enim primi Parentis lapsum semper ad inferiora nos deprimit humanae mortalitatis infirmitas, et carnis fragilitate observantiae rigor paulatim relaxatur; unde et de mundano pulvere religiosa etiam corda sordescere, et in ipso Agro Domini spinas, ac tribulos identidem germinare quotidiana experientia edocemur; quod si noxia inde evellantur, et utilia plantentur, dubitandum non est, quin uberior, benedicente Domino, electi sanctorum operum frumenti messis exurgat, omnisque Populus in via Domini, praelucente Clero, feliciter progrediatur.

§ 1. Cum itaque Dilectus Filius Noster Ludovicus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Belluga, et Muncada nuncupatus, Ecclesiae Carthaginensis ex concessione, et dispensatione Apostolica Praesul, in ipsis Pontificatus Nostri primordiis, Nobis exposuisset nonnulla Ecclesiasticae disciplinae rationibus, ac saluberrimis Sacri Oecumenici Concilii Tridentini Decretis haudquaquam consentanea sensim in diversis inclytae Nationis Hispanicae locis obrepsisse, iisque, ut opportunum remedium adhiberetur a Nobis, quibus est commissa plenitudo solicitudinis, nedum ipse Ludovicus Cardinalis, et Praesul, sed et alii Venerabiles Fratres Archiepiscopi, et Episcopi Regnorum Hispaniarum humiliter postulassent; eorumque enixis precibus sua etiam studia, ac vota Charissimus in Christo Filius Noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus pro eius singulari pietate, et eximio Christianae Religionis zelo, datis hac de re ad Nos pluribus literis, coniunxisset: Nos Congregationi particulari nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus Nostris eiusdem

Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Concilii Tridentini Interpretibus a Nobis deputatorum rem omnem sedulo examinandam demandavimus. Id autem cum ab ipsa Congregatione Cardinalium ea, qua par erat, maturitate praestitum, illiusque sententia ad Nos per eiusdem Congregationis Secretarium relata fuerit, de memoratorum Cardinalium consilio, congruum, et opportunum duximus ea, quae infra sequuntur, ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiae utilitatem, veteris disciplinae instaurationem, et spiritualem Regnorum Hispaniarum aedificationem, hac nostra perpetuo valitura Constitutione statuere, decernere, et declarare.

§ 2. Primum igitur, cum a Patribus memorati Concilii Tridentini, Divino afflante Spiritu, sapientissime animadversum fuerit,[1] quantum Christianae Reipublicae intersit accuratum haberi delectum circa eos, quibus sacra ministeria committenda sunt, et in quorum vitam caeteri fideles iugiter oculos coniicientes sumpturi inde sunt exemplum, quod imitentur, propterea que provide ab iisdem Patribus cautum fuerit Ecclesiasticae Militiae per primam Tonsuram adscribendos nonnisi illos esse, qui probabilem praebeant coniecturam, se non saecularis iudicii declinandi consilio, sed sincero animo praestandi fidelem cultum, ac servitium Deo, hoc vitae genus elegisse: volumus, ut pro tutiori ipsius Conciliaris sanctionis executione, ab omnibus Regnorum Hispaniarum huiusmodi Archiepiscopis, et Episcopis, non alii ad primam Tonsuram in posterum admittantur, quam quibus Ecclesiasticum aliquod Beneficium statim conferendum sit, aut quos constiterit literarum studio operam sic dare, ut quasi in via ad Ordines, tum minores, tum etiam deinde maiores suscipiendos versari videantur; vel demum quos viderint expedire alicuius Ecclesiae servitio, vel ministerio deputari.

§ 3. Et tam in his, qui ad primam Tonsuram, quam in aliis, qui promoveri ad Ordines etiam minores optaverint, omnino servetur pariter regula ab eodem Concilio Tridentino tradita:[2] nimirum, ut nullus ordinetur, qui iudicio sui Episcopi, non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis, quique illi Ecclesiae, aut pio loco, pro cuius utilitate, aut necessitate assumitur, non adscribatur, ubi re ipsa functiones muneri suo consentaneas exerceat. Quod si qui modo reperiantur, vel Clericali Tonsura iam initiati, vel ad Ordines, sive minores, sive maiores iam promoti, qui nulli certae Ecclesiae, vel loco pio adscripti fuerint, Episcopi adscriptionem huiusmodi, vel a se ipsis, vel a Praedecessoribus suis omissam, statim suppleant, non minus quoad omnes in maioribus Ordinibus, etiam Presbyteratus, constitutos, quam quoad eos, qui vel sola prima Tonsura, vel minoribus Ordinibus initiati, Beneficium tamen Ecclesiasticum possident. Ex reliquis autem, ut praefertur, vel sola prima Tonsura insignitis, vel in minoribus Ordinibus constitutis, sed Beneficio carentibus, nonnisi eos adscribant, quos Ecclesiis suis utiles, vel necessarios esse iudicaverint. Caeterum antedictae adscriptionis executionem differri posse per aliquod temporis spatium, quod ipsis Episcopis conveniens videbitur, permittimus quoad eos, qui a Dioecesi, in qua Tonsuram, vel Ordines

[1] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 4.
[2] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 16.

susceperunt, causa ediscendi literarum scientias in aliqua publica Universitate, vel Gymnasio, sive ex alia rationabili causa a suo Episcopo approbata vel approbanda, absentes reperiantur.

§ 4. Cum autem Clerici, qui in Episcopalibus Seminariis educantur, ut commodius ad literarum, sacrarumque rerum studium operam conferre, atque a Concilio Tridentino praescriptis addiscendis magis assidue incumbere possint, teneantur iuxta eiusdem Concilii Decretum diebus tantum festis Cathedrali, aliisque loci Ecclesiis inservire:[1] hanc quidem servitii per eos obeundi rationem servari in omnibus Hispaniarum Dioecesibus, necnon ipsa generalibus dumtaxat totius Cleri supplicationibus, sive Processionibus interesse volumus, et mandamus, sublata quacumque maioris servitii consuetudine, etiam immemorabili, postpositaque etiam quacumque appellatione, et inhibitione. Si quod autem Seminarium reperiatur, in cuius fundatione aliter cautum esset ob adiectam gravioris servitii legem ab illo, qui Seminarium ipsum fundaverit, seu dotaverit, vel piam aliquam largitionem contulerit, Episcopi ad Nos, et pro tempore existentem Romanum Pontificem id referant, ut desuper opportune providere valeant.

§ 5. Praeterea, cum maxime deceat eos, qui propius ad sacratissima Mysteria accessuri sunt, ultra caetera requisita, congruenti etiam pollere scientia, qua praediti viam salutis indicare aliis Christifidelibus possint: Episcopi nonnisi eos ex Clero tam saeculari, quam regulari ad sacros Ordines admittant, quos ob scientiam, aliasque qualitates eo gradu vere dignos per diligentem inquisitionem compererint, adeo ut satis non sit illos qui promoveri ad Ordines praedictos optant, linguam latinam intelligere, Catechismo instructos esse, atque apte respondere quaesitis circa Ordinem suscipiendum sibi in examine propositis. Qui vero ad Presbyteratum erunt assumendi, idonei prius, per accuratum similiter examen comprobentur ad ministranda Sacramenta, et ad Populum docendum ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem; quod quidem, ut recte praestari possit, eosdem Episcopos in Domino hortamur, ut quantum fieri potest, eos tantum ad Sacerdotium assumant, qui saltem Theologiae moralis competenter periti sint.

§ 6. Quod si domicilium in una Dioecesi habentes, Beneficium vero in altera, ordinari ad eiusdem Beneficii titulum optaverint ab Episcopo, in cuius Dioecesi Beneficium huiusmodi situm est, Episcopus domicilii debeat eos, si in suam Dioecesim reversuri sunt, super scientia, vel idoneitate examinare ante concessionem Literarum Testimonialium super eorum natalibus, aetate, moribus, et vita iuxta Constitutionem felic. record. Innocentii Papae XII Praedecessoris nostri, quae incipit *Speculatores*[2] obtinendarum: addito quoque compertae idoneitatis testimonio in iisdem literis; haeque concedi nullatenus debeant, si antedicto examine tanquam habiles approbati non fuerint, iisque iuxta praemissam formam non impetratis, minime possint ab alio Episcopo, cui etiam ratione obtenti Beneficii subiecti sint, ad Ordines promoveri, siquae secus fiat, Ordinans quidem a collatione Ordinum per annum, Ordinatus

[1] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 18.
[2] Cf. N. 258.

vero a susceptorum Ordinum executione quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, aliisque insuper gravioribus poenis pro modo culpae, Nostro, et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis uterque subiaceat.

§ 7. Cumque etiam iuxta memoratam Innocentii Praedecessoris Constitutionem ratione, ac titulo Beneficii in aliena Dioecesi obtenti non aliter licet Ordines ab Episcopo eiusdem Dioecesis suscipere, quam si Beneficium praedictum sit eius redditus, ut ad congruam vitae sustentationem, detractis oneribus, per se sufficiat; declaramus, sufficientiam huiusmodi praefiniendam esse, non iuxta Taxam Synodalem, sive morem pro promovendis ad sacros Ordines vigentem in loco praedicti Beneficii (nisi tamen illud continuam et praecisam residentiam requirat), sed iuxta Taxam, vel ea deficiente, iuxta morem in alio loco domicilii vigentem.

§ 8. Porro ad sartam, tectamque servandam Ecclesiasticam disciplinam non minus momenti habet, quod Clericali militiae nomen dare non permittatur iis, qui haud satis idonei sint, quam quod eidem militiae iam adscripti laudabilem vivendi rationem sectentur, eamque morum exhibeant innocentiam, quae sanctitati suscepti Instituti respondeat, multoque magis, quod abstineant iis, quae a Sacris Canonibus iure meritoque vetita sunt, uti prorsus indigna hominibus Tabernaculum Domini inhabitantibus, et venerando Altaris ministerio dedicatis. Statuimus propterea, atque decernimus, quod, si qui sunt Clerici, aut prima Tonsura, aut Ordinibus minoribus initiati, nullumque Ecclesiasticum Beneficium possidentes, qui, neglectis Concilii Tridentini Decretis,[1] habitum Clericalem, ac Tonsuram non deferant, vel si etiam deferant, non tamen certae Ecclesiae, aut loco pio, cui ex mandato Episcopi adscripti fuerint, inserviant, sive in Seminario Ecclesiastico, vel in aliqua Schola, aut Universitate de licentia sui Ordinarii non versentur: Episcopi, nulla etiam praemissa monitione eos privilegio Fori privatos declarent, eorumque adscriptionem servitio certae Ecclesiae antea factam deleri iubeant. Sique ii meliorem vitae rationem non inierint, aut etiam si alii sint, quos ex propria culpa efficiendos idoneos promotioni ad sacros Ordines sperari nequeat, iidem Episcopi, servata forma a Sacris Canonibus tradita, ad privationem aliorum Clericalium privilegiorum contra ipsos procedant. Ubi vero reperiantur Clerici Capellanias, vel Beneficia cuiuscumque etiam tenuis redditus, obtinentes, quorum improba vita aliis offensionem praebens destruat potius, quam aedificet, vel concubinarii, aut foeneratores, vel ebrietati, ludisve alearum dediti, vel satores rixarum, vel negotiatores, vel arma gestantes, vel incertis sedibus vagantes, vel Clericalem habitum, Tonsuramque non deferentes, vel Ecclesiastica immunitate in fraudem tributorum, et vectigalium a Laicis non exemptis solvendorum temere abutentes, vel qui demum similia, aut maiora crimina patrantes, numero magis, quam merito ad Ecclesiam pertinere visi fuerint: Episcopi, praemissis tamen necessariis monitionibus, servatisque aliis de iure servandis, contra ipsos, ad poenas a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, et a Sacris Conciliis impositas, et etiam ad privationem

[1] Sess. XIV, *de ref.*, c. 6.

Beneficiorum, Capellaniarum, et Ecclesiasticorum Officiorum in omnibus iis casibus, in quibus praedicta privatio a Sacris Canonibus imposita est, huiusmodi quibuscumque rationibus postpositis, procedant, memores seipsos neglectae subditorum emendationis condignas Deo vindice, poenas persoluturos.

§ 9. Sed et cum Personae Ecclesiasticae nunquam satis in obsequiis Supremo Numini exhibendis, iisque praestandis, quae eorum statui consentanea sunt, exerceri valeant, plurimum in Domino commendamus pium morem in plerisque Hispaniarum Dioecesibus vigentem, ut Clerici tam in minoribus quam in maioribus Ordinibus constituti, atque etiam Presbyteri, tametsi Beneficia, vel Officia Ecclesiastica non habentes superpelliceo induti in Ecclesiis, quibus adscripti fuerint, Missae Conventuali cum cantu celebratae, necnon primis, et secundis Vesperis Officii diebus Dominicis, aliisque festis assistant. Quinimo enixe hortamur, ut Episcopi aliarum Dioecesum, in quibus mos ille institutus hactenus non fuerit, id in posterum servari curent in omnibus; ac insuper satagant, ut omnes Ecclesiastici praedicti etiam collationibus habendis coram Parochis suis, vel aliis ab Episcopo deputatis super casibus conscientiae forum concernentibus, et super ritibus, ac caeremoniis sacris intersint.

§ 10. Et quoniam in praedictis Hispaniarum Regnis reperiri intelleximus Beneficia, et Capellanias etiam de iurepatronatus, vel Ecclesiasticorum, vel Laicorum, nullo tamen certo proventu instructas, vel adeo tenui, ut non ad dimidiam, nec ad tertiam partem congruae pro Clericis ad sacros Ordines promovendis necessariae ascendant: malis haud quidem levibus inde erumpentibus occurrere cupientes, statuimus, et mandamus, quod Episcopi ad Beneficiorum, et Capellaniarum, quae nullum certum redditum habent, suppressionem statim deveniant. De aliis vero Beneficiis, et Capellaniis, quarum certus annuus fructus ad memoratam saltem tertiam congruae partem non ascendit, decernimus nulli in posterum conferendam esse primam Tonsuram ratione iuris assequendi aliquod ex dictis Beneficiis, et Capellaniis. Utque Patronatuum iura, quantum fieri possit, salva remaneant, liceat Patronis tam Ecclesiasticis, quam Laicis ad dicta Beneficia, et Capellanias nominare, non tamen veluti ad Beneficia Ecclesiastica requirentia in nominandis primam Tonsuram, sed tanquam ad legata pia; et nominati tametsi primam Tonsuram non habentes, ea retinere possint uti pia legata cum onere adimplendi omnia onera a Fundatoribus iniuncta.

§ 11. Non sine gravi animi nostri dolore etiam accepimus, quod quamquam Tridentina Synodus decreverit [1] omnes, qui Parochiales, vel alias curam animarum annexam habentes Ecclesias quocumque modo obtinent, debere diebus saltem Dominicis, et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, et earum capacitate pascere salutaribus verbis, docendo ea, quae Christifideles ad salutem scire oportet, ac explicando Divinae Legis praecepta, Fideique dogmata, puerosque eiusdem fidei rudimentis imbuendo, et brevi, facilique sermone vitia denuntiando, quae declinare, et virtutes, quas sectari oporteat: nihilominus nonnulli Parochialium Ecclesiarum Rectores, haec, quae suarum partium adeo sunt, praetermittunt, culpam huiusmodi a se amoliri nitentes, vel

[1] Sess. V, *de ref.*, c. 2; sess. XXIV, *de ref.*, c. 4, 7.

praetextu immemorabilis, sed quidem pravae consuetudinis, vel quia haec ab ipsis praestari necesse non videatur, suppetente nimirum copia aliorum habentium Sacras Conciones in aliis Ecclesiis, itemque imbuentium pueros Mysteriis Fidei, vel in scholis, vel in computis. Ne itaque sub inani istarum, aliarumque similium excusationum praetextu tanta Christianae Reipublicae pernicies struatur, districte praecipimus singulis Hispaniarum Archiepiscopis, et Episcopis, ut omnino efficiant, quod omnes ii, qui animarum curam gerunt, munia praedicta per seipsos, vel, si legitime impediti fuerint, per alios idoneos diligenter exequantur. Si vero aliqui non satis habiles ad illa obeunda reperiantur, iidem Archiepiscopi, et Episcopi per alios a se deputandos sumptibus Parochorum minus idoneorum opportune suppleri curent; et in posterum Beneficia, quibus animarum cura imminet, nonnisi vere idoneis ad memorata officia per seipsos adimplenda conferantur.

§ 12. Praeterea, ne Constitutionis Sancti Pii V etiam Praedecessoris Nostri,[1] in qua taxatur congrua fructuum portio Vicariis perpetuis animarum curam exercentibus assignanda, interpretationem ab eius sententia alienam fieri contingat: declaramus Constitutionem illam pertinere dumtaxat ad Vicarios perpetuos illarum Ecclesiarum Parochialium, quae aliis Ecclesiis, Monasteriis, Collegiis, Beneficiis, et Locis Piis unitae sint; necnon portionem annuam fructuum, quae ibidem statuitur assignanda ipsis Vicariis in summa non maiori, quam centum, nec minori, quam quinquaginta scutorum, intelligi debere de scutis argenteis iuliorum decem monetae Romanae pro quolibet scuto.

§ 13. Quoties itaque in aliis Parochialibus Ecclesiis, quae, ut praefertur, unitae non sint, oportuerit ex aliqua iusta causa provideri per Coadiutores Parochorum, aut per Vicarios temporarios, curae erit Episcopis pro data sibi a Tridentina Synodo potestate[2] partem fructuum praedictis Coadiutoribus, aut Vicariis assignandam determinare in ea quantitate, quae pro suo prudenti arbitrio, et conscientia conveniens videbitur, ratione videlicet habita reddituum, et emolumentorum Ecclesiae Parochialis, in qua deputati fuerint, necnon inspectis conditionibus loci, numero animarum, qualitate laboris, et quantitate impensarum, quas commissi officii necessitas postulaverit. Quod si Parochi ab Episcopis moniti, congruo iisdem termino praefixo, Coadiutores, seu Vicarios temporarios, quoties opus fuerit, assumere neglexerint: poterunt ipsi Episcopi eos, quos huic muneri idoneos censuerint, auctoritate propria deputare cum assignatione antedictae portionis fructuum. Et nihilominus, ubi etiam praedicti Coadiutores, aut Vicarii temporarii a Parochis nominati, vel assumpti fuerint, de eorum idoneitate Episcopis constare per examen debeat, antequam ad exercitium admittantur; nec satis sit, quod ad confessiones audiendas antea fuerint approbati, nisi aliis etiam qualitatibus ad curam animarum recte exercendam opportunis praediti noscantur. Quibus si careant, nec Parochi deinde intra alium similem terminum ab Episcopis praefigendum alios vere idoneos nominaverint: tunc pariter ad ipsos

[1] *Ad exequendum*, 1 nov. 1567. – Bull. Rom., tom. 4, II, p. 401, 402.
[2] Sess. XXI, *de ref.*, c. 4.

Episcopos libere spectet deputatio cum dicta congruae assignatione; ne... Parochorum contradictio, aut exemptio, aut appellatio, aut cuiuscumque... cis inhibitio executionem deputationis, et assignationis certae partis fruct... in casibus praemissis suspendere possit, itemque non obstante qualibet co... traria consuetudine, etiam immemorabili.

§ 14. Verum, quia non satis animarum curae, et necessitatibus qua... doque consultum est per hoc, quod ad obeunda Parochialia munia alii Sac... dotes Parochis adiungantur, sed maiora remedia adhiberi oportet, quando nempe ob locorum distantiam, sive itineris difficultatem Parochiani sine magno incommodo pro Sacramentis percipiendis, Divinisque Officiis audiendis acce... dere ad Ecclesiam Parochialem nequeant, tunc quidem meminerint Episcopi licere sibi pro suo arbitrio, invitis etiam Rectoribus, vel intra easdem Paro... chias destinare alias Ecclesias in quibus Sacerdotes Parochorum Coadiuto... res Sacramenta ministrent, et Divinum cultum exhibeant, vel novas Paro... chias, novasque Parochiales Ecclesias a veteribus distinctas constituere, iisque novos Parochos praeficere assignata ex redditibus ad veterem Parochialem Ecclesiam quomodocumque pertinentibus convenienti portione ad victum eorum, qui, vel tanquam Coadiutores in dictis aliis Ecclesiis deputati, vel tanquam distincti, et independentes Parochi curam animarum exercue... rint; nulla ad praemissa impedienda suffragante appellatione, aut inhibitione.

§ 15. Cum ad praescriptum quoque Tridentinae Synodi[1] Episcopis is honor tribuendus sit, qui eorum dignitati convenit, eisque in Choro, et in Capitulo, in Processionibus, et aliis actibus publicis primus locus esse debeat et praecipue omnium rerum agendarum auctoritas; mandamus id religiose ac perpetuo observari in omnibus actibus adeo iustae huiusmodi praeeminentiae, et auctoritati consentaneis, non obstantibus privilegiis etiam ex fundatione competentibus, consuetudinibus etiam immemorabilibus, sententiis, iuramentis, et concordiis, quae suos tantum obligent Auctores.

§ 16. Praeterea, ut claustralis quoque disciplinae vigor illibatus permaneat, Pontificiae nostrae solicitudinis partes etiam duximus interponendas. Cum itaque experientia compertum fuerit quantum detrimenti illi afferatur ex quo plures ad Religiosum habitum admittantur, quam vires redditTuum patiantur: moderno, ac pro tempore existenti nostro, et Apostolicae Sedis in iisdem Hispaniarum Regnis Nuncio per praesentes committimus, et mandamus, ut curet, et vigilantiam adhibeat, ne contra praescriptum memorati Concilii Tridentini[2] in Monasteria, Conventus, et Domos, tam virorum, quam mulierum, sive bona immobilia possideant, sive non possideant, maior numerus recipiatur, quam qui, vel ex proventibus propriis ipsorum Monasteriorum, Conventuum, aut Domorum, vel ex consuetis eleemosynis, aliisque quibuscumque obventionibus, in commune tamen conferendis, commode possit sustentari.

§ 17. Quoties vero Regulares ad Ordines erunt promovendi, servetur omnino Decretum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpr...

[1] Sess. XXIII, *de ordine*, c. 4.

[2] Sess. XXV, *de regularibus*, c. 3.

tum a piae mem. Clemente Papa VIII Praedecessore etiam nostro confirmatum die 15 martii 1596,[1] quo sancitur non ad alium, quam ad Episcopum Dioecesanum literas dimissorias pro eorumdem Ordinum susceptione a suis Superioribus esse dirigendas, praeterquam in casu quo Dioecesanus a Dioecesi abesset, vel Ordinationes non esset habiturus; quo etiam casu in literis dimissoriis ad alium Episcopum dirigendis expressa fieri debeat mentio, vel de praedicta Episcopi Dioecesani absentia, vel de illa alia causa, videlicet, quod Ordinationes non sit habiturus: exceptis tamen quoad praedicta Regularibus illis, quibus per speciale privilegium a Sede Apostolica post Concilium Tridentinum fuerit concessum, ut a quolibet Catholico Antistite Ordines suscipere possint, super quo indulto nihil per praesentes innovare intendimus. Noverint autem Episcopi se debere per semetipsos, secluso aegrotationis casu, Ordines conferre, et sacrorum Ordinum collationem statutis a iure temporibus, ac in Cathedrali Ecclesia, vocatis, et adstantibus Canonicis, publice habendam esse, vel si in alio Dioecesis loco, semper tamen in Ecclesia quantum fieri poterit digniori, ac praesente Clero eiusdem loci. Ne vero incertitudo, an ipsi ordinationes sint habituri, nimis grave afferat incommodum promovendis, varia Dioecesis loca inhabitantibus, per mensem ante singulis vicibus publico Edicto ab iisdem Episcopis denuntietur, se Ordinationes esse habituros, adeo ut quoties denuntiatio huiusmodi facta non fuerit, inde satis intelligant Regulares, Episcopum Dioecesanum Ordinationes ea vice minime esse habiturum, sibique idcirco licitum futurum Ordines ab alio Episcopo suscipere cum literis dimissoriis suorum Superiorum ad eum directis, servata in iis forma superius expressa.

§ 18. Episcopi in omnibus mulierum Monasteriis sibi subiectis ordinaria, in aliis vero exemptis auctoritate Sedis Apostolicae inconcusse observari curent, quae circa Sanctimonialium clausuram, vetitumque in dicta Monasteria ingressum, tam in Decretis Tridentinae Synodi,[2] quam in Constitutione similis memoriae Gregorii Papae XIII etiam Praedecessoris nostri edita Idibus Iunii anni millesimi quingentesimi septuagesimi quinti[3] provide ordinata sunt.

§ 19. Perpendentes etiam Christianae Reipublicae in primis expedire, ut ministerium, ac potestas clavium in remittendis, retinendisque peccatis recte exerceatur, declaramus Sacerdotes, tam Saeculares, quam Regulares, qui ab Episcopis obtinuerint licentiam audiendi Confessiones limitatam, vel quoad locum, vel quoad genus personarum, vel quoad tempus, non posse poenitentiae Sacramentum administrare extra tempus, vel locum, vel genus personarum ab ipsis Episcopis praescriptum, quocumque privilegio etiam in vim Bullae, quae appellatur Cruciatae Sanctae, competente nullatenus suffragaturo. Cumque idem Innocentius Praedecessor per suas die decima nona Aprilis anni millesimi septingentesimi expeditas literas[4] decreverit Sacerdo-

[1] In Bened. XIV, const. *Impositi Nobis*, 27 febr. 1747. – Cf. N. 376.
[2] Sess. XXV, *de regularibus* c. 5.
[3] Cf. N. 117.
[4] Cf. N. 263.

tibus tam Saecularibus, quam Regularibus non licere confessiones eorum, quibus ex indulto praedictae Bullae Cruciatae ad id electi fuerint, excipere absque praecedenti approbatione Ordinarii illius loci, in quo ipsi Poenitentes degunt, et Confessores eligunt, etiamsi ab Ordinariis aliorum locorum examinati, approbati fuissent, ac etiamsi Poenitentes Ordinariis illis, qui Confessores electos approbassent, subditi essent; necnon confessiones aliter factas, respective exceptas, nullas fore, irritas, et invalidas, et Confessores ipsos ipso facto suspensos esse; Nos eamdem Constitutionem approbantes, confirmantes, et innovantes declaramus insuper praedictis Sacerdotibus tam Saecularibus, quam Regularibus ad confessiones excipiendas, vel ex vi praedictae Bullae Cruciatae, vel ex quocumque alio privilegio electis suffragari minime etiam posse, quod approbati alias fuerint ab Episcopo illo, qui aliquando fuerit Ordinarius loci, in quo confessiones audiendae sint, sed talis tunc temporis amplius non existat, vel quia ab humanis excesserit, aut Episcopatui renuntiaverit, vel quia ad aliam Ecclesiam auctoritate Apostolica translatus reperiatur, sed necessariam omnino esse illius, qui actualiter, et pro tempore Ordinariam Iurisdictionem in ea Dioecesi exerceat, approbationem. Haec tamen suffragetur etiam tacita, eaque adesse censeatur, quousque praecedens licentia, sive approbatio duret, et revocata ab eo non fuerit; in quo casu nova, et expressa impetranda erit, si illa praecedenter obtenta, vel per temporis adscripti lapsum expiraverit, vel per posteriorem revocationem sublata fuisset.

§ 20. Meminerint quoque Regulares se excipere non posse confessiones Monialium, tametsi eorum regimini, et gubernio subiectae sint, nisi ultra licentiam suorum Praelatorum Regularium praecedat examen coram Episcopo Dioecesano faciendum, eiusque specialis quoad confessiones dictarum Monialium approbatio; remota quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili.

§ 21. Cumque ex eodem Concilio Tridentino[1] Confessor extraordinarius bis, aut ter in anno offerri Monialibus debeat, qui omnium confessiones audiat; si in posterum Superiores Regulares quoad Monasteria ipsis subiecta toties praedictum extraordinarium Confessorem deputare neglexerint, vel si etiam ex proprio eodem Ordine semper deputaverint, nec saltem semel in anno ad id munus elegerint Sacerdotem aut Saecularem, aut Regularem alterius diversi Ordinis Professorem: in his casibus Episcopi pro suo arbitrio, et conscientia deputationem huiusmodi facere possint, nec illa quovis titulo aut praetextu a Superioribus Regularibus valeat impediri.

§ 22. Episcopi insuper abusus omnes, qui in Ecclesiis, aut Saecularibus, aut Regularibus contra praescriptum Caeremonialis Episcoporum, et Ritualis Romani, vel Rubricas Missalis, et Breviarii irrepserint, studeant omnino removere. Et, si adversus ea, quae in dicto Caeremoniali statuta sunt, consuetudinem etiam immemorabilem allegari contingat, postquam recognoverint aut eam non satis probari, aut etiam probatam suffragari, utpote irrationabilem, de iure non posse: executioni eorum, quae in dicto Caeremoniali constituta sunt, diligenter incumbant, nec ulla suspensiva appellatio admittatur

[1] Sess. XXV, *de regularibus*, c. 10.

§ 23. Sedulo pariter curent iidem Episcopi, ut eliminentur abusus, si qui forsan, tam quoad Ecclesiasticos Saeculares, quam quoad Regulares inducti fuerint adversus Concilii Tridentini Decretum de observandis, et evitandis in celebratione Missarum Sess. 22, et contra Regulares, si opus fuerit, procedant ex Apostolica delegatione in eo Decreto ipsis indulta, postposita quacumque appellatione suspensiva, sed solum reservata in devolutivo super quocumque dubio, quod excitari contigerit, declaratione Congregationis pro tempore existentium Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium memorati Concilii Interpretum.

§ 24. Cumque circa Missarum celebrationem in privatis Oratoriis, necnon circa usum Altaris gestatorii, a recolen. memor. Clemente Papa XI Praedecessore etiam nostro opportunum Decretum promulgatum fuerit die 15 decembris anni 1703,[1] Episcopi dent operam, ut omnia ibidem statuta etiam in Regnis Hispaniarum serventur, idemque Decretum in suis respective Dioecesibus, ut facilius omnibus innotescat, publicari faciant, addita etiam prohibitione, ne in privatis Regularium cellis, sive cubiculis erigatur Altare pro re sacra ibidem facienda, et contra quoscumque contravenientes censuris etiam Ecclesiasticis procedant, adhibita quoad Regulares auctoritate Sedis Apostolicae in memorato Decreto ipsis delegata, remotaque quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili. Declaramus tamen, quod cum in praedicto Decreto statuatur, non licere Episcopis extra Domum propriae habitationis in domibus laicis erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare, seu celebrari facere, huiusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus etiam laicis, in quibus ipsi Episcopi forte occasione Visitationis, vel itineris hospitio excipiantur, ut nec etiam quando Episcopi in casibus a iure permissis, vel de speciali Sedis Apostolicae licentia absentes a Domo propria ordinariae habitationis, moram idcirco faciant in aliena domo per modum similis habitationis: his enim casibus licita iis erit erectio Altaris ad effectum praedictae celebrationis, non secus, ac in Domo propriae ordinariae habitationis.

§ 25. Praecipimus quoque accurate attendi, ac adimpleri quaecumque alia praescribuntur in eiusdem Generalis Synodi Sess. 25 de Regularibus, et Monialibus. Cumque in cap. 25 amplissime derogetur omnibus contrariis privilegiis sub quibuscumque formulis verborum conceptis, ac Mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, necnon Constitutionibus, et Regulis etiam iuratis, atque etiam consuetudinibus vel praescriptionibus, etiam immemorabilibus: sciant omnes derogationem huiusmodi non ad ea tantum referri, quae in praedicto capite continentur, sed etiam ad alia, quae in singulis superioribus capitibus eiusdem Sessionis constituta sunt.

§ 29. Enixe denique, et ex intimo Paterni cordis Nostri sensu omnes e religiosissima Hispanica Natione monemus, ut memores sint teneri se exacte, firmiter, et cum effectu observare etiam omnia, et singula in caeteris omnibus eiusdem Tridetini Concilii Decretis sancita. Et ne eorum executio posthac ullo modo impediatur, aut retardetur, decernimus, et declaramus nullum

[1] Cf. N. 264.

pro impedienda, aut suspendenda executione Conciliarium sanctionum, huiusmodi, aut Decretorum, quae ab Ordinariis edita fuerint pro executione praeter eorum, quae in ipso Concilio statuta sunt, suffragari posse, ac deinde contrarium privilegium, quod ante praedicti Concilii promulgationem a Sede Apostolica obtentum fuerit, nisi etiam post ipsum Concilium fuerit in forma specifica ab eadem Apostolica Sede confirmatum, vel noviter concessum, itemque obstare non posse ullum statutum, vel concordiam, quae a praedicta Apostolica Sede specialiter confirmata non sit, neque quemcumque longaevum non usum, aut contrariam consuetudinem, vel praescriptionem etiam centenariam, vel immemorabilem, nisi forsan praefatae consuetudinis, ac praescriptionis materia capax sit, et insuper consuetudo, aut praescriptio immemorabilis probata iam sit, et admissa a competenti iudice per tres sententias conformes, vel per unam, quae in iudicatum transierit, nec denique quamcumque appellationem, sive inhibitionem etiam temporariam; reservato dumtaxat recursu in devolutivo ad memoratam Congregationem Cardinalium eiusdem Concilii Interpretum; quibus etiam tanquam Executoribus praesentium nostrarum Literarum, non solum committimus, et mandamus, ut eas, ipsarumque Decreta, et Ordinationes omnes perpetuo, et inviolabiliter observari faciant cum eadem potestate, quae iisdem Cardinalibus a Sede Apostolica tributa est pro executione Decretorum memorati Concilii, sed etiam privative facultatem impertimur, quandocumque opus fuerit, interpretandi, explicandi, ac declarandi eamdem Nostram Constitutionem, omnesque, et singulas Ordinationes in ea contentas (exceptis his, quae ad Caeremoniale Episcoporum, et Rituale Romanum, et Rubricas Missalis, et Breviarii pertinent) quatenus illis dubietas aliqua, aut difficultas emerserit; non retardata tamen interim illarum executione, adeo ut ante huiusmodi executionem nec ullus recursus ad eamdem Congregationem Cardinalium, nec ulla super quovis dubio consultatio promoveri possit. Decretis vero, et declarationibus a praedicta Congregatione faciendis, postquam nostra, aut Romani Pontificis pro tempore existentis approbatio accesserit, statim quaecumque reclamatio aut consultatio omnino cessare, perpetuumque silentium desuper impositum censeri debeat.

§ 30. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 11, p. 258-264].

281.

Benedictus XIII, const. *Omnium saluti*, 20 aug. 1724.

Omnium saluti paterna charitate intenti, Sacra interdum loca Spiritualibus Indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium Defunctorum animae Domini Nostri Iesu Christi, eiusque Sanctorum suffragia meritorum consequi, et illis adiutae ex Purgatorii poenis ad aeternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant. Volentes igitur omnes, et singulas Patriarchales, Metropolitanas, et Cathedrales totius Orbis Catholici Ecclesias,

quibus Altare Privilegiatum quotidianum perpetuum forsan non reperitur concessum, et in eis Altare per Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos respective locorum gratiam, et Communionem Sedis Apostolicae habentes semel tantum designandum, hoc speciali dono illustrare, auctoritate Nobis a Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei misericordia, et Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, ut quandocumque Sacerdos aliquis Saecularis, vel cuiusvis Ordinis, Congregationis, seu Instituti Regularis Missam Defunctorum pro anima cuiuscumque Christifidelis, quae Deo in Charitate coniuncta ab hac luce migraverit ad praedictum Altare celebrabit, Anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii Indulgentiam consequatur: ita ut eiusdem Domini Nostri Iesu Christi, ac Beatissimae Virginis Mariae, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a Purgatorii poenis liberetur, concedimus, et indulgemus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

[Bull. Rom., tom. 11, p. 333].

282.

Benedictus XIII, const. *Romani Pontificis*, 7 sept. 1724.

Romani Pontificis circumspecta vigilantia ea, quae certis etiam, et rationabilibus ex causis a Praedecessoribus suis olim provide sancita fuerunt, ubi dissidiis, et contentionibus, praesertim inter eos, qui sublimi Cardinalatus dignitate in Sancta Dei Ecclesia praefulgent, aliisque insuper gravioribus malis occasionem tribuere dignoscuntur, ipsa rerum experientia suadente, nonnunquam moderatur, ac immutat, et ad aequitatis, ac iustitiae normam redigit, ut sublatis e medio litium, malorumque seminibus, fraterna charitas, atque concordia, quam inter eosdem Cardinales maxime vigere decet, inviolata servetur, et publico simul bono consultum sit; eumque in finem Apostolicae auctoritatis, et providentiae partes libenter interponit, prout matura deliberatione praehabita in Domino conspicit salubriter expedire.

§ 1. Dudum siquidem a fel. rec. Paulo Papa IV Praedecessore nostro emanavit constitutio tenoris sequentis, videlicet: Paulus Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Cum venerabiles, etc.*

Omittitur Constitutio, quia eam habes supra, in N. 89.

§ 2. Postmodum, anno scilicet 1719, occasione obitus bo. mem. Nicolai S. R. E. Cardinalis Acciajoli Episcopi, dum viveret, Ostiensis, et Veliternensis, Sacrique Venerabilium Fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium Collegii Decani dubitatio emersit, an praedicta Constitutione adversus Cardinales a Curia Romana absentes lata comprehenderentur, vel potius excluderentur Cardinales promotione antiquiores, qui eveniente Decanatus eiusdem Sacri Collegii vacatione a praefata Curia quidem abessent, sed apud illas Metropolitanas, seu Cathedrales Ecclesias residerent, quibus eos una cum aliqua ex iis Cathedralibus Ecclesiis Suburbicariis, quae ipsis Cardinalibus antiquioribus pro suis titulis, seu denominationibus assignari solent,

praeesse contingeret. Cumque eiusmodi dubitatio nullis antea S. Sedis decientibus[1] discussa, ac dirempta esse videretur, rec. mem. Clemens Papa Praedecessor itidem noster eam expendendam, librandamque committendam decreverat, sive Dilectis Filiis Rotae Romanae Auditoribus, sive aliis eiusdem Curiae Praesulibus integritate, doctrinaque praestantibus quorum audita sententia id, quod rationi, et aequitati consentaneum illi visum fuisset, statuere posset. Verum dum in ea deliberatione versaretur, Nos, quos potissimum tamquam eo tempore Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Episcopum Portuensem, et Archiepiscopum Beneventanum, caeterisque Collegis promotione priores (memorata Pauli IV Constitutione seposita) tam ad Decanatus dignitatem, quam ad praefatas Ostiensem, et Veliternensem Ecclesias, aequitatis iura vocabant, animo reputantes rem hanc absque aliqua contentione transigi minime posse, probeque memores verborum Apostoli Timotheum suum admonentis: *Servum Dei non oportet litigare,* firmiter constituimus super istiusmodi negotio a quavis concertatione, seu litis specie prorsus abstinere; adeoque datis primum ad eumdem Praedecessorem nostrum litteris ex suburbano secessu S. Pastoris, et mox etiam apertis verbis illi coram explicavimus, atque obtestati fuimus, ut quacumque nostri ratione posthabita dignitatem Decanatus Cardinali Episcopo ex residentibus in Romana Curia antiquiori deferre vellet, eidemque Ecclesiarum Ostiensis, et Veliternensis optionem permitteret, ea tamen adiecta declaratione, ut simili in posterum occurrente Decanatus vacatione, salva, et illaesa remanerent iura Cardinalium Episcoporum, qui Cardinalatu quidem essent antiquiores, sed extra Romanam Curiam in propriis suis Episcopatibus tunc residerent. Attenta itaque huiusmodi nostra obtestatione, atque cessione, vacans Sacri Collegii Decanatus una cum Ostiensi, et Veliternensi Ecclesiis a memorato Pontifice in Consistorio secreto habito die 26 aprilis 1719 bonae mem. Fulvio Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Astallio tunc Episcopo Sabinensi, qui ex Episcopis Cardinalibus in Curia degentibus antiquior erat, cum speciali tamen iurium quorumcumque tam Episcoporum Cardinalium extra Curiam apud priores suas Ecclesias residentium, quam aliorum Episcoporum Cardinalium in eadem Curia commorantium, praeservatione delatus fuit.

§ 3. Deinde vero cum praefatus Cardinalis Astallius Decanus, inscrutabili Divinae providentiae dispositione, ab huiusmodi[2] omnium opinione celerius decessisset, et alia non absimilis controversia inter Venerabiles Fratres Nostros bonae mem. Cardinalem Sebastianum Antonium Tanarium tunc Episcopum Tusculanum, et Cardinalem Franciscum Iudicem, tunc pariter Episcopum Praenestinum in Romana Curia praesentes (Nobis omnino silentibus, et a quacumque petitione prorsus abstinentibus) excitata fuisset, memoratus Clemens Praedecessor septem eiusdem Curiae Praesules doctrina, et integritate praestantes deputavit, illisque commisit, ut probe, ac mature perpensis rationum momentis, qui hinc inde afferri poterant, et de quibus eos plene instrui curavit, suum circa verum sensum antedictae Constitutionis Pauli IV

[1] Forte legendum: decisionibus.
[2] Adde: dignitate.

iudicium proferrent, quod postea in hunc, qui sequitur, modum protulerunt: *Die 28 Februarii 1721. Habita fuit Congregatio Particularis in Mansionibus R. P. D. Auditoris Sanctissimi super Causa Decanatus Sacri Collegii Cardinalium, cui interfuerunt RR. PP. DD. Petra, Marafuschus Auditor Sanctissimi, Lancetta, Cerreus, Herrera, Ansideus, et Lambertinus eiusdem Particularis Congregationis Secretarius. Omnesque unanimiter responderunt: Consulendum esse Sanctissimo, quod declarare dignetur Decanatum Sacri Collegii Cardinalium devenisse vigore Bullae quintae san. mem. Pauli IV ad Eminentissimum D. Card. Tanarium, uti Episcopum Cardinalem antiquiorem in Curia praesentem tempore vacationis dicti Decanatus sequutae per obitum Card. Fulvii Astallii, exclusis Episcopis Cardinalibus antiquioribus extra Curiam tempore dictae vacationis commorantibus, non ex publica causa, et destinatione Romani Pontificis, etiamsi residerent in Ecclesiis, quarum administrationem ex dispensatione Apostolica retinent, et ita servandum esse perpetuis futuris vacationibus. Quoad aliam vero controversiam inter EE. DD. Cardinalem Tanarium antiquiorem in Episcopatu, et iuniorem in Cardinalatu, et Cardinalem Iudicem iuniorem in Episcopatu, sed antiquiorem in Cardinalatu, causa non fuit proposita, attenta cessione suo iuri facta ab eodem Cardinali Iudice, Dominique unanimiter dixerunt consulendum esse Sanctissimo, quod declarare dignetur ex huiusmodi cessione nullum in futuris Decanatus vacationibus censeri irrogatum fuisse praeiudicium Cardinalibus similia iura foventibus. Factaque eadem die per me infrascriptum Secretarium de praemissis Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua Congregationis sententiam quoad utramque partem benigne approbavit, et perpetuis futuris temporibus observari mandavit. Prosper de Lambertinis Secretarius.* Idem vero Clemens Praedecessor non modo antedictorum Praesulum votum, seu consilium, ut praefertur, benigne probavit, perpetuisque futuris temporibus observari mandavit, verum etiam illud in Consistorio Secreto subinde, nempe die 3 martii 1721, habito palam recitari, et inter Acta eiusdem Consistorii ad perpetuam rei memoriam asservari, atque custodiri praecepit.

§ 4. Cum autem, seclusa Paulina Constitutione, maxime aequum, et rationi consonum videatur, ut Cardinales Episcopi antiquiores praefati, quamvis tempore vacationis Decanatus Sacri Collegii a Romana Curia absint, et apud priores sibi commissas Ecclesias personaliter resideant, ad eundem Decanatum assequendum admitti debeant: tum quia ipsi re vera a Curia non absunt ex voluntate sua, sed ex formali necessitate, cum ex divinarum, canonicarumque Sanctionum, et Concilii potissimum Tridentini praescripto,[1] apud priores Ecclesias iugiter residere cogantur; quin etiam ab eis discedere absque Sedis Apostolicae licentia non possint, nec ab hoc apud ipsas residendi onere exempti sint, quamvis in Urbe, vel in Ecclesiis suburbicariis, qui illis in titulum sunt assignatae, commorari vellent, quemadmodum expresse sub gravissimis poenis cavetur peculiari Constitutione piae mem. Urbani Papae VIII, Praedecessoris pariter nostri cuius tenor est, qui sequitur,

[1] Sess. VI, *de ref.*, c. 1; sess. XXIII, *de ref.*, c. 1.

videlicet. Urbanus Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. *Sancta Synodus Tridentina, etc.*

Omittitur Constitutio, quia eam habes supra, in N. 215.

§ 5. Tum etiam quia, si iuxta Paulinam Constitutionem a Decanatu non repellitur Episcopus Cardinalis antiquior ex causa publica absens, et extra Curiam per Romanum Pontificem destinatus: ob eamdem quoque rationem repelli non debere videtur Episcopus Cardinalis antiquior, qui apud priorem Ecclesiam residet. Is enim vere a Romana Curia abesse dicitur ex causa publica, publicam scilicet particularis Ecclesiae, cui praeest, utilitatem, a qua publicum quoque universalis Ecclesiae commodum continetur, respiciente. Praeterea negari non potest, quin ipse extra Curiam per Romanum Pontificem fuerit destinatus, dum idem Romanus Pontifex non modo ad prioris Ecclesiae regimen destinavit, sed etiam, ut commissam sibi Pastoralis solicitudinis partem cumulatius expleret, eum ad iugiter residendum apud Ecclesiam sibi destinatam, sub gravissimis in praeinserta potissimum Urbani Praedecessoris Constitutione sancitis poenis, compulit, et obstrinxit. Accedit praemissis, quod ab eiusmodi exclusione Episcoporum Cardinalium antiquiorum extra Romanam Curiam in prioribus Ecclesiis residentium maximum illud promanat absurdum, quod alienae mortis detestabile votum ingeritur; nam, sicut accepimus, et Nobis etiam ipsis evenisse non diffitemur, statim ac Cardinalis Sacri Collegii Decanus gravi, et periculoso morbo laborat, illico Episcopus Cardinalis antiquior absens, qui ipsi in Decanatu successurus est, amicorum literis ad Urbem quantocius repetendum incitatur, ut tempore obitus eiusdem Cardinalis Decani in Romana Curia praesens sit, adeoque ad eum ex Paulinae Constitutionis praescripto Decanatus deferatur. Unde non sine gravi bonorum offensione, et Ecclesiasticae disciplinae detrimento, in Urbe conspicitur Episcopus Cardinalis antiquior, in Decanatu proxime successurus, qui Cardinalis Decani aegrotantis mortem expectat, ut ad ipsum Dignitas vacatura deveniat: contra saluberrimum Lateranensis Concilii monitum relatum in cap. 2 de concessione Praebendae, cuius verba sunt: *ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cuius locum, et Beneficium se crediderit successurum. Cum enim in ipsis etiam legibus Gentilium inveniatur inhibitum, turpe est, et divini plenum animadversione iudicii, si locum in Ecclesia Dei futurae successionis expectatio habeat, quam ipsi etiam Gentiles condemnare curarunt.*

§ 6. Nos itaque, qui deinde praedictum Sacri Collegii Cardinalium Decanatum absque ulla contentione obtinuimus ob illius vacationem retroactis mensibus secutam per obitum memorati Cardinalis Tanarii Decani, dum in Romana Curia praesentes essemus, et in Conclavi ubi, Divina sic disponente clementia, ad summi Apostolatus fastigium evecti fuimus, reperiremur: praemissis omnibus, quantum cum Domino possumus, occurrere, et obviare, ac alias desuper opportune providere volentes: Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, praefatis, aliisque iustis, et rationabilibus causis animum nostrum moventibus adducti, hac nostra perpetuo valitura Constitutione sancimus, atque decernimus, quod Episcopus Cardinalis antiquior, qui una cum aliqua ex

Cathedralibus Suburbicariis praefatis in Titulum Cardinalibus antiquioribus assignari solitis retinebit Cathedralem, seu Metropolitanam Ecclesiam in administrationem, dummodo tamen apud ipsam secundo dictam Ecclesiam personaliter resideat tempore vacationis Decanatus eiusdem Sacri Collegii, de caetero ad ipsum Decanatum admitti debeat, et admittatur, perinde ac si occurrente illius vacatione in Romana Curia praesens fuisset, ita ut absentia ab Urbe ad praemissum effectum ei nullatenus obesse possit. Quin etiam volumus, et declaramus ipsum Decanatum ad praedictum Episcopum Cardinalem antiquiorem absentem, et apud priorem Ecclesiam, ut praefertur, actu residentem ipso iure devenire debere eo prorsus modo, quo in Paulina Constitutione ad Episcopum Cardinalem antiquiorem in Curia praesentem, aut ex causa publica absentem, et extra Curiam per Romanum Pontificem destinatum devenire debere decernitur, ita quod inter eos nullum amplius discrimen, seu differentia constituatur; ac ita perpetuis futuris temporibus servari praecipimus, et mandamus.

§ 7. Praeterea expedire censentes, ut e medio tollatur, ac penitus extinguatur alia pariter controversia alias, sicut praemittitur, excitata, et non definita, utrum scilicet in assecutione saepe memorati Decanatus Cardinalis antiquior in Episcopatu Suburbicario, et iunior in Cardinalatu, praeferendus sit Cardinali iuniori in Episcopatu, sed antiquiori in Cardinalatu, vel e contra: Motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, praelationem deberi Cardinali antiquiori in Episcopatu, licet sit iunior in Cardinalatu, decernimus, et declaramus, ac ita deinceps in occurentibus Decanatus vacationibus perpetuo servari volumus, et mandamus.

§ 8. Quoniam vero ab antiquo tempore, ac praesertim ab edita Paulina Constitutione usque ad praesentem diem, Cardinalis Sacri Collegii Decanus Ostiensis, et Veliternensis Ecclesiarum invicem perpetuo canonice unitarum Episcopatum semper obtinuit, adeoque sive ex praesumpta earum cum Decanatu unione, sive alio titulo, speciale ius ad ipsum favere videtur, in quo mentis, ac intentionis nostrae non est, ut eidem Cardinali Decano praeiudicium aliquod inferatur; contingere autem facile potest, quod Episcopus Cardinalis antiquior a Romana Curia absens, et apud suam priorem Ecclesiam residens, ad quem Decanatus ex praemissis in posterum deveniet, ad Urbem celeriter accedere, et primo Consistorio, in quo memoratum Ostiensem, et Veliternensem Episcopatum optare deberet, praesens interesse nequeat: Motu, et potestatis plenitudine paribus, optionem praedictarum Ostiensis, et Veliternensis Ecclesiarum Cardinali, qui pro tempore fuerit eiusdem Sacri Collegii Decanus, specialiter reservamus, ac reservatam esse volumus, et declaramus, ita ut earumdem Ecclesiarum Episcopatum nemo alius optare unquam possit, sed ad Cardinalem Decanum praedictum privative quoad alios quoscumque perpetuis futuris temporibus eiusmodi optio pertineat, ac pertinere debeat. Volumus tamen, atque decernimus, quod idem Episcopus Cardinalis antiquior a Curia absens, et apud priorem Ecclesiam, ut praefertur, residens, postquam ad eum Sacri Collegii Decanatus devenerit, quantocitius poterit, ad Urbem se conferre, Summoque Pontifici in Consistorio, ut moris est, pro optione earumdem Ostiensis, et Veliternensis Ecclesiarum sup-

piicare teneatur. Quod si notoria aegritudine fuerit impeditus, vel ob aliam iustam, aut gravem causam a Romano Pontifice pro tempore existente probandam ad Urbem venire nequiverit: Motu, scientia, ac potestatis plenitudine paribus, eidem Cardinali Decano, ut in praenarratis casibus per suum legitimum Procuratorem antedictas Ostiensem, et Veliternensem Ecclesias optare, et vigore optionis huiusmodi eas assequi libere, et licite possit, et valeat, non secus, ac si ipse praesens personaliter illas optasset, licentiam, et facultatem in Domino concedimus, et impertimur.

§ 9. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 11, p. 341-347].

283.

Benedictus XIII, const. *In supremo*, 23 sept. 1724.

In Supremo Militantis Ecclesiae Solio per ineffabilem Divinae sapientiae, atque bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio constituti, ea, quae a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris ad Ecclesiasticam disciplinam sartam, tectamque tuendam, et ubi collapsa est instaurandam provide disposita esse noscuntur, Apostolici muniminis nostri patrocinio libenter constabilimus, novisque praesidiis, ut exactius serventur, corroboramus, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiae decus, specialemque Christifidelium aedificationem expedire in Domino arbitramur. Alias siquidem emanarunt a fel. rec. PP. Innocentio XIII Praedecessore Nostro literae tenoris, qui sequitur, videlicet:

§ 1. Innocentius Papa XIII « Ad perpetuam rei memoriam. Apostolici ministerii, quod Nobis, licet immerentibus, imposuit superni dispositio Consilii, ratio praecipue exigit, ut Ecclesiasticae disciplinae in iis, qui in sortem Domini vocati sunt, aut servandae, aut ubi opus fuerit, restaurandae, iuxta Sacrorum Canonum instituta, et Sanctissimas Ecclesiae leges, et ordinationes omni studio advigilemus; post enim primi Parentis lapsum semper ad inferiora nos deprimit humanae mortalitatis infirmitas, et carnis fragilitate observantiae rigor paulatim relaxatur; unde, et de mundano pulvere religiosa etiam corda sordescere, et in ipso Agro Domini spinas, ac tribulos identidem germinare quotidiana experientia edocemur; quod si noxia inde evellantur, et utilia plantentur, dubitandum non est, quin uberior, benedicente Domino, electi sanctorum operum frumenti messis exurgat, omnisque Populus in via Domini, praelucente Clero, feliciter progrediatur. Cum itaque Dilectus Filius Noster Ludovicus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Belluga, et Muncada nuncupatus, Ecclesiae Carthaginen. ex concessione, et dispensatione Apostolica Praesul, in ipsis Pontificatus Nostri primordiis, Nobis exposuisset nonnulla Ecclesiasticae disciplinae rationibus, ac saluberrimis Sacri Oecumenici Concilii Tridentini Decretis haudquaquam consentanea sensim in diversis inclytae Nationis Hispanicae locis obrepsisse, iisque, ut opportunum reme-

dium adhiberetur a Nobis, quibus est commissa plenitudo solicitudinis, nedum ipse Ludovicus Cardinalis, et Praesul, sed et alii Ven. Fratres Archiepiscopi, et Episcopi Regnorum Hispaniarum humiliter postulassent; eorumque enixis precibus sua etiam studia, ac vota Charissimus in Christo Filius Noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus pro eius singulari pietate et eximio Christianae Religionis zelo, datis hac de re ad Nos pluribus literis coniunxisset: Nos Congregationi particulari nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus Nostris eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Concilii Tridentini Interpretibus a Nobis deputatorum rem omnem sedulo examinandam demandavimus. Id autem cum ab ipsa Congregatione Cardinalium ea, qua par erat, maturitate praestitum, illiusque sententia ad Nos per eiusdem Congregationis Secretarium relata fuerit, de memoratorum Cardinalium consilio, congruum, et opportunum duximus ea, quae infra sequuntur, ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiae utilitatem, veteris disciplinae instaurationem, et spiritualem Regnorum Hispaniarum aedificationem, hac nostra perpetuo valitura Constitutione statuere, decernere, et declarare.

§ 2. Primum igitur, cum a Patribus memorati Concilii Tridentini, Divino afflante spiritu, sapientissime animadversum fuerit,[1] quantum Christiane Reipublicae intersit accuratum haberi delectum circa eos, quibus sacra ministeria committenda sunt, et in quorum vitam caeteri fideles iugiter oculos coniicientes sumpturi inde sunt exemplum, quod imitentur, propthereaque provide ab iisdem Patribus cautum fuerit Ecclesiasticae Militiae per primam Tonsuram adscribendos nonnisi illos esse, qui probabilem praebeant coniecturam, se non saecularis iudicii declinandi consilio, sed sincero animo praestandi fidelem cultum, ac servitium Deo, hoc vitae genus elegisse: volumus, ut pro tutori ipsius Conciliaris sanctionis executione ab omnibus Regnorum Hispaniarum huiusmodi Archiepiscopis, et Episcopis, non alii ad primam Tonsuram in posterum admittantur, quam quibus Ecclesiasticum aliquod Beneficium statim conferendum sit, aut quos constiterit literarum studio operam sic dare, ut quasi in via ad Ordines, tum minores, tum etiam deinde maiores suscipiendos versari videantur; vel demum quos viderint expedire alicuius Ecclesiae servitio, vel ministerio deputari. Et tam in his, qui ad primam Tonsuram, quam in aliis, qui promoveri ad Ordines etiam minores optaverint, omnino servetur pariter regula ab eodem Concilio Tridentino tradita:[2] nimirum, ut nullus ordinetur, qui iudicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis, quique illi Ecclesiae, aut pio loco, pro cuius utilitate, aut necessitate assumitur, non adscribatur, ubi re ipsa functiones muneri suo consentaneas exerceat. Quod si qui modo reperiantur, vel Clericali Tonsura iam initiati, vel ad Ordines sive minores, sive maiores iam promoti, qui nulli certae Ecclesiae, vel loco pio adscripti fuerint, Episcopi adscriptionem huiusmodi, vel a se ipis, vel a Praedecessoribus suis omissam, statim suppleant, non minus quoad omnes in maioribus Ordinibus, etiam Presbyteratus, constitutos, quam quoad eos, qui vel sola prima Ton-

[1] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 4.
[2] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 16.

sura, vel minoribus Ordinibus initiati, Beneficium tamen Ecclesiasticum possident. Ex reliquis autem, ut praefertur, vel sola prima Tonsura insignitis, vel in minoribus Ordinibus constitutis, seu Beneficio carentibus, nonnisi eos adscribant, quos Ecclesiis suis utiles, vel necessarios esse iudicaverint. Caeterum antedictae adscriptionis executionem differri posse per aliquod temporis spatium, quod ipsis Episcopis conveniens videbitur, permittimus quoad eos, qui a Dioecesi, in qua Tonsuram, vel Ordines susceperunt, causa ediscendi literarum scientias in aliqua publica Universitate, vel Gymnasio, sive ex alia rationabili causa a suo Episcopo approbata, vel approbanda, absentes reperiantur.

§ 3. Cum autem Clerici, qui in Episcopalibus Seminariis educantur, ut commodius ad literarum sacrarumque rerum studium operam conferre, aliisque a Concilio Tridentino praescriptis addiscendis magis assidue incumbere possint, teneantur iuxta eiusdem Concilii Decretum diebus tantum festis Cathedrali, aliisve loci Ecclesiis inservire:[1] hanc quidem servitii per eos obeundi rationem servari in omnibus Hispaniarum Dioecesibus, necnon ipsos generalibus dumtaxat totius Cleri supplicationibus, sive Processionibus interesse volumus, et mandamus, sublata quacumque maioris servitii consuetudine, etiam immemorabili, postpositaque etiam quacumque apellatione, aut inhibitione. Si quod autem Seminarium reperiatur, in cuius fundatione aliter cautum esset ob adiectam gravioris servitii legem ab illo, qui Seminarium ipsum fundaverit, seu dotaverit, vel ei piam aliquam largitionem contulerit: Episcopi ad Nos, et pro tempore existentem Romanum Pontificem id referant, ut desuper opportune providere valeant.

§ 4. Praeterea, cum maxime deceat eos, qui propius ad sacratissima Mysteria accessuri sunt, ultra caetera requisita, congruenti etiam pollere scientia, qua praediti viam salutis indicare aliis Christifidelibus possint: Episcopi nonnisi eos ex Clero tam saeculari, quam regulari ad sacros Ordines admittant, quos ob scientiam, aliasque qualitates eo gradu vere dignos per diligentem inquisitionem compererint, adeo ut satis non sit illos, qui promoveri ad Ordines praedictos optant, linguam latinam intelligere, Catechismo instructos esse, atque apte respondere quaesitis circa Ordinem suscipiendum sibi in examine propositis. Qui vero ad Presbyteratum erunt assumendi, idonei prius per accuratum similiter examen comprobentur ad ministranda Sacramenta, et ad Populum docendum ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem; quod quidem ut recte praestari possit eosdem Episcopos in Domino hortamur, ut quantum fieri potest, eos tantum ad Sacerdotium assumant, qui saltem Theologiae moralis competenter periti sint. Quod si domicilium in una Dioecesi habentes, Beneficium vero in altera, ordinari ad eiusdem Beneficii titulum optaverint ab Episcopo, in cuius Dioecesi Beneficium huiusmodi situm est, Episcopus domicilii debeat eos, si in suam Dioecesim reversuri sunt, super scientia, vel idoneitate examinare ante concessionem Literarum Testimonialium super eorum natalibus, aetate, moribus, et vita iuxta Constitutionem fel. rec. Innocentii Papae XII Praedecessoris Nostri, quae

[1] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 18.

incipit *Speculatores*[1] obtinendarum: addito quoque compertae idoneitatis testimonio in iisdem literis: haeque concedi nullatenus debeant, si antedicto examine tanquam habiles approbati non fuerint, iisque iuxta praemissam formam non impetratis, minime possint ab alio Episcopo, cui etiam ratione obtenti Beneficii subiecti sint, ad Ordines promoveri, sique secus fiat, Ordinans quidem a collatione Ordinum per annum, Ordinatus vero a susceptorum Ordinum executione, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, aliisque insuper gravioribus poenis pro modo culpae, Nostro, et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis uterque subiaceat.

§ 5. Cumque etiam iuxta memoratam Innocentii Praedecessoris Constitutionem ratione, ac titulo Beneficii in aliena Dioecesi obtenti non aliter liceat Ordines ab Episcopo eiusdem Dioecesis suscipere, quam si Beneficium praedictum sit eius redditus, ut ad congruam vitae sustentationem, detractis oneribus, per se sufficiat; declaramus, sufficientiam huiusmodi praefiniendam esse, non iuxta Taxam Synodalem, sive morem pro promovendis ad sacros Ordines vigentem in loco praedicti Beneficii (nisi tamen illud continuam, et praecisam residentiam requirat), sed iuxta Taxam, vel, ea deficiente, iuxta morem in alio loco domicilii vigentem.

§ 6. Porro ad sartam, tectamque servandam Ecclesiasticam disciplinam non minus momenti habet, quod Clericali militiae nomen dare non permittatur iis, qui haud satis idonei sint, quam quod eidem militiae iam adscripti laudabilem vivendi rationem sectentur, eamque morum exhibeant innocentiam, quae sanctitati suscepti Instituti respondeat, multoque magis, quod abstineant iis, quae a Sacris Canonibus iure meritoque vetita sunt, uti prorsus indigna hominibus Tabernaculum Domini inhabitantibus, et venerando Altaris ministerio dedicatis. Statuimus propterea, atque decernimus, quod, si qui sunt Clerici, aut prima Tonsura, aut Ordinibus minoribus initiati, nullumque Ecclesiasticum Beneficium possidentes, qui, neglectis Concilii Tridentini Decretis,[2] habitum Clericalem, ac Tonsuram non deferant, vel si etiam deferant, non tamen certae Ecclesiae, aut loco pio, cui ex mandato Episcopi adscripti fuerint, inserviant, sive in Seminario Ecclesiastico, vel in aliqua Schola, aut Universitate de licentia sui Ordinarii non versentur: Episcopi, nulla etiam praemissa monitione, eos privilegio Fori privatos declarent, eorumque adscriptionem servitio certae Ecclesiae antea factam deleri iubeant. Sique ii meliorem vitae rationem non inierint, aut etiam si alii sint, quos ex propria culpa efficiendos idoneos promotioni ad sacros Ordines sperari nequeat, iidem Episcopi, servata forma a Sacris Canonibus tradita, ad privationem aliorum Clericalium privilegiorum contra ipsos procedant. Ubi vero reperiantur Clerici Capellanias, vel Beneficia, cuiuscumque etiam tenuis redditus, obtinentes, quorum improba vita aliis offensionem praebens destruat potius, quam aedificet, vel concubinarii, aut foeneratores, vel ebrietati, ludisve alearum dediti, vel satores rixarum, vel negotiatores, vel arma gestantes, vel

[1] Cf. N. 258.
[2] Sess. XIV, *de ref.*, c. 6.

Clericalem habitum, Tonsuramque non deferentes, vel Ecclesiastica immunitate in fraudem tributorum, et vectigalium a Laicis non exemptis solvendorum temere abutentes, vel qui demum similia, aut maiora crimina patrantes, numero magis, quam merito ad Ecclesiam pertinere visi fuerint: Episcopi, praemissis tamen necessariis monitionibus, servatisque aliis de iure servandis, contra ipsos, ad poenas a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, et a Sacris Conciliis impositas, et etiam ad privationem Beneficiorum, Capellaniarum, et Ecclesiasticorum Officiorum in omnibus illis casibus, in quibus praedicta privatio a Sacris Canonibus imposita est, humanis quibuscumque rationibus postpositis procedant, memores seipsos neglectae Subditorum emendationis condignas, Deo vindice, poenas persoluturos.

§ 7. Sed et cum Personae Ecclesiasticae nunquam satis in obsequiis Supremo Numini exhibendis, iisque praestandis, quae eorum statui consentanea sunt, exerceri valeant, plurimum in Domino commendamus pium morem in plerisque Hispaniarum Dioecesibus vigentem, ut Clerici tam in minoribus, quam in maioribus Ordinibus constituti, atque etiam Presbyteri, tametsi Beneficia, vel Officia Ecclesiastica non habentes superpelliceo induti in Ecclesiis, quibus adscripti fuerint, Missae Conventuali cum cantu celebratae, necnon primis, et secundis Vesperis Officii diebus Dominicis, aliisque festis assistant. Quinimo enixe hortamur, ut Episcopi aliarum Dioecesum, in quibus mos ille institutus hactenus non fuerit, id in posterum servari curent in omnibus, ac insuper satagant, ut omnes Ecclesiastici praedicti etiam collationibus habendis coram Parochis suis, vel aliis ab Episcopo deputatis super casibus conscientiae forum concernentibus, et super ritibus, ac caeremoniis sacris intersint.

§ 8. Et quoniam in praedictis Hispaniarum Regnis reperiri intelleximus Beneficia, et Capellanias etiam de iurepatronatus, vel Ecclesiasticorum, vel Laicorum, nullo tamen certo proventu instructas, vel adeo tenui, ut nec ad dimidiam, nec ad tertiam partem congruae pro Clericis ad sacros Ordines promovendis necessariae ascendant: malis haud quidem levibus inde erumpentibus occurrere cupientes, statuimus, et mandamus, quod Episcopi ad Beneficiorum, et Capellaniarum, quae nullum certum redditum habent, suppressionem statim deveniant. De aliis vero Beneficiis, et Capellaniis, quarum certus annuus fructus ad memoratam saltem tertiam congruae partem non ascendit, decernimus nulli in posterum conferendam esse primam Tonsuram ratione iuris assequendi aliquod ex dictis Beneficiis, et Capellaniis. Utque Patronatuum iura, quantum fieri possit, salva remaneant, liceat Patronis tam Ecclesiasticis, quam Laicis ad dicta Beneficia, et Capellanias nominare, non tamen veluti ad Beneficia Ecclesiastica requirentia in nominandis primam Tonsuram, sed tanquam ad legata pia; et nominati, tametsi primam Tonsuram non habentes, ea retinere possint uti pia legata cum onere adimplendi omnia onera a Fundatoribus iniuncta.

§ 9. Non sine gravi animi nostri dolore etiam accepimus, quod quamquam Tridentina Synodus decreverit[1] omnes, qui Parochiales, vel alias curam

[1] Sess. V, *de ref.*, c. 2, sess. XXIV, *de ref.*, c. 4, 7.

animarum annexam habentes Ecclesias quocumque modo obtinent, debere diebus saltem Dominicis, et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, et earum capacitate pascere salutaribus verbis, docendo ea, quae Christifideles ad salutem scire oportet, ac explicando Divinae Legis praecepta, fideique dogmata, puerosque eiusdem fidei rudimentis imbuendo, et brevi, facilique sermone vitia denuntiando, quae declinare, et virtutes, quas sectari oporteat; nihilominus nonnulli Parochialium Ecclesiarum Rectores, haec, quae suarum partium adeo sunt, praetermittunt, culpam huiusmodi a se amoliri nitentes, vel praetextu immemorabilis, sed quidem pravae consuetudinis, vel quia haec ab ipsis praestari necesse non videatur, suppetente nimirum copia aliorum habentium Sacras Conciones in aliis Ecclesiis, itemque imbuentium pueros Mysteriis fidei, vel in scholis, vel in computis. Ne itaque sub inani istarum, aliarumque similium excusationum praetextu tanta Christianae Reipublicae pernicies struatur, districte praecipimus singulis Hispaniarum Archiepiscopis, et Episcopis, ut omnino efficiant, quod omnes ii, qui animarum curam gerunt, munia praedicta per seipsos, vel, si legitime impediti fuerint, per alios idoneos diligenter exequantur. Si vero aliqui non satis habiles ad illa obeunda reperiantur, iidem Archiepiscopi, et Episcopi per alios a se deputandos sumptibus Parochorum minus idoneorum opportune suppleri curent; et in posterum Beneficia, quibus animarum cura imminet, nonnisi vere idoneis ad memorata officia per seipsos adimplenda conferantur.

§ 10. Praeterea, ne Constitutionis Sancti Pii V etiam Praedecessoris Nostri,[1] in qua taxatur congrua fructuum portio Vicariis perpetuis animarum curam exercentibus assignanda, interpretationem ab eius sententia alienam fieri contingat: declaramus Constitutionem illam pertinere dumtaxat ad Vicarios perpetuos illarum Ecclesiarum Parochialium, quae aliis Ecclesiis, Monasteriis, Collegiis, Beneficiis, et Locis Piis unitae sint; necnon portionem annuam fructuum, quae ibidem statuitur assignanda ipsis Vicariis in summa non maiori, quam centum, nec minori, quam quinquaginta scutorum, intelligi debere de scutis argenteis iuliorum decem monetae Romanae pro quolibet scuto. Quoties itaque in aliis Parochialibus Ecclesiis, quae, ut praefertur, unitae non sint, oportuerit ex aliqua iusta causa provideri per Coadiutores Parochorum, aut per Vicarios temporarios, curae erit Episcopis pro data sibi a Tridentina Synodo potestate[2] partem fructuum praedictis Coadiutoribus, aut Vicariis assignandam determinare in ea quantitate, quae pro suo prudenti arbitrio, et conscientia conveniens videbitur, ratione videlicet habita reddituum, et emolumentorum Ecclesiae Parochialis, in qua deputati fuerint, necnon inspectis conditionibus Loci, numero animarum, qualitate laboris, et quantitate impensarum, quas commissi officii necessitas postulaverit. Quod si Parochi ab Episcopis moniti, congruo iisdem termino praefixo, Coadiutores, sive Vicarios temporarios, quoties opus fuerit, assumere neglexerint: poterunt ipsi Episcopi eos, quos huic muneri idoneos censuerint, auctoritate propria deputare cum assignatione antedictae portionis fructuum. Et nihilo-

[1] *Ad exequendum*, 1 nov. 1567. – Bull. Rom., tom. 4, II, p. 401, 402.
[2] Sess. XXI, *de ref.*, c. 4.

minus, ubi etiam praedicti Coadiutores, aut Vicarii temporarii a Parochis nominati, vel assumpti fuerint, de eorum idoneitate Episcopis constare per examen debeat, antequam ad exercitium admittantur; nec satis sit, quod ad confessiones audiendas antea fuerint approbati, nisi aliis etiam qualitatibus ad curam animarum recte exercendam opportunis praediti noscantur. Quibus si careant, nec Parochi deinde intra alium similem terminum ab Episcopis praefigendum alios vere idoneos nominaverint: tunc pariter ad ipsos Episcopos libere spectet deputatio cum dicta congruae assignatione; nec ulla Parochorum contradictio, aut exemptio, aut appellatio, aut cuiuscumque Iudicis inhibitio executionem deputationis, et assignationis certae partis fructuum in casibus praemissis suspendere possit, itemque non obstante qualibet contraria consuetudine, etiam immemorabili.

§ 11. Verum, quia non satis animarum curae, et necessitatibus quandoque consultum est per hoc, quod ad obeunda Parochialia munia alii Sacerdotes Parochis adiungantur, sed maiora remedia adhiberi oportet, quoties nempe ob locorum distantiam, sive itineris difficultatem Parochiani sine magno incommodo pro Sacramentis percipiendis, Divinisque Officiis audiendis accedere ad Ecclesiam Parochialem nequeant, tunc quidem meminerint Episcopi licere sibi pro suo arbitrio, invitis etiam Rectoribus vel intra easdem Parochias destinare Ecclesias, in quibus Sacerdotes Parochorum Coadiutores Sacramenta ministrent, et Divinum cultum exhibeant, vel novas Parochias, novasque Parochiales Ecclesias a veteribus distinctas constituere, iisque novos Parochos praeficere, assignata ex redditibus ad veterem Parochialem Ecclesiam quomodocumque pertinentibus convenienti portione ad victum eorum, qui, vel tanquam Coadiutores in dictis aliis Ecclesiis deputati, vel tanquam distincti, et independentes Parochi curam animarum exercuerint; nulla ad praemissa impedienda suffragante appellatione aut inhibitione.

§ 12. Cum ex praescripto quoque Tridentinae Synodi[1] Episcopis is honor tribuendus sit, qui eorum dignitati convenit, eisque in Choro, et in Capitulo, in Processionibus, et aliis actibus publicis primus locus esse debeat, et praecipua omnium rerum agendarum auctoritas; mandamus id religiose, ac perpetuo observari in omnibus actibus adeo iustae huiusmodi praeeminentiae, et auctoritati consentaneis, non obstantibus privilegiis etiam ex fundatione competentibus, consuetudinibus etiam immemorabilibus, sententiis, iuramentis, et concordiis, quae suos tantum obligent Auctores.

§ 13. Praeterea, ut claustralis quoque disciplinae vigor illibatus permaneat, Pontificiae nostrae solicitudinis partes etiam duximus interponendas. Cum itaque experientia compertum fuerit quantum detrimenti illi afferatur, ex quo plures ad religiosum habitum admittantur, quam vires reddituum patiantur: moderno, ac pro tempore existenti Nostro, et Apostolicae Sedis in iisdem Hispaniarum Regnis Nuncio per praesentes committimus, et mandamus, ut curet, et vigilantiam adhibeat, ne contra praescriptum memorati Concilii Tridentini[2]

[1] Sess. XXIII, *de ordine*, c. 4.
[2] Sess. XXV, *de regularibus*, c. 3.

in Monasteria, Conventus, et Domos, tam virorum, quam mulierum, sive bona immobilia possideant, sive non possideant, maior numerus recipiatur, quam qui, vel ex proventibus propriis ipsorum Monasteriorum, Conventuum, aut Domorum, vel ex consuetis eleemosynis, aliisve quibuscumque obventionibus, in commune tamen conferendis, commode possit sustentari.

§ 14. Quoties vero Regulares ad Ordines erunt promovendi, servetur omnino Decretum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum a piae mem. Clemente Papa VIII Praedecessore etiam nostro confirmatum die 15 martii 1596,[1] quo sancitur non ad alium, quam ad Episcopum Dioecesanum literas dimissorias pro eorumdem Ordinum susceptione a suis Superioribus esse dirigendas, praeterquam in casu quo Dioecesanus a Dioecesi abesset, vel Ordinationes non esset habiturus; quo etiam casu in literis dimissoriis ad alium Episcopum dirigendis expressa fieri debeat mentio, vel de praedicta Episcopi Dioecesani absentia, vel de illa alia causa, videlicet, quod Ordinationes non sit habiturus: exceptis tamen quoad praedicta Regularibus illis, quibus per speciale privilegium a Sede Apostolica post Concilium Tridentinum fuerit concessum, ut a quolibet Catholico Antistite Ordines suscipere possint, super quo indulto nihil per praesentes innovare intendimus. Noverint autem Episcopi se debere per semetipsos, secluso aegrotationis casu, Ordines conferre, et sacrorum Ordinum collationem statutis a iure temporibus, ac in Cathedrali Ecclesia, vocatis, et adstantibus Canonicis, publice habendam esse, vel si in alio Dioecesis loco, semper tamen in Ecclesia, quantum fieri poterit digniori, et praesente Clero eiusdem loci. Ne vero incertitudo, an ipsi Ordinationes sint habituri, nimis grave afferat incommodum promovendis, varia Dioecesis loca inhabitantibus, per mensem ante singulis vicibus publico Edicto ab iisdem Episcopis denuntietur, se Ordinationes esse habituros, adeo ut quoties denuntiatio huiusmodi facta non fuerit, inde satis intelligant Regulares, Episcopum Dioecesanum Ordinationes ea vice minime esse habiturum, sibique idcirco licitum futurum Ordines ab alio Episcopo suscipere cum literis dimissoriis suorum Superiorum ad eum directis, servata in iis forma superius expressa.

§ 15. Episcopi in omnibus mulierum Monasteriis sibi subiectis ordinaria, in aliis vero exemptis auctoritate Sedis Apostolicae inconcusse observari curent, quae circa Sanctimonialium clausuram, vetitumque in dicta Monasteria ingressum, tam in Decretis Tridentinae Synodi,[2] quam in Constitutione similis memoriae Gregorii Papae XIII etiam Praedecessoris nostri edita Idibus Iunii[3] 1575 provide ordinata sunt.

§ 16. Perpendentes etiam Christianae Reipublicae in primis expedire, ut ministerium, ac potestas clavium in remittendis, retinendisque peccatis recte exerceatur, declaramus Sacerdotes, tam Saeculares, quam Regulares, qui ab Episcopis obtinuerint licentiam audiendi confessiones limitatam, vel quoad locum, vel quoad genus personarum, vel quoad tempus, non posse poeni-

[1] In Bened. XIV, const. *Impositi Nobis,* 27 febr. 1747. - Cf. N. 376.

[2] Sess. XXV, *de regularibus,* c. 5.

[3] Cf. N. 137.

tentiae Sacramentum administrare extra tempus, vel locum, vel genus personarum ab ipsis Episcopis praescriptum, quocumque privilegio etiam in vi Bullae, quae appellatur Cruciatae Sanctae, competente nullatenus suffragaturo. Cumque idem Innocentius Praedecessor per suas die 19 Aprilis anni millesimi septingentesimi expeditas literas[1] decreverit Sacerdotibus tam Saecularibus, quam Regularibus non licere confessiones eorum, a quibus ex indulto praedictae Bullae Cruciatae ad id electi fuerint, audire, absque praecedenti approbatione Ordinarii illius loci, in quo ipsi Poenitentes degunt, et Confessores eligunt, etiamsi ab Ordinariis aliorum locorum antea approbati fuissent, ac etiamsi Poenitentes Ordinariis illis, qui Confessores electos approbassent, subditi essent; necnon confessiones aliter factas, ac respective exceptas, nullas fore, irritas, et invalidas, et Confessores ipso iure suspensos esse; Nos eamdem Constitutionem approbantes, confirmantes, et innovantes declaramus insuper praedictis Sacerdotibus, tam Saecularibus, quam Regularibus ad confessiones excipiendas, vel ex vi praedictae Bullae Cruciatae, vel ex quocumque alio privilegio electis suffragari minime etiam posse, quod approbati alias fuerint ab Episcopo illo, qui aliquando fuerit Ordinarius loci, in quo confessiones audiendae sint, sed talis tunc temporis amplius non existat, vel quia ab humanis excesserit, aut Episcopatui renuntiaverit, vel quia ad aliam Ecclesiam auctoritate Apostolica translatus reperiatur, sed necessariam omnino esse illius, qui actualiter, et pro tempore Ordinariam Iurisdictionem in ea Dioecesi exerceat, approbationem. Haec tamen suffragetur etiam tacita, eaque adesse censeatur, quousque praecedens licentia, sive approbatio duret, et revocata ab eo non fuerit; in quo casu nova, et expressa impetranda erit, si illa praecedenter obtenta, vel per temporis adscripti lapsum expiraverit, vel per posteriorem revocationem sublata fuisset.

§ 17. Meminerint quoque Regulares se excipere non posse confessiones Monialium, tametsi eorum regimini, et gubernio subiectae sint, nisi ultra licentiam suorum Praelatorum Regularium praecedat examen coram Episcopo Dioecesano faciendum, eiusque specialis quoad confessiones dictarum Monialium approbatio; remota quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili. Cumque ex eodem Concilio Tridentino[2] Confessor extraordinarius bis, aut ter in anno offerri Monialibus debeat, qui omnium confessiones audiat: si in posterum Superiores Regulares quoad Monasteria ipsis subiecta toties praedictum extraordinarium Confessorem deputare neglexerint, vel si etiam ex proprio eodem Ordine semper deputaverint, nec saltem semel in anno ad id munus elegerint Sacerdotem, aut Saecularem, aut Regularem alterius diversi Ordinis Professorem: in his casibus Episcopi pro suo arbitrio, et conscientia deputationem huiusmodi facere possint, nec illa quovis titulo, aut praetextu a Superioribus Regularibus valeat impediri.

§ 18. Episcopi insuper abusus omnes, qui in Ecclesiis, aut Saecularibus, aut Regularibus contra praescriptum Caeremonialis Episcoporum, et Ritualis Romani, vel Rubricas Missalis, et Breviarii irrepserint, studeant omnino

[1] Cf. N. 263.
[2] Sess. XXV, *de regularibus*, c. 10.

removere. Et, si adversus ea, quae in dicto Caeremoniali statuta sunt, consuetudinem etiam immemorabilem allegari contingat, postquam recognoverint, aut eam non satis probari, aut etiam probatam suffragari, utpote irrationabilem, de iure non posse: executioni eorum, quae in dicto Caeremoniali constituta sunt, diligenter incumbant, nec ulla suspensiva appellatio admittatur.

§ 19. Sedulo pariter curent iidem Episcopi, ut eliminentur abusus, si qui forsan, tam quoad Ecclesiasticos Saeculares, quam quoad Regulares inducti fuerint adversus Concilii Tridentini Decretum de observandis, et evitandis in celebratione Missarum Sess. 22, et contra Regulares, si opus fuerit, procedant ex Apostolica delegatione in eo Decreto ipsis indulta, postposita quacumque appellatione suspensiva, sed solum reservata in devolutivo super quocumque dubio, quod excitari contigerit, declaratione Congregationis pro tempore existentium Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium memorati Concilii Interpretum.

§ 20. Cumque circa Missarum celebrationem in privatis Oratoriis, necnon circa usum Altaris gestatorii a rec. mem. Clemente PP. XI Praedecessore etiam nostro opportunum Decretum promulgatum fuerit die 15 decembris anni 1703,[1] Episcopi dent operam, ut omnia ibidem statuta etiam in Regnis Hispaniarum serventur, idemque Decretum in suis respective Dioecesibus, ut facilius omnibus innotescat, publicari faciant, addita etiam prohibitione, ne in privatis Regularium cellis, sive cubiculis erigatur Altare pro re sacra ibidem facienda, et contra quoscumque contravenientes censuris etiam Ecclesiasticis procedant, adhibita quoad Regulares auctoritate Sedis Apostolicae in memorato Decreto ipsis delegata, remotaque quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili. Declaramus tamen, quod cum in praedicto Decreto statuatur, non licere Episcopis extra Domum propriae habitationis in domibus laicis erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare, sive celebrari facere, huiusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus etiam laicis, in quibus ipsi Episcopi forte occasione Visitationis, vel itineris hospitio excipiantur, ut nec etiam quando Episcopi in casibus iure permissis, vel de speciali Sedis Apostolicae licentia absentes a domo propria ordinariae habitationis, moram idcirco faciant in aliena domo per modum similis habitationis: his enim casibus licita iis erit erectio Altaris ad effectum praedictae celebrationis, non secus, ac in Domo propriae ordinariae habitationis.

§ 21. Praecipimus quoque accurate attendi, ac adimpleri quaecumque alia praescribuntur in eiusdem Generalis Synodi Sess. 25 de Regularibus, et Monialibus. Cumque in cap. 25 amplissime derogetur omnibus contrariis privilegiis sub quibuscumque formulis verborum conceptis, ac Mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, necnon Constitutionibus, et Regulis etiam iuratis, atque etiam consuetudinibus, vel praescriptionibus etiam immemorabilibus: sciant omnes derogationem huiusmodi non ad ea tantum referri, quae in praedicto capite continentur, sed etiam ad alia, quae in singulis superioribus capitibus eiusdem Sessionis constituta sunt.

[1] Cf. N. 264.

§ 25. Enixe denique, et ex intimo Paterni cordis Nostri sensu omnes e religiosissima Hispanica Natione monemus, ut memores sint teneri se exacte, firmiter, et cum effectu observare etiam omnia, et singula in caeteris omnibus eiusdem Tridentini Concilii Decretis sancita. Et ne eorum executio posthac ullo modo impediatur, aut retardetur, decernimus, ac declaramus nullum pro impedienda, aut suspendenda executione Conciliarium sanctionum eiusmodi, aut Decretorum, quae ab Ordinariis edita fuerint pro executione pariter eorum, quae in ipso Concilio statuta sunt, suffragari posse, ac debere contrarium privilegium, quod ante praedicti Concilii promulgationem a Sede Apostolica obtentum fuerit, nisi etiam post ipsum Concilium fuerit in forma specifica ab eadem Apostolica Sede confirmatum, vel noviter concessum, itemque obstare non posse ullum statutum, vel concordiam, quae a praedicta Apostolica Sede specialiter confirmata non sit, neque quemcumque longaevum non usum, aut contrariam consuetudinem, vel praescriptionem etiam centenariam, vel immemorabilem, nisi forsan praefatae consuetudinis, aut praescriptionis materia capax sit, et insuper consuetudo, aut praescriptio immemorabilis probata iam sit, et admissa a competenti Iudice per tres sententias conformes, vel per unam, quae in iudicatum transierit, nec demum quamcumque appellationem, sive inhibitionem etiam temporariam; reservato dumtaxat recursu in devolutivo ad memoratam Congregationem Cardinalium eiusdem Concilii Interpretum; quibus etiam tanquam Executoribus praesentium nostrarum Literarum, non solum committimus, et mandamus, ut eas, ipsarumque Decreta, et Ordinationes omnes perpetuo, et inviolabiliter observari faciant cum eadem potestate, quae iisdem Cardinalibus a Sede Apostolica tributa est pro executione Decretorum memorati Concilii, sed etiam privative facultatem impertimur, quandocumque opus fuerit, interpretandi, explicandi, ac declarandi eamdem Nostram Constitutionem, omnesque, et singulas Ordinationes in ea contentas (exceptis his, quae ad Caeremoniale Episcoporum, Rituale Romanum, et Rubricas Missalis, et Breviarii pertinent) quatenus illis dubietas aliqua, aut difficultas emerserit; non retardata tamen interim illarum executione, adeo ut ante huiusmodi executionem nec ullus recursus ad eamdem Congregationem Cardinalium, nec ulla super quovis dubio consultatio promoveri possit. Decretis vero, et declarationibus a praedicta Congregatione faciendis, postquam nostra, aut Romani Pontificis pro tempore existentis approbatio accesserit, statim quaecumque reclamatio, aut consultatio omnino cessare, perpetuumque silentium desuper impositum censeri debeat ».

§ 28. Cum autem, sicut accepimus, tametsi praemissa a memorato Innocentio Praedecessore maturo, ac saluberrimo fuerint constituta, et ordinata consilio, illa nihilominus, necdum plenariae executioni, ut par erat, demandata fuerint, neque proinde optatos fructus usquequaque proferre valuerint: hinc est, quod Nos probe considerantes nihil magis alios ad veram pietatem, et Dei cultum assidue instruere, et excitare, quam eorum vitam, et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt, facileque fieri posse, ut populus in via Domini prospere, et feliciter progrediatur, si Clerus illi praeluceat, ac suavem in eo sanctioris disciplinae, bonorumque operum odorem

diffundat, ac propterea eorumdem praemissorum ad hunc tam pium, et salutarem finem tendentium subsistentiae, ac paratae executioni, sublatis quibusvis impedimentis, quantum cum Domino possumus, Pastorali nostra cura, et solicitudine consulere cupientes, praeinsertas Innocentii Praedecessoris literas, et quaecumque in eis constituta, ordinata, sancita, decreta, et declarata, ac alias quomodolibet contenta, et expressa, auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo approbamus, et confirmamus, ac quatenus opus sit, innovamus, et de novo constituimus, ordinamus, sancimus, decernimus, et declaramus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, necnon tam Dilecto Filio nostro, et Sedis praefatae in Regnis Hispaniarum Nuncio nunc, et pro tempore existenti, quoad ea, quae ad ipsum, eiusque Tribunal pertinent, quam Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, caeterisque locorum Ordinariis, et Superioribus, ac etiam dilectis Filiis utrique Clero saeculari, et regulari eorumdem Regnorum districte, ac sub interminatione divini iudicii auctoritate praefata harum serie praecipimus, et mandamus, ut illa omnia, et singula omni mora, dilatione, et cunctatione sublata, debita obedientia exequantur, et accurate, et exacte servent, faciantque respective illa ab iis, ad quos spectat, et quandocumque spectabit in futurum eadem auctoritate omnimodae executioni demandari, et inviolabiliter observari.

§ 29. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 11, p. 350-356].

284.

Benedictus XIII, const. *Romanus Pontifex*, 28 apr. 1725.

Romanus Pontifex aequi, bonique supremus Assertor, auctoritatem a Christo per Beatum Petrum Apostolorum culmen sibi traditam intelligens, ut ex Agro Dominico pro temporum necessitate noxia evellat, et destruat, utiliaque plantet, ac aedificet, ea interdum, quae a Praedecessoribus suis ob rationabiles, et iustas causas olim sancita fuerunt, ubi in grave aliorum praeiudicium, et detrimentum redundare cognoscit, atque dissidiis, et contentionibus fomentum praebere animadvertit, maxime inter Dei, et Ecclesiae Ministros, quorum est evangelizare pacem, et quibus a Domino non aliud frequentius, neque enixius commendatur, quam ut pacem, ac unitatem diligant, moderari, et immutare, aliasque Pastoralis Officii sui partes desuper interponere solet, prout rerum, locorum, temporumque circumstantiis mature pensatis, discordiarum extinctioni, Ecclesiasticorum Ministrorum quieti, fidelium animarum saluti, divinoque cultui conspicit salubriter expedire.

§ 1. Sane quamplures Romani Pontifices Praedecessores Nostri multiplicia, ac plane insignia considerantes merita Ordinum Regularium, qui militantem in terris Ecclesiam fortissimis omni tempore auxerunt praesidiis, viris nempe vitae sanctitate, doctrinae laude, ac Orthodoxae Religionis zelo praestantibus, eidemque in Coelis triumphanti eximii fulgoris lumina addiderunt,

ipsos Ordines, eorumque Professores, plurimis satis amplis indultis, et privilegiis benigne decorarunt, ac inter alia iis illud concesserunt, ut canonicam portionem, seu quartam funeralium emolumentorum partem pro personis, quae in eorum Ecclesiis sepulturam sibi eligerent, Parochis persolvere minime tenerentur; ac ad maiorem eiusmodi privilegii firmitatem, sanctioni etiam a fel. rec. Clemente V Praedecessore Nostro editae in Concilio Viennensi, et relatae in Clementina: *Dudum de Sepultur.*, necnon Concilii Tridentini decreto relato in *Cap. 13, Sess. 25 de Refor.*, praedictam Quartam Funeralium Parocho aperte reservantibus, non semel amplissime derogarunt. Unde non acerbae modo Parochorum querelae, sed innumerae etiam contentiones, atque lites inter eos, et Regulares super solutione eiusdem Quartae diversis temporibus excitatae fuerunt, quae coram Ordinariis locorum, et deinde in variis quoque almae Urbis nostrae Tribunalibus, praesertim vero in Auditorio Palatii Nostri Apostolici, et in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium praefati Concilii Tridentini Interpretum magno partium studio, nec minori sumptuum incommodo discussae, sicut accepimus, aliquando ad favorem Parochorum, aliquando autem ad favorem Regularium, pro diversis causarum circumstantiis, atque vario Iudicantium sensu, decisae, ac definitae fuerunt. Haec porro iudicatorum, sententiarumque diversitas, cum nullam certam, ac determinatam constituerit regulam in evenientibus casibus observandam, magnum plane fomentum, et ansam relinquit, imo et latam sternit viam ulterioribus inter praedictos Regulares, et Parochos litibus, et controversiis, ex quibus ipsi, qui in domo Dei ambulare debent cum consensu, novis de cetero perturbari dissidiis, novisque praegravari dispendiis possunt, cum Divini cultus detrimento, et scandalo plurimorum.

§ 2. Quocirca Nos maxime expedire censentes, ut eiusmodi controversiae, et lites ab Ecclesia Dei penitus arceantur, ac insuper, licet universos Ordines Regulares, in quibus, nempe in Ordine Fratrum Praedicatorum, Nos ipsi plurium annorum spatio versati sumus, speciali paternae charitatis affectu prosequamur, eosque, uti de Ecclesia, Catholica Fide, et Sede Apostolica optime meritos, praecipuo semper in honore, ac pretio habuerimus, et habeamus; nihilominus considerantes exemptionem a solutione Quartae Funeralis praefatis Ordinibus a dicta Apostolica Sede concessam modo vergere in maximum Parochorum praeiudicium, tum propter multiplicationem Conventuum, et Monasteriorum Regularium, tum etiam propter auctam devotionem, et consuetudinem Fidelium sepulturam eligendi in Ecclesiis praedictorum Regularium, ac proinde non modo consentaneum, sed etiam necessarium arbitrantes, ut eorumdem Parochorum, quibus ceteroquin Sacri Canones, et prisca Ecclesiae disciplina aperte suffragantur, indemnitati opportune consulatur, et antedicta Apostolica privilegia ad aequitatis limites reducantur.

§ 3. Hinc igitur est, quod Nos omnia, et singula memorata privilegia exemptiva a solutione Quartae Funeralis quibusvis Ordinibus, Congregationibus, ac Institutis Regularibus ab Apostolica Sede, ut praefertur, quandocumque, et quomodocumque concessa praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, ac de eorum tenore, et substantia satis superque instructi,

de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, et aliquot etiam Romanae Curiae Praelatorum a Nobis ad id specialiter deputatorum consilio, suadentibus etiam Episcopis, et aliis Ecclesiarum Praelatis in praesenti Sacro Concilio congregatis, ac insuper Motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione, praemissa omnia privilegia quoad Quartam Funeralem tantum pro locis infra exprimendis moderamur, reformamus, ad viam iuris reducimus, et quatenus opus sit, etiam revocamus, et abrogamus, neque cuiquam deinceps suffragari posse, vel debere decernimus.

§ 4. Praeterea motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus sancimus, statuimus, et mandamus, ut in Italia, eique adiacentibus Insulis, a die publicationis praesentis Constitutionis in futurum Parochis defunctorum, qui in Ecclesiis quorumcumque Regularium praedictorum tumulabuntur, persolvatur, et cum effectu tradatur Quarta pars omnium Intorticiorum, et Candelarum, quibus defuncti Cadaver in itinere ad Ecclesiam tumulantem associabitur, necnon omnium Intorticiorum, et Candelarum, quae in eadem Ecclesia circa Cadaver, vel etiam in Altaribus in die funeris accendentur. A praedicta tamen Quarta Funerali exceptae intelligantur, et sint Candelae, quas Sacerdotes, etiam Regulares, vel piarum Sodalitatum Confratres funus associantes, manualiter per viam accensas deferent. Quod si funus non fieret in die tumulationis, sed ad diversam diem, vel ad aliud longius tempus differetur, Parocho nihilominus asignetur Quarta pars omnium Intorticiorum, et Candelarum, quae ipsamet peracti funeris die in Ecclesia, ubi defunctus humatus fuit, circa Cenotaphium, seu Tumulum honorarium, atque etiam in Altaribus eiusdem Ecclesiae, accensa fuerint. Haec porro omnia locum habeant, et exacte in posterum observentur, quotiescumque defunctus extra suam Parochialem Ecclesiam tumuletur, vel exponatur sive quia in Ecclesia tumulante, vel exponente Beneficium obtinuerit, sive quia ibidem Sepulcrum habuerit gentilitium, sive tandem quia in ea Sepulcrum elegerit. Ceterum sub praedicta Quarta Funerali comprehendi non intendimus, imo expresse ab ea excipimus, legata Missarum et Anniversariorum, hisque similia pia relicta ad favorem Ecclesiae tumulantis, vel exponentis a defuncto disposita. Circa quae, ac omnia, et singula alia, de quibus in praesenti Constitutione mentio facta non fuerit, privilegia praedictis Regularibus Ordinibus ab Apostolica Sede concessa, salva prorsus, illaesa, ac inviolata perpetuo permanere, et ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inconcusse, ac irrefragabiliter observari debere volumus, decernimus, et mandamus. Ubi vero consuetudines legitimae probatae, conventiones, concordiae, vel statuta vigerent, quae praefatis Parochis magis faverent, illisque pinguiorem praedicta Quarta emolumentorum funeralium portionem assignarent, ea in iis, in quibus vigent, locis inconcusse ab omnibus observari, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, sancimus, praecipimus, et iubemus.

§ 5. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 11, p. 394-396].

285.

Benedictus XIII, const. *Pius et misericors*, 28 apr. 1725.

Pius et misericors Dominus, qui dum pro peccatis nostris irascitur, misericordiae recordatur, Templa Dominica construi, et divinis precibus consecrari voluit, et praecepit, in quibus cum hominibus habitat, ut plebs fidelis per oblationes, et pacificas hostias devotae orationis, iram Iudicis mitiget, ipsius clementiam humiliter postulando. Ne igitur Domos Dei, quas decet sanctitudo, et quarum decorem summopere diligendum sacra eloquia testantur, propter temporum iniuriam collabi, in peius ruere, minusque decenter retineri contingat, Sac. Canones modis omnibus providere non omiserunt.

§ 1. Verumtamen experientia ostendit, quod dolenter dicimus, hactenus constituta haud sufficienter praesidio fore, ut sacrarum legum vota adimpleantur, quamobrem cum ad universalis Ecclesiae Pastorem pertineat vigili cura in re tam sancta, in qua nulla solicitudo nimia videri potest, nova subministrare subsidia, praesertim ubi de reparandis, iisve debito modo conservandis Ecclesiis Cathedralibus agitur, et Collegiatis, in quibus fidelis populus frequentius ad orandum convenire solet, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, et aliquot insuper dilectorum filiorum Romanae Curiae Praelatorum, quos ad id specialiter deputavimus, consilio, ac etiam Motu proprio, ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine decernimus, praecipimus, et mandamus per totam Italiam, et Insulas adiacentes, ut in posterum provisi de Canonicatibus, et Beneficiis, tam residentialibus non curatis, computatis etiam incertis, non excedentibus valorem annuum scutorum centum monetae Romanae, quam non residentialibus, et simplicibus sitis extra Ecclesias Collegiatas, teneantur solvere, et respective deponere mediam annatam pro Fabrica Ecclesiae Cathedralis. Provisi vero de Canonicatibus, et Beneficiis tam residentialibus non curatis, computatis etiam incertis, non excedentibus valorem annuum scutorum centum monetae praefatae, quam non residentialibus, et simplicibus sitis in Ecclesiis Collegiatis, vel ad illas translatis, itidem teneantur solvere, et respective deponere mediam annatam pro Fabrica Ecclesiae Collegiatae, sive Beneficia praedicta liberae collationis, sive Iurispatronatus mixti, ac etiam laicalis fuerint, et ad quemcumque electio, collatio, institutio, et provisio pertineat, sive nimirum ad Metropolitanum, vel Ordinarium, sive ad Capitulum, sive ad alium quemcumque inferiorem, dummodo collationis, institutionis, et provisionis Sanctae Sedis minime existant, aut etiam legitima non vigeret consuetudo solvendi, dimittendi fructus sex mensium, aut similem non tamen minorem ratam favore Fabricae, vel Sacristiae, utroque enim in casu pro Fabrica praedicta nihil solvendum, aut deponendum erit.

§ 2. Ut autem praemissa, quae ad consulendum debito Metropolitanarum, et Cathedralium, ac Collegiatarum Ecclesiarum decori disposita dignoscuntur,

suum sortiantur effectum, praecipimus, et mandamus, quod mediae annatae huiusmodi deponantur penes personam idoneam ab Episcopis cum scientia, et consensu Capitulorum deputandam, et successive, ab eisdem deficiente necessitate occurrendi reparationi Ecclesiae investiantur, et collocentur in stabilibus, et fundis, seu Capitalibus tutis, securis, atque fructiferis, ac ubi fieri poterit in locis Montium Cameralibus non vacabilibus, pro dote Fabricae singularum Ecclesiarum praedictarum, ac eiusmodi dotium annuus proventus non in alium usum, quam reparationis, conservationis, et manutentionis Fabricae earumdem Ecclesiarum ab uniuscuiusque Praesulibus, cum scientia pariter, et consensu suorum Capitulorum in occurrentibus casibus erogetur, et quotiescumque dictas Ecclesias reparatione non indigere constiterit, annui etiam fructus, et fructuum fructus dotium praedictarum in aliis stabilibus fundis, et Capitalibus tutis, atque fructiferis, ac respective in aliis locis Montium eodem prorsus modo investiantur, et collocentur, ad hoc, ut ipsaemet dotes maiora in dies, benedicente Domino, suscipiant incrementa, adeoque earum redditus supportando reparationis Fabricae ipsarum Ecclesiarum oneri satis esse possint.

§ 3. Caeterum super praemissis omnibus, et praesertim super iis, quae rectam, et fidelem praefatarum dotium administrationem respicient, eorumdem Archiepiscoporum, Episcoporum, et Praelatorum inferiorum, atque etiam Capitulorum conscientiam peculiariter, et districte oneramus. Ac insuper quoties Archiepiscopi, Episcopi, vel Ordinarii inferiores, ac respective Capitula in aliquo ex his defecerint, ita ut vel ratione minus fidelis, idoneique depositarii aut ex causa non facti, vel minus tuti, et exinde deperditi investimenti, aut demum propter erogata Capitalia, vel fructus in alios usus, aliquod praeiudicium emerserit patrimonio Fabricae, ipsi Archiepiscopi, Episcopi, vel Ordinarii inferiores, et respective Capitula, et singuli Canonici qui defecerint, eorumque haeredes, et successores teneantur ad omnia damna, et interesse favore praedictae Fabricae, eorumdemque bona omnia pro potiori cautela affecta sint, et specialiter hypothecata favore eiusdem Fabricae.

§ 4. Quoniam vero nostrae mentis non est per hanc nostram Constitutionem, ut praemisimus, Sacrorum Canonum statuta, et praesidia minuere, sed quantum in Domino possumus augere favore Ecclesiarum, declaramus, et expresse volumus firmissimum nihilominus manere onus reparandi, restaurandi, et manutenendi Ecclesias Cathedrales Episcopis a Iure iniunctum, ita ut in restaurandis, reparandis, et conservandis Ecclesiis Cathedralibus, antequam tangantur fructus, seu capitalia favore Fabricae, vigore huius Constitutionis conficienda, teneantur Episcopi, et ad normam Sacrorum Canonum exquiratur de eorum obligatione.

§ 5. Praetereaque decernimus habere favore omnium Ecclesiarum, et Collegiatarum totius Italiae, et Insularum adiacentium, tametsi pro nonnullis Ecclesiis editae fuerint aliquae provisiones, sicuti per fel. recor. Innocentium Papam XIII Praedecessorem nostrum pro tribus Ecclesiis, nempe Auximana, Viterbien., et Tuscanen., et per nos hactenus pro quatuor scilicet Nuscan., Vigilien., Castellaneten., et Sypontina mediante unione ratae pensionis super fructibus earumdem Ecclesiarum, actum fuisse constat, et in universum pro

Ecclesiis Regni Neapolitani emanavit Constitutio san. memor. Innocentii XII etiam Praedecessoris nostri incipien. *Inscrutabili*,[1] et supervenerit alia nostra ampliativa incipiens *Sacrosancti Apostolatus*.[2]

§ 6. Excipimus tamen ab hac Constitutione Beneficia nostrae Archidioecesis Beneventanae. Dudum enim eorum respectu per aliam nostram Constitutionem incipientem: *Romanus Pontifex*,[3] confirmando, declarando, et ampliando antiquam Constitutionem fel. recordat. Pii Papae II pariter Praedecessoris nostri simile iniunximus Beneficiis in universa Archidioecesi existentibus.

§ 7. Volumus autem, quod huic nostrae Constitutioni, seu solutioni mediae annatae praedictae minime subiecta existant Beneficia illarum Dioecesum, et respective Collegiatarum, in quibus reperitur opus, seu peculiare patrimonium Fabricae sufficienter instructum, aut onus, seu obligatio reparandi, restaurandi, et conservandi Ecclesias residet penes Communitates locorum, vel adsunt dictarum Ecclesiarum Patroni, qui nisi reparare, et manutenere velint easdem Ecclesias, earum Patronatum amittere debent. Cum enim in his satis consultum sit reparationi, et conservationi Ecclesiarum, nolumus aliud superaddere Beneficiatis impedimentum, quod vergeret in sublevamen eorum, qui de iure tenentur.

§ 8. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 11, p. 397-399].

286.

Benedictus XIII, const. *Apostolicae Ecclesiae*, 2 maii 1725.

Apostolicae Ecclesiae regimini per ineffabilem Divinae Bonitatis abundantiam nullo licet meritorum nostrorum suffragio, praesidentes, eo potissimum Apostolicae vigilantiae studia dirigenda esse arbitramur, ut qui in sortem Domini vocati sunt, Ecclesiasticaeque Militiae nomen dederunt, ubique irreprehensibiles inveniantur. Maxime siquidem ipsos decet vitam, moresque suos omnes ita componere, ut habitu, gestu, incessu, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum praeseferant. Quocirca Clericos quoscumque, praesertim vero Beneficia Ecclesiastica obtinentes, teneri vestes honestas, et proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant, et si secus fecerint, etiam poena privationis Beneficiorum plectendos esse, Sacrae Tridentinae Synodi Decretis,[4] pluribusque Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum sanctionibus, provide, atque salubriter cautum fuit.

§ 1. Cum itaque, sicut non sine maximo animi nostri moerore, imo etiam horrore percepimus quorumdam Clericorum Beneficia Ecclesiastica

[1] Die 30 ian. 1694. - Bull. Rom., tom. 9, p. 341-344.
[2] Die 11 iul. 1724. - Bull. Rom., tom. 11, p. 324-327.
[3] Die 24 mart. 1725. - Bull. Rom., tom. 11, p. 384, 385.
[4] Sess. XIV, *de ref.*, c. 6; sess. XXII, *de ref.*, c. 1; sess. XXIV, *de ref.*, c. 12.

obtinentium audacia, et temeritas hodie eo usque processerit, ut in dedecus Ordinis Clericalis, Sacrorum Canonum contemptum, magnamque animarum suarum perniciem incedere in habitu laicali minime vereantur: Nos gravissimo huic abusui, et Christifidelium offensioni pro Pastoralis Officii debito, quantum Nobis ex alto conceditur, opportune consulere cupientes, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, et aliquot insuper dilectorum Filiorum Romanae Curiae Praelatorum, quos ad id specialiter deputavimus, consilio, ac etiam Motu proprio, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione decernimus, statuimus, et mandamus, quod Ordinarii locorum, ubi sita sunt Beneficia eiusmodi Clericorum vestes laicales deferentium impudentiam canonicis remediis omnino coerceant, et hunc in finem non modo possint, sed etiam debeant contra ipsos procedere per citationes domi dimissa copia, quatenus domicilium habeant in eorum respective Dioecesibus, sin minus per citationes ad Valvas: Iurisque ordine servato sententiam declaratoriam privationis obtentorum Beneficiorum in ipsos ferre, et pronunciare, ita tamen ut eadem Beneficia iuxta Constitutionem felic. record. Sixti V Praedecessoris Nostri incipientem: *Cum sacrosanctam,*[1] Nostrae, ac Romani Pontificis pro tempore existentis collationi, provisioni, ac omnimodae dispositioni reserventur, et reservata censeantur.

§ 2. Praeterea volumus, statuimus, et declaramus praedictis Clericis Beneficiatis in habitu laicali incedentibus minime licere percipere, nec facere suos fructus, et proventus quoscumque suorum Beneficiorum cuiuscumque generis, speciei, qualitatis, et valoris existant: quin etiam expresse decernimus, ac sancimus eiusmodi Beneficiatos ex mero facto incessus in habitu laicali, quamvis nulla praecesserit Ordinariorum sententia declaratoria privationis Beneficiorum, quae obtinent, imo etiamsi nulla citatio, monitio, vel alius iudicialis actus in eos fuerit institutus, ipso iure amissionis, et privationis fructuum praedictorum poenam incurrere, ita ut illos ullo modo percipere, nec perceptos retinere, vel facere suos possint; sed ipsos absque ulla prorsus diminutione ad commodum Fabricae Ecclesiarum, in quibus erecta sunt Beneficia, illico sub poena lethalis culpae restituere teneantur; a qua quidem restitutionis obligatione a nemine praeterquam a Nobis, et Romano Pontifice pro tempore existente (sublata caeteris omnibus, etiam Poenitentiariae Apostolicae Officio, et Maiori Poenitentiario condonandi facultate) eos absolvi, et liberari posse volumus, praecipimus, et mandamus,

§ 3. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 11, p. 400, 401].

[1] Cf. N. 167.

287.

Benedictus XIII, const. *Commissi Nobis*, 6 maii 1725.

Commissi Nobis caelitus Apostolici Ministerii solicitudo Nos admonet, ut omnium quidem Christifidelium paternam geramus curam, sed eorum praesertim, qui contemptis illecebris seculi sub suavi Religionis iugo divinis sese obsequiis manciparunt, prospero statui, salubrique directioni, quantum Nobis ab alto conceditur, prospicere studeamus, et si quid in regulari disciplina inordinatum, et absonum, vel a Sacrarum Legum sensu alienum inter eos irrepsisse constiterit, Pontificiae providentiae, et authoritatis ope submovere, ac e medio tollere satagamus, quatenus ipsi vota sua Domino reddere in sanctitate, et iustitia, ac in ea, quam elegerunt, tutioris vitae ratione amplioribus in dies proficere valeant incrementis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, Abbates Regulares perpetui, non quidem ratione tituli, quia ad triennium, vel sexennium, aut aliud limitatum tempus eliguntur, sed ratione administrationis, quia ab unius Monasterii regimine expleto limitato tempore, transferuntur ad aliud, ab Episcopis, in quorum Dioecesibus sita sunt Monasteria, benedictionem obtinere, imo et petere negligant: hinc est, quod Nos gravi eiusmodi abusui pro pastoralis officii debito opportune consulere, ac providere cupientes, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, et aliquot insuper Romanae Curiae Praelatorum super hoc a Nobis specialiter deputatorum consilio, suadentibus etiam Episcopis, et aliis Ecclesiarum Praelatis in praesenti Sacro Concilio congregatis, necnon Motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione iniungimus, praecipimus, et districte mandamus omnibus, et singulis Abbatibus Regularibus, licet perpetuis solummodo ratione administrationis, ut praefertur, qui Monasteriis cuiuscumque Ordinis, Congregationis, ac Instituti de caetero praeficientur, ut infra annum a die eorum electionis computandum solemnem benedictionem ab Episcopis, in quorum Dioecesibus Monasteria consistunt, iuxta Ritum in Pontificali Romano praescriptum, omnino suscipiant, vel saltem eam ter ab ipsis humiliter postulent, servata forma sancita in Cap. *Statuimus, De supplen. neglig. Praelator.* Quod si secus fecerint, ab officio per annum sint ipso iure suspensi. Volumus tamen, et expresse declaramus, quod ipsimet Abbates electi, durante praefato termino, ac interim omnia munia Abbatialia libere, ac licite exercere possint, et valeant; quodque Abbas semel benedictus iterum benedictionem petere, vel obtinere, non teneatur, tametsi ad gubernium diversorum Monasteriorum, aliarum etiam Dioecesum translatus extiterit.

§ 2. Quoniam vero nonnulli ex praedictis Abbatibus Regularibus, Apostolicis, ut asseritur, muniti sunt privilegiis, quibus ampla ipsis tribuitur facultas, suscipiendi benedictionem a quocumque, quem maluerint, Catho-

lico Antistite gratiam, et Communionem Sanctae Sedis Apostolicae habente: Nos iustis, et rationabilibus adducti rationibus, Motu, scientia, ac potestatis plenitudine paribus, statuimus, atque decernimus, ut eiusmodi Abbates in posterum, non a quocumque Antistite, sed a Dioecesano tantum Episcopo, vel a Metropolitano, infra praedictum terminum, benedictionem omnino suscipere teneantur; et quatenus ille, quem Abbas elegerit, tertio humiliter requisitus ipsi petitam benedictionem impertiri detrectet, aut negligat, tunc, et eo dumtaxat casu, eamdem benedictionem a quocumque Catholico Antistite Abbas libere suscipere possit, et valeat, ac ita perpetuis futuris temporibus ubique servari volumus, et mandamus.

§ 3. Ceterum eiusmodi indulta exemptiva ab obligatione suscipiendi benedictionem a proprio Episcopo illis dumtaxat Abbatibus, quibus ab Apostolica Sede directe concessa fuerunt, iuxta modum supra expressum, suffragentur: reliquis autem Abbatibus, qui ea ex generali tantum privilegiorum aliis Ordinibus, Congregationibus, vel Institutis concessorum communicatione sibi competere praetendunt, minime suffragari posse, nec debere decernimus, et declaramus.

§ 4. Quo vero ad Abbates, quibus a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris indultum fuit, ut a Superioribus Regularibus, vel ab eorum Praelatis delegatis, benedictionem sumere possint: vel etiam per speciale indultum Apostolicum concessum fuit, ut electi habeantur pro benedictis ab ipso Summo Pontifice, nihil omnino innovandum esse sancimus, et Apostolica, quibus gaudent, privilegia ubique inconcusse observari praecipimus, et mandamus.

§ 5. Universos demum Episcopos, atque etiam Archiepiscopos, a quibus benedictio tribuenda erit, eorumque Officiales Assistentes, et Ministros quoscumque in Domino hortamur, ac admonemus, ut occasione similium benedictionum excutiant, ac prorsus emundent manus suas ab omni munere: quin etiam praedictis Praesulibus sub poena interdicti ab usu Pontificalium per annum vetamus, ac inhibemus, ne tam ante, quam post easdem benedictiones, earumque intuitu, cuiuscumque generis, aut speciei, etiam bellariorum, et comestibilium, munera, vel xenia, a quoquam recipere audeant, illisque praeterea districte iniungimus, ut ab omni abstineant solemni pompa, quae sumptus, quantumvis modicos etiam prandii, secum ferat, cum eiusmodi sacrae functiones ab interna, solidaque potius Benedicentium, ac Benedicendorum religione, et pietate, quam ab externa, et vana apparatus magnificentia debeant commendari.

§ 6. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 11, p. 407, 408].

288.

Benedictus XIII, const. *Creditae Nobis*, 9 maii 1725.

Creditae Nobis caelitus dispensationis officium salubriter exequi, adiuvante Domino, satagentes, ad ea mentem, curasque nostras convertimus, per quae sedulae Clericorum institutioni opportune prospicitur. Ubi enim illi a teneris annis, ceu plantae novellae, benigniori cura educentur, Literarumque scientia in Seminariis accurate informentur, cum postea ad laboriosa Ecclesiastica ministeria in viam Dominicam transplantantur, Ecclesiarum regimini populorumque saluti maxime fructuosos, ac utiles esse diuturna plurimorum annorum experientia satis compertum habemus.

§ 1. Cum itaque Seminarii Ecclesiastici erectio a Sacra Tridentina Synodo cap. 18, sess. 23, *de reformatione* Episcopis omnibus tantopere commendata, et ad Ecclesiasticam disciplinam conservandam adeo necessaria in pluribus Cathedralibus Ecclesiis, quemadmodum non sine gravi animi nostri moerore accepimus, hucusque neglecta fuerit, Nos pro Pastorali vigilantiae nostrae debito pium hoc, et sanctum opus strenue promovere cupientes, Motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione, deque Apostolicae potestatis plenitudine, universis, et singulis locorum Ordinariis Italiae, Insularumque adiacentium, hac nostra perpetuo valitura Constitutione districte iniungimus, praecipimus, et mandamus, ut in Cathedralibus, in quibus Seminarium hactenus erectum non fuit, illud quamprimum erigi, ac omnino institui curent; ubi vero iam reperitur erectum, sed congruis redditibus ad Alumnorum, Magistrorumque substentationem necessariis instructum non est, de iis, ut infra, opportune provideant.

§ 2. Utroque igitur casu, nimirum tam pro erectione novi Seminarii, quam pro supplemento reddituum Seminarii iam erecti, Taxam cum consilio duorum de Capitulo, et totidem de Clero conficiant a memorato Tridentino cap. 18, sess. 23, *de reformat.*, praescriptam, incipiendo ab integris fructibus Mensae Episcopalis, et absque ullo discrimine prosequendo iuxta normam ibidem expressam, et provide constitutam; eidem vero Taxae omnia, et singula Beneficia secularia, et Regularia per quoscumque etiam Venerabiles Fratres nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, necnon nostros, et pro tempore existentis Romani Pontificis familiares, et Camerae nostrae Apostolicae Clericos, Ministros, ac Officiales quoscumque praesentes, et futuros obtenta, et in posterum obtinenda, ac omnia insuper Beneficia secularia Prioratibus, Commendis, vel Bajulivatibus Ordinis Fratrum Sancti Ioannis Hierosolymitani quomodocumque unita, aut de caetero unienda, necnon fructus, ac redditus Confraternitatum Laicorum, ex certis fundis, et capitalibus provenientes (non autem summas pecuniarias, quae a Confratribus quolibet mense, vel anno, vel per modum eleemosynae, vel in vim Statutorum contribuuntur) subiici, et ad illius solutionem perpetuo teneri decernimus, statuimus et mandamus; declarantes ab ea exemptos esse debere Regulares

pro iis tantum Beneficiis, vel fructibus, quorum ratione ipsis Apostolica Sedes diserte, ac expresse, et ex causa vere, ac proprie onerosa indulsit, ut ab onere Taxae pro Seminario exempti sint.

§ 3. Porro eiusmodi Taxa iuxta locorum qualitatem respondere debeat summae scutorum trium pro quolibet centenario proventuum Beneficii, et si necessitas urgeat augeatur, etiam usque ad summam quinque pro centenario, ita nunquam minor scutis tribus, neque maior sit scutis quinque pro quolibet centenario, et anno; ac in illius confectione regula a Tridentino Concilio in praedicto capitulo 18 sancita accurate, et adamussim observetur. Donec autem nova haec Taxa confecta, et a Congregatione a Nobis deputata, ut infra dicetur, approbata fuerit, alia Taxa, quam Seminarium antea exigere consueverat, omnino persolvatur. Ceterum novae Taxae exactio semper committatur personae fide, et facultatibus idoneae ab Episcopo, et Cathedralis Ecclesiae Capitulo specialiter approbandae, ac deputandae, ita quidem, ut quoties exactor huiusmodi negligens, aut minus idoneus repertus fuerit, illius culpam, idem Episcopus, et Capitulum praestare[1] debeant, et pro non exactis, atque deperditis respective de proprio teneantur, liceatque Seminario tam contra Exactorem, quam contra Deputantes, eorumque haeredes, quocumque tempore agere nedum pro deperditis, sed etiam pro non exactis ad praecisam Taxae faciendae normam, et quantitatem.

§ 4. Praeterea Episcopi, et Capitula portiones, seu quotas sibi obtingentes iuxta praefatam Taxam quolibet anno realiter, et cum effectu deponere teneantur poenes Exactorem deputatum, qui eas solvat, seu eroget in sumptus pro Seminarii manutentione necessarios, et tam huius depositi, quam successivae solutionis, seu erogationis, simulque cuiusque alterius non factae, et qua de causa, documentum per eosdem Episcopos, et Capitula ad antedictae Congregationis Secretarium quotannis transmittatur.

§ 5. Quod si in aliqua Dioecesi computatis propriis Seminarii redditibus, si qui sint, necnon Beneficiorum antea cum effectu illi unitorum ac fructibus parvorum Conventuum suppressorum praecedenter applicatis (quas quidem tum Beneficiorum uniones, tum applicationes fructuum parvorum Conventuum firmas esse volumus) per huiusmodi etiam Taxam erectioni, et substentationi Seminarii ad necessitatem nimirum uniuscuiusque Dioecesis, et Alumnorum, non autem ad promptum, et voluntatem, sufficienter provideri nequiverit, tunc, et eo casu, ac in subsidium tantum Ordinarii locorum eidem Seminario unire, et applicare possint, ac debeant Beneficia simplicia cuiuscumque qualitatis, et dignitatis fuerint, etiam Iurispatronatus Ecclesiastici, vel quomodocumque affecta, et dispositioni Sedis Apostolicae reservata, sine tamen ullo divini cultus, ac illa obtinentium praeiudicio. Haec porro unio fiat statim, et ante eorumdem Beneficiorum vacationem; nempe uniantur Beneficia primo loco vacatura usque ad certam annui redditus quantitatem in ipsa unione specificandam, quae computata Taxa insufficienti, satis esse possit substentationi certi numeri Alumnorum pro unoquoque Seminario designatorum, ipsaque unio, statim ac Beneficia praedicta quomodocumque

[1] Forte legendum: portare.

vacaverint, debitum, atque integrum sortiatur effectum, felic. record. Clementis VIII, ac Urbani pariter VIII[1] necnon aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, vel Decretis in contrarium facientibus non obstantibus.

§ 6. Caeterum considerantes Monasteria, Prioratus, et Beneficia Consistorialia, necnon aliqua alia indispensabiliter necessaria esse, ac fore pro congrua substentatione Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, et Ministrorum Romano Pontifici, et Sedi Apostolicae actualiter inservientium, volumus, et declaramus, quod Abbatiae, Prioratus, et Monasteria Consistorialia, et Beneficia quovis modo Apostolica auctoritate commendata, et ad praesens obtenta, et in futurum obtinenda per antedictos Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, seu veros, et proprios Papae Familiares, Nuncios Apostolicos, et Praelatos Congregationum, quibus iidem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales intersunt, Secretarios dumtaxat, memoratis Seminariis uniri, et applicari nunquam possint, et uniones, quas forsan fieri contigerit, nullae, ac irritae prorsus sint, firma in reliquis remanente libertate, et facultate uniendi (servata tamen forma superius expressa, et non aliter) caetera omnia Beneficia, etiam, ut praefertur, affecta, et reservata, vel alias ad provisionem, ac dispositionem Sedis Apostolicae quomodolibet pertinentia.

§ 7. Cum autem, sicut accepimus, Seminaria plerisque in locis idcirco erecta minime reperiantur, vel quia Episcopi Taxam conficere detrectant, ne illam a semetipsis inchoare cogantur, vel quia Beneficia simplicia, quorum dispositio ad eos libere spectat, occurrente illorum vacatione suis Familiaribus, aliisve personis sibi gratis, et benevisis conferre volunt: hinc est, quod nos omnem scrupulum, et obicem impeditivum boni spiritualis ab huiusmodi Seminariorum erectione provenientis e medio prorsus tollere, ac removere intendentes, motu, scientia, ac potestatis plenitudine paribus Congregationem Seminariorum nuncupandam, in qua Venerabiles Fratres Nostri Sanctae Romanae Ecclesiae Congregationis super negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium, necnon Congregationis interpretum Concilii Tridentini praefati, utriusque Congregationis Secretarii, Datarius, seu Prodatarius, ac Subdatarius nunc, et pro tempore existentes esse debeant, tenore praesentium perpetuo erigimus, ac instituimus, eiusdemque Congregationis Secretarium illum ipsum, qui Congregationis Concilii praedicti Secretarius pro tempore fuerit, constituimus, ac deputamus, praedictaeque Congregationi, ac illius Secretario omnium, et singulorum Seminariorum in locis, ubi adhuc erecta non sunt, erigendorum, et ubi erecta quidem sunt, sed sufficientes non habent redditus, iis pro modo indigentiae, ut praefertur augendorum omnimodam curam committimus, ac demandamus, necnon, eiusdem Congregationis Deputatis praedictis semel singulis mensibus, et quoties opus fuerit, se congregandi, dictorum Seminariorum erectionem promovendi, iam erectorum et proventus recognoscendi, eorum necessitatibus opportune consulendi, Taxas approbandi, reformandi, et augendi, numerum Alumnorum in singulis Seminariis taxandi, et praefigendi, eumque pro modo reddituum augendi, et

[1] Cf. N. 224.

minuendi, statuta pro recto, felicique eorumdem Seminariorum regimine, et administratione condendi, eaque mutandi, variandi, corrigendi, ac toties quoties illis expedire videbitur, de novo faciendi, emergentes controversias summarie, solaque facti veritate inspecta, cognoscendi, et definiendi, Visitatores etiam, qui eiusmodi Seminaria diligenter perlustrent, et an recte, atque fideliter administrentur, ac in iis potissimum regulae a Tridentino Concilio praescriptae sedulo adimpleantur, inspiciant, et recognoscat, ubi, et quando, et quoties opus esse iudicaverint, facto tamen prius verbo cum Romano Pontifice pro tempore existente, delegandi, ac deputandi, aliaque in praemissis necessaria, et opportuna pro data ipsis a Domino prudentia, decernendi, et gerendi, et exequendi, plenariam, atque omnimodam facultatem, potestatem, et auctoritatem tribuimus, concedimus, ac impartimur.

§ 8. Universis itaque Episcopis, quorum in Dioecesibus non adsunt, vel congruis redditibus instructa non sunt Seminaria, per praesentes iniungimus, et mandamus, ut quam primum praefatam Taxam sedulo conficiant, eamque ad antedictae Cougregationis Secretarium infra sex menses a die publicationis praesentis Constitutionis computandos omnino transmittant una cum distincta, et accurata relatione omnium Beneficiorum suarum Dioecesum, eorumque annui valoris, necnon locorum, animarumque, et Ecclesiarum in illis existentium cum suis qualitatibus, ad hoc, ut eadem Congregatio, omnibus mature perpensis, statuere possit, an praedicta Taxa approbari, nec ne debeat, simulque numerum in unoquoque Seminario retinendorum, et summam pro singulorum substentatione necessariam praescribere, et reliqua tandem omnia, quae pro recta eorumdem Seminariorum administratione, sedulaque Alumnorum institutione utilia, et opportuna iudicaverit, salubriter decernere valeat.

§ 9. Omnibus insuper Episcopis praefatis, ne de cetero pro se, vel suis Vicariis, aut familiaribus quibuscumque, sub quovis colore, et praetextu, habitatione, coquina, Famulis, Ministris, aut Officialibus Seminarii, vel Lectoribus, Magistris, Sacerdotibus, Clericis quoquomodo inservientibus eidem Seminario, et Alumnis, vel a Seminario salariatis, ac quomodocumque retentis uti audeant, districte sub poena Interdicti ab ingressu Ecclesiae vetamus, ac inhibemus: non tamen per hoc prohibere intendimus Episcopo Pontificalia exercenti, ne caeremoniarum Magistro, vel Sacerdotibus a Seminario retentis uti possit: imo ut eorum opera, ac assistentia in huiusmodi sacris functionibus uti valeat, plenam ipsi Episcopo tribuimus facultatem.

§ 10. Postremo saluberrimae praefati Concilii dispositioni inhaerentes, volumus, praecipimus, et sancimus, ut in omnibus Seminariis tam hactenus erectis, quam in posterum erigendis, Alumni Grammatices, Cantus Gregoriani, Computi Ecclesiastici, aliarumque bonarum artium tantum disciplina erudiantur, et Sacrae Scripturae, Catechismi, aliorumque Ecclesiasticorum Librorum, praesertim vero de Sacramentis, sacrisque Ritibus, et Caeremoniis tractantium, lectioni diligenter incumbant, ut cum ad vineam Domini excolendam vocati fuerint, dignos, peritos utilesque Operarios sese probare valeant, fructumque ei reddant uberrimum temporibus suis.

§ 11. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 11, p. 409-412].

289.

Benedictus XIII, const. *Pastoralis officii*, 19 maii 1725.

Pastoralis officii nostri esse ducimus assiduo, enixoque studio curare, ut universa Sacrae Tridentinae Synodi Decreta ubique inviolabiliter observentur; sed eorum prae caeteris executionem strenue promovendam, urgendamque nobis esse arbitramur, ex quibus maiorem in Ecclesia Dei utilitatem proventuram fore conspicimus, ac eos potissimum, quorum opus in praedicatione, et doctrina consistere debet, ut cunctos aedificent tam fidei scientia, quam actionum disciplina, excitari maxime posse confidimus ad impensius frequentandam tantopere necessariam Sanctarum Scripturarum lectionem, quas qui nescit, ut Beatus Hieronymus admonet, nescit Dei virtutem, eiusque Sapientiam; nam ignorantia Scripturarum, ignoratio Christi est.

§ 1. Cum itaque saluberrimo praedicti Concilii Tridentini Decreto relato in Cap. 1, Sess. 5, *de Reform.* cautum sit, ut nedum in Ecclesiis Cathedralibus, sed in Collegiatis etiam Oppidorum insignium, in quibus Praebenda, aut praestimonium, seu stipendium pro Sacrae Scripturae Lectoribus constitutum non reperitur, Praebenda quomodocumque, praeterquam ex causa resignationis, primo vacatura ipso facto ad eum usum perpetuo constituta, ac deputata intelligatur; et quatenus nulla, vel non sufficiens Praebenda foret, locorum Ordinarii per assignationem fructuum alicuius simplicis Beneficii, debitis tamen eius supportatis oneribus, vel per contributionem Beneficiatorum suarum Dioecesum, vel alias prout commodius fieri poterit, ita provideant, ut ipsa Sacrae Scripturae lectio omnino habeatur. Verum eiusmodi provida praefati Concilii dispositio in aliquibus Cathedralibus, sicut non absque gravi animi nostri dolore percepimus, hucusque neglecta, debitaeque executioni demandata non fuerit: hinc igitur est, quod Nos illius executionem pro Pontificiae vigilantiae debito urgere intendentes, Motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione sancimus, decernimus, et mandamus, ut in Cathedralibus quibuscumque Italiae, Insularumque adiacentium, in quibus Praebenda Theologalis hactenus instituta non fuerit, Praebenda primo vacatura post eiusdem praesentis Constitutionis publicationem sive ad nos, Sedemque Apostolicam, sive ad Ordinarium illius collatio, atque provisio pertineat, ipso iure, et absque ulla alia declaratione, sit, ac esse censeatur Praebenda Theologalis constituta.

§ 2. Volumus insuper, ut tam illa, quam reliquae omnes aliae Praebendae Theologales hactenus constitutae, et deputatae conferri semper debeant Doctori in Sacra Theologia, vel qui infra annum Doctoralem Lauream in eadem facultate suscipiat, et caeteroquin magis idoneo in formali concursu ab Examinatoribus renunciato, eo plane modo, quo Parochiales Ecclesiae conferuntur. Hunc porro in finem, quotiescumque huiusmodi Praebenda Theologalis conferenda erit, per edictum publicum vocentur quicumque concurrere, et exa-

mini sese subiicere voluerint, coram Episcopo, et quatuor Examinatoribus, etiamsi Synodales non sint, ab eodem Episcopo actu eligendis, ac deputandis, in Theologali tamen facultate licentiatis, et valde peritis, sive Secularibus, sive Regularibus, et illi, qui in eiusmodi concursu probatus, magisque idoneus renunciatus fuerit, Praebenda conferatur. Quoties autem Praebendae collatio ad Sanctam Sedem spectabit, Episcopus ad Romanum Pontificem pro tempore existentem acta concursus transmittere teneatur, ut ipse vacantem Praebendam illi assignare, atque conferre possit, quem caeteris digniorem, et magis idoneum in Domino iudicaverit. Quod si Episcopus primo vacaturam Praebendam contra formam in praesenti Constitutione praescriptam conferre praesumpserit, vel etiam in aliis occurrentibus casibus eamdem formam observare neglexerit, illius collatio, atque provisio ipso iure nulla, et irrita, nulliusque prorsus roboris, vel momenti sit, ac esse debeat, eiusdemque Praebendae dispositio statim devolvatur, et pertineat ad Sanctam Sedem, et Romanum Pontificem pro tempore existentem, a quo Doctori in Sacra Theologia conferetur.

§ 3. Caeterum, ut fructus, quem Tridentina Synodus ex Praebendae Theologalis institutione perceptum iri speravit, omnino re ipsa, et cum effectu percipiatur, volumus, statuimus, et mandamus tertiam partem proventuum dictae Praebendae Theologalis ab Episcopo distribui, et proportionabiliter applicari singulis Lectionibus sacrae Scripturae, quae a Praebendato praescriptis diebus, et horis totius anni habendae erunt, ita ut si Praebendatus universas Lectiones habuerit, assignatas distributiones integras absque ulla prorsus diminutione consequatur; si vero in aliqua, vel pluribus Lectionibus defecerit, distributiones neglectis lectionibus respondentes amittat, quae in Sacristiae Ecclesiae beneficium cedant, ac erogentur. In casu autem gravioris contumaciae Praebendati liceat Episcopo deputare alium Theologum Sacerdotem Secularem, vel Regularem, qui iugiter supplendo eiusdem Praebendati vices, praefatis distributionibus potiatur.

§ 4. Quoniam vero nonnulli Episcopi, sicut accepimus, ut propriae incuriae aliquod velamen obtendant, dilatae erectionis eiusmodi Praebendae Theologalis causam in tenuitatem, ac insufficientiam Praebendarum suarum Ecclesiarum reiicere solent, Nos omnem de caetero praetextum, sive excusationem e medio tollere, ac penitus eliminare volentes, motu, scientia, ac potestatis plenitudine similibus decernimus, statuimus, atque praecipimus, quod ubi Praebenda Theologalis, computatis etiam distributionibus quotidianis, ad annuum saltem redditum scutorum sexaginta monetae Romanae non ascendat, pro summa ad hanc Taxam conficiendam deficiente iidem Episcopi unire possint, et debeant eidem Praebendae aliquod simplex Beneficium, cuius supplemento praedicta summa conficiatur, primo vacaturum in quocumque mense, et qualitercumque, ac quomodocumque Sedi Apostolicae affectum, et reservatum, ita tamen, ut a tali unione illa omnia Beneficia, quae pro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, Papae Familiaribus, Nunciis Apostolicis, atque Praelatis Congregationum, quibus iidem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales intersunt, Secretariis in alia Constitutione[1] ad promovendam Semi-

[1] Cf. N. 288.

nariorum erectionem novissime per Nos condita peculiariter reservavimus, perpetuo reservata, et excepta sint, ac esse intelligantur, et quidquid secus fieri contingeret, ex nunc prorsus irritum, ac inane, nulliusque roboris, vel momenti esse, ac fore decernimus, et declaramus.

§ 5. Postremo quaecumque hactenus de Praebenda Theologali, et Sacrae Scripturae Lectione sancivimus, extendimus etiam, ac adamussim observari volumus, et mandamus (congrua tamen congruis referendo) quoad institutionem Canonici Poenitentiarii in illis Cathedralibus, in quibus nondum fuerit institutus, eiusque honestam substentationem, concursum, deputationem, omniaque alia ad illius officium pertinentia; ac praeter illa, quae a nobis superius disposita sunt, ea insuper, quae Tridentina Synodus Cap. 8, Sess. 24, *de Reformat.* de huius ministri qualitate, aetate, ac exemptione a servitio Chori constituit, exacte observari decernimus, praecipimus, et mandamus.

§ 6. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 11, p. 414, 415].

290.

Benedictus XIII, const. *Ex quo*, 8 iun. 1725.

Ex quo, Divina disponente clementia, ad supremum universi Christiani populi regimen assumpti fuimus, considerantes debitum, quo obstringebamur, Ecclesiarum, Sacrorumque Locorum Immunitatem sartam tectam, inviolatamque ubique custodiendi inter graviores suscepti Apostolici Ministerii curas merito recenseri: diu, multumque rationes, ac media nobiscum expendere non omisimus, quibus ipsa Immunitas in pristinum venerationis, et reverentiae locum restitui posset, ac in omnibus Orbis Catholici regionibus ita observaretur, quemadmodum prisca illa maiorum nostrorum disciplina, et vetus Canonicarum sanctionum norma praescripsit.

§ 1. Dum haec solicito animo revolveremus, in oculos primum incurrit celebris illa Constitutio a fel. rec. Gregorio Papa XIV Praedecessore nostro edita, quae incipit: *Cum alias*,[1] qua quidem Constitutione idem Gregorius Praedecessor pro Pastorali zelo suo hunc ipsum in scopum intendens, facultates, et indulta a quibusdam Romanis Pontificibus, ac praesertim a Sancto Pio V, et Sixto etiam V Praedecessoribus itidem nostris, tunc suis, concessa aliquibus Principibus, eorumque Officialibus, et Magistratibus extrahendi, ac abducendi ab Ecclesiis, aliisque locis immunibus certorum criminum reos, et delinquentes, reformavit, moderatusque fuit; simul autem delictorum frequentiae, unde publica tranquillitas maxime perturbatur, occurrere volens, ac impedire, quantum licebat, ne aliqua graviora a pravis hominibus patrarentur sub certa impunitatis spe, quam ex confugio ad loca immunia sibi parabant, nonnulla expressit, et explicavit crimina, et casus,

[1] Cf. N. 172.

in quibus laicos delinquentes Ecclesiastica Immunitate nequaquam gaudere voluit, et decrevit; ac insuper Iudices constituit, qui in occurrentibus casibus, an delictum esset, necne in eadem Gregoriana Constitutione exceptum, cognoscere, et declarare deberent; certamque demum formam in extractione praedictorum delinquentium a locis immunibus observandam stabilivit, et inviolabiliter ab omnibus perpetuo observari mandavit, quemadmodum in praedicta Constitutione anno Incarnationis Dominicae 1591 non. Kalen. Iunii promulgata ulterius continetur.

§ 2. Quoniam vero post editam huiusmodi Constitutionem ob varias Doctorum eam interpretantium sententias, et variam itidem Curiarum Ecclesiasticarum in illius executione praxim, multiplices contentiones super vero, rectoque eius sensu inter Ecclesiastica, et Secularia Tribunalia exortae fuerunt, quamplures Romani Pontifices, ac praesertim piae mem. Clemens IX, Clemens X, et Clemens XI Praedecessores similiter nostri de praefatis contentionibus dilucida casuum exceptorum explicatione submovendis non semel, sicut accepimus, deliberarunt, facilioremque insuper eos probandi, et declarandi methodum, ut eiusdem Gregorii praedecessoris mens plenius executioni demandaretur, Curiis Ecclesiasticis praescribere cogitabant; sed ab aliis distracti curis, ac interim morte praeventi, destinata perficere nequiverunt.

§ 3. Hinc igitur est, quod Nos omnino expedire arbitrantes, ut eiusmodi controversiis finis aliquando imponatur, eorumdemque Praedecessorum pio, atque salubri proposito inhaerentes, Motu proprio, ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione, imprimis providam memorati Gregorii Praedecessoris Constitutionem cum omnibus, et singulis in ea contentis, atque dispositis amplissime confirmamus, approbamus, et innovamus, et quatenus opus sit, criminum in illa exceptorum reis, et delinquentibus Immunitatem Ecclesiasticam suffragari nequaquam debere iterum, ac de novo decernimus, et declaramus. Praeterea non absque gravi animi nostri dolore animadvertentes ob auctam, atque in in dies invalescentem perversorum hominum malitiam saepe, ac saepius nonnulla alia gravia crimina perpetrari, quae non minus, quam illa in Gregoriana Constitutione, ut praefertur, excepta, publicam quietem perturbant, proinde ad delinquentium audaciam, ac eiusmodi delictorum frequentiam, quantum fieri poterit, coercendam, pro Apostolici muneris nostri debito, ea, quae inferius explicabuntur, statuenda censuimus.

§ 4. Cum itaque praedicta Gregoriana Constitutione cautum sit, ut publicis latronibus, viarumque grassatoribus, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, aut viatores ex insidiis aggrediuntur, Immunitas Ecclesiastica minime suffragetur, non levis autem inter Doctores emerserit controversia, an quis ex unico actu publicus latro, et grassator dici possit, vel plures ad id actus requirantur: Nos eiusmodi controversiam dirimere intendentes, unicam tantum grassationem in via publica, aut vicinali admissam sufficere ad hoc, ut quis publicus latro, et grassator dici valeat, dummodo tamen grassati mors, aut membrorum mutilatio secuta fuerit, tenore praesentium defi-

nimus, et declaramus. Insuper ab Ecclesiasticae Immunitatis beneficio excludimus, atque repellimus, et pro exclusis, atque repulsis haberi volumus, nedum eos, qui homicidia, aut mutilationes membrorum in Ecclesiis, earumve Coemeteriis committere audent, quemadmodum in Gregoriana Constitutione sancitum est: verum etiam eos, qui stantes in Ecclesia, vel Coemeterio, interficiunt stantes extra Ecclesiam, vel Coemeterium, aut ipsis membrum mutilant; necnon eos, qui stantes extra Ecclesiam, aut Coemeterium, occidunt stantes intra Ecclesiam, vel Coemeterium, aut iis membrum mutilant; ac eos tandem, qui confugientibus vim inferunt, atque ipsos ab Ecclesia, aliove loco immuni violenter extrahunt, et abducunt: declarantes in quatuor praemissis casibus eiusmodi reos non illius tantum Ecclesiae, quam violarunt, sed cuiuscumque etiam alterius Ecclesiae immunitate gaudere nequaquam posse, aut debere. Ad haec in crimine assassinii non modo mandatarios, qui in ipsamet Gregoriana Constitutione aperte excipiuntur, sed etiam mandantes, qui certum praemium, aut mercedem sive in pecunia, sive in aliis rebus tradiderint, aut promiserint, quamvis promissio nullum habuerit effectum, dummodo assassinium re ipsa patratum fuerit, ab Ecclesiasticae Immunitatis beneficio excludimus, ac pro exclusis perpetuo haberi volumus, et mandamus. Excludimus pariter, repellimus, atque privamus eiusdem immunitatis privilegio interficientes proximum suum animo praemeditato, ac deliberato; falsificantes Literas Apostolicas; Ministros Montis Pietatis, vel alterius publici Telonii, aut Banci pro depositis Principis, privatarumque personarum destinati, furtum, aut falsitatem in praedictis locis committentes, cuius ratione Arca pecuniaria ita minuatur, ut poenae ordinariae locus sit: conflantes, adulterantes, vel tondentes quascumque monetas aureas, vel argenteas, etiam Principum exterorum, quotiescumque in loco, aut Provincia, ubi crimen admittitur, liberum habeant usum, et commercium, vel ipsas monetas conflatas, adulteratas, aut detonsas scienter ita expendere, et erogare praesumentes, ut fraudis conscii, atque participes censeri possint. Illos demum, qui sub nomine Curiae sese introducunt in alias domos animo ibidem perpetrandi rapinas, easque reipsa committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicuius ex domesticis earumdem aedium, vel etiam extranei, quem ibi forte reperiri contigerit, dummodo homicidium, vel membrorum mutilatio sequatur.

§ 5. Ceterum cum diuturna experientia compertum fuerit Curias Ecclesiasticas in casibus, qui hactenus evenerunt, difficultates probare, et consequenter declarare potuisse delictum, pro quo quis ad Ecclesiam confugerat, fuisse comprehensum in numero exceptorum, propter variam earumdem Curiarum praxim, et varias pariter opiniones Doctorum, qui antedicti Gregorii Praedecessoris mentem quoad normam ab ipso praescriptam recipiendi probationes, et procedendi ad declarationem criminum exceptorum, interpretari voluerunt: statuimus, praecipimus, et mandamus nullam in hoc de caetero haberi rationem cuiuscumque interpretationis eiusdem Gregorianae Constitutionis, quae a quocumque Doctore prodierit, neque praxis a quibuslibet Curiis, aut Tribunalibus invectae, imo nec quarumcumque declarationum, quae ab huius Almae Urbis nostrae Tribunalibus, sive etiam a Congregatione

Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Immunitati Ecclesiasticae Praepositorum emanaverint, quatenus praesenti nostrae Constitutioni adversentur; sed in occurrentibus casibus normam hic a nobis praescribendam inviolabiliter ab omnibus observari volumus, et sancimus.

§ 6. Quotiescumque igitur Curia Ecclesiastica a Curia Seculari fuerit requisita, ut laicum aliquem delinquentem e loco immuni extrahi, ac illi consignari faciat, eaque super delicti excepti qualitate, ac personae reitate subministrata, vel acquisita sint indicia, quae ad capturam decernendam sufficere videantur, tunc Curia Ecclesiastica ad eiusdem delinquentis extractionem ab Ecclesia, aliisque locis immunibus, ope, ac medio suorum Executorum, implorato etiam, quatenus opus sit, brachii Secularis auxilio, et cum interventu Personae Ecclesiasticae ab Episcopo deputandae, procedere teneatur, extractumque ad suos Carceres asportari, ac ibi sub tuta custodia detineri curet, et faciat. Ubi vero ex processu informativo desuper conficiendo constet de crimine excepto, ac insuper adversus eumdem extractum talia resultent indicia, ut crimen ab eo fuisse patratum moraliter credi possit (quae quidem indicia iuxta regulas iuris vocantur ultra torturam) eo tandem casu praefatum extractum Ministris, et Officialibus Curiae Secularis tradere, et consignare possit ac debeat, exacta tamen, receptaque prius ab ipsis obligatione in forma iuris valida restituendi extractum Ecclesiae, sub poena excommunicationis latae sententiae nobis, ac pro tempore existenti Romano Pontifici reservatae, quatenus idem extractus indicia contra ipsum acquisita in suis defensionibus purget, ac diluat. Quod si ea minime purgaverit, et vere delinquens repertus fuerit, Curiae Seculari in ipsum tali casu, ut iuris esse censuerit agere, atque procedere liceat.

§ 7. Praeterea considerantes saepedictum Gregorium Praedecessorem in sua Constitutione optimo quidem iure sanxisse, ut soli Episcopi, et non alii Episcopis inferiores, etiamsi locorum Ordinarii sint, aut nullius Dioecesis, aut Conservatores a Sede Apostolica specialiter, vel generaliter deputati, cognoscere, et declarare valeant, an delicta, pro quibus inquisiti ad loca immunia confugerunt, et in eis se receperunt, sint, necne de genere, ac numero exceptorum: Nos providam eiusmodi dispositionem approbantes, et confirmantes, eique inhaerentes, motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, tenore praesentium quibuscumque Magistratibus, Officialibus, et Ministris Secularibus, necnon quibusvis aliis personis cuiuscumque gradus, et conditionis existant, etiamsi Imperiali, Regia, Ducali, aut alia quavis mundana dignitate, aut auctoritate praefulgeant, districte interdicimus, ac inhibemus, ne huiusmodi causis, vel conficiendo processus, vel inquisito extrahendo a locis immunibus, vel declarando crimina ab eis admissa esse de exceptis in Gregoriana, aut in praesenti nostra Constitutione, ullo pacto sese ingerant, aut immisceant. Quod si secus quidquam attentare praesumpserint, ex nunc omnia in contrarium praemissorum gerenda irrita, et inania, nulliusque roboris, vel momenti perpetuo fore, ipsosque attentantes in censuras, et alias poenas a Sacris Canonibus, et Constitutionibus Apostolicis adversus eos, qui Iurisdictionem Ecclesiasticam quoquo modo laedunt, ac violant, infictas incur-

rere decernimus, et declaramus: volentes, intendentes, ac expresse mandantes, quod omnimoda cognitio, atque iudicium de criminibus in Gregoriana Constitutione exceptis, et a nobis superius explicatis, tum etiam de aliis, quae in praesenti nostra Constitutione adiicienda, et similiter excipienda duximus, quemadmodum, ut praefertur, adiecimus, et excepimus, ad Episcopos tantum privative quoad omnes alios perpetuo spectet, atque spectare debeat, et donec ipsi in occurrentibus casibus declaraverint delictum esse de exceptis, et cetera omnia a nobis superius constituta adimpleverint, inquisitos Ecclesiae, vel alterius loci Sacri, ad quem confugerunt immunitate gaudere tuto debere, ac in ea conservandos, et manutenendos esse statuimus, praecipimus, et mandamus.

§ 8. Universos demum, et singulos Venerabiles Fratres Nostros Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et Episcopos, quos huius nostrae Constitutionis executores deputamus, in visceribus Domini Nostri Iesu Christi hortamur, et paterna charitate admonemus, ut quanti momenti sit hoc negotium, serio cogitantes, in occurrentibus casibus qualitatem testium, et probationum pondus summo studio, ac vigilantia scrutentur, omnemque fraudem, dolum procul arceri satagant; quin etiam Sacerdotali pectore, quotiescumque opus fuerit, iis omnibus obsistant, qui eiusdem praesentis Constitutionis executionem, ac observantiam quomodocumque temerario ausu impedire praesumerent. In reliquis porro casibus tam in hac nostra, quam in Gregoriana Constitutione non exceptis, memores quam acriter semper, et qua eximia, ac prorsus singulari animi fortitudine maiores nostri pro Ecclesiastica libertate, ac Immunitate pugnaverint, nihil illa imminui permittant, neque sacris iuribus labem ullam irrogari patiantur, sed ea pari sane zelo, atque constanti tueri curent: ab omni tamen tumultu, ac perturbatione caventes, ne iactantiae causa potius, quam miserationis, et iustitiae titulo, Ecclesiastica Privilegi asserere velle videantur.

§ 9. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 12, p. 1-4].

291.

Benedictus XIII, const. *Custodes*, 7 mart. 1726.

§ 1. Custodes super muros Ierusalem a Christo Domino constituti, de omnibus sacrorum virorum Ordinibus in eo, quo decet, sanctioris disciplinae splendore servandis magnam vigilantiam, et sollicitudinem gerere debemus, tum vero illud nobis incumbit, ut qui e Regularium, Monachorum, et Mendicantium institutis ad onus Episcopale admoventur, maioris observantiae, et virtutum specimine gregi sibi subiecto praeluceant, primaevique instituti, cui nomen dederunt, insignia, more maiorum perpetuo retineant, non solum in monastica, et regulari professione, sed etiam in specialibus indumentis; inque rasili tonsura, ad planitiem cutis in summo capite circumducta, vel eo gyro, et forma, quibus quisque, ut sui Ordinis, Regularis, Monastici, et

Mendicantis peculiaribus signis, pridem solemni ritu vitam Deo consecraverat.

§ 2. Moerorem, quem iamdudum animo premimus, celare diutius non possumus, nec debemus, quippe quem post nostram humilitatem ad Summum Apostolatum evectam, praesulum doctrina, et pietate praestantium expostulationes auxerunt, nimirum quod nonnulli Episcopi ex Regularium, Monachorum, et Mendicantium familiis assumpti reperiantur, qui brevioribus vestimentis, pristinae suae professioni minime congruis, sed quibus tantum inferiores clerici saeculares uti soleant, se in ipsa etiam civitatum frequentia palam spectandos pati non erubescant, laneasque tunicas, a suorum Ordinum conditoribus praescriptas, et eorundem vitae sanctimonia quodammodo consecratas, induere detrectantes, etiam contra caeremonialis Episcoporum [1] sanctiones, a Romanis Pontificibus antecessoribus nostris probatas, summa omnium admiratione, vestes sericas praeferant, eo quoque impudentiae, sui status plane immemores, progressi, ut albas chirothecas ad ostentationem gerant, inque pontificalibus Ecclesiae functionibus, unde omnis arrogantiae typhus, et fucus abesse debet, superpelliceum, Episcopis Monachis, vel ex Ordinibus Mendicantium, proprium, abiicientes, rocchettum praesulum, ex clericis saecularibus, vel regularibus assumptorum, temere adhibeant, nec defuerint qui colores, a suo instituto omnino abhorrentes, in exterioribus vestibus iactare non dubitaverint.

§ 3. Haec quam dedeceant Episcopos, qui ex Monachorum, et Mendicantium Regulis, non sine spiritus Apostolici afflatu conscriptis, modestiam sacerdotalem, nunquam ex suis animis obliterandam, ceterasque virtutes, aliis propinandas, haurire debuissent, quosque in maiori gradu, quo Spiritus Sanctus eos posuit, auctas retinere oporteret, non iam nostris verbis dicemus, ne ipsi, qui Regulam Ordinis Fratrum Praedicatorum, quam professi fuimus, et profitemur, quique onus Episcopale per totos quinquaginta annos sustinentes, eiusdem nostri Ordinis sacros ritus, disciplinamque, Deo iuvante, in omnibus observare studuimus, ex privato affectu loqui videamur, sed suis verbis dicent Romani Pontifices, qui nobis, in eorum locum longe dispari merito suffectis, quae sectari debeamus reliquerunt. Dicent Concilia, ab iisdem probata, auctorumque ecclesiasticorum, quos honoris causa Patres, Doctoresque appellamus, documenta memorabunt.

§ 4. Ut ergo a primis, hoc est a Romanis Pontificibus, ordiamur, inclytae recordationis Innocentius Papa III Pennensem Episcopum, Ordinis Cisterciensis olim Abbatem, propterea graviter obiurgavit, quod post acceptum Episcopatum, in sui Ordinis iniuriam ageret in pluribus, ut apostata, et propriae conditionis oblitus, picturata sella, et chirothecis sericatis uteretur, amplo se galero coronaret, et Cisterciensis Ordinis observantias non custodiret, a quibus eum pontificalis dignitatis susceptio non absolveret, sed earundem onus ei magis augeret. Si ad Conciliorum statuta evolvenda hinc processerimus, nobis se offeret Canon XXVII Concilii Oecumenici VIII, seu Constantinopolitani IV decernens, illos qui monasticam vitam amplexi, Episcopalem

[1] L. I, c. III, n. 4.

meruerunt honorem, conservare schema, et amictum monasticorum indumentorum, et ipsam beatam vitam, nullumque habere potestatem deponendi iam dictum schema propter typhum, et arrogantem voluntatem, ne per hoc inveniatur propriorum transgressor pactorum.[1] Postremo Episcopum, qui monasticarum vestium schema deposuerit, aut corrigendum, aut deponendum statuit. Haec rata habuit Canon XVI Concilii Oecunemici XII, sive Lateranensis IV sub iam dicto Innocentio Papa III definiens, Episcopos Monachos deferre habitum Monachalem.[2] Hoc idem postea sanxit synodus Londinensis, ab Otthobono S. R. E. Diacono Cardinali Sancti Hadriani, et Apostolicae Sedis Legato, celebrata, cuius Canon V iis, qui de Monasteriis, vel regularibus locis in Episcopos sunt assumpti, vel de cetero assumentur, suum deferre habitum regularem, speciatim indicit. De inconvenientia, et dedecore habitus splendidi in Episcopis secularibus, eoque magis in regularibus, extat Canon XVI Concilii Nicaeni II.[3] Sed nostrorum temporum regulares Episcopos instruentem audiamus Ferrandum Carthaginensis Ecclesiae Diaconum, de Beato Fulgentio Ruspensi Episcopo testantem, Episcopatum sine aliqua ambitione ab illo susceptum, nec ita factum Episcopum, ut esse desisteret Monachus, sed eum, accepta Pontificis dignitate, professionis praeteritae servasse integritatem, nunquam pretiosa vestimenta quaesivisse, Orario, sicut Episcopi, nunquam usum, sed pelliceo cingulo, tanquam Monachum. Nec vero uni Episcopi, sed et ipsi Romani Pontifices eadem religione se obstringi voluerunt. De magno enim Gregorio intelligimus, una cum eius corpore inventum Baltheum, qui speciem propositi regularis, olim a Sancto Benedicto statuti, manifestaret. De Eugenio III legimus, laneam tunicam carni eius adhaesisse, et diebus ac noctibus cuculla vestitum, intus Monachi habitum retinere, extra, se Pontificem, et moribus, et vestibus exhibere consuevisse. Denique Doctor Ecclesiae Beatus Thomas Aquinas, ob

[1] « Secundum traditas formas per singulas provincias, ac regiones, et urbes, in ecclesiasticis promotionibus et consecrationibus illa quae indicia et signa sunt ordinis qui unicuique inesse videtur, retineri decernimus, ita ut episcopi, quibus concessum est palliis uti certis temporibus, in eisdem temporibus et locis iis induantur, et tanto et tali non abutantur amictu propter typhum, et inanem gloriam, et humanum placorem, atque sui amorem; omni videlicet tempore divini sacrificii, et omnis alius ecclesiastici mysterii, hunc inepte portantes: illos autem qui reverenter monasticam vitam sectati sunt, et episcopalem meruerunt honorem, conservare schema, et amictum monachicorum indumentorum, et ipsam beatam vitam decernimus; et nullus omnino habeat potestatem deponere iam dictum schema, propter typhum et arrogantem voluntatem, ne per hoc inveniatur propriorum transgressor pactorum: sicut enim ibi continuus palliorum amictus fastigiosum et suae gloriae deditum demonstrat episcopum, ita et hic depositio ac denudatio monachici habitus nihilo minus eisdem submittit criminibus eum qui hoc fecisse captus extiterit. Quisquis ergo episcopus praeter definita sibi scripto tempora se pallio induerit, aut monasticarum vestium schema deposuerit, aut corrigatur, aut a patriarcha proprio deponatur ». - Mansi, tom. 16, col. 178.

[2] C. 15, X, *de vita et honestate clericorum*, III, 1.

[3] C. 1, C. XXI, q. 4.

sanctioris doctrinae excellentiam Angelici elogio cognominatus, cuius hodie festa recolimus, diserte docuit, si qua sunt in regularibus observantiis, quae non impediant Pontificale officium, sed magis valeant ad perfectionis custodiam, sicut est continentia, paupertas, et alia huiusmodi, ad haec remanet religiosus etiam factus Episcopus, obligatus, et per consequens ad portandum habitum suae Religionis, qui est huius obligationis signum. Haec in sacris, receptisque Ecclesiae codicibus de exteriori amictu, et debito Episcopi Regularis sancita reperimus, quae nostrates eiusdem disciplinae Episcopi sibi dicta meminerint. Rasilem capitis coronam, in orbem expressam, ad humilitatem docendam, regulae monasticae, constitutiones, usus, et consuetudines statis anni temporibus earundem sacris alumnis renovandam praescribunt, quos postea Episcopali charactere insignitos ea maxime distinguendos, nemo in dubium vocaverit.

§ 5. Haec tamen, quae ex venerandis Ecclesiae monumentis adduximus, cum per humanam corruptelam, nisi eis occurratur, nobis ipsis spectantibus, in desuetudinem abire videantur, hac nostra Constitutione Apostolica, firmum robur perpetuis futuris temporibus habitura, ea omnia confirmantes et renovantes, statuimus atque sancimus, ut ex Monastico, Regulari, et Mendicantium instituto ad Episcopalem, seu quamcunque aliam dignitatem, etiam S. R. E. Cardinalatum, iam evecti, et in posterum evehendi, universis, et singulis suae regulae officiis, et obligationibus, quae Pontificale, sive cuiuscunque alterius dignitatis, aut Cardinalatus, officium minime impediant, perpetuo subsint, et proinde sui monastici Ordinis, sive alterius regulae Mendicantium, insignia, et propria indumenta lanea, suoque peculiari colore distincta, rasilem quoque, et ad cutis planitiem in summo vertice, vel eo gyro, et forma expressam coronam praeferant, quibus antea, cum intra eorundem regularium Ordinum claustra Deo militarent, ex solemni sua professione, insignia induere, et coronam praeferre tenebantur, a cuius professionis obligationibus per munus Episcopale neutiquam absolvuntur, aut ullo pacto eximuntur.

§ 6. Propterea huiusmodi Episcopis, ex familiis Regularium, Monachorum, et Mendicantium assumptis, in virtute sanctae oboedientiae praecipimus, et mandamus, ut omnia, et singula, praesentibus literis nostris hactenus recensita, undequaque observare non differant. Si vero, quod absit, hoc agere contempserint, vel neglexerint, eos poena suspensionis ab exercitio pontificalium, ipso facto incurrenda, tandiu innodatos esse declaramus, donec a contumacia resipiscentes, eiusdem suspensionis relaxationem a Sede Apostolica meruerint obtinere.

§ 7. Quia vero pastoralis nostrae sollicitudinis est non solum excubare pro optimo statu, et conservatione Regularis observantiae in religiosis viris, qui ex monasticis, et mendicantibus institutis ad onus Episcopale assumuntur, sed etiam prospicere, ne illi, qui ex his, ceterisque universis Religiosis Ordinibus ad eiusmodi gradum evecti, Ecclesia sibi commissa postmodum se abdicaverint, ita vivant, ut, qui eos primum in claustris Monasteriorum, deinde in culmine Episcopali conspexerant, quique ipsos demum curarum Episcopalium oneri subductos visuri essent, eis obiicere nullo modo possint,

quód ideo ad Episcopatum irrepserint, ut hac via Regularem observantiam deserentes, extra sua claustra, quasi nullum unquam Religiosum Ordinem professi, vitam ducerent, haec animum nostrum, omnium quorumcunque Ordinum Regularium honoris amantissimum, promovent, ut Apostolica auctoritate approbemus, confirmemus, et tanquam praesentibus inserta habeamus decreta duo ab antecessoribus nostris felicis recordationis Alexandro VII die XXVI Iulii anno Domini MDCLXII,[1] et Clemente XI die XVII Iunii MDCCII vulgata,[2] quibus decretis Regulares ad transmarinos Episcopatus, sive ad Vicariatus Apostolicos translati, vel etiam Ecclesiarum administratores, aut visitatores creati, quotiescunque in locis, et Ecclesiis, sibi in Episcopalis dignitatis collatione assignatis, minime resederint, vel Episcopatum dimiserint, aut munere suo perfuncti fuerint, seu quomodocunque a schismaticis vel infidelibus impediti, munus Episcopale exercere non possint, iubentur ad pristina suorum Ordinum claustra reverti, cum reliquis Confratribus suis sub eodem instituto religiosam vitam ibidem acturi.

§ 8. Huiusmodi autem Episcopis, tam pio disciplinae regularis instinctu ad suos redeuntibus, Apostolica largitate concedimus, ut in sua Provincia quodcunque Ordinis sui Coenobium, et Monasterium, ubi commode et religiose degere possint, sibi pro libitu eligant, ideoque volumus, et praecipimus, ut illorum Praesides et Superiores regulares congruas eis et honestas cellulas in Coenobiis, et Monasteriis ab eisdem electis, assignent.

§ 9. Itaque Monachis, Mendicantibus, et cuiuscunque Ordinis Regularibus, qui onere Episcopali sibi imposito deinceps quomodocunque, etiam ultro, se abdicaverint, praecipimus, eosque monemus in Domino, ut ad suorum Ordinum cellulas ultro quoque regrediantur, qua in re sanctitate, et doctrina illustrium, et magnorum praesulum exempla iis imitanda proponimus, Caelestini Papae V Antecessoris nostri, Gregorii Nazianzeni, Petri Damiani, aliorumque, ob virtutes sacerdotales omnium seculorum praeconiis maxime dignorum Antistitum, ut interim sileamus, legationibus et muneribus clarum Ardicinum iuniorem a Porta Aleriensem Episcopum, et S. R. E. Presbyterum Cardinalem tituli Pammachii, a felicis recordationis Innocentio Papa VIII, renunciatum. Is enim, annuente Pontifice, dimissis dignitatibus, vetus propositum in sacram Camaldulensium eremum confugiendi resumere, atque ultro executioni mandare sanctum existimavit.

§ 10. Ubi vero, quod minime credimus, iidem regulares paternis nostris adhortationibus aures adcommodare noluerint, his nostris perpetuum robur habituris, decernimus, volumus et praecipimus, ut Monachi, Mendicantes, et cuiuscunque alterius instituti Regulares, specialissima etiam mentione digni, qui Episcopatu sibi pridem collato quacunque de causa se in posterum abdicare permissi fuerint, claustra suae Religionis repetere omnino teneantur, et debeant, iis tantum exceptis, qui a Nobis, sive a Romanis Pontificibus antecessoribus, aut successoribus nostris obtinuissent, vel obtinebunt facultatem expressam vivendi extra claustra, sacro alicui muneri, quod cum vita

[1] Cf. N. 238.

[2] Cf. Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 285.

claustrali exerceri non posset, ex peculiari voluntate nostra, vel eorundem antecessorum, aut successorum nostrorum, speciatim addicti, quod quidem munus respiciat servitium, et obsequium nostrum, vel successorum nostrorum, sive huius Sanctae Apostolicae Sedis.

§ 11. Eis autem, vel eorum cuilibet, qui hanc Constitutionem violare tentaverint, vel eam quomodocunque neglexerint, omni usu pontificalium, etiam cum facultate, et permissione cuiuscunque Episcopi exercendorum, penitus et undequaque interdicimus, sique perseveraverint in contumacia non redeundi ad claustra, post annum sint eo ipso suspensi a divinis.

§ 12. Omnia vero, et singula Romanorum Pontificum decreta, Conciliorum Canones, Patrum dicta, sententias, regulas, constitutiones, usus, consuetudines, statuta, his nostris literis memorata, post maturam hac de re habitam deliberationem, ex certa scientia, auctoritate nostra confirmamus, innovamus, et stabilimus, in quo plenario robore perpetuis futuris temporibus servanda sancimus, praesentesque semper validas fore, sicque, et non aliter, per quoscunque iudices semper iudicari, interpretari, et definiri debere statuimus. Quidquid autem secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus, non obstantibus privilegiis, concessionibus, ordinationibus, aliisque contrariis quibuscunque.

§ 13. Nulli ergo, etc.

[Bull. Ordinis Praedicatorum, tom. VI, p. 581-583].

292.

Benedictus XIII, const. *Pastoralis officii*, 27 mart. 1726.

Pastoralis officii solicitudo Nos admonet in his vigilantiae, et auctoritatis Nostrae partes libenter interponere, ut quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris ad Dominici Gregis, animarumque salutem, et directionem provide constituta reperiuntur, suum plenarium sortiantur effectum.

§ 1. Cum itaque quampluriem ex Ven. Fratribus Archiepiscopis, et Episcopis Regnorum Hispaniarum literis, non ita pridem intellexerimus, Constitutionem pro Ecclesiasticae disciplinae in eisdem Regnis conservatione, et instauratione a fel. rec. Innocentio Papa XIII praedecessore Nostro die 23 maii 1723 post maturum consilium editam quae incipit: *Apostolici Ministerii*, etc.[1] ac subinde a Nobis per quasdam Nostras in simili forma Brevis die 23 septembris 1724 desuper expeditas literas,[2] quibus totum ipsius Constitutionis tenorem inseruimus confirmatam, et innovatam per nonnullos praesertim Regulares in dictis Regnis degentes haud omnino, ut par erat, servari, quinimo eius executionem variis artibus, inanibusque praetextibus retardari, atque eludi graviter commoti fuimus, nec defuimus perinde dolorem, ac indignationem Nostram cum Superioribus Generalibus ipsorum Ordi-

[1] Cf.N. 280.
[2] Cf. N. 283.

num communicare, eisque diserte explicare firmam, constantemque voluntatem, ac intentionem nostram esse, ut memorata Constitutio promptae, et omnimodae executioni demandaretur, et transgressores, seu inobedientes condignis poenis animadverteretur; ipsi vero Superiores Generales pro ea, qua praediti sunt prudentia, probitate, et filiali in Nos, et huius Sanctae Sedis mandata obsequio, id contra, et praeter eorum mentem, ac non sine intimo animi sui moerore, accidisse Nobis ingenue declararunt, ut vehementer etiam improbantes quidquid contra eamdem Constitutionem scripto, vel facto attentatum fuerit per aliquot suos subditos, pro quibus erroris, ac noxae veniam a Nobis suppliciter implorarunt, simulque polliciti sunt sedulam se daturos operam, ut quae in ea facienda, servandaque praescribuntur, ab omnibus, et singulis suis Religiosis absque mora adimpleantur.

§ 2. Licet autem Nos non minus ad enixas eorumdem Superiorum Generalium preces, quam ob peculiarem paternae charitatis affectum quo Religiosas semper prosequuti sumus, et prosequimur familias, in quarum altera, inclito nempe Fratrum Praedicatorum Ordine diu versati sumus, a poenis adversus dictos transgressores infligendis abstineamus, nihilominus quaecumque hactenus ad remorandam, sive eludendam, aut quomodolibet impediendam praedictae Constitutionis executionem a nonnullis ex praefatis Regularibus scripta, acta, et gesta fuerunt cum inde sequutis, et quomodocumque sequuturis, auctoritate Apostolica tenore praesentium reprobamus, et damnamus, ac pro reprobatis, et damnatis ab omnibus haberi volumus, et decernimus.

§ 3. Praeterea gravius mentis Nostrae super eadem Constitutione testimonium, ac iudicium perhibere volentes, districte, ac in virtute Sanctae Obedientiae Nobis vicaria Christi potestate in Terris fungentibus ab universis Christifidelibus debitae, harum serie denuo praecipimus, et mandamus, ut exacte, et inviolabiliter, omnique colore, praetextu, titulo, et contraria quavis interpretatione prorsus sublatis, serventur omnia, et singula in enarrata Innocentii praedecessoris Constitutione sancita, ordinata, declarata, ac quoquo modo contenta, quae Clerum tum Saecularem, tum Regularem praedictorum Regnorum concernunt, etiam iuxta formam in hisce literis Nostris, ut infra, praescribendam.

§ 4. Cum igitur in eadem Constitutione inter alia cautum fuerit, ne in Monasteria, Conventus, et Domos, tam virorum, quam mulierum plures personae reciperentur, quam quae, vel ex proventibus ipsorum Monasteriorum, Conventuum, aut Domorum, sive ex consuetis eleemosynis, aliisque obventionibus in commune conferendis possint commode sustentari: hinc pro firmiori saluberrimae istius sanctionis robore statuimus, ut Superiores eorumdem Monasteriorum, Conventuum, et Domorum subditis suis, sive Clericis, sive Conversis ibidem degentibus subministrari curent, et faciant omnia ad victum, et vestitum necessaria. Et si plures Religiosos in aliquo Conventu nunc existere compertum fuerit, quam in eo iuxta modum praemissum sustentari valeant, Superior Provincialis, sive Praelatus eos ad alterum eiusdem Provinciae Conventum, qui ipsorum sustentationi idoneus, et sufficiens sit, statim transferat. Quatenus vero numerus Religiosorum in singulis Provinciis degentium, vires Conventuum uniuscuiusque Provinciae

respective excedat, non alii deinceps ad Religiosum habitum in ea suscipiendum admittantur, donec per obitum hodie viventium illo redactus sit, ut commode ali valeant. Dilecto filio moderno, et pro tempore existenti Nostro, et Apostolicae Sedis in eisdem Hispaniarum Regnis Nuncio serio iniungentes, quatenus sedulo curet, ut praemissa plenarium suum effectum obtineant, prout illi in dicta Constitutione demandatum fuerat.

§ 5. Similiter volumus, ut in promotione Regularium ad Ordines, Decretum prae. mem. Clementis Papae VIII praedecessoris etiam Nostri,[1] iuxta memoratam Constitutionem accuratissime observetur, districte quoque inhibentes omnibus Archiepiscopis, et Episcopis praefatis, ne eosdem Ordines conferre praesumant alicui Regulari, qui vel in Monasterio, sive Conventu intra suam Dioecesim sito non degat, vel si de familia Monasterii, seu Conventus alterius Dioecesis fuerit, literas dimissorias sui Superioris Regularis non exhibeat, servata in praemissis Decreti Clementis, ac Constitutionis Innocentii praedecessorum praedictorum dispositione.

§ 6. Eisdem quoque Archiepiscopis, et Episcopis sub interminatione Divini Iudicii denuo praecipimus, ut quibuscumque mulierum Monasteriis tam sibi subiectis, quam etiam quomodolibet exemptis, omni studio, ac diligentia incumbant, et advigilent executioni eorum, quae pro custodienda Sanctimonialium Clausura, impediendoque in dicta Monasteria exterorum ingressu tum in Sacri Concilii Tridentini Decretis,[2] tum in Constitutione similis memoriae Gregorii Papae XIII praedecessoris itidem Nostri,[3] quam idem Innocentius praedecessor in praefata sua Constitutione innovavit, desuper sancita fuerunt.

§ 7. Porro iniungimus quoque exactam eiusdem Innocentii Constitutionis observantiam circa confessiones a Regularibus praedictis, nec etiam ex Indulto, quod eis competere perperam praetenditur in vim Bullae Cruciatae Sanctae nuncupatae, nec ex alio quocumque privilegio excipiendas absque praecedente approbatione, et licentia Ordinarii pro tempore existentis Loci, in quo Sacramentum Poenitentiae ministretur, servata quoque limitatione, quae in ipsa licentia ab eodem Ordinario adiecta fuerit, vel quoad tempus, vel quoad locum, vel genus personarum; declarantes, quod in omnibus casibus praedictis confessiones aliter factae, et respective exceptae nullae, atque invalidae, ipsique Confessarii eo ipso suspensi erunt.

§ 8. Ad haec rursus prohibemus, atque interdicimus, ne Regulares cuiuscumque Ordinis, et Instituti excipere audeant confessiones Monialium, etiam eorum regimini subiectarum, et ab Ordinarii Iurisdictione quomodolibet exemptarum, nisi ultra licentiam suorum Superiorum Regularium examinati fuerint, et pro ipsorum Monialium confessionibus audiendis specialiter approbati ab Episcopo Dioecesano; et si secus factum fuerit, tunc quoque confessiones irritas, et Confessarios ipso Iure suspensos fore itidem declaramus.

[1] S.C.C., decr. 15 mart. 1596. - In Bened. XIV, const. *Impositi Nobis*, 27 febr. 1747. - Cf. N. 376.

[2] Sess. XXV, *de regularibus*, c. 5.

[3] Cf. N. 147.

Ab huiusmodi tamen lege, et ordinatione ad supplicationem dilecti filii Nostri Ludovici S. R. E. Cardinalis Belluga, et Muncada nuncupati eximimus Superiores Generales, ac etiam Provinciales cuiusvis Ordinis Regularis, quibus ut confessiones Monialium, sibi tamen subiectarum dumtaxat, absque huiusmodi speciali approbatione Episcopi Dioecesani audire licite, et valide possint, permittimus, et indulgemus.

§ 9. Et quia mentis, ac intentionis nostrae est, ut remota quavis diversa intelligentia, et interpretatione praecise serventur ea, quae in eadem Innocentii praedecessoris Constitutione super assignatione, seu deputatione Confessarii extraordinarii Monialibus sub Praelatorum Regularium gubernio viventibus disposita fuerunt, statuimus quoque, ut Superiores, qui Decretum illud quocumque titulo, vel praetextu non servaverint, vel eius executioni aliquod impedimentum directe, aut indirecte praebuerint, ipso facto suspensionem ab eorum officiis necnon privationem vocis tam activae, quam passivae incurrant.

§ 10. Eisdemque poenis eo ipso, et absque alia declaratione incurrendis subiicimus etiam Regulares, qui sancitis, et ordinatis, tum a re. mem. Clemente Papa XI, tum ab ipso Innocentio praedecessoribus, quoad celebrationem Missae in Oratoriis privatis, sive eorumdem Regularium cellis, necnon usum Altaris gestatorii, seu portatilis qualitercumque contravenerint, seu minime obtemperaverint.

§ 11. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 12, p. 82-84].

293.

Benedictus XIII, const. *Maxima vigilantia*, 14 iun. 1727.

Maxima vigilantia, quam maiores nostri in rerum suarum monumentis ad posterorum memoriam retinendis semper adhibuerunt, adeo testata, et passim literis tradita est, ut nostris verbis praedicari minime egeat; nihil enim frequentius in veterum Patrum scriptis, Sacrisque Conciliorum, et Ecclesiae sanctionibus legitur, quam Scrinia, Tabularia, Archiva, Conditoria, et Armaria, a temporum, atque hominum iniuria servandis rerum gestarum documentis, chartis, diplomatibus, Codicibus, Instrumentisque, constructa; unde fides, et veritas rerum ad successorum recordationem transmitti posset. Nec tantum veteres quidem Romani Pontifices Antecessores nostri singularem hanc Providentiam custodiendis eiusmodi Actis, et monumentis identidem ostenderunt; sed caeterarum quoque Ecclesiarum Pastoribus tantae rei gravitas maxime innotuit, proptereaque rerum sibi creditarum testes Literas ad instructionem futurorum summa fide servari voluerunt, quippe qui probe nossent quantae inde utilitates manarent. E recentioribus Ecclesiasticae disciplinae Reparator insignis, Beatus Carolus Borromaeus S. R. E. Cardinalis, et Archiepiscopus Mediolanensis in Concilio Provinciali I, non uni suae, sed caeterorum etiam Antistitum Ecclesiis, Sacrae suae Metropoli contributis.

summe cavit ob illarum Iura sarta tecta servanda de Archivis, et Tabulariis in singulis Episcopatibus speciatim erigendis, peculiares Canones promulgari statuens, quod, et nos tam gravem, et piam disciplinam prae oculis habentes, olim in Concilio nostro Provinciali I. Beneventano, Deo favente, statuimus, maiorum exempla secuti, qui in suis Constitutionibus non solum Romae, sed praecipue in universis Regionibus, et Civitatibus Beati Petri Apostolorum Principis Temporali Imperio subiectis, Archiva, et Tabularia erigi iusserunt, ne Scripturae ad res publicas attinentes dispergerentur.

§ 1. Quum vero ad aures nostras rumor pervenerit, in multis Episcopatibus, et Ecclesiis rem tam providam, utilemque non sine privato, et publico damno negligi, quod nisi opportuno remedio tollere satagamus, incommoda Ecclesiarum facile in immensum crescent: Nos ex debito Pastoralis Officii Constitutionem a Pio V Antecessore nostro pro Archivis Sedium Episcopalium utriusque Siciliae olim vulgatam,[1] et fraudes, ac subreptiones Scripturarum, quae tempore Sedium Vacantium perpetrabantur, etiam respicientes, necessarium putavimus nonnullas alias Ordinationes, et Statuta his nostris Apostolicis Literis, perpetuum robur habituris, edere tenoris sequentis, videlicet.

§ 2. Ut omnes Patriarchae, Metropolitae, Archiepiscopi, Episcopi, et Praelati inferiores, Ordinarii Locorum, nullius Dioecesis, Iurisdictionem Episcopalem exercentes, in tota Italia, eique adiacentibus Insulis, qui in suo Palatio Episcopali locum tutum, nec cuivis facile adeundum, pro servandis in eo Scripturis ad Dignitatem et Iurisdictionem Episcopalem sive Ordinariam, Mensam, et Forum suae Curiae pertinentibus non habent, statim de loco tantae rei destinando serio cogitent, in quo loco tuto, congruo, non humescenti, unde Scripturis lapsu temporis pernicies ulla inferatur, loculi, plutei, et armaria, recipiendis Scripturis, et Codicibus apta, secundum instructionem Italicam, inferius subiiciendam, disponantur, et diligenter clausa custodiantur. Quoad Archiva, et Tabularia olim erecta, iidem Praelati pro sua vigilantia eorumdem statum sedulo recognoscant, illorum aptae capacitati, atque ordini, iuxta supradictam instructionem, ut quoad fieri potest, structura, et dispositio omnium Archivorum sit uniformis, intra sex menses post harum publicationem, provisuri.

§ 3. Hic idem terminus sex mensium iniungitur quibuscumque Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, et Collegiatarum, tam insignium, quam non insignium, ut locum opportunum, iuxta modum Iam indicatum disponant in aliqua mansione cathedralis vel collegiatae Ecclesiae, ubi commode serventur, et custodiantur scripturae, iura, et status eorumdem capitulorum respicientes. Seorsum vero armarium habeatur pro scripturis, ad iura, et statum particularem Ecclesiarum cathedralium, collegiatarum attinentibus. Volumus enim, ut archiva capitulorum ab illis, quae sunt Ecclesiarum cathedralium, et collegiatarum omnino distinguantur; ideoque in prospectu, et facie sive anteriori parte cuiuscumque archivi sive armarii exterius scribatur cuiusnam sit illud archivum, an scilicet Ecclesiae, an vero capituli.

[1] *Muneris nostri*, 1 mart. 1571. – Bull. Rom., tom. 4, III, p. 151.

§ 4. Haec observanda etiam praecipimus a quocumque Abbate, Priore vel Superiore regulari cuiuscumque ordinis, etiam mendicantium, etiam Societatis Iesu, vel cuiuscumque instituti, etiam speciali nota digni, necnon hospitalis Beati Ioannis Hierosolymitani, scilicet pro dispositione, constructione seu constitutione Archivi in loco apto, modo, quo supra, intra claustra propriae Domus, Monasterii seu conventus: idemque omnino executioni mandanda curent Abbatissae vel Priorissae, et Superiores cuiuscumque Monasterii Monialium, et Sacrarum Virginum, domuumque piarum mulierum, quae Conservatoria appellantur, quaeque per haec scripta non intendimus approbare. Similiter haec eadem constitutio nostra in construendis, et custodiendis Archivis observetur ab Ecclesiis receptitiis, Collegiis, Seminariis, Conventibus, Congregationibus, Confraternitatibus, Hospitalibus, montibus pietatis, aliisque locis piis cuiuscumque generis, et quocumque nomine censeantur, sub administratione rectorum, ministrorum, et officialium temporaneorum, sive perpetuorum existentibus.

§ 5. Omnes iamdicti Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Ordinarii locorum, et Superiores regularium utriusque sexus, ut supra, postquam congesserint, et clauserint vel disposuerint scripturas in archivo extructo vel extruendo, omni diligentia, et solicitudine earumdem catalogum, et inventarium conficiendum, et cum brevi singularum scripturarum synopsi, et lemmate vel summario describendum curent, Episcopi, et Ordinarii eumdem Catalogum, et inventarium a Notario seu Cancellario Curiae Episcopalis vel ordinariae, aut, eo impedito, ab alia persona, per eum substituenda, confici curent coram se ipsis seu Vicario Generali, vel alia persona ab iisdem substituenda, idemque catalogus, et inventarium ab eodem Notario seu Cancellario singulis paginis subscribatur. Catalogus vero in fine totius operis a Praelato, postquam ipse accurate, et sedulo recognoverit singulas paginas diligenter conscriptas, fideliterque a Notario seu Cancellario propriae Curiae, vel a persona ei substituta, exaratas, subscribatur. In Seminariis autem Episcopalibus Archivum, ut supra, erigatur, et inventarium scripturarum per publicum Notarium, ab Episcopo sive Ordinario eligendum, qui non sit Cancellarius Curiae Episcopalis sive ordinariae, conficiatur coram Vicario Generali aut alia persona Ecclesiastica a praedictis Ordinariis substituenda, et coram uno ex deputatis Seminarii, ad horum beneplacitum, etiam alternis vicibus, cum subscriptione illius, qui eidem confectioni interfuerit, ut supra.

§ 6. Catalogus, et inventarium Archivi capitulorum Ecclesiarum Cathedralium, et Collegiatarum, per Archivistam, ut inferius dicetur, a capitulo eligendum, conficiatur coram duobus Canonicis antiquioribus, et peritioribus cathedralis, et collegiatae eo ordine et subscriptione, quam supra memoravimus. Inventarium tamen, et Catalogus Archivi Ecclesiarum Cathedralium, Collegiatarum, distincti ab Archivo Capituli, per hominem a proprio Episcopo sive Ordinario deputatum, coram Vicario Generali vel Persona Ecclesiastica, ab ipsis Ordinariis eligenda, necnon coram Canonico antiquiore Ecclesiae Cathedralis vel Collegiatae, appositis subscriptionibus eorumdem, conficiatur, ut supra. Inventaria, et Catalogi Scripturarum, quae in Archivis Monasteriorum, et locorum regularium servantur, eodem, quem diximus,

ordine conficiantur per Archivistam regularem ipsius Monasterii seu Conventus, ut inferius, eligendum, et coram Abbate vel Superiore Monasterii, et antiquiore ex Monachis regularibus Monasterii vel Conventus: qui quidem Abbas vel Superior suam subscriptionem apponere debeant.

§ 8. In Ecclesiis Conventualibus seu receptitiis, Collegiis, et Seminariis, seorsum a Seminariis Episcopalibus, ut supra, memoratis, in convictibus, Congregationibus, Confraternitatibus, Hospitalibus, montibus pietatis, aliisque locis piis, ut supra, inventarium, et catalogus coram primo Officiali et Camerario cum eorum subscriptione per Archivistam, si ibi erit, alias per virum idoneum, ab administratoribus eorumdem locorum deputatum conficietur.

§ 9. Huiusmodi inventarii, et catalogi, sic, ut diximus, confecti, duo exemplaria inter se prorsus similia conficiantur, quorum unum in Archivo ipso Episcopali servetur, alterum apud Praelatum Dioecesis, ut supra, antiquiorem Canonicum Cathedralis vel Collegiatae, Abbatem vel Superiorem Monasterii aut Conventus, Abbatissam vel Priorissam, aut Superiorem Monasterii monialium, et Conservatorii, Rectorem, vel primum Officialem locorum piorum respective, ut supra, ita tamen, ut perfuncti suo munere, successoribus illud tradant.

§ 10. Eadem Archiva duabus clavibus, et seris inter se diversis aperiantur; quarum una, quoad Archiva Episcopalia sive Ordinariorum, a Praelato sive Ordinario servabitur; altera Cancellario seu Notario Curiae Episcopalis, vel Ordinariae. Archivi autem Seminariorum Episcopalium una clavis ab Episcopo sive Ordinario, altera ab Archivi praefecto, per Episcopum sive Ordinarium eligendo, cum consilio deputatorum eorumdem Seminariorum, custodiatur. Archivi capituli Ecclesiae Cathedralis vel Collegiatae unam clavim eiusdem Archivi Praefectus servabit, aliam Canonicus antiquior.

§ 12. Quotannis mense ianuarii inventario sive Catalogo Scripturarum illae scripturae adiungantur, quae anno praecedenti confectae vel alias neglectae fuerunt.

§ 17. Praelati, sive utriusque sexus Superiores suae Ecclesiae scripturas Archivo inferendas curent, secundum instructionem inferius recitandam.

§ 18. Ordinarii priusquam inventarium Archivi sui concinnandum curaverint, sedulo inquirant chartas scripturasque usurpatas, alio distractas, atque dispersas; quod praesertim, sede vacante, contingere solet; et quaecumque necessaria remedia adhibeantur, ut eaedem scripturae Archivo restituantur, vel ubi lateant, manifestetur. Qui non sunt Ordinarii, coram Ordinariis, auxilium iudiciarium praestantibus, agant pro scripturarum recuperatione, inque Archivum suum translatione.

§ 22. Ex archivis non liceat efferre scripturas sine Praelati vel Superioris facultate illas exscribendi, easdemque post triduum in suum locum restituendi, ubi syngrapha receptionis, triduano tempore limitata, reponatur. Hanc syngrapham scripturas recipiens, sua manu in codice ad hoc retinendo in eodem archivo, subscribat; Ordinariis tamen locorum reservata facultate prorogationis temporis, quae moderate concedatur.

§ 23. Ad processus quacumque occasione postulante facile inveniendos, volumus, ut Notarii, Tabelliones, et Actuarii unius mensis spatio ab expedi-

tione causarum, Archivistae eosdem processus quoscumque, criminales, civiles, et quamcumque rem continentes, Ecclesiasticam vel temporalem, tradere teneantur, per eum in Archivo reponendos atque servandos: quos pariter inventario scripturarum singulatim recensebit sub poena transgressoribus privationis officii, et futurae ad id obeundum inhabilitatis, praeter alias poenas, in hac Constitutione sancitas. Ubi Archivistas, et Scripturarum custodes mutari contigerit, hi successoribus suis omnes scripturas, per publicum documentum inde confectum, exhibeant; alias hi aeque ac successores de scripturis deficientibus rationem reddant.

§ 24. Denique, ut prospiciatur conservationi scripturarum, ad Ecclesias, Parochias, capellanias, Altaria, loca pia, et causas quoque pias pertinentium, quae per collationem vel nominationem seu praesentationem Canonicam, vel quocumque alio modo reguntur, et administrantur per virum Ecclesiasticum vel Secularem, non vero per Collegium, et propterea difficilius est Archivum, secundum iamdictam instructionem formatum constituere, volumus, ut Ordinarii in suis visitationibus pro suo arbitrio, et prudentia eidem scripturarum conservationi provideant, erectionem Archivi fieri mandantes, regulasque praescribentes, quas rei aptiores fore cognoverint, subiectae Instructioni se conformare pro opportunitate curantes.

[Bull. Rom., tom. 12, p. 221-225].

294.

Benedictus XIII, const. *Militantis Ecclesiae,* 21 iun. 1727.

Militantis Ecclesiae regimini meritis licet imparibus divina dispositione praesidentes, ea, quae ex circumspecta Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum providentia ad insignium Congregationum Regularium antiquitatis, aliaque multiplici laude in Ecclesia Dei fulgentium favorem non minus prudenter, quam liberaliter emanasse noscuntur, ut firma semper, atque inviolata persistant, Apostolici muniminis nostri praesidio, cum id a nobis petitur libenter constabilimus.

§ 1. Dudum siquidem fel. rec. Pius PP. V Praedecessor noster Canonicos Regulares Congregationis Lateranen. Ordinis S. Augustini ubicumque locorum existentes in processionibus, et aliis actibus publicis, vel privatis, statim Clerum Secularem non exemptum subsequi, dum ipsi subsequendo praecedebant, dum vero praecedendo praecedebant, illum immediate sequi debere declaravit, et alias prout uberius continetur in eiusdem Pii Praedecessoris literis desuper sub plumbo expeditis, tenoris, qui sequitur videlicet.

§ 2. Pius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Cum ex Ordinum,* etc.

Omittitur const., quia eam habes supra, in N. 137.

§ 5. Cum autem sicut dilectus filius Alexander Maximilianus Kobosch Canonicus Regularis expresse professus, ac Praepositus Conventus omnium Sanctorum Civitatis Olomucen. eiusdem Congregationis Lateranen. nobis

nuper exponi fecit, licet praefatae Pii Praedecessoris literae in plena ac viridi observantia reperiantur, nihilominus nonnulli Canonici Regulares Ordinis Praemonstraten. in eadem Civitate, vel Dioecesi Olomucen. consistentes sub obtentu, quod praedictae literae subinde auctoritate Apostolica confirmatae non fuerint, ipsi Alexandro Maximiliano praecedentiam in processionibus, et aliis actibus de facto praeripere, ac disputare nitantur, dictus vero Alexander Maximilianus, easdem literas, quo firmius subsistant, ac remoto quocumque praetextu huiusmodi, serventur exactius, Apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desideret.

§ 6. Nos specialem eidem Alexandro Maximiliano gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a Iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas Pii Praedecessoris literas cum omnibus, et singulis in eis contentis, auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, ac innovamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus.

§ 7. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 12, p. 230-232].

295.

Clemens XII, const. *Pastorale officium*, 10 ian. 1731.

Pastorale officium, quo Dominici Gregis regimini per ineffabilem Divinae bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, praesidemus, exigit, ut inter gravissimas multiplicesque Apostolicae servitutis curas, quibus assidue premimur, ad ea, quae Sacrum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Collegium, Sedis B. Petri et universae Ecclesiae Senatum amplissimum spectant, rite ac recte constituenda atque ordinanda peculiari studio, advigilemus.

§ 1. Dudum siquidem fel. rec. Paulus PP. IV Praedecessor Noster, provide considerans, eosdem S. R. E. Cardinales in partem Apostolicae sollicitudinis vocari, ut pro tempore existenti Romano Pontifici in ipsius universalis Ecclesiae administratione assistant, isque eorum consilio agenda disponat, ac partem praecipuam Sacri Corporis, et membra ipsius Romani Pontificis existere: simulque attendens, dicti Collegii Cardinalium Decanum singulari negotiorum huius Sanctae Sedis notitia ac peritia, quae absque diutina continuaque in Romana Curia residentia vix haberi potest, praeditum esse oportere: habita super his cum tunc existentibus eiusdem S. R. E. Cardinalibus in Consistorio suo secreto, matura deliberatione de illorum consilio, et unanimi assensu sancivit, quod Decanatus praedicti Sacri Collegii de caetero perpetuis futuris temporibus nonnisi ad Episcopum Cardinalem antiquio-

rem in Curia praesentem, aut ex causa publica absentem, et extra Curiam per Romanum Pontificem destinatum, devenire posset, et alias, prout in Constitutione ipsius Pauli Praedecessoris, anno Incarnationis Dominicae 1555 undecimo Kalendas Septembris Pontificatus sui anno primo edita, uberius continetur.[1]

§ 2. Cumque postmodum subortum fuisset dubium: an iuxta sensum istius Constitutionis Decanatus eiusmodi deferri deberet Episcopis Cardinalibus promotione antiquioribus, qui occurrente dicti Decanatus vacatione ab ipsa quidem Curia abessent, sed apud Metropolitanas seu Cathedrales Ecclesias residerent, quarum regimen et administrationem una cum aliqua ex sex Cathedralibus Ecclesiis Suburbicariis, quae Cardinalibus antiquioribus pro titulo sui Cardinalatus assignari consueverunt, ex concessione Apostolica retinerent, rec. mem. Clemens PP. XI Praedecessor etiam noster huius quaestionis, quam dirimi volebat, discussionem commisit septem eiusdem Curiae Praelatis doctrina, prudentia et integritate praestantibus, qui, re universa accuratissime, ut par erat, expensa, unanimiter censuerunt, minime suffragari ipsis Episcopis Cardinalibus antiquioribus ad huiusmodi Decanatum obtinendum eorum a Romana Curia absentiam ex causa suae residentiae apud Metropolitanas seu Cathedrales Ecclesias, quibus ex Apostolica dispensatione praeerant. Quam quidem sententiam idem Clemens Praedecessor non modo probavit, ac perpetuis itidem futuris temporibus inconcusse observari mandavit, sed insuper in suo quoque Consistorio Secreto die 3 mensis Martii MDCCXXI habito palam recitari, et inter acta Consistorialia referri, atque custodiri iussit.

§ 3. Quamquam vero piae mem. Benedictus PP. XIII Praedecessor pariter noster per quasdam suas sub plumbo anno item Incarnationis Dominicae 1724 septimo Idus Septembris Pontificatus sui anno primo, absentiam a Curia praefata Episcopis Cardinalibus antiquioribus, dummodo apud Metropolitanas seu Cathedrales Ecclesias, quas in administrationem obtinent, personaliter resideant, in assecutione eiusdem Decanatus nullatenus obesse, sed Decanatum huiusmodi ipso iure deferri praedictis Episcopis Cardinalibus antiquioribus absentibus, et apud dictas Metropolitanas seu Cathedrales Ecclesias actu residentibus, statuere tunc opportunum duxerit, prout in eius litteris praefatis, quarum perinde, ac supradictae Pauli Praedecessoris Constitutionis tenores, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et ad verbum insertis haberi volumus, plenius etiam continetur.[2]

§ 4. Nos tamen ad gravissima, quibus memorata Pauli Praedecessoris sanctio niti dignoscitur, rationum momenta, nostrae dirigentes considerationis intuitum, aliisque iustis et rationabilibus causis animum nostrum moventibus, adducti, post deliberationem, quam super praemissis cum pluribus ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. praedictae Cardinalibus habuimus diligentem, de eorum consilio, ac etiam Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine,

[1] Cf. N. 89.
[2] Cf. N. 282.

hac nostra perpetuo valitura Constitutione illam Pauli Praedecessoris confirmantes ac innovantes, decernimus et mandamus, ut deinceps quotiescumque Decanatus praedictus quomodolibet vacaverit, ipso iure in eumdem Decanatum succedat Episcopus Cardinalis antiquior, qui tempore illius vacationis in dicta Curia praesens sit, vel qui ex causa publica, et Romani Pontificis destinatione dumtaxat, non tamen ratione, seu ex causa residentiae in Metropolitana seu Cathedrali Ecclesia, cuius regimen et administrationem ex Indulto Apostolico retineat, ab eadem Curia tunc temporis absens reperiatur.

§ 5. Quod vero attinet ad alteram controversiam, alias circa ipsum Decanatum excitatam: Num scilicet in eius assecutione Cardinalis anterior in ordine Episcopali, sed posterior in Cardinalatu, praeferendus esset Cardinali posteriori in ordine Episcopali, sed anteriori in Cardinalatu? Declarationem a Benedicto Praedecessore in literis suis praefatis desuper editam tenore praesentium approbantes, pro maiori illius firmitate ac potiori cautela iterum statuimus, antiquitatem inter Episcopos Cardinales in dicta Curia praesentes non esse metiendam sive ducendam a tempore suae promotionis ad Cardinalatus honorem, sed a tempore eorum ingressus in ordinem Episcopalem, ita ut Decanatus eiusdem Sacri Collegii ad antiquiorem in ordine Episcopali, tametsi posteriorem in Cardinalatu, pervenire debeat, et qui prius alicui ex dictis sex Ecclesiis Suburbicariis praefectus fuerit, praeferatur in assecutione Decanatus huiusmodi alteri, qui ante ipsum ad Cardinalatus Dignitatem promotus fuisset.

§ 6. Ad haec sancimus, atque declaramus, non nisi a Cardinalibus, qui fuerint in praefata Curia praesentes tempore ipso vacationis alicuius ex dictis sex Cathedralibus Ecclesiis Suburbicariis, pro titulo Cardinalatus assignari solitis, vel ab eadem Curia absentes similiter ex causa publica, et destinatione Romani Pontificis tantum, non tamen ex causa residentiae apud aliam sibi commissam Ecclesiam, ut praefertur, optari posse Cathedralem Ecclesiam Suburbicariam sic vacantem; nec Cardinales ab ipsa Curia absentes, praeterquam in solo casu superius expresso, ad optionem eiusmodi, etiam per Procuratorem ex eodem Collegio specialiter deputatum, admittendos fore; revocantes proinde et cassantes, irritaque prorsus et inania decernentes quaelibet Indulta optandi Ecclesias Suburbicarias praefatas in absentia, ac per Procuratorem, ex alia quacumque causa, etiam residentiae apud alteram Ecclesiam a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris hactenus forsan concessa, quae tamen nondum sint executioni demandata. Licetque Nobis persuasum sit Successores Nostros, eiusmodi Indulta, quae non modico eisdem Suburbicariis Ecclesiis, earumque Dioecesibus inferre possent detrimentum, minime esse concessuros, sicuti Nos ipsi ab eorum concessione omnino abstinere intendimus; nihilominus si quae contra hanc nostram dispositionem quandocumque et qualitercumque tribui contigerit, illa subreptitie obtenta censeri debere, nullique propterea, perinde ac si non emanassent, suffragari posse, itidem statuimus.

§ 7. Porro si quando evenerit Cardinales, Patriarchali, Primatiali, Archiepiscopali, vel Cathedrali Ecclesiae praefectos, in dicta Curia ex legitima

causa, aut Sedis Apostolicae licentia praesentes tum reperiri, cum facta f-uerit locus vacationi alicuius ex sex Ecclesiis Suburbicariis huiusmodi, nostrae ac Romani Pontificis pro tempore existentis, partes erunt animum sedulo advertere et deliberare, dum absolventur a vinculo, quo priori Ecclesiae tenentur ad effectum optandi et assequendi Ecclesiam vacantem ex dictis Suburbicariis, utrum expediat eis concedere, administrationis seu alio nomine, retentionem alterius Ecclesiae, cui antea praeerant: ac in primis, utrum ambae sint invicem adeo propinquae, ut Pastoralem curam utrique commode impendere, suumque ministerium recte implere valeant. Caeterum non possumus non summopere eos commendare, qui, ut omnem curam et studium suum in utilitatem Ecclesiae iam sibi commissae conferre pergant, nec de vigilantia ei debita quicquam detrahatur, ultro ab eiusmodi optione abstinent, quemadmodum superioribus temporibus plures Cardinales, memores saluberrimi illius Tridentinorum Patrum moniti [1] (valdé nimirum felicem illum esse censendum, cui unam Ecclesiam bene ac fructuose, et cum animarum sibi commissarum salute, regere contigerit) summa cum laude fecerunt.

§ 8. Praeterea considerantes, Cardinalibus veteri more facultatem competere optandi aliam ex sex Suburbicariis Ecclesiis, quoties vacaverit, dimissa priore, quae sibi in titulum assignata fuerat; id vero si frequenter fiat, spirituale incommodum afferre posse Gregibus, quorum Pastores ita crebro mutentur, volumus, ut imposterum Cardinales, qui ab ordine Presbyterorum ad illum Episcopatum ascendentes, unam ex praedictis Ecclesiis Suburbicariis obtinuerint, deinceps ad aliam, priore dimissa, ac Romano Pontifice approbante, semel tantum transire possint: salva tamen illis semper atque illaesa facultate optandi, praevia dimissione prioris, Ecclesiam Ostien., quae peculiaribus gaudet praerogativis, ac praesertim illa, quod Cardinalis, qui ei praeest, Pontificem Maximum solemni ritu, Pallio etiam adhibito, consecrare soleat.

§ 9. Demum, etsi minime dubitemus, quin Venerabiles Fratres nostri ipsius S. R. E. Cardinales, Episcopi sex Cathedralium Ecclesiarum praefatarum, omnibus incumbentis sibi muneris partibus cumulate hactenus satisfecerint, idemque posthac de eis, necnon aliis, qui eiusmodi Ecclesiis praeficientur, Nobis merito polliceamur, pro nostra tamen Pastorali solicitudine, quae nunquam in hoc nimia esse potest, ad eorum memoriam revocandum duximus, teneri ipsos, etiamsi in dicta Curia, ut Romano assistant Pontifici, commorentur, Ecclesias et Dioeceses suas ad praescriptum Sacrorum Canonum et Decretorum Concilii Tridentini,[2] visitare per ipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum Vicarium in Spiritualibus Generalem, aliumve probum, et ad id idoneum virum Ecclesiasticum; necnon relationem status earumdem Ecclesiarum et Dioecesum, quibus praesunt, ipsi Pontifici, iuxta Constitutionem similis mem. Sixti PP. V Praedecessoris quoque nostri, quae incipit. *Romanus Pontifex etc.*[3] exhibere, ac caetera, quae ad Episcopale offi-

[1] Sess. VII, *de ref.*, c. 2.
[2] Sess. XXIV, *de ref.*, c. 3.
[3] Cf. N. 156.

cium pertinent, diligenter praestare. Qua sane in re maxime decet, eos pro sublimi, quem in Ecclesia Dei tenent, honoris et Dignitatis gradu, aliis omnibus Antistitibus exemplo, quod ii sequentur, praeire.

§ 10. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 13, p. 162-164].

296.

Clemens XII, litt. ap. *Compertum*, 24 aug. 1734.[1]

Compertum, exploratumque Vobis esse non ambigimus, Carolum Thomam bon. mem. tunc Patriarcham Antiochenum cum potestate Legati a latere Apostolicum Commissarium et Visitatorem, deinde huius S. R. E. Cardinalem de Tournon, a Praedecessore nostro fel. rec. Clemente XI, ad Sinas anno 1702 missum, ubi primum ad Arcem Pudicherii appulit, ut gravibus et urgentibus Missionum in Regnis Madurensi, Mayssurensi, et Carnatensi saluberrime dirigendarum necessitatibus opportune prospiceret, condidisse die 23 mensis Iunii anni 1704, Decreta nonnulla, quae die 8 mensis Iulii eiusdem anni promulgavit. Cum autem aliquot ex Venerabilibus Fratribus, et Dilectis Filiis, Episcopis, et sacris Indiarum Orientalium Operariis, quibusdam in iisdem Decretis contentis minime acquiescentes, reclamassent, laudatus Praedecessor noster Clemens XI Litteris in forma Brevis ad Episcopum Meliapurensem die 17 mensis Septembris anni 1712 datis,[2] eorumdem Decretorum obedientiam, et observantiam tamdiu requisivit, ac mandavit, donec Apostolica haec Sedes causae momentis fideliter relatis, et accuratius inspectis, quas novisset Iustitiae magis consentaneas, et propagandae Christianae Fidei magis idoneas providentiae suae vias, ac rationes miret. Benedictus etiam XIII fel. rec. itidem Praedecessor noster provide Clementis XI Mandatis, declarationibus, atque vestigiis inhaerens, Literis quoque in forma Brevis die 12 mensis Decembris anni 1727 datis,[3] memorata Cardinalis Tournonii Decreta confirmationis robore similiter munivit. Nos vero, qui plane immerentes ipsis Summis Pontificibus in Apostolica servitute successimus, nihil optamus impensius, quam ut Sacrosancta Iesu Christi Fides amplius in dies promoveatur, atque omni ope curemus, ut si qua forte magnis eiusdem incrementis, et propagationi occurrant impedimenta, (Deo votis nostris obsecundante) penitus auferantur. Itaque postquam necessaria, et certiora habuimus documenta, Theologorum, ac praesertim Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium per universam Christianam Rempublicam Generalium Inquisitorum suffragia exquisivimus, quaeque iidem Venerabiles Fratres nostri Cardinales confirmanda, aut moderanda, vel declaranda, atque in nonnullis

[1] Venerabilibus Fratribus, ac dilectis Filiis, Episcopis, et Apostolicis Missionariis in Regnis Indiarum Orientalium, Madurensi, Mayssurensi, et Carnatensi.

[2] *Non sine gravi.* - Cf. Ius Pontif. de Prop. Fide, pars I, vol. II, p. 296, 297.

[3] *Ad aures nostras.* - Cf. Ius Pontif. de Prop. Fide, pars I, vol. VII, p. 113.

remittenda Nobis consulere decreverunt, ex sequentibus Dubiis hic insertis plene vos dignoscetis.

« Dubia pro Missionibus Madurensi, Mayssurensi, et Carnatensi exorta « occasione Decreti clar. mem. R. P. D. Caroli Thomae Maillart de Tournon « Patriarchae Antiocheni, postea S. R. E. Cardinalis, editi Pontícherii die 23 « Iunii 1704, proposita in Congregationibus Generalibus S. Officii, habitis « in Conventu S. Mariae supra Minervam, coram Eminentissimis et Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, praesentibus « DD. Consultoribus, infrascriptis diebus: Super quibus Dubiis iidem Eminentissimi suam protulerunt sententiam, prout infra, videlicet ».

Feria 4 die 21 Ianuarii 1733.

Dubium primum. *An, et quomodo Decretum clar. mem. Eminentissimi Cardinalis de Tournon sit exequendum in ea parte, quae est tenoris sequentis:* « Districte prohibemus, ne in baptizandis tam Pueris, quam Adultis cuiuscumque sexus, et conditionis, omittantur Sacramentalia, sed omnia palam « adhibeantur, et signanter saliva, sal, et insufflatio, quae ex Apostolica « Traditione Catholica Ecclesia recepit, et ob recondita in iis Sacris Caeremoniis Divinae erga nos bonitatis Mysteria, sancte, et inviolabiliter custodivit; Decreto Sanctae, et universalis Inquisitionis de anno 1656 pro Sinis « facto,[1] ob diversas rationes, et circumstantias, minime obstante ».

Eminentissimi dixerunt. « Confirmandum esse Decretum Eminentissimi « Cardinalis de Tournon: sed consulendum Sanctissimo, quod Missionariis « Regnorum Madurensis, Mayssurensis, et Carnatensis Dispensationem concedat ad Decennium duraturam, omittendi in collatione Baptismi salivam, « et occulte utendi insufflationibus, in casibus tamen particularibus, et in « quibus gravis et proportionata necessitas urgeat, super qua conscientia « Missionariorum oneratur: dummodo non laborent errore habendi salivam, « et anhelitum, tamquam materiam ineptam, vel incapacem ad inserviendum « pro Sacramentalibus Caeremoniis in Baptismo, utpote omnino incapaces « Baptismi. Eisque Missionariis iniungendum, ut debitam instructionem, aliasque omnes possibiles diligentias adhibeant, ut aversio Populorum a saliva, « et insufflatione amoveatur, et de instructione, aliisque diligentiis adhibitis « Sanctam Sedem intra tempus Decennii certiorent ».

« Insuper monendos esse Missionarios super gravi negligentia non recurrendi ad S. Sedem pro obtinenda facultate dispensandi, et male se gessisse Episcopos concedendo huiusmodi Dispensationem, inconsulta Apostolica Sede ».

Secundum dubium. *An, et quomodo dictum Decretum sit exequendum in ea parte, quae est tenoris sequentis.* « Item praecipimus, ut iuxta laudabilem Ecclesiae consuetudinem, semper imponatur Baptizando a Baptizante « nomen alicuius Sancti in Martyrologio Romano descripti, omnino interdictis Nominibus Idolorum, vel falsae Religionis Poenitentium, quibus

[1] Die 23 mart. - Cf. Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 126.

« Gentiles utuntur, et Neophiti hactenus appellari consueverunt, antequam « per Baptismum essent Divinae Gratiae renati ».

Eminentissimi dixerunt. « Moderandum esse Decretum, deleto verbo, « *Praecipimus;* cum clausula: *Curent quantum fieri potest*; firma remanente « interdictione, quoad nomina Idolorum, et falsae Religionis Poenitentium ».

Feria 4 die 22 Aprilis 1733.

Tertium dubium. *An, et quomodo dictum Decretum sit exequendum in ea parte, quae est tenoris sequentis.* « Nec Parochis, seu Missionariis sub « quovis praetextu liceat SS. Crucis, Sanctorum, et rerum sacrarum nomina « per translata immutare, nec ea alio Idiomate explicare, nisi Latino, vel « saltem Indico, quatenus voces Indicae Regionis, latinae significationi liquido « et adamussim respondeant ».

Eminentissimi dixerunt. « Quod servetur Decretum Eminentissimi de « Tournon, et declaretur, non habere locum in vocibus, et nominibus iam « ab Institutione Missionis communiter receptis, quae tamen per hanc decla- « rationem nec approbantur, neque reprobantur ».

Quartum dubium. *An, et quomodo dictum Decretum sit exequendum in ea parte, quae est tenoris sequentis.* « Et quia audivimus, Baptismum Infan- « tium ex Christianis Parentibus ortorum, eorumdem incuria, saepe saepius « diu protrahi, non sine maximo dictorum Infantium salutis discrimine, mo- « nemus Evangelicos Operarios, ut sacrorum Canonum memores, terminum « breviorem, quam fieri possit, attentis circumstantiis, Genitoribus praefi- « gant, graviter conscientiam eorum onerantes, nisi filios intra praefixum « tempus ad Ecclesiam deferant Sacro Fonte abluendos ».

Eminentissimi dixerunt. « Servandum esse Decretum Eminentissimi Car- « dinalis de Tournon ».

Quintum dubium. *An, et quomodo praedictum Decretum sit exequendum in ea parte, quae est tenoris sequentis.* « Praeterea cum moris huiusmodi « Regionis sit, ut Infantes sex vel septem annorum, interdum etiam in tene- « riori aetate, ex Genitorum consensu, matrimonium indissolubile de prae- « senti contrahant per impositionem Taly, seu aureae Tesserae Nuptialis « Uxoris collo pensilis; Missionariis mandamus, ne huiusmodi irrita matri- « monia inter Christianos fieri permittant, nec Sponsos sic coniunctos coha- « bitare sinant, donec completa legitima aetate, et explorato eorum consensu, « in faciem Ecclesiae, iuxta formam a Sac. Concilio Tridentino praescriptam, « verum, et canonicum Matrimonium contraxerint ».

Eminentissimi dixerunt. « Exequendum esse decretum Eminentissimi de « Tournon; cum declaratione tamen, servandam esse formam pro Matrimo- « niis a Sac. Concilio Tridentino praescriptam in locis, in quibus Decretum « dicti Concilii in cap. primo sess. 24 de Reform. Matrim. publicatum est, et « imposterum publicabitur, neque eius observantia sit impossibilis; et Mis- « sionarii curent, quantum fieri potest, ut in omnibus locis Missionum illarum « Partium dictum Concilii Decretum publicetur ».

Feria 4 die 13 Maii 1733.

SEXTUM DUBIUM. *An, et quomodo dictum Decretum sit exequendum in ea parte, quae est tenoris sequentis.* « Et quoniam apud Peritiores impiae illius « Religionis Sectatores, Taly praesefert Imaginem, licet informem, Pulleyaris, « seu Pyllejaris idoli nuptialibus Caerimoniis praepositi, cumque dedecet « Christianas Mulieres talem effigiem collo deferre in signum Matrimonii; « districte prohibemus, ne imposterum audeant Taly cum hac effigie collo « appendere; et ne Uxores innuptae videantur, poterunt uti alio Taly, vel « Sanctissimae Crucis, vel Sanctiss. Domini Nostri Iesu Christi, vel Beatae « Virginis, vel alia quavis Religiosa Imagine ornato ».

EMINENTISSIMI DIXERUNT. « Servandum esse Decretum Eminentissimi de « Tournon, quamvis Missionarii asserant, nunquam permisisse gestationem « dicti Taly ».

SEPTIMUM DUBIUM. *An, et quomodo praedictum Decretum sit exequendum in ea parte, quae est tenoris sequentis.* « Et cum supertitione non careat « Funiculus centum et octo filis compositus, et croceo succo delinitus, quo « plerique dictum Taly appendunt, prohibemus etiam dictorum filorum nu- « merum, et unctionem ».

EMINENTISSIMI DIXERUNT. « Servandum esse Decretum Eminentissimi de « Tournon ».

OCTAVUM DUBIUM. *An, et quomodo dictum Decretum sit exequendum in ea parte, quae est tenoris sequentis.* « Caeremoniae etiam Nuptiales iuxta « harum Regionum morem tot sunt, tantaque superstitione maculatae, ut « tutius remedium aptari non possit, quam eas omnino interdicendo, cum « undique noxia Gentilitatis labe scateant, et difficillimum sit eas a supersti- « tiosis expurgare. At vero, ut faciliori conversionum viae, et Neophitorum « commodo, quantum fieri potest, in Domino indulgeamus, Missionariis, « et praecipue Missionum Superioribus iniungimus, ut novis adhibitis dili- « gentiis, severiorique calculo, superstitiosa omnia a dictis Caeremoniis expun- « gant, ita ut nihil inultum relinquatur, quod Christianam pietatem offendat, « et Gentilium superstitionem redoleat, et signanter, praeter eas, quas audi- « vimus iam statutas in hac materia ab iisdem Missionariis reformationes, « ramus arboris Arescionara omnino auferatur, ferculorum numerus, non « minus ac cibi praescripta qualitas, varietur: circuli super caput sponsorum « ad tollenda maleficia, omittantur; et quod de ferculis diximus, de luteis « Vasis ibidem adhiberi solitis a nobis dictum, et prohibitum intelligatur ».

EMINENTISSIMI DIXERUNT. « Servandum esse Decretum Eminentissimi Car- « dinalis de Tournon ».

Feria 4 die 22 Iulii 1733.

NONUM DUBIUM. *An, et quomodo dictum Decretum sit exequendum in ea parte, quae est tenoris sequentis.* « Fructus etiam, vulgo dictus Cocco, ex « cuius fractione prosperitatis, vel infortunii auspicia Gentiles temere ducunt, « vel omnino a Christianorum Nuptiis reiiciatur, vel saltem, si illum come- « dere velint, non publice, sed secreto, et extra solemnitatem aperiatur ab

« iis, qui Evangelica luce edocti, ab huiusmodi auspiciorum deliramento sunt « immunes ».

Eminentissimi dixerunt. Dilata.

Decimum dubium. *An, et quomodo dictum Decretum sit exequendum in ea parte, quae est tenoris sequentis.* « Nullus rite, et sufficienter dispositus « arceatur a Sacramento Poenitentiae, et signanter Mulieres menstruali morbo « laborantes, non attentis diebus purificationis iuxta morem Gentilium; cum « haec Sacramentalis vera Animae purificatio, et non alia, sit attendenda a « Christifidelibus, eorumque Pastoribus, quibus praeterea non liceat, nec « per seipsos, nec per Catechistas, nec per alios quoscumque, dictis Mulie« ribus prohibere accessum ad Ecclesiam, vel ad Confessarium, durante dicta « infirmitate, et dictae purificationis tempore ».

Eminentissimi dixerunt. « Servandum esse Decretum Eminentissimi Car« dinalis de Tournon ».

Undecimum dubium. *An, et quomodo exequendum sit dictum Decretum in ea parte, quae est tenoris sequentis.* « Dedecet etiam Christianae Virginis « honestati prima vice dicto morbo laborantis, illum Cognatis, Vicinis, et « Amicis notum facere, et inverecunde publicare, iisque Ethnicorum more « et ritu in eius domum collectis, super re tam sordida festum instituere. « Quocirca huiusmodi solemnitates et ritus Orthodoxis Puellis interdicimus, « et abolemus, Missionariisque iniungimus, ut non solum eas, verum etiam « Genitores moneant, quam dissona sit virginei pudoris legibus eiusmodi « obscaena consuetudo, quae a Gentilium impudentia videtur inducta, ut ita, « labefactata Puellarum verecundia, eas effrenate ad libidinem provocare « valeant ».

Eminentissimi dixerunt. « Quod curent Missionarii abolere festum sub « titulo Menstrui, sed sub titulo Nuptiarum tantum permittant ».

Feria 4 die 9 Septembris 1733.

Nonum Dubium supradicta die 22 Iulii propositum, sed non resolutum: *An, et quomodo praedictum Decretum sit exequendum in ea parte, quae est tenoris sequentis.* « Fructus etiam vulgo dictus Cocco, ex cuius fractione pro« speritatis, vel infortunii auspicia Gentiles temere ducunt, vel omnino a « Christianorum nuptiis reiiciatur, vel saltem, si illum comedere velint, non « publice, sed secreto, et extra solemnitatem aperiatur ab iis, qui Evangelica « luce edocti, ab huiusmodi auspiciorum deliramento sunt immunes ».

Eminentissimi dixerunt. « Servandum esse Decretum praedicti Eminen« tissimi Cardinalis de Tournon ».

Decimum secundum dubium. *An, et quomodo Decretum praedicti Eminentissimi Card. de Tournon sit exequendum in ea parte, quae est tenoris sequentis.* « Ferre pariter non possumus, quod a Medicis Spiritualibus pro Anima« rum salute ea charitatis Officia denegentur, quae Medici Gentiles Nobilis « etiam generis, seu Castae, pro Corporis salute praestare non dedignantur « Infirmis, licet abiectae et infimae conditionis, vulgo dictis Pareas. Quapro« pter districte mandamus Missionariis, ut, quantum in ipsis erit, nemini e « Christianis aegrotis, quantumvis Pareas, et vilioris, si adessent, generis

« hominibus, desideranda relinquatur in infirmitate copia Confessarii: et ne
« ingravescentibus morbis, cum gravissimo vitae corporalis periculo, aeternae
« consulere cogantur, iisdem Missionariis praecipimus, ne infirmos huius-
« modi conditionis ad Ecclesiam deferendos expectent, sed consultius Domos,
« ubi aegrotant, pro viribus petant ad eos invisendos, ac piis sermonibus,
« et precibus, Sacramentorumque pabulo recreandos, atque demum eos in
« extremo vitae discrimine constitutos Sancto Infirmorum Oleo deliniant,
« absque Personarum, aut sexus acceptione, expresse damnantes quamcum-
« que praxim huic Christianae pietatis officio contrariam ».

Eminentissimi dixerunt. « Servandum esse Decretum Eminentissimi de
« Tournon; praeterea monendos Missionarios, quod neque ad Baptismum
« admittant Indos, qui in ea sunt opinione, Pareas a Deo esse reprobatos,
« et ideo nullam posse sperare salutem, nisi eam opinionem deposuerint ».

Decimum tertium dubium. *An, et quomodo dictum Decretum exequendum sit in ea parte, quae est tenoris sequentis.* « Non sine maximo animi
« nostri moerore accepimus etiam, Christianos Tympanorum pulsatores,
« Tibicines, vel alterius cuiuscumque Musici Instrumenti Sonatores ad Ido-
« lorum Festivitates et Sacrificia accersiri, ad ludendum, et interdum etiam
« cogi, ob quamdam servitutis speciem erga Publicum ab ipsis contra-
« ctae per huiusmodi artis exercitium, nec facile esse Missionariis, eos ab
« hoc detestabili abusu avertere. Quocirca considerantes, quam gravem ratio-
« nem essemus Deo reddituri, si huiusmodi Christifideles a Daemoniorum
« honore et cultu pro viribus non revocaremus, illis prohibemus, ne impo-
« sterum audeant, nec in Pagodis, nec extra, tum occasione Sacrificiorum,
« tum quarumcumque Solemnitatum superstitioso cultu imbutarum, sonare,
« aut canere, sub poena Excommunicationis latae sententiae; cum nullo
« modo liceat Christi famulis Belial inservire; ideoque Missionarii non solum
« eos monere tenebuntur de praedicta prohibitione, verum etiam illam omnino
« executioni demandare, et contrafacientes ab Ecclesia expellere, donec ex
« corde resipiscant, et publicis poenitentiae signis patratum scandalum emen-
« daverint ».

Eminentissimi dixerunt. « Servandum esse Decretum Eminentissimi Car-
« dinalis de Tournon ».

Decimum quartum dubium. *An, et quomodo dictum Decretum exequendum sit in ea parte, quae est tenoris sequentis.* « Declaramus praeterea Pon-
« tificiam Constitutionem Gregorii Papae XV incipien. *Romanae Sedis Anti-
« stes,*[1] ad petitionem PP. Societatis Iesu editam, qua indigenis Christifidelibus
« lavacra non alia occasione, et fine, quam corporis reficiendi, et a natura-
« libus sordibus mundandi, ab Apostolica Sede permittuntur, interdictis
« tempore, et modo, quibus a Gentilibus adhiberi solent, aeque afficere
« Evangelicos Operarios, quibus propterea non liceat sub quacumque alia
« causa, et fine, etiam ad effectum, ut existimentur Sanias, seu Brachmanes,
« prae caeteris dediti huiusmodi ablutionibus, illis uti, praesertim statutis

[1] Cf. Ius. Pontif. de Prop. Fide, pars I, vol. I, p. 15-17.

« eorum horis, et ante, vel immediate post quamcumque Sacram fun« ctionem ».

Eminentissimi dixerunt. « Servandum esse Decretum Eminentissimi Car« dinalis de Tournon ».

Feria 4 die 16 Septembris 1733.

Decimum quintum dubium. *An, et quomodo Decretum Cardinalis de Tournon, sit exequendum in ea parte, quae est tenoris sequentis.* « Cineres itidem « ex Vaccae stercore confectos, et impiam Gentilium Poenitentiam a Rutren « institutam redolentes, benedicere, eosque fronti Sacro Chrismate delinitae « impingere, sive quaecumque alia signa albi, vel rubei coloris, quibus Indi « superstitiosissimi in fronte, vel in pectore, aut in alia quavis corporis parte « utuntur, deferre prohibemus, mandantes, ut Sanctae Ecclesiae consuetudo, piique ritus Cineres benedicendi, illisque Christianorum caput Cruce « signandi ad humanae infirmitatis memoriam recolendam, religiose serven« tur, tempore, ac modo ab Ecclesia praescripto, scilicet Feria 4 Cinerum, « et non alias ».

Eminentissimi dixerunt. « Confirmandum esse Decretum Eminentissimi « Cardinalis de Tournon, servata in omnibus Constitutione Gregorii XV « edita die 31 ianuarii 1623, quae incipit: *Romanae Sedis Antistes* ».[1]

Praeterea Eminentissimi dixerunt. « Quod fiat Decretum, quod impo« natur Missionariis, cuiuscumque Ordinis, etiam Societatis Iesu, in Partibus « Infidelium degentibus, ne audeant permittere Ritus, vel Consuetudines « proprias Gentilium, nec illos, aut illas proprio arbitrio vertere in Ritus, « vel Consuetudines Christianae Religionis, inconsulta S. Sede; et Missionarii « meminerint praeceptionis Alexandri VII in sua Constit. incipien. *Sacro« sancti*,[2] sequentibus verbis express. Ne ob Instructionis defectum, qui Sacro « Baptismate initiantur, immaculatam Christi legem profanis ac gentilitiis « Institutis ex ignorantia foedent, ac Idololatriam cum Orthodoxa Fide con« fundant, ut saepe inibi evenire nunciatum est; caveant ii, qui iisdem « instruendis incumbunt, ne imposterum ullus ad Baptisma admittatur, qui « gentilitios mores prorsus non exuerit, et in fide non sit sufficienter « instructus ».

Decimum sextum, et ultimum dubium. *An, et quomodo dictum Decretum exequendum sit in ea parte, quae est tenoris sequentis.* « Et demum quia ex « librorum de falsa Religione, et de rebus obscenis, et superstitiosis tractan« tium lectura, venenum, ut plurimum serpere solet ad Cor Fidelium, quo « non minus Fidei puritas offenditur, quam mores corrumpuntur, magnopere « commendantes zelum, ac studium Missionariorum, qui libros sacram Eccle« siae Catholicae doctrinam, rerumque Sacrarum monumenta continentes, « pro Indorum Christifidelium eruditione, in linguam Malabaricam, seu Tamu« licam transtulere, vel novos pro illorum commodo, et institutione compo« suerunt, iisdem Christifidelibus expresse interdicimus fabulosos Gentilium

[1] Cf. Ius Pontif. de Prop. Fide, pars I, vol. I, p. 15-17.
[2] Cf. N. 235.

« libros, eosque legere, et retinere prohibemus, sub poena Excommunica-« tionis latae sententiae, nisi prius habita licentia Parochi, seu Missionarii « curam Animarum exercentis, quorum prudentiae committimus facultatem « super hoc dispensandi, et libros (si qui forte sunt) noxia superstitione « vacuos, et nihil contra bonos mores tractantes, pro Christianorum usu « seligendi, eorumque lecturam permittendi ».

EMINENTISSIMI DIXERUNT. « Servandum esse Decretum Eminentissimi Car-« dinalis de Tournon ».

Quibus dubiis, et eorum resolutionibus Nobis per Venerabilem Fratrem Archiepiscopum Damiatae, Congregationis Sancti Officii Assessorem, relatis, Resolutiones ipsas plene approbantes, cuncta ea, quae iuxta earum tenorem confirmanda, aut moderanda, vel declaranda, ac in nonnullis remittenda visa sunt, respective confirmavimus, moderavimus, declaravimus, et in nonnullis remisimus. Quocirca, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, Vobis iniungimus et mandamus, ut pro singulari vestra in Nos atque hanc Sanctam Sedem reverentia, quaecumque per hasce nostras Literas de Apostolicae Auctoritatis plenitudine, vel confirmata, vel decreta, aut praescripta sunt, sanctissime custodiatis, atque ab omnibus servanda studiosissime curetis: Obsecrantes Vos in Domino per viscera misericordiae Dei nostri, ut Controversiis iam sepositis, et omnino evulsis, alacres atque animi nostri sensibus concordes, studia et labores vestros in Animarum salutem, quae praestantissimus vestrae vocationis est finis, pro viribus conferatis.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 406-412].

297.

Clemens XII, const. *Admonet Nos*, 11 aug. 1735.

Admonet Nos Apostolici muneris ratio ad ea serio intendere, per quae provide statuta a Praedecessoribus nostris, praesertim ad Ecclesiasticam disciplinam tuendam, ac pacem, et tranquillitatem inter Villicos, et Operarios agri Dominici firmandam spectantia, inviolabiliter custodiantur, atque observentur.

§ 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit Venerabilis Frater Patriarcha Ulyxbonen., quod Regulares Regnorum Portugalliae, et Algarbiorum diversis temporibus adnixi fuerint sese ab observatione Constitutionis fel. recor. Gregorii Papae XV Praedecessoris Nostri, quae incipit: *Inscrutabili Dei providentia*, subducere, ac eximere, freti quibusdam in simili forma Brevis literis rec. me. Urbani Papae VIII Praedecessoris etiam Nostri die 3 martii 1625 expeditis, tenoris, qui sequitur, videlicet: Dilecto Filio Magistro Ioanni Baptistae Pallottae in utraque Signatura nostra Referendario, Iurium, et Spoliorum Camerae nostrae Apostolicae in Portugalliae, et Algarbiorum Regnis debitorum Collectori Generali Urbanus Papa VIII. Dilecte fili salutem, et Apostolicam benedictionem. Alias a fel. rec. Gregorio Papa XV Praedecessore Nostro emanarunt literae tenoris subsequentis, videlicet: Gregorius

Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. *Inscrutabili*, etc.

Omittitur constitutio, quia eam habes supra, in N. 199.

Cum autem, sicut accepimus, circa executionem literarum praedictarum in Portugalliae, et Algarbiorum Regnis faciendam nonnulla per dilectum filium Michaelem Suarium Pereira, negotiorum Regnorum huiusmodi pro carissimo in Christo filio nostro Philippo Portugalliae et Algarbiorum Rege Catholico in Romana Curia Agentem, eiusdem Philippi Regis nomine coram dilectis filiis nostris Dominico Sanctorum duodecim Apostolorum Gymnasio, Ioanne Garcia Sanctorum quatuor Coronatorum Millino, ac Scipione Sanctae Susannae, necnon Antonio S. Honuphrii Titulorum Presbyteris Cardinalibus respective nuncupatis ad id a nobis specialiter deputatis, deducta fuerint, idcirco donec deducta, ut praefertur, et quae deducenda fuerint, per Dominicum, Ioannem Garciam, Scipionem, et Antonium Cardinales praedictos, seu alios a nobis super his deputandos maturius, et plenius videantur, atque considerentur: Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, Tibi per praesentes committimus, et mandamus, ut in Regnis Portugalliae, et Algarbiorum praedictis tantum ab executione praeinsertarum literarum huiusmodi supersederi, auctoritate nostra cures, et facias, donec aliter a Nobis, seu Romanis Pontificibus Successoribus nostris provisum fuerit; contradictores quoslibet, et rebelles, ac Tibi in hoc non parentes, per sententias, censuras, et poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Iuris, et Facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus praeinsertis literis huiusmodi, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 3 martii 1625 Pontificatus nostri anno II.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, suspensio dictae Constitutionis Gregorii Praedecessoris vigore praeinsertarum Urbani itidem Praedecessoris literarum, donec aliter ab ipso Urbano Praedecessore, seu Romanis Pontificibus Successoribus suis provisum fuisset, sicut praemittitur, facta iam diu cessaverit, ac e medio sublata fuerit per posteriores Ordinationes a Sede Apostolica identidem emanatas, potissimum vero per alteram Constitutionem similis mem. Clementis Papae X Praedecessoris quoque nostri, cuius initium est: *Superna magni Patris familias,*[1] usque ab anno 1670 per viam Legis universalis promulgatam, ad removenda scilicet dubia, et contentiones, quae occasione recensitae Constitutionis Gregorii Praedecessoris excitata fuerunt, quemadmodum novissime etiam a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. Romanae Ecclesiae Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, re discussa, expensisque Urbani Praedecessoris literis praeinsertis, resolutum, et declaratum fuit, nihilominus nonnulli Regulares Regnorum praefatorum, et praesertim Ordinis Cistercien. executioni eiusdem Constitutionis Gregorii, et alterius Clementis Praedecessorum, necnon decretorum, quae ad illarum tramites a dicta Congregatione Cardinalium prodie-

[1] Cf. N. 246.

runt, adhuc obsistere ac refragari pergant, obtendentes ultra dictas litteras Urbani Praedecessoris, se in neutra ex emanatis Constitutionibus comprehensos esse, eo quod in illis expresse nominati minime reperiantur, sicut iuxta asserta eorum privilegia opus fuisse aiunt, Nobis propterea praedictus Patriarcha humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§ 3. Nos igitur ipsius Patriarchae votis, hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes, et singulos Regulares, praefatorum Regnorum Portugalliae, et Algarbiorum etiam dicti Cisterciensis, et cuiuscumque alterius Ordinis, Congregationis, Societatis, et Instituti, etiam necessario, specialiter, ac in individuo nominandi, et exprimendi, ad exactam, et plenariam Constitutionum memoratorum Gregorii, et Clementis Praedecessorum observationem, prout eos concernunt, omnino teneri, et obligatos existere, et fore, et ad id sub censuris Ecclesiasticis, et aliis in iisdem Constitutionibus contentis poenis cogi, et compelli posse, auctoritate Apostolica harum serie statuimus, et declaramus.

§ 4. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 14, p. 42-45].

298.

Clemens XII, const. *Dudum*, 26 mart. 1736.

§ 1. Dudum emanavit a fel. rec. Innocentio PP. XI Praedecessore nostro in Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum coram ipso Innocentio Praedecessore habita Decretum Typis subinde impressum, ac evulgatum tenoris qui sequitur videlicet: Die 29 ianuarii 1677. In Congregatione generali de Propaganda Fide habita in Palatio Apostolico coram Reverendissimo Domino nostro Innocentio Papa XI, ac Eminentissimis, et Reverendissimis Cardinalibus eiusdem Sacrae Congregationis. Decretum, ne permittatur Graecis cuiuscumque status, et conditionis etc. pecunias quaestuare, vel quovis alio modo eleemosynas petere. Cum Sancta loca Hierosolymitana, in quibus Verbum caro factum est, et nostrae reparationis Mysteria Deo miserante, completa sunt, hactenus administrationi, et custodiae S. Francisci de Observantia a Sancta Sede Apostolica commissa, nuperrimis hisce diebus a Graecis schismaticis, subornatis aulae Turcicae ministris, de manu dictorum Fratrum S. Francisci summo latinorum dedecore usurpata sint, iis, praecipue subsidiis, quae ex fidelium Christianorum eleemosynis iidem Graeci perceperunt: ut huic sceleri modus imponatur, neve ex fidelium pietate schismaticis, et perpetuis Ecclesiae Romanae

hostibus aditus ad novas cumulandas iniurias aperiatur, Sanctissimus Dominus Noster Innocentius PP. XI suorum Praedecessorum Summorum Pontificum vestigiis inhaerendo etiam de Consilio, et Voto Eminentissimorum, et Reverendissimorum DD. S. R. E. Cardinalium Congregationi de Fide Propaganda praepositorum omnibus, et quibuscumque S. R. E. Cardinalibus a latere Legatis, Nuntiis Apostolicis, Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitanis, Episcopis, Abbatibus, ceterisque omnibus Ordinariis de utroque Clero Saeculari, et Regulari Ecclesiasticam Iurisdictionem tam ordinariam, quam delegatam in Iurisdictionibus, sive suis Dioecesibus respective exercentibus, in virtute sanctae obedientiae iniungit, atque inhibet, ne de cetero quibuscumque Graecis tam Saecularibus, quam Ecclesiasticis, etiam Regularibus quacumque Dignitate, quamvis Abbatiali, seu Archimandritiali, Episcopali, Metropolitica, Archiepiscopali, sive Patriarchali fulgentibus tacite, vel expresse sub quocumque praetextu permittant pecunias quaestuare, vel quovis alio modo eleemosynas a fidelibus petere, etiamsi de eorum unione cum Ecclesia latina per abiurationem Schismatis, et fidei Catholicae professionem in manibus Episcoporum, vel Inquisitorum contra haereticam pravitatem literis testimonialibus docuerint, vel per alios Episcopos, et locorum Ordinarios similis quaestuationis facultates in scriptis acceperint, vel ad fidem de novo conversi aliorum Schismaticorum iram, et insidias effugere conati sint, vel ad effectum reparandi Ecclesias ab Infidelibus dirutas, et non obstantibus aliis quibuscumque praetextibus, et causis. Immo potius omnes, et singulas literas patentales a quocumque Praesule, etiam speciali nota digno, et a Tribunalibus Curiae Romanae, et eiusdem S. Congregationis de Fide Propaganda (dummodo contentis in praesenti Decreto specialiter, et expresse non fuerit derogatum cum posteriori data) statim ac in eorum Ordinariorum manus pervenerint, ad Sacram de Fide Propaganda Congregationem transmittant. Et ne contra praemissorum omnium observantiam allegari possit futuris temporibus ignorantia, eadem Sanctitas Sua de Consilio eorumdem S. R. E. Cardinalium voluit, ut huic Decreto, aut etiam literis ad eius formam expeditis, seu expediendis sive scriptis, sive impressis ab eiusdem tamen Sacrae Congregationis Praefecto signatis, sigilloque solito munitis fides eadem adhibeatur, quae ipsis originalibus praestaretur, non obstantibus quibuscumque. Datum Romae die 4 februarii 1677. - P. Card. de Alteriis Praefectus. - Loco ✠ Sigilli. - V. Cerrus Secretarius.

§ 2. Ac postmodum re. me. Alexander Papa VIII Praedecessor etiam noster supplicationibus pro parte tunc pariter existentis Bernardi Iosephi a Iesu Maria Fratris expresse professi Ordinis Minorum S. Francisci de Observatia Reformatorum nuncupatorum, ac Commissarii, et Procuratoris Generalis in Romana Curia Terrae Sanctae sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus per suas in simili forma Brevis die 21 octobris 1690 expeditas literas idem Decretum toto illius tenore inserto, approbavit, et confirmavit, ac alias prout in Alexandri Praedecessoris literis praefatis uberius continetur.[1]

[1] Cf. N. 251.

§ 3. Cum autem ad Apostolatus nostri notitiam pervenerit non deesse hisce etiam temporibus Graecos Schismaticos, qui subdolis artibus, ac emendicatis praetextibus Christifidelium pietatem circumvenientes, in diversis Catholicis Regionibus pecunias quaestuare, seu eleemosynas colligere praesumunt, iisque ad eorum schisma confovendum, erroresque pertinacius retinendos, nec non ad ipsius verae Fidei, et Catholicorum perniciem contra eorumdem fidelium mentem, ac intentionem, nequiter abutuntur: hinc est, quod Nos firmiori Decreti, et literarum praefatarum executioni, et observationi quantum cum Domino possumus prospicere, simulque damnatas quaestuationes, seu eleemosynarum collectas huiusmodi impedire, ac proscribere volentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, praeinsertum Decretum ab Innocentio emanatum praefatasque literas super eiusdem Decreti approbatione, et confirmatione ab Alexandro Praedecessoribus editas, sicut praemittitur, cum omnibus, et singulis in eis respective contentis harum serie approbamus quoque, et confirmamus, ac innovamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur, vim, et efficaciam adiungimus.

[Bull. Rom., tom. 14, p. 120-122].

299.

Clemens XII, litt. ap. *In eminenti*, 28 apr. 1738.[1]

In eminenti Apostolatus specula, meritis licet imparibus, divina disponente clementia, constituti iuxta creditum nobis pastoralis providentiae debitum iugi, quantum ex alto conceditur, solicitudinis studio iis intendimus, per quae erroribus, vitiisque aditu intercluso, Orthodoxae Religionis potissimum servetur integritas, atque ab universo Catholico Orbe difficillimis hisce temporibus perturbationum pericula propellantur.

§ 1. Sane vel ipso rumore publico nunciante, Nobis innotuit longe, lateque progredi, atque in dies invalescere nonnullas Societates, Coetus, Conventus, Collectiones, Aggregationes, seu Conventicula, vulgo *de liberi Muratori*, seu *Francs Massons*, aut alia quavis nomenclatura pro idiomatum varietate nuncupata, in quibus cuiuscumque Religionis, et Sectae homines affectata quadam contenti honestatis naturalis specie, arcto aeque, ac impervio foedere secundum leges, et statuta sibi condita invicem consociantur; quaeque simul clam operantur, tum districto iureiurando ad Sacra Biblia interposito, tum gravium poenarum exaggeratione inviolabili silentio obtegere adstringuntur. Verum cum ea sit sceleris natura, ut se ipsum prodat, et clamorem edat sui indicem, hinc Societates, seu Conventicula praedicta vehementem adeo Fidelium mentibus suspicionem ingesserunt, ut iisdem aggregationibus nomen dare apud prudentes, et probos idem omnino sit, ac pravitatis, et perversionis notam incurrere; nisi enim male agerent, tanto nequaquam odio lucem haberent.

[1] Universis Christifidelibus.

Qui quidem rumor eo usque percrebuit, ut in plurimis Regionibus memoratae Societates per saeculi Potestates tanquam Regnorum securitati adversantes proscriptae, ac provide eliminatae iampridem extiterint.

§ 2. Nos itaque animo evolventes gravissima damna, quae ut plurimum ex huiusmodi Societatibus, seu Conventiculis nedum temporalis Reipublicae tranquillitati, verum etiam spirituali animarum saluti inferuntur, atque idcirco tum Civilibus, tum Canonicis minime cohaerere Sanctionibus, cum divino eloquio doceamur, die noctuque more servi fidelis, et prudentis Dominicae Familiae praepositi vigilandum esse, ne huiusmodi hominum genus veluti fures Domum perfodiant, atque instar Vulpium vineam demoliri nitantur, ne videlicet simplicium corda pervertant, atque innoxios sagittent in occultis, ad latissimam, quae iniquitatibus impune patrandis inde aperiri posset, viam obstruendam, aliisque de iustis, ac rationabilibus causis nobis notis, easdem Societates, Coetus, Conventus, Collectiones, Aggregationes, seu Conventicula *de liberi Muratori*, seu *Francs Massons*, aut alio quocumque nomine appellata, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Consilio, ac etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine damnanda, et prohibenda esse statuimus, et decrevimus, prout praesenti nostra perpetuo valitura Constitutione damnamus, et prohibemus.

§ 3. Quocirca omnibus, et singulis Christifidelibus cuiuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis, et praeeminentiae, sive laicis, vel Clericis tam Saecularibus quam Regularibus, etiam specifica, et individua mentione, et expressione dignis districte, et in virtute sanctae obedientiae praecipimus, ne quis sub quovis praetextu, aut quaesito colore audeat, vel praesumat praedictas Societates, *de liberi Muratori*, seu *Francs Massons*, aut alias nuncupatas inire, vel propagare, confovere, ac in suis aedibus, seu Domibus, vel alibi receptare, atque occultare, iis adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem, seu commoditatem facere, ut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare, sive alias consilium, auxilium, vel favorem palam, aut in occulto, directe, vel indirecte per se, vel alios quoquo modo praestare, nec non alios hortari, inducere, provocare, aut suadere, ut huiusmodi Societatibus adscribantur, annumerentur, seu intersint, vel ipsas quomodolibet iuvent, ac foveant, sed omnino ab iisdem Societatibus, Coetibus, Conventibus, Collectionibus, Aggregationibus, seu Conventiculis prorsus abstinere se debeant, sub poena excommunicationis per omnes, ut supra contrafacientes ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per quemquam nisi per nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

§ 4. Volumus insuper, et mandamus, ut tam Episcopi, et Praelati Superiores, aliique locorum Ordinarii, quam haereticae pravitatis ubique locorum deputati Inquisitores adversus transgressores cuiuscumque sint status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis, vel praeeminentiae, procedant, et inquirant, eosque tanquam de haeresi vehementer suspectos condignis poenis puniant, atque coerceant; iis enim, et eorum cuilibet contra eosdem transgressores procedendi, et inquirendi, ac condignis poenis coercendi, et puniendi, invo-

cato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, liberam facultatem tribuimus, et impartimur.

[Bull. Rom., tom. 14, p. 236, 237].

300.

Clemens XII, litt. ap. *Concredita Nobis*, 13 maii 1739.[1]

Concredita Nobis Dominici Gregis cura continuo Nos urget in id praecipue et tota sollicitudine incumbere, ut ab iis maxime, qui sortiti sunt partem Ministerii huius, et in lucem Gentium sunt missi, erga S. Sedem, ac Apostolica mandata filiale obsequium exhibeatur, atque Fidei dogmata, sacrosque Ecclesiae ritus et ipsi intemerate retineant, ut quos locorum immensa spatia a Petri Sede longe disiungunt, eos tamen Fides eadem in unitate spiritus, et doctrinae conglutinet. Alias itaque per similes Literas nostras sub datum 24 Augusti 1734, incipientes, *Compertum, exploratumque*,[2] Fraternitates Vestras, omnesque Missionarios eo maiori, quo potuimus, Paterno charitatis affectu requisivimus, et declaravimus, quam impense exoptaremus, ut qui in Regnis istis Christi fidei veritatem agnoscentes, convertuntur, superstitiosos Gentilium ritus omnino abiicerent, atque aversarentur, ne habeantur et ipsi ad instar eorum, qui: *Cum Dominum colerent, Diis quoque serviebant iuxta consuetudines Gentium*, utque in re tanti momenti nulla esset offendiculi occasio, auditis Theologorum, ac praesertim Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium per universam Christianam Rempublicam Generalium Inquisitorum suffragiis, plura, iuxta dubia tunc proposita, provide statuimus, et a Missionariis observanda praescripsimus. Quorum omnium in Nos observantia, ac studium amplificandae Fidei, in certam spem Nos erigunt, ut pari contentione pro viribus obtemperare satagant, nec ullus erit, qui detestabili indulgentia aliter fieri posse cogitet, et veluti infideles filii, *Peccare eos faciant peccatum magnum*. Sane etsi hisce mediis muneri Nostro satisfecisse, ac sine sollicitudine esse suaderemur, attamen rei momentum, a qua Fidei puritas atque integritas pendent, nunquam hanc in nobis curam delebit, nisi ad magnitudinem negotii opportuniora semper comparemus remedia. Quare Fraternitatibus Vestris, et Missionariis omnibus, quibus praedictas Nostras Literas direximus, sive Saeculares, sive Regulares cuiuscumque Religionis, Congregationis, Instituti, Societatis, etiam Iesu, fuerint, demandamus et praecipimus, ut omnia et singula, quae in dictis nostris Literis continentur, integre, exacte, ac inviolabiliter observetis, atque ab eis, quorum cura ad vos spectat, remota penitus quavis aliter interpretandi potestate, adamussim observari faciatis, in virtute sanctae obedientiae, sub poena suspensionis ab exercitio Pontificalium, Interdicti ab ingressu Ecclesiae, et respec-

[1] Venerabilibus Fratribus, ac dilectis Filiis Episcopis, et Apostolicis Missionariis in Regnis Indiarum Orientalium Madurensi, Mayssurensi, et Carnatensi.

[2] Cf. N. 296.

tive excommunicationis latae sententiae, a qua nemo Vestrum a quoquam, praeterquam a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, excepto tantum mortis articulo, absolvi possitis, et quoad Regulares insuper privationis vocis activae, et passivae, etiam ipso facto, et sine ulla alia declaratione incurrendae. Itidem sub iisdem poenis, et censuris, pari auctoritate praecipimus et mandamus, ut omnes et singuli, qui ab hac Sancta Sede, sive ab eorum respective Superioribus ad ista Regna sacris obeundis Missionibus missi eritis, statim ac de hisce Literis nostris certiores facti fueritis, vel quavis alia denunciatione de illis notitiam habueritis, iuramentum praestetis, integre, exacte, ac omnimode implere, quae provide a Nobis in iisdem Literis constituta fuerint, neque illis ulla in parte quovis sub praetextu contraire. Illis etiam, qui quandocumque hoc munus suscepturi erunt, mandamus, ac praecipimus sub iisdem omnibus censuris, et poenis, ut nullo pacto audeant vel minimum actum explere, nisi antea et ipsi iuramentum praedictum praestiterint, quin nec tanquam Presbyteri Saeculares ab Ordinariis Locorum deputari, seu veluti simplices Religiosi, vel quovis alio titulo et nomine, Christifidelium Confessiones excipere, Conciones habere, aut Sacramenta ministrare, sed omni prorsus careant potestate; derogando quibusvis privilegiis, sibi ipsis, aut vestrae respective Religioni, Ordini, Congregationi, et Societati, etiam Iesu, specialiter, aut generaliter a Nobis, et a Praedecessoribss nostris quacumque ex causa concessis. Iuramenta praedicta saeculares Missionarios coram Locorum Ordinariis, Regulares coram Superioribus, vel Apostolicis Vicariis praestare demandamus, Vicarios vero ipsos et Superiores in manibus Episcoporum. Nec eadem tantum verbo proferre, sed scripto iuxta formam per Nos praescriptam, et infra adnotandam, ac propria manu subsignare teneamini, sub iisdem Censuris, et poenis. Hoc etiam iuramentum praestandum fore mandamus, ac requirimus ab illis, qui ad Episcopale munus ab hac Sancta Sede promoveri meruerint, vel ipsomet die, quo in manibus Episcoporum solemnem emissuri erunt Fidei professionem, vel in actu eorum consecrationis. Quorum iuramentorum subsignata exemplaria, relicta isthic in Archivis authentica copia, ad Congregationem de Propaganda Fide, per Episcopos, et Superiores Regulares respective transmitti volumus, a qua ad illam S. Officii remittantur, ut sint obsequii erga Nos, nostrasque iussiones, puritatis, integritatisque Fidei vestrae monumenta. Ne vero tam Literarum nostrarum sub praedicta die 24 Augusti 1734, quam praesentium, ullus ignorantiam allegare valeat, hortamur Fraternitates vestras, ac in Domino obtestamur, ut quo primum illas, atque praesentes receperitis, statim publicare faciatis, ac ad singulos Missionarios, sive Saeculares, sive Regulares fuerint, sub vestra respective Iurisdictione degentes, easdem transmittatis. Hoc ipsum praecipimus Apostolicis Vicariis, aliisque Regularium Superioribus. Contrafacientes, vel negligentes declaramus incurrere ipso facto poenam suspensionis ab exercitio Pontificalium, et interdicti ab ingressu Ecclesiae; Regulares autem Excommunicationis latae sententiae, privationis Officiorum, et vocis activae, et passivae.

Formula autem iuramenti, sicut praemittitur, a Missionariis praestandi, est, quae sequitur, videlicet: « Ego N. Ordinis N., seu Societatis Iesu Missio-

« narius ad Regnum N., vel ad Provinciam N. in Indiis Orientalibus a Sede « Apostolica, vel a meis Superioribus, iuxta facultates eis a Sede Apostolica « concessas missus, vel destinatus, parendo praecepto Sanctissimi Domini « Nostri Papae Clementis XII per Literas Apostolicas in forma Brevis datas « die 13 Maii anno 1739 iniuncto omnibus Missionariis in dictis Missionibus, « praestandi iuramentum fideliter servandi dispositionem Apostolicam circa « ritus Malabaricos ad formam Literarum Apostolicarum in forma Brevis « eiusdem Sanctissimi Domini Nostri die 24 Augusti 1734 incipien. *Compertum, exploratumque,* mihi per integram eiusdem Brevis lecturam optime « noto, promitto, me plene et fideliter pariturum, illudque exacte, integre, « absolute, et inviolabiliter observaturum, et absque ulla tergiversatione adimpleturum, necnon ad formam dicti Brevis instructurum Christianos mihi « commissos tam in Concionibus, quam in privatis instructionibus, ac praesertim Cathecumenos, antequam baptizentur, et nisi promittant observantiam dicti Brevis, eiusque dispositionum, et prohibitionum, me ipsos non « baptizaturum, prout quoque curaturum omni studio, quo potero, ac omni « diligentia, ut sublatis Gentium caeremoniis, illi a Christianis suscipiantur « et retineantur ritus, quos Catholica Ecclesia pie praescripsit. Si autem (quod « Deus avertat) in toto, vel in parte contravenerim, toties poenis a Sanctissimo Domino Nostro impositis in Decreto, seu Literis Apostolicis, ut supra, « super praestatione huius iuramenti, mihi pariter per integram lecturam « notis, me subiectum agnosco, et declaro. Ita tactis SS. Evangeliis promitto, voveo, et iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec SS. Dei Evangelia.

« Ego N. manu propria ».

Formula vero iuramenti, ut supra, praestandi ab Episcopis, est, quae sequitur, videlicet: « Ego N. Episcopus Civitatis N. memor iuramenti a me « praestiti in actu meae solemnis Consecrationis, quo Romano Pontifici fidem, « subiectionem, et obedientiam promisi, tum insuper eorum, quae provide « sanxit Clemens XII Pontifex Maximus circa ritus Malabaricos in Literis « Apostolicis in forma Brevis, Episcopis, et Missionariis usque sub die « 24 Augusti 1734 transmissis, parendo mandatis Sanctitatis Suae per alias « similes Literas die 13 Maii anno 1739 iniunctis, ut in argumentum meae « erga Apostolicam Sedem obedientiae non minus, quam filialis obsequii, « me iurisiurandi Religione obstringam, iuro, et promitto, me plene, et fideliter easdem Literas Apostolicas sub dicta die 24 Augusti 1734 executurum, « atque ea, quae in illis praescripta sunt, exacte, integre, absolute, ac inviolabiliter observaturum, curaturum pariter, quantum in me erit, ut ii omnes, « qui mea in Dioecesi Missionarii, et Sacerdotes sunt, vel futuri erunt, illas « eodem prorsus modo in omnibus servent, atque exequantur, et contra inobedientes, si fuerint, me processurum ad formam Brevis sub die 13 Maii « anno 1739, ut tandem sublatis Gentium caeremoniis, illi a Christianis recipiantur ritus, quos Catholica Ecclesia pie praescripsit, ac iugiter servat. « Utque de hac mea voluntate, iuramento, filialique obsequio erga Romanum « Pontificem, eiusque mandata, perenne existat monumentum, propria manu » me subscribo.

« Ego N. Episcopus N. ».

Caeterum etsi magna Nobis spes sit, Fraternitates Vestras, et Missionarios omnes, nostras voces, et monita excipere diligenter, ac filiali obsequio exequi, curam insuper sollicitudinemque plurimam gerere, ut tam Orthodoxae Religionis puritati, integritatique, quam Gentium saluti adiumento sitis, omnesque in hanc unicam rem, maximam utique, labores, sudoresque conferre, ut tandem, qui Christi amplectuntur Fidem, superstitiosos aversentur ritus, eosque tantum suscipiant, et retineant, quos Catholica Ecclesia pie praescripsit, ac iugiter servat; attamen pro Pastoralis officii debito, ac Paternae Charitatis stimulo, iterum, iterumque commonere non desistimus, ne a Pastorum Principe in custodia Gregis sui minus vigilasse diiudicemur; et Vobis interim in auspicium bonorum omnium Apostolicam Benedictionem impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 413–415].

301.

Clemens XII, const. *De salute*, 23 nov. 1739.

De salute Dominici gregis curae nostrae divinitus commissi paterna charitate solliciti coelestes Indulgentiarum thesauros, quibus illecti ad Ecclesias, et pia loca frequentanda, et pietatis opera exercenda magis incitentur, libenter erogamus.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Vincentius a Conceptione Frater expresse professus, ac Procurator Generalis Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniae, quod in quamplurimis ex Conventibus Ordinis, et Congregationis huiusmodi in Indiis existen. vigore privilegiorum eidem Ordini a fel. re. Nicolao V, et Bonifacio VIII Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris concessorum, et a re. me. Sixto IV, et Clemente itidem VIII pariter Praedecessoribus nostris confirmatorum tertius Ordo eiusdem B. Mariae erectus, et institutus reperitur.

§ 2. Verum quia nonnulli ex Tertiariis Ordinis S. Francisci in Oppido Civitate nuncupato de Toluca Mexican. Dioecesis dicto tertio Ordini B. Mariae denuo adscripti fuerunt, dubium excitatum fuit, an Tertiarii utriusque Ord. huiusmodi Indulgentiis, privilegis, et gratiis spiritualibus promiscue frui possint: et licet primod. Ord. Superiores nullam in hac re difficultatem haberent, nihilominus Tertiarii eiusdem Ord. S. Francisci non solum contradicere, verum etiam ex eorum libris omnes illos, qui tertio Ordini B. Mariae huiusmodi adscripti erant, delere ausi fuerunt. Quare dicti Tertiarii B. Mariae ea de causa ad Ven. Fratrem modernum Archiepiscopum Mexican. recursum habuerunt, qui auditis rationibus hinc inde deductis, consideransque charitatem, piamque devotionem Christifidelium erga Regulares Ordines non esse restringendam, sed omnibus ad animarum salutem mediis amplificandam, mandavit Tertiarios B. Mariae praedictos reintegrandos, et Tertio Ordini S. Francisci, unde deleti fuerant, iterum adscribendos esse.

§ 3. Quamvis autem mandatis huiusmodi praedicti Tertiarii S. Francisci paruerunt, tamen dictus Vincentius Procurator Generalis ad auferendas perturbationes, ac confusiones, quae ea super re inposterum exoriri possent, adscriptos tertio Ordini S. Francisci, seu cuicumque alii Tertio Ordini regulari, qui Tertio Ordini Beatae Mariae huiusmodi adscribi desideraverint, omnibus Indulgentiis, privilegiis, et gratiis spiritualibus eorum respective Ordini concessis promiscue frui posse per nos declarari plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§ 4. Nos igitur piis eisdem Vincentii Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus benigne annuere volentes, eumque Vincentium Procuratorem Generalem a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus, et singulis Tertiariis cuiuscumque Tertii Ordinis regularis, qui inter Tertiarios dicti Tertii Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo adscribi desideraverint, ac Regulas, statuta, et conditiones pro dictis Tertiariis B. M. de Monte Carmelo praescripta adimpleverint, omnibus, et singulis Indulgentiis, privilegiis, et gratiis spiritualibus Tertio Ordini B. M. huiusmodi concessis, promiscue una cum aliis Indulgentiis, privilegiis, et gratiis praedictis eorum Tertio Ordini, in quo adscripti reperiuntur concessis, frui, et gaudere possint, et valeant, nec Tertiarios huiusmodi ab eorum respective tertio Ordine, in quo adscripti fuerint, propter suam inter Tertiarios B. Mariae adscriptionem deleri unquam posse, auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, ac declaramus.

§ 5. Decernentes, etc.

[Bull. Rom., tom. 14, p. 393, 394].

302.

Benedictus XIV, const. *Ad Apostolicae*, 17 oct. 1740.

Ad Apostolicae servitutis onus, nullis licet nostris opitulantibus meritis, clementissimo Divinae mentis consilio nuper provecti, statim cogitare coepimus, quam vere, meritoque Tridentini Concilii Patres edixerint,[1] nihil magis Ecclesiae Dei esse necessarium, quam ut Romanus Pontifex sollicitudinem ex sui muneris officio universae Ecclesiae debitam, potissimum in id impendat, ut bonos maxime, atque idoneos Pastores singulis Ecclesiis praeficiat, neque erretur in electione eorum, qui tamquam lucernae super candelabrum positae lucere debent omnibus, qui in Domo Dei sunt, ne alioquin totius Familiae Domini statum, et ordinem luctuose nutare contingat, si quod requiritur in

[1] Sess. VI, *de ref.*, c. 1.

corpore, non inveniatur in Capite. Urgebat Nos quoque, angebatque plurimum eiusdem Sacri Generalis Concilii gravissima Romano Pontifici proposita consideratio, videlicet, Dominum Nostrum Iesum Christum de eius manibus requisiturum sanguinem ovium suarum, quae ex malo negligentium, et officii sui immemorum Pastorum regimine perierint.

§ 1. Cupientes itaque tanto huic negotio, quod ad Episcoporum creationem spectat, quantum fieri possit, tutius, salubriusque consulere, praeter ea, quae iam circa id, tum per memorati Concilii Decreta, tum per Praedecessorum Nostrorum Constitutiones sapienter statuta sunt, Congregationem Particularem tenore praesentium erigimus, instituimus, et specialiter deputamus, cuius consilio hac in re et Nos uti volumus, et Romanos Pontifices Successores Nostros usuros itidem esse in Domino confidimus. Huic autem Congregationi quinque, (neque enim pauciores, aut plures censuimus expedire) ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, pietate, doctrina, prudentia, rerumque usu praestantes, nuper a Nobis nominatos, adscribimus, eiusdemque Congregationis Secretarium dilectum filium Auditorem Nostrum deputamus.

§ 2. Porro huius Congregationis partes erunt, omni studio, atque opera adhibita, et quovis humano respectu posthabito, Nobis assistere, ut iuxta enixum desiderium Nostrum, ad Patriarchales, Primatiales, Archiepiscopales, et Cathedrales Ecclesias regendas assumantur Viri, morum integritate, sacra doctrina, rerum Ecclesiasticarum peritia, zelo Domus Dei, et vero salutis animarum studio praediti, quique non ad propria commoda, sed ad labores, et sollicitudines pro Dei gloria sese vocari intelligentes, nec quae sua sunt, sed quae Christi quaerentes, ministerium suum, iuxta Venerabiles Beatorum Patrum, et Sacrorum Canonum sanctiones, laudabiliter sint impleturi; ita ut, pro vacantium Ecclesiarum qualitate, et conditione, omnino digniores, et ad eas fructuose gubernandas eligantur aptiores, quales semper, adiuvante Domino, a Nobis electum iri intendimus, et speramus. Quocirca cum eadem Congregatione communicaturi sumus de quibus Viris ad Episcopatum promovendis mentem Nostram subierit cogitatio, necnon de documentis ad eorum qualitates, et merita spectantibus.

§ 3. Et ne diutius Pastoribus careant Ecclesiae, si post earum vacationem quaerantur, qui ad eas promoveri merito possint: volumus, et mandamus, ut statim quidem post editam hanc Nostram Constitutionem, ac deinde unoquoque biennio, per Cardinalem praefatae Congregationis Praefectum scribatur diversorum locorum Episcopis iuxta a Nobis traditam designationem, praecipiendo eis nomine Nostro, ut sub secreti lege, et eorum conscentias districte onerando, fideliter referant, diligenti investigatione praemissa, an, et qui, sive Seculares, sive Regulares Sacerdotes in eorum Dioecesi, vel in propinquis locis existant, quos Episcopali muneri idoneos secundum Deum existiment, explicando singulorum originem, natalia, aetatem, anteactae vitae institutionem, Ecclesiasticarum functionum exercitium, gradus, quos obtinuerint, officia, quae obierint, doctrinam, pietatem, prudentiam, ceterasque animi dotes, quibus quisque valeat. Epistolae vero, quas hac de re Episcopi rescripserint, secreto asservabuntur, ut quotiescumque alicui Ecclesiae de novo

Pastore providendum fuerit, absque mora resumi valeant, indeque facile, et expeditum sit recognoscere, quinam Viri digniores, ac vacanti Ecclesiae congruentiores iudicari possint a Nobis. Et quoniam ii, qui in aliqua Regulari Familia vitam ducunt, cognosci penitus possunt, et solent ab eorum Superioribus, tam Generalibus, quam Provincialibus, ipsos quoque sub eodem secreti vinculo interrogari ad praemissum effectum volumus.

§ 4. Praeterea cum primum alicuius Ecclesiae vacatio innotuerit, Auditor Noster certiores de ea faciet memoratos quinque Cardinales, ut et ipsi de Viris tali Ecclesiae utilius praeficiendis, nobisque suggerendis, cogitare specialiter possint, peculiaremque investigationem pro eorum prudentia adhibere: quod quidem praecipue, et a Nobis ipsis fiet. Deinde vero, quanto citius fieri poterit, habenda erit Congregatio, cui antedicti quinque Cardinales una cum Auditore Nostro intererunt, ibique perpensis omnibus qualitatibus, et meritis Virorum, quorum notitia, vel a Nobis ipsis, vel per antedictas Episcoporum epistolas, vel per investigationem a dictis Cardinalibus factam, accepta fuerit, deliberandum erit quid consilii dandum Nobis sit, ut Auditor Noster referre deinde ad Nos possit quicquid praedicti Cardinales in eum finem Nobis duxerint significandum. Quod si alicuius Viri conditiones nondum satis exploratae visae fuerint in una Congregatione, differenda in alteram erit consultatio, ut interea per opportuna media accuratior indagatio fieri valeat.

§ 5. In hac etiam Congregatione a Nobis, ut praefertur, deputata, agendum deinceps esse decernimus de Episcopis ab una ad alteram Ecclesiam auctoritate Nostra transferendis; debita nimirum maturitate examinando, num graves, legitimae, Sacrisque Canonibus probatae interveniant causae, quae huiusmodi translationem suadeant, inspecta dumtaxat Ecclesiarum necessitate, vel utilitate, ad quam profecto causae omnes illae reducuntur; ne alioquin, ob inconsultam facilitatem, cupiditas, et ambitio eorum, qui forsan ad ampliores Ecclesias aspirarent, aut ditiores, foveretur, simulque via aperiretur spiritualibus incommodis, quae Gregibus obvenire ex crebra Pastorum mutatione consueverunt. Eiusdem vero Congregationis consilium postea itidem ad Nos per eumdem Nostrum Auditorem erit referendum, ut determinari a Nobis possit quicquid magis expedire iudicabimus.

§ 6. Utque haec omnia in antedicta Congregatione liberius, perfectiusque adimpleantur, secretum ad instar illius, quod pro negotiis ad Sanctam Inquisitionem pertinentibus servatur, singulis praedictis Cardinalibus, nec non Auditori Nostro iniungimus; cum facultate tamen communicandi de rebus ad ipsam Congregationem spectantibus, sub simili secreti lege, cum uno cuiusque ipsorum Auditore, sive Studiorum adiutore, et uno Amanuensi, nec non cum iis, quos iisdem de rebus interrogandos, vel consulendos censuerint, ad assequendas notitias in eum scopum conducentes, quosque eidem pariter secreto obnoxios esse debere statuimus.

§ 7. Confidimus vero etiam omnes eos, qui ad promotionem praeficiendorum quodcunque ius quacunque ratione a Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam praestant, (nihil in iis pro praesenti temporum ratione innovando), ob oculos assidue habituros, in eorumque animo semper hae-

suram (prout et hactenus factum, pro ipsorum pietate, ac Religione, putamus) commonitionem illam adeo ponderosam, quam praedictum Concilium Tridentinum censuit inculcandam,[1] videlicet, nihil se ad Dei gloriam, et Populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos Pastores, et Ecclesiae gubernandae idoneos promoveri studeant; eosque, alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, nisi quos digniores, et Ecclesiae magis utiles ipsi iudicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, praefici diligenter curaverint.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 12-14].

303.

Benedictus XIV, const. *Quod Sancta*, 23 nov. 1740.

Quod Sancta Sardicensis Synodus Divino edocta magisterio edixit, optimum, et valde congruentissimum esse, si ad caput, idest ad Petri Apostoli Sedem, de singulis quibusque Provinciis Domini referant Sacerdotes, attenta animi consideratione revolventes, ubi primum Nos, licet immeritos, Dominus gratiae suae praecipuo munere in eadem Sede collocavit, ea subiit cogitatio, ut cunctarum totius Orbis Ecclesiarum ad parvitatem nostram status, et negotia referrentur, quibus necessitatem de omnibus tractandi Christus in S. Petro Apostolo, cum illi claves aperiendi, claudendique daret, indulsit. Siquidem in Speculis a Deo constituti, et vigilantiae Nostrae diligentiam pro commissi officii munere coram eo comprobare cupientes, noctes diesque solliciti sumus, ut circa quamvis longinqua spiritualis cura non deficiat, sed se per omnia, qua nomen Dei praedicatur, extendat, memores illius obiurgationis Dominicae: *quod infirmum fuit, non consolidastis; et quod aegrotum, non sanastis; quod confractum est, non alligastis; et quod abiectum est, non reduxistis;[?] et quod perierat, non quaesistis; et dispersae sunt oves meae, eo quod non esset pastor; et factae sunt in devorationem omnium bestiarum agri, et dispersae sunt; erraverunt greges mei in cunctis montibus, et non erat qui requireret, ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum.* Cum ergo pastoribus talibus, per quos Dominicae oves negliguntur, et pereunt, sic Dominus comminetur, quid Nos aliud facere oportet, quam colligendis, et refovendis Christi ovibus exhibere diligentiam plenam, et curandis lapsorum vulneribus paternae pietatis adhibere medicinam? Nulla est enim maior, aut melior cura Praepositorum, quam diligenti sollicitudine, et medela salubri, fovendis, et conservandis ovibus providere.

§ 1. Dudum quidem fel. rec. Sixtus Papa V, serio animadvertens veterem, et laudabilem morem, gravissimis ex causis, et non sine Spiritus Sancti instinctu a Summis Pontificibus Praedecessoribus nostris antiquitus institutum, et per multas aetates magno Ecclesiae Dei commodo observatum,

[1] Sess. XXIV, *de ref.*, c. 1.

ut singuli Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, et Episcopi certis praescriptis temporibus per se ipsos, vel per certum eorum Nuntium, Beatissimorum Apostolorum Petri, et Pauli, qui hanc Almam Urbem suo sanguine consecrarunt, Limina se visitaturos iureiurando pollicerentur, ut Episcoporum Romam venientium opera, et adiumento Romanus Pontifex, cui omnium Ecclesiarum sollicitudo concredita est, ubique locorum gregis sibi commissi vultum agnosceret, et spiritualium ovium morbos intelligeret, curationesque opportunas adhiberet, nec quicquam omnino illum lateret earum rerum, quas ad Dei gloriam augendam, ad Christianam Religionem propagandam, ad animarum procurandam salutem, necessario eumdem scire, atque intelligere oportet, partim hominum culpa, partim antiqui humani generis hostis astutia, variis etiam insurgentibus temporum calamitatibus, a plurimis, in grave animarum suarum periculum, et quibus praeerant, Ecclesiarum detrimentum, negligenter observari: ex intimis animi sensibus indoluit, et statim gravi malo quotidie magis ingravescenti occurrere, et congrua adhibere remedia cogitavit.

§ 2. Itaque per suas Apostolicas Literas, quarum initium est: *Romanus Pontifex,*[1] constituit, ut omnes Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi per universum terrarum Orbem constituti, et deinceps ordinandi, etiamsi Cardinalatus dignitate praefulgerent, seu eis consecratis Pallium de Beati Petri corpore sumptum traderetur, aut ad aliam Ecclesiam transferrentur, antequam illius regimini, et administrationi se immiscerent, si quidem praesentes in Curia, in manibus Sanctae Romanae Ecclesiae Diaconi Cardinalis ordinis Prioris, si vero absentes, in manibus Antistitis ad impendendum munus praedictum, aut ad tradendum Pallium huiusmodi a Sede Apostolica delegati, iuramento se obstringerent, se Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli Limina, statutis in iisdem literis temporibus, personaliter, ac per se ipsos visitaturos, ac Romanis Pontificibus pro tempore existentibus rationem reddituros de toto eorum Pastorali officio, deque rebus omnibus ad ipsarum, quas regerent, Ecclesiarum statum, ad Cleri, et Populi disciplinam, animarum denique, quae illorum fidei creditae sunt, salutem quovis modo pertinentibus, et vicissim mandata Apostolica recepturos, et quam diligentissime executuros, prout latius in iisdem literis continetur.

§ 3. Cum autem Abbatum, Priorum, aliorumque, qui spirituali iurisdictione quasi Episcopali in suis Monasteriis, et Ecclesiis, eorumque Territoriis ab omni alia Episcoporum Dioecesi omnimode separatis potiuntur, nulla mentio in praefatis literis Sixti facta fuerit, hinc est quod Abbates, aliique, qui huiusmodi Ecclesiis, et Monasteriis praeerant cum iurisdictione spirituali, et Territorio separato, nunquam, Beatorum Apostolorum Limina visitantes, de iisdem Ecclesiis, et Monasteriis, et grege curae suae commisso ad Romanos Pontifices referrent, adeo ut huiusmodi Monasteriorum, et Ecclesiarum, quae Nullius dicuntur, status, et conditio Sedi Apostolicae incognita esset, et saepe ignorarentur mala, quibus medendum esset, et laterent bona, quae Apostolica cura, et studio essent fovenda, et amplificanda.

[1] Cf. N. 156.

§ 4. Nos igitur cupientes omnium Ecclesiarum utilitati, et animarum saluti, quantum in Domino possumus, consulere, ac providere, cum de omnibus, et, quod tremendum est, etiam de unius anima ante tribunal Dei rationem reddituri simus, tum etiam volentes ea, quae salubriter a Praedecessoribus nostris instituta sunt, exactius, diligentiusque observari, ideo easdem literas Sixti V Praedecessoris, et in eis contenta quaecumque, ex certa scientia, et Apostolica Auctoritate tenore praesentium approbamus, et confirmamus, ac etiam innovamus, omnibusque Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis mandamus et praecipimus, ut eas sedulo, ac diligenter, et omnia in eis praescripta observare, ac custodire studeant, et Apostolicae Sedis monitis, ac praeceptis in re tanti momenti ea reverentia, atque animi cura et promptitudine, qua par est, pareant, atque obsequantur, et antiquae traditionis exempla servantes, et Ecclesiasticae memores disciplinae, Sacerdotalis Religionis vigorem non minus in iudicando, quam in consulendo retineant, scientes quid Apostolicae Sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur, a quo ipse Episcopatus, et tota auctoritas nominis huius emersit.

§ 5. Praeterea scientia, et auctoritate praedicta, hac nostra in perpetuum valitura constitutione sancimus, decernimus, et mandamus, ut omnes, et quicumque Abbates, Priores, Praepositi, aliique quocumque nomine, ac titulo nuncupati, et quacumque dignitate etiam Cardinalatus honore insigniti, saeculares, et quorumvis ordinum Regulares, ad Monasteriorum, seu Ecclesiarum particulare, et separatum Territorium habentium regimina iam promoti, et imposterum pro tempore, etiam per viam electionis, postulationis, aut aliter quovis modo promovendi, et Monasteria, seu Ecclesias huiusmodi in titulum, commendam, administrationem, aut aliter quomdolibet obtinentes, vel imposterum assecuturi, qui videlicet spiritualem iurisdictionem quasi Episcopalem cum temporali etiam, vel sine, in Monasteriis, et Ecclesiis praedictis, eorumque Territoriis, Districtibus, et quasi Dioecesibus ab omni alia Episcoporum Dioecesi omnino seiunctis, et separatis, quocumque iure, et titulo, vel ex origine, vel praescriptione, vel ex indulto, et privilegio Apostolico exercent, antequam eorumdem Monasteriorum, seu Ecclesiarum possessionem adipiscantur, et in eorum regimine, et administratione se de aliquo immisceant: si quidem praesentes in Curia fuerint, in manibus S. R. E. Diaconi Cardinalis ordine Prioris, si vero absentes, in manibus Nuncii, aut Legati Sedis Apostolicae, si praesens fuerit, sin minus in manibus alicuius Episcopi, aut Archiepiscopi eorum arbitrio eligendi, cum Romana tamen Ecclesia Ecclesiasticam communionem habentis, tamquam eiusdem Apostolicae Sedis Delegati, iurent, iuxta formulam inferius describendam, se Sacras Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli memorias personaliter, ac per se ipsos visitaturos, ac insuper Nobis, et Successoribus Nostris pro tempore existentibus Romanis Pontificibus, statutis hac nostra Constitutione temporibus, rationem reddituros de commissa sibi Monasteriorum, et Ecclesiarum procuratione; in notitiam nostram, nostrorumque Successorum perferentes quaecumque ad ipsorum Monasteriorum, et Ecclesiarum statum, et Ecclesiasticae disciplinae in Clero, et Populo observantiam, ad animarum salutem, quae illorum fidei creditae sunt, et ad Divinum Cultum, et gloriam pertinent; vicissim recepturos a Sede Apostolica monita, et man-

data, quorum censura, et quae coercenda sunt, resecentur, et quae observanda sunt, sanciantur, et quae bene coepta, atque instituta, approbatione, et confirmatione nostra, nostrorumque Successorum ad debitum finem perducantur.

§ 6. Quod si legitimo impedimento detenti fuerint, iurent, se praedicta omnia adimpleturos per certum Nuncium ad id speciale mandatum habentem, et de gremio suorum Monasteriorum, et Ecclesiarum, in dignitate Ecclesiastica Saeculari, vel Regulari, constitutum, aut omnino per aliquem Sacerdotem Saecularem, vel Regularem spectatae probitatis, et religionis, de supradictis omnibus plene instructum: per quem etiam de huiusmodi impedimento docere debeant legitimis probationibus ad Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Praefectum Congregationis Sacri Concilii transmittendis.

§ 7. Ad hoc autem debitum visitationis, et relationis suorum Monasteriorum, et Ecclesiarum officium opportune explendum supradicti omnes Abbates, Praepositi, Priores, et quocumque alio dignitatis, vel officii nomine nuncupati, tam Regulares, quam Saeculares, Itali videlicet, vel ex Italicis Insulis, veluti Siculi, Sardi, Corsi, et alii adiacentium Provinciarum Italiae, tertio anno; reliqui vero in aliis Provinciis, Regnis, et Terrarum Orbis partibus, et Regionibus existentes, tam qui nunc sunt, quam qui imposterum erunt, quinto anno teneantur, diligenterque pro viribus adimplere, Nobisque, et nostris Successoribus exhibere studeant, ac curent, idemque institutum tertio quoque, et quinto anno repetant, et observent. Haec autem annorum spatia a tempore captae possessionis, et suscepti Monasteriorum, et Ecclesiarum regiminis, et curae incipiant.

§ 8. Ii vero, qui de Ecclesiis, et Monasteriis huiusmodi iam provisi, in earum pacifica possessione a biennio, et amplius reperiuntur, vel quibus praefinitum a Nobis superius tempus a die habitae possessionis iam effluxit, intra annum, si in Italia, et Insulis adiacentibus, intra vero biennium, si extra sint, a die publicationis praesentis Constitutionis, ad nos praefatam suarum Ecclesiarum relationem, et deinde singulis trienniis, aut aliis praestitutis temporibus pro locorum conditione, et distantia, ad nos transmittere, et Sacras Apostolorum Basilicas visitare, et nostro conspectui, dummodo impediti legitime non fuerint, se praesentes sistere debeant, ut S. R. E. Matris suae complexu recreati, et paterno humilitatis nostrae colloquio confirmati, ad Monasteria, et Ecclesias suas regendas alacriores, et instructiores revertantur.

§ 9. Iubemus igitur in virtute sanctae obedientiae supradictis omnibus Abbatibus, Prioribus, Praepositis, aliisque quocumque titulo, vel nomine nuncupatis, vel quacumque dignitate praefulgentibus tam Regularibus, quam Saecularibus praesentibus, et futuris, ut visitationem praedictam, et insuper relationem, statutis a nobis temporibus faciendam, sibi, suisque Monasteriis, et respective Ecclesiis adeo utilem, ac necessariam, iuxta praescriptam alias Episcopis formam, omnino conficiant. Si vero, quod absit, a Nobis praecepta, et constituta prompte exequi neglexerint, eos ab ingressu Ecclesiae, ac etiam administratione tam Spiritualium, quam temporalium, nec non a perceptione fructuum suorum Monasteriorum, et respective Ecclesiarum ab Episcopo, vel Archiepiscopo, Monasterio, aut Ecclesiae *Nullius* viciniori, omni exceptione, et mora cessante, interim libere exigendorum, et in opus fabricae, seu orna-

mentorum Ecclesiae emptionem, prout maior exegerit necessitas, insumendorum, ipso facto tamdiu suspensos esse volumus, donec a contumacia resipiscentes, relaxationem suspensionis huiusmodi a Sede praedicta meruerint obtinere.

§ 10. Non obstantibus privilegiis, absolutionibus, indulgentiis, et aliis concessionibus de non visitandis liminibus eiusmodi; aliisque peragendis, quibuscumque Ecclesiarum, et Monasteriorum Rectoribus, et per quoscumque Romanos Pontifices, ac etiam Nos, et dictam Sedem ex quibusvis causis perpetuo, vel ad tempus concessis, extensis, et innovatis, quae omnia contra praemissa cuiquam nolumus suffragari, aliisque contrariis quibuscumque. Quia vero difficile nimis esset, praesentes literas, quocumque illis opus fuerit, perferri, volumus quoque, ut earum exemplis etiam impressis, manu Notarii publici, et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae obsignatis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae eisdem praesentibus haberetur, si essent exhibitae, vel ostensae.

§ 11. Formula autem iuramenti praestandi ab Abbatibus, aliisque Monasteria, seu Ecclesias habentibus cum iurisdictione quasi Episcopali, et Territorio separato, talis est:

Ego N. ab hac hora in antea fidelis, et obediens ero B. Petro Apostolo, Sanctaeque Romanae Ecclesiae, et Domino Nostro Domino Benedicto Papae XIV suisque Successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, seu capiantur mala captione, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel iniuriae aliquae inferantur quovis quaesito colore. Consilium vero, quod mihi credituri sunt, per se, aut Nuntios suos, seu literas, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum, et Regalia S. Petri adiutor eis ero ad retinendum, et defendendum, salvo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo, et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adiuvabo. Iura, honores, privilegia, et auctoritatem S. R. E., Domini Nostri Papae, et Successorum praedictorum conservare, defendere, augere, et promovere curabo. Neque ero in consilio, vel facto, seu tractatu, in quibus contra ipsum Dominum Nostrum, vel eamdem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra, vel praeiudicialia personarum, iuris, honoris, status, et potestatis eorum machinentur. Et si talia a quibuscumque tractari, vel procurari novero, impediam hoc pro posse. Et quanto citius potero, significabo eidem Domino Nostro, vel alteri, per quem possit ad ipsius notitiam pervenire. Regulas Sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, seu dispositiones, reservationes, provisiones, et mandata Apostolica totis viribus observabo, et faciam ab aliis observari. Haereticos, Schismaticos, et Rebelles eidem Domino Nostro, vel Successoribus praedictis pro posse persequar, et impugnabo. Sacras BB. Apostolorum memorias singulis trienniis[1] *personaliter ac per me ipsum visitabo, et Domino Nostro, Successoribusque praefatis rationem reddam de commisso mihi munere, deque rebus omnibus ad mei Monasterii, seu Ecclesiae statum, ad Cleri, et Populi disciplinam, animarum denique, quae meae fidei creditae sunt, salutem quovis modo pertinen-*

[1] Seu quinquenniis.

tibus, et vicissim Mandata Apostolica humiliter recipiam, et quam diligentissime exequar. Quod si legitimo impedimento detentus fuero, praedicta omnia adimplebo per certum Nuncium ad hoc speciale Mandatum habentem de gremio Conventus Monasterii mei,[1] *aut alium in dignitate Ecclesiastica constitutum, seu alias Personatum habentem, aut, his mihi deficientibus, per aliquem alium Presbyterum Saecularem, vel Regularem spectatae probitatis, et religionis, de supradictis omnibus plene instructum. De huiusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad S. R. E. Cardinalem Congregationis Sac. Concilii Praefectum per dictum Nuncium transmittendas. Possessiones vero ad Monasterium meum pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Conventus Monasterii mei, inconsulto Romano Pontifice. Et si ad aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super hoc edita Constitutione contentas, eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.*

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 19-23].

304.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Ubi primum*, 3 dec. 1740.[2]

Ubi primum placuit Deo, qui dives est in misericordia, humilitatem nostram in suprema Beati Petri Sede collocare, et Vicariam Domini nostri Iesu Christi potestatem Nobis, nullo quamvis meritorum suffragio suffultis, ad universae Ecclesiae suae gubernationem committere; auribus insonare nostris visa est Divina illa vox: *Pasce agnos meos; pasce oves meas*, iniuncta videlicet Romano Pontifici, eiusdem Petri Successori, cura regendi, non modo Gregis Dominici agnos, qui sunt populi per totum terrarum Orbem diffusi, sed etiam oves, nimirum Episcopos, qui veluti agnorum matres, populos in Christo Iesu generant, iterumque parturiunt. Pastoris igitur etiam vestri voces excipite, Fratres, per has nostras literas; et in partem sollicitudinis, cuius plenitudo commissa Nobis Divinitus est, vocati, intelligite ex ipsis admonitionibus, et cohortationibus nostris, quanta Nos premat cura non praetermittendi ea, quae offici nostri sunt, quantaque itidem sit vis paternae nostrae in vos charitatis, qua ad maxime optandum adducimur, ut de profectu sanctarum ovium fiant gaudia aeterna Pastorum.

§ 1. In primis vero date operam, omnique studio, atque ope satagite, ut morum integritas, et Divini cultus studium eluceat in Clero, utque Ecclesiastica Disciplina sarta tecta servetur, et ubi collapsa fuerit, redintegretur. Satis enim constat, nihil esse, quod omnem populum ad pietatem, religionem, et Christianae vitae institutionem efficacius instruat, excitet, inflammet, quam eorum exemplum, qui Divino se ministerio dedicarunt. Itaque in id mentis

[1] Seu Capituli Ecclesiae meae.

[2] Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis.

vestrae acies primum dirigenda est, ut cum accurato delectu ii Clericali militiae adscribantur, a quibus merito possit expectari, ut iis in lege Domini ambulantibus, et de virtute in virtutem euntibus, eorum vita cunctis afferat venerationem, et eorum opera Ecclesiis vestris spiritualem afferat utilitatem. Melius enim profecto est pauciores habere Ministros, sed probos, sed idoneos, atque utiles, quam plures, qui in aedificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia, nequicquam sint valituri. Quantam idcirco Episcoporum cautionem ea in re Sacri Canones requirant, non ignoratis Fratres; sed ab eorum norma, quae omnino servari debet, ne patiamini vos abduci humano ullo respectu, vel importunis ambientium suggestionibus, vel fautorum precibus. Apostoli vero praeceptum, ut ne manus cuiquam nimis propere imponantur, tunc potissimum servari necesse est, ubi de promovendis ad Sacros Ordines, et ad Sacratissima Mysteria, quibus nihil est divinius, agendum sit. Non enim sufficit aetas, quae per sacras Ecclesiae leges unicuique Ordini praescripta est, nec indiscriminatim omnibus, qui in inferiori aliquo Ordine iam sint constituti, suo quasi iure patere debet aditus ad sublimiorem; sed studiose, magnaque adhibita diligentia investigandum a vobis est, an eorum, qui priora susceperint ministeria, talis fuerit vivendi ratio, et in sacris scientiis progressio, ut vere digni iudicandi sint, quibus dicatur: ascende superius; cum alioquin expediat in inferiori potius aliquos remanere gradu, quam cum suo maiori periculo, et aliorum scandalo ad altiorem provehi.

§ 2. Et quoniam supra quam dici possit, interest eos, qui in sortem Domini vocantur, ab ineunte aetate ad pietatem, morumque integritatem, et ad canonicam disciplinam, veluti novellas plantationes in iuventute sua, informari: cordi idcirco vobis esse debet, ut ubi forsan nondum instituta fuerint Clericorum Seminaria, quam citissime instituantur, vel iam instituta amplificentur, si maiori alumnorum numero pro Ecclesiarum conditione opus sit, adhibitis in eum finem mediis, quorum parandorum potestate Episcopi iam sunt in tructi, et quibus alia etiam, si de eorum necessitate edocti a vobis fuerimus, addituri et Nos sumus. Eadem vero Collegia singulari vestra sollicitudine foveantur, necesse est, videlicet ea saepe invisendo, singulorum adolescentium vitam, indolem, et in studiis profectum explorando, Magistros idoneos, virosque ecclesiastico spiritu praeditos ad eorum culturam destinando, literarias ipsorum exercitationes, sive Ecclesiasticas functiones quandoque praesentia vestra decorando, aliqua demum Beneficia iis, qui virtutum suarum specimen clarius praestiterint, maioremque laudem retulerint, conferendo. Huiusmodi enim irrigationem arbusculis hisce, dum adolescunt, ministrasse non vos poenitebit, sed vestra opera laetissimum deinde vobis referet fructum in uberi bonorum operariorum copia. Consueverunt quippe Episcopi saepius dolere messem quidem esse multam, operarios autem paucos; at fortasse eis quoque dolendum esset, non eam, quam debuissent, industriam ipsos adhibuisse, ut operarii ad messem pares, aptique formarentur; boni namque, et strenui operarii non nascuntur, sed fiunt; ut autem fiant, ad Episcoporum solertiam, industriamque maxime pertinet.

§ 3. Sed et illud maximi momenti est, ut iis animarum cura committatur, qui doctrina, pietate, castis moribus, et illustribus bonorum operum

exemplis ita aliis praelucere possint, ut vere lux, et sal populi sint, et habeantur. Hi nimirum praecipui adiutores vestri sunt in grege vobis credito informando, regendo, perpurgando; in viam salutis dirigendo, et ad Christianas virtutes incitando. Ex quo pronum est intelligere quanti vestra etiam referat, eos ad Parochiale officium obeundum eligi, qui ad fructuosam plebium gubernationem merito iudicentur aptiores. In id vero potissimum quoque incumbite, ut quicumque animarum curam gerunt, diligenter, diebus saltem Dominicis, aliisque festis de praecepto, plebes sibi commissas, pro sua, et earum capacitate, pascant salutaribus verbis, docendo ea, quae Christifideles ad salutem scire oportet, ac explicando Divinae legis capita, Fideique dogmata, et pueros eiusdem Fidei rudimentis imbuendo, quacumque prava in contrarium consuetudine, ubicumque esset, prorsus sublata. Quomodo enim audient sine praedicante? Aut quomodo recte credendi, recteque agendi normam assequi poterunt populi, si animarum curatores in eiusmodi officio segnes, remissi, ac desides fuerint? Quare non satis animo comprehendi, aut verbis explicari potest, quanta Christianae Reipublicae pernicies impendat ex eorum, quibus animarum cura demandata est, negligentia in pueris praesertim catechismo instruendis. Proderit autem plurimum, si studueritis, ut et qui curam animarum gerunt, et alii, qui ad poenitentium confessiones excipiendas destinati sunt, per aliquot dies spiritualibus exercitiis, quotannis vacent: in eo quippe pio recessu renovabuntur spiritu mentis suae, et induentur virtute ex alto, ad ea impensius, alacriusque peragenda, quae suarum partium sunt pro Divini Numinis gloria, et spirituali proximorum utilitate, et salute.

§ 4. Iam vero scitis, Fratres, Divino praecepto mandatum esse omnibus animarum Pastoribus, oves suas agnoscere, easque verbi Divini praedicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; hisque, ac caeteris Pastoralis Officii muniis satisfacere, ut par est, minime posse eos, qui gregi suo non invigilent, neque assistant, vineamque Domini, in qua positi sunt custodes, non custodiant assidue. Itaque in statione vestra maneatis oportet, et personalem in Ecclesia vestra, vel Dioecesi, servetis residentiam, ad quam ex vi muneris vestri obligati estis, quemadmodum pluribus Generalium Conciliorum Decretis, et Praedecessorum nostrorum Constitutionibus luculenter declaratum, praescriptumque est. Cavete autem, ne existimetis fas esse Episcopis per tres Menses singulis annis pro libito, aut quacumque ex causa abesse. Ut enim hoc vere liceat Episcopis, constat habendam esse rationem, ut absentiam huiusmodi aequa requirat causa, simulque consultum sit, ne gregi detrimentum obveniat. Mementote autem Iudicem futurum esse eum, cuius oculis omnia nuda et aperta sunt, adeoque videte, ut causa talis vere sit, quae probari iure possit supremo huic Pastorum Principi, a quo ovium vobis creditarum sanguis est quantocius requirendus; in quo quidem iudicio, frustra Pastor contenderet ea se excusatione tueri, quod lupus oves, absente se, ac inscio, abductas devoraverit, nam si res penitus inspiciatur, satis apparet nullum prope malum, aut scandalum in Dioecesi sic destituta contingere, quod non sit ei adscribendum, cuius erat, subditos a recta semita deflectentes revocare monitis, allicere exemplis, voce confirmare, auctoritate, et charitate continere. Porro quis etiam non

intelligat, multo satius esse negotia alibi per alios, ubi oportuerit, peragi, quam per se ipsum ab Episcopo extra Dioecesim suam morante; negotium vero omnium maximum custodiendi, et gubernandi gregis ab eo per se non per administros curari? Sint enimvero quantumvis idonei, probatique Ministri, non tamen eorum vocem sic solent audire oves, ut vocem veri sui Pastoris: non vicariam illorum operam supplere satis vigilantiam, atque operam ipsius Episcopi, qui peculiari Sancti Spiritus gratia ad id opitulatur, experientia abunde compertum est.

§ 5. Ad haec, cum in omni etiam rei domesticae cura nihil sit utilius, quam si ipsemet Paterfamilias omnia frequenter inspiciat, suaque vigilantia suorum industriam, et diligentiam alat, propterea vos monemus, et hortamur, Fratres, atque etiam vobis iniungimus, ut Ecclesias, et Dioeceses vestras (nisi gravis, ac legitima interveniat causa, quae aliis id committi postulet) vos ipsi visitetis, vos ipsi oves vestras, et pecoris vestri vultum agnoscatis. Formidinis sane, ac terroris plena est certissima illa sententia, quam supra memoravimus, non admitti Pastoris excusationem, si lupus oves comedit, et Pastor nescit. Multa vero quidem ignorabit Episcopus, multa eum latebunt, vel saltem serius, quam oporteret, intelliget, nisi ad omnes suae Dioeceseos partes se conferat, et nisi per se ipsum ubique videat, ubique audiat, ubique exploret, quibus malis medicina facienda sit, et quaenam fuerint eorum causae, quave ratione occurri etiam providenter queat, ne sublata reviviscant. Praeterea cum ea sit humanae imbecillitatis conditio, ut in agro Dominico, cuius cultura commissa Episcopo est, sensim vepres, et spinae, ac noxiae, inutilesque herbae succrescant, certe nisi ad eas amputandas cultor crebro redeat, ille ipse nitor vigiliis eius, laboribusque iam partus, progressu temporis deflorescet. Sed neque etiam satis est lustrari a vobis Dioeceses, et opportunis praeceptionibus vestris curationi earum esse prospectum: restat et illud enixe perficiendum a vobis, ut quae in visitationibus constituta fuerunt, vere in effectum perducantur; nam legum etsi optimarum utilitas nulla erit, nisi quod sancitum verbis est, re ipsa ab eis, ad quos pertinet, studiose praestetur. Quapropter postquam ad animarum morbos expellendos, sive avertendos, salutaria paravistis medicamenta, non ideo sollicitudo vestra conquiescat oportet, sed traditorum a vobis praeceptorum executio omni virium contentione urgenda est; idque potissimum per iteratas visitationes estis assecuturi.

§ 6. Postremo, ut multa paucis complectamur, Fratres, in omni sacra, et Ecclesiastica functione, et in omni Divini cultus, ac pietatis exercitio vos ipsos auctores, vos duces, vos magistros esse convenit, ut quasi de vestrae sanctitatis splendore, tum Clerus, tum grex universus lumen hauriat, et charitatis vestrae igne incalescat. Itaque in tremendi Sacrificii frequenti: et devota oblatione, in solemni Missarum celebratione, in Sacramentis administrandis, in Divinis officiis obeundis, in cultu, et nitore Templorum, in disciplina domus, et familiae vestrae, in pauperum amore, et ope eis ferenda, in aegrotis invisendis, et sublevandis, in peregrinis hospitio excipiendis, in omni denique Christianae virtutis opere estote vos forma gregis vestri, ut omnes imitatores vestri sint, sicut et vos Christi, quemadmodum decet Episcopos, quos

Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Apostolos identidem respicite, in quorum successistis locum, ut eorum vestigia sectemini in laboribus, in vigiliis, in aerumnis toleradis, in arcendis lupis ab ovilibus vestris, in vitiorum radicibus extirpandis, in Evangelica lege exponenda, in eis, qui erraverint, ad salutarem poenitentiam reducendis. Aderit profecto vobis omnipotens, et misericors Deus, in quo nos confortante omnia possumus. Non deerit etiam vobis, ut plane confidimus, religiosorum Principum auxilium. Omnia insuper adiumenta parata vobis erunt ab hac Sancta Sede, quotiescumque nostra Apostolica Auctoritate opus esse censueritis. Magno itaque animo, magnaque fiducia venite ad Nos, qui vos cunctos, ut Fratres, et adiutores nostros, coronam nostram amamus in visceribus Iesu Christi: Venite ad vestram, et omnium Ecclesiarum Matrem, Caput, et Magistram, Sanctam Romanam Ecclesiam, unde Religionis origo manavit, ubi Fidei petra, ubi fons Sacerdotalis unitatis, ubi incorruptae veritatis doctrina; nihil enim Nobis optatius, nihil iucundius esse potest, quam una vobiscum Dei gloriae inservire, et Catholicae Fidei custodiae, ac propagationi allaborare, atque animas salvas facere, pro quibus ipsum quoque sanguinem, et vitam nostram libentissime, si oportuerit, impenderemus. Excitet vos demum, stimulosque currentibus vobis addat ingens, ac certa, quae vos manet, remuneratio; nam cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam; coronam utique iustitiae, quae reposita est fidelibus dispensatoribus Mysteriorum Dei, et strenuis, vigilibusque speculatoribus domus Israel, quae est Sancta ipsius Dei Ecclesia. Eius autem vices Nos, quamvis indigni, gerentes in terris, Fraternitatibus vestris peramanter benedicimus, necnon Clero, ac populo vestro fideli, eandem Apostolicam Benedictionem nostram paterno affectu impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 4-8].

305.

Benedictus XIV, const. *Cum ad*, 9 ian. 1741.

Cum ad infrascriptam Cardinalium Congregationem delatum fuerit dubium: *An Custos et Guardianus Sancti Sepulchri Domini Nostri Iesu Christi, ex speciali huius Sanctae Sedis delegatione, et vigore nonnullorum privilegiorum per dilectos filios Superiores Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum exhibitorum, necessarias facultates habeat conferendi Sacramentum Confirmationis:* Nos pro commissa Nobis coelitus Pastoralis Officii cura, omnes difficultates, ac in posterum dubitandi hac in re occasionem tollere cupientes, ac dilectum filium Paulum a Laurino Fratrem expresse professum dicti Ordinis, ac Custodem, et Guardianum dicti Sancti Sepulchri, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, et Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a iure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum con-

sequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, auditis votis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana adversus haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum auctoritate Apostolica deputatorum, eidem Paulo Custodi, et Guardiano eiusdem Sancti Sepulchri, durante eius officio, et pro locis Terrae Sanctae huiusmodi, ubi non erunt Episcopi Ritus Latini in propria Dioecesi residentes, potestatem, et facultatem conferendi Sacramentum Confirmationis huiusmodi Oleo, et Chrismate etiam antiquis, si nova haberi non possint, per Catholicum Antistitem gratiam, et communionem Sedis Apostolicae habentem benedictis, dicta auctoritate, tenore praesentium concedimus, et delegamus; salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium. Non obstantibus praemissis, ac Apostolicis, et in Universalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinatianibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 28].

306.

Benedictus XIV, const. *Apostolicae servitutis*, 25 febr. 1741.

Apostolicae servitutis commissum Nobis divinitus officium assidue vigilare Nos admonet, ut ex prava hominum cupiditate suborientia mala, quantum in Nobis est, provida sollicitudine coercentes, Dominici ovilis gregem, Superna opitulante gratia, ad aeternam patriam dirigamus. Sed praecipua cura constringit de iis, qui Ecclesiastico Ordini adscripti, et ad sanctioris vitae genus electi aliis in via salutis actuum suorum claritate praelucere debent. Vehementer enim timidi, ac solliciti sumus, ne caeteros Christifideles, quos pro gradus sui Sanctitate verbis, et exemplo aedificare debent, morum suorum pravitate, a coelestium rerum amore ad terrena desideria avertant.

§ 1. Cum itaque, ut non sine gravi animi Nostri moerore accepimus, vesana humanarum rerum cupiditas ita nonnullorum Clericorum invaserit animos, ut illicitam Ecclesiasticis negotiationem, ad evitandas Poenas adversus illam exercentes a Sacris Canonibus, et Apostolicis Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus sancitas, sub alieni nominis velamine, Dei timore, Ecclesiastici nominis decore, et aeterno suarum animarum periculo posthabitis, temere, nulliterque exercere non dubitent; et, quod palam temporalium poenarum metu aggredi non audent, quaesitis deinde coloribus, et vanis inanium rationum praetextibus clam efficere non timeant; quasi vel Dei oculos, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, latere, vel Supremi Iudicis, qui non fallitur, examen effugere possint: Nos attendentes, quod Clericus, qui tantopere mundanis divitiis parandis inhiat, coelestia despicere, et pro nihilo putare convincitur, et quod Clericus negotiator ex inope dives, et ex ignobili gloriosus, tanquam pestis, ut Beatus Hieronymus docet, fugiendus est; ad exitiosam huiusmodi labem ab Ecclesiastico Coetu eliminandam, et ut Sancto Ecclesiae Dei famulatui addicti, ab omni

turpis lucri cupiditate abhorrentes, studeant bene agere, et divites fieri in bonis operibus, thesaurizantes sibi fundamentum bonum in futurum; omnes et singulas Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum praedictorum Constitutiones, illarumque quamlibet contra quoscumque Clericos illicitos negotiatores desuper quomodolibet respective, cum omnibus, et singulis poenis, contra eosdem Clericos illicite negotiantes, editas, quas Constitutiones huiusmodi, ac earum quamlibet praesentibus de verbo ad verbum, nihilo penitus omisso, pro insertis haberi volumus, Motu proprio, et ex certa scientia, maturaque deliberatione, ac de Apostolicae potestatis plenitudine Nostra innovamus, confirmamus, et approbamus, eisque, et earum cuilibet novum Apostolicae firmitatis, et inviolabilis observantiae robur adiicimus, illasque sic innovatas, confirmatas, et approbatas, cum omnibus, et singulis poenis in eis, et earum qualibet adversus Clericos illicitos negotiatores huiusmodi contentis, ad Clericos illicite sub alieno laici nomine quomodolibet negotiantes, perinde ac si per se ipsos, ac proprio eorum nomine negotia ipsa illicita exercerent, omnesque, et singulae Constitutiones, earumque quaelibet adversus eos desuper editae fuissent, et in eis, et earum qualibet expressi, et denominati reperirentur, motu, et potestatis plenitudine praefatis perpetuo extendimus, et ampliamus; illorumque omnia, et singula bona sic ab eis alieno nomine illicite acquisita, sub inevitabili spolii poena, ad formam Constitutionis fel. record. Pii Papae IV similiter Praedecessoris Nostri, quae incipit: *Decens esse,*[1] subiicimus, et subiecta esse volumus, et declaramus.

§ 2. Insuper, ut in sortem Domini vocati, depositis quocumque mundanarum curarum onere, et humanarum cupiditatum impedimentis, Christum Dominum, qui propter Nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia Nos divites essemus, per calcatas mundi opes liberius, et expeditius sequantur, memores salutaris illius Beati Apostoli moniti, qui clamat, et dicit: *nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat, cui se probavit,* per easdem Nostras praesentes perpetuo valituras, motu, et potestatis plenitudine praefatis decernimus, ac pariter declaramus, quod si aliquod negotium Ecclesiasticis illicitum personis, licet ab eis minime institutum, sed a laica persona inchoatum, et ad eosdem Clericos, sive haereditario iure, aut quocumque alio titulo, sive singulariter, sive communiter, sive separatim, sive coniunctim, cum aliis bonis, et aliis cohaeredibus, vel sociis laicis existentibus delatum fuerit, vel per se ipsos, eorumque nomine proprio, vel per alios, aut alieno nomine etiam per suos cohaeredes, aut socios prosequuti sint, illud statim dimittere teneantur. Si vero negotium huiusmodi sine ipsius Clerici temporali detrimento statim dimitti nequeat, tunc, si intra Italiam, Insulasque adiacentes existat Clericus, a Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Decretorum Concilii Tridentini interpretum Congregatione, si vero extra Italiam, ab eadem Congregatione, vel ab Ordinario Loci licentiam illud ad aliquod tempus retinendi, proviso interim, quod negotium huiusmodi a laico administretur, impetrare teneantur; dictaque Congregatio, aut Ordinarius Loci, perpensis singulorum

[1] Die 5 nov. 1560. – Cf. Bull. Rom., tom. 4, II, p. 58, 59.

casuum circumstantiis, licentiam impertiatur, tempusque in eo ad idem negotium dimittendum praescribat; et si Clericus negotium praefatum, licet a Laico, ut praefertur, institutum, absque licentia huiusmodi gratis semper sibi impertienda, aut illud ultra tempus sibi permissum retinuerit, vel etiam intra tempus praedictum negotium per se ipsum administraverit, pro negotiatore illicito haberi, illumque omnibus, et singulis etiam spolii poenis praefatis subiectum esse, motu, et potestatis plenitudine dictis perpetuo volumus, et definimus.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 32-35].

307.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Matrimonii*, 11 apr. 1741.[1]

Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum, cuius firmitatem ab Adamo tanto ante pronuntiatam Christus Dominus, et his verbis, *quod Deus coniunxit, homo non separet*, confirmare, et Evangelica gratia, unde magnum in Ecclesia Sacramentum est, augere dignatus fuit, tanta facilitate, perinde ac si neque lege naturae, neque Divino Iure, neque Evangelicis praeceptis, et Canonicis Sanctionibus initum esset Connubium, in aliquot Catholici Orbis partibus, atque in isto praesertim florentissimo Poloniae Regno in dies dissolvi audientes, neque lacrymis, neque verbis explicare possumus allatam inde Nobis incredibilem sollicitudinem, conceptamque in Pontificio animo nostro ingentem molestiam. Etsi autem plurimum dolentes, facile adducimur, ut credamus huiusmodi dissolvendorum Coniugiorum licentiam, propter quam, non sine gravi bonorum offensione, sive vir unus, sive mulier una, pluribus vicissim adhuc viventibus sibi antea copulatis Coniugibus, tertium, aut quartum matrimonium contrahere cernitur, a nimia Curiarum vestrarum libertate, quemadmodum alibi evenire accepimus, ortum ducere; tamen facere non possumus, quin iustissimas ad vos, Venerabiles Fratres, querelas nostras deferamus; atque insimul tantae licentiae refraenandae, et intra praescriptos a Catholica Ecclesia fines coercendae, salutares Leges modumque meditemur.

§ 1. Ad Sacerdotalem igitur virtutem vestram, vestrumque pro Ecclesiastica disciplina zelum, magna cum Pontificii animi fiducia, pastorales curas conferimus, ut inde opportunum huic malo ab inclyta Polona Natione avertendo propulsandoque, et abstergendae nomini vestro inustae notae, subsisidium interea repetamus. Eapropter Fraternitates Vestras in Domino rogamus, et hortamur, ut memores rationum Coelesti Catholicae Ecclesiae Sponso Iesu Christo Iudici reddendarum, Apostolicis vocibus Nostris obtemperantes, ministerium vestrum ea, qua decet, vigilantia adimplere satagatis. Ac, dum pares muneri, pietati, et religioni vestrae de hisce rebus successus praesto-

[1] Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, et Episcopis Regni Poloniae.

lamur. Fraternitatibus Vestris Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

§ 2. Volumus autem, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 45, 46].

308.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Non ambigimus,* 30 maii 1741.[1]

Non ambigimus, Venerabiles Fratres, quin universis Catholicae Religionis Cultoribus notum sit, a tota per Christianum Orbem Ecclesia inter praecipua Orthodoxae disciplinae capita perpetuo adnumeratum retineri Quadragesimale Ieiunium; quod olim in Lege, et Prophetis primitus adumbratum, ipsius Domini Nostri Iesu Christi exemplo veluti consecratum, ab Apostolis traditum, a Sacris Canonibus ubique praescriptum, et ab universali Ecclesia ab ipso sui primordio retentum, et observatum est. Hoc nimirum, ut veteres tradidere Patres, nobis quotidie peccantibus communis poenitentiae constituto remedio, per consortium Crucis Christi, nos etiam aliquid in eo, quod ipse propter nos praestitit, agimus; simulque ad recolenda sacratiora Redemptionis nostrae mysteria, quae per Dominicae Passionis, ac Resurrectionis memoriam, Quadragesimali potissimum tempore sollemnius celebrantur, purificatis Ieiunio corporibus, et animis, dignius paramur. Hoc, veluti nostrae militiae tessera, ab inimicis Crucis Christi secernimur, flagella Divinae ultionis avertimus, et coelesti praesidio in dies adversus principes tenebrarum munimur. Hoc despectui habito, non contemnendum divinae gloriae detrimentum, non leve Catholicae Religioni dedecus, non dubium animabus Christifidelium periculum oboritur: nec aliunde populis calamitates, rebusque publicis, et privatis cladem exitiumque importatum esse constat.

§ 1. Ab hac vero insita inhaerentique in omnium Catholicorum hominum animis de sacratissima Quadragesima, aliisque diebus ieiunio consecratis persuasione, et reverentia, quam aliena, quam discors, quam absona sit hodierna Ieiunantium consuetudo, quantum ab ipsa Ieiuniorum institutione, et servata semper, ubique, et ab omnibus disciplina quam longissime distet: Vos, Venerabiles Fratres, qui populorum curae vestrae commissorum mores, et usus probe nostis, pro singulari sapientia vestra, prae caeteris clarius intelligitis. Nos sane, quibus in hac sublimi Apostolicae procurationis specula constitutis undique gentium nuntii afferuntur, lacrymis satis deplorare non possumus, augustissimam Quadragesimalis Ieiunii observantiam ob nimiam, nullis legitimis urgentibus causis, ubique indiscriminatim dispensandi facilitatem, plane sublatam esse; ita ut Orthodoxae quidem Religionis Cultores merito querantur; haeresum vero Sectatores illudant, et exultent.

[1] Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, et Episcopis universis, gratiam, et communionem Sedis Apostolicae habentibus.

Perniciosae huic corruptelae plurimorum insuper licentiam adiunctam esse graviter dolemus; quae usque adeo invaluit, ut nulla Apostolici Instituti, sacratissimique praecepti habita ratione, Ieiuniorum tempore, palam, et impune ab iisdem agitentur convivia, et epulae interdictae promiscue inferantur.

§ 2. Eapropter, quemadmodum quibus curis, sollicitudinibus, et angoribus urgeamur, cum Fraternitatibus Vestris communicamus; ita facere non possumus, quin pro iniuncto Nobis supremo sacrosancti Apostolatus officio, et ardentissimum Fraternitatum Vestrarum zelum ad opportunum hisce malis adhibendum remedium excitemus, et ad congruentes huiusmodi abusibus penitus extirpandis leges praescribendas, meditemur. Interea, Venerabiles Fratres, gaudium, et corona nostra, nobiscum considerantes, nihil Deo acceptius, nihil Pastorali ministerio nostro dignius, nihil gregibus curae nostrae commissis utilius, quam ut verbo, et exemplo praeeuntes, Christifideles ad tam salutarem Christianae poenitentiae, et pietatis exercitationem alacrius suscipiendam, constantissime retinendam, et ea, qua instituta fuit, disciplina peragendam vehementius inflammemus; omni opera atque industria studeamus, ut fideles populi in conspectu Dei, per austeriorem Ieiuniorum observantiam, tales permaneant, quales in ipso Paschali festo dignum est inveniri.

§ 3. Debitum igitur paternae uniuscuiusque vestrum sedulitatis, et caritatis officium Iure postulat, ut omnibus notum faciatis, et annuntietis, nemini quidem sine legitima causa, et de utriusque Medici consilio; multitudini vero, veluti populo, aut civitati, aut genti indiscriminatim integrae, nonnisi gravissima, et urgente necessitate, et in casibus per sacra Canonum statuta praescriptis, cum debita Apostolicae huius Sanctae Sedis reverentia, a Quadragesimali Ieiunio dispensationem, toties, quoties opus fuerit, concedendam, nec audacter fidenterque usurpandam, nec superbe, et arroganter ab Ecclesia, sicut alicubi in more positum esse accepimus, esse postulandam.

§ 4. Gravissimam vero urgentemque necessitatem etsi non est cur Vobis explicemus: Nolumus tamen Vos ignorare, cum huiusmodi necessitate, et servandam esse potissimum Unicam Comestionem, sicut alias hic Romae, ac Nos ipsi hoc anno urgentibus causis dispensantes, expresse praescripsimus, et licitas atque interdictas Epulas promiscue minime apponendas esse.

§ 5. Porro quemadmodum de eiusmodi indulgentia tam caute impertienda, si secus fieret, Nos persuasum habemus, districtam supremo Divino Iudici redditum iri rationem, ita conscientiam uniuscuiusque Vestrum onerandam esse ducimus. Insimul Fraternitates Vestras rogamus, et in Domino exhortantes, obsecramus, ut populos, qui communem omnium Christifidelium poenitentiam, ac disciplinam servare nequeant, commonere satagatis, ne per alia pietatis opera, ut sua cuique devotio suggeret, peccata sua expiare, et Deo satisfacere negligant; quinimmo sanandis vulneribus, quibus humana infirmitas sauciatur, diligentem adhibere studeant curationem, ut culpas de mundano pulvere contractas, dum casta ieiunia decoquere non possunt, pia opera, orationum suffragia, et eleemosynae munera redimant. Interim solatium, et levamen non leve moerori nostro a Pastorali vigilantia, et caritate vestra praestolantes, ac certo Nobis pollicentes, Apostolicam bene-

dictionem, cum uberi coelestium charismatum copia coniunctam, in eosdem populos vestros redundaturam, Vobis, Venerabiles Fratres, peramanter impertimur.

§ 6. Volumus autem, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 48-50].

309.

Benedictus XIV, const. *Sacramentum Poenitentiae*, 1 iun. 1741.

[Cf. Codicis Iuris Canonici Docum. V. – Cf. etiam Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 50-54].

310.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Cum Sacrarum*, 1 iun. 1741.[1]

Cum Sacrarum Virginum, quae se Christo intra claustra dicaverunt, et tam carne, quam mente se Deo voverunt, ut consumment opus suum magno praemio destinatum, quo sublimior gloria est, eo maior et cura esse debeat; inter praecipuas Apostolicae nostrae sollicitudinis partes, illam non ultimam reputamus, ut, ceteris inter Apostolicam hanc Sanctam Sedem, et Portugalliae, Algarbiorumque Regna iamdiu exortis dissidiis, benedicente Domino, compositis, salutarem quoque nostram, ad maiorem Monialium in iisdem Regnis degentium progressum in via mandatorum Dei, et vocationis suae semita faciendum, operam conferamus.

§ 1. Quoniam autem, sicut accepimus, quamplurimae Moniales variarum Dioecesum Regnorum huiusmodi, quae Regularem in Monasteriis quorumcumque Ordinum rigorosae, et perfectae clausurae emiserunt Professionem, variis, et in speciem quaesitis coloribus, et simulationibus, ac praesertim praetensis curandarum infirmitatum causis, non solum e Monasteriis exeunt, nec ad breve tempus, nec ad Civitates, et Oppida, ubi cuiuslibet Monialis Monasterium reperitur, divertunt, verum etiam per integrum unius, ac plurium annorum spatium, et in locis a proprio uniuscuiusque Monasterio longissime dissitis, moram ducunt: eapropter fit, ut quamplurima inde scandala, et abusus incredibiles, ac Regularis perfectionis detrimenta, non sine gravi bonorum hominum offensione, oriantur. Conspiciuntur enim nonnullae earumdem Monialium per plateam incedere, ad publica Spectacula, et Theatra, Comoedias, Tragoedias, et Dramata, audiendi, spectandique causa, convolare, et ad alia loca nullo pacto religiosis Virginibus convenientia pergere; his accedit, quod non religiosae consuetudinis, sed licentiosae vitae exemplo, iis, quibuscum in eorumdem Domibus commorantur, sint offensioni, et scandalo.

[1] Venerabilibus Fratribus, Antistitibus Regnorum Portugalliae, et Algarbiorum.

§ 2. *Hinc est*, quod Nos, non quod, humilitatis nostrae admodum conscii, aliquid ad censuram licentiae vindicemus, sed quod, ad sollicitudinem magis cauti, plus de Diaboli infestatione timeamus, opportunum hisce malis remedium afferre, et, quantum cum Domino possumus, debitae earumdem Sacrarum Virginum custodiae, decori, atque honestati providere cupientes, motu proprio, et ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine vobis omnibus, et singulis, Venerabiles Fratres, iniungimus, et mandamus, ut statim ac ad Fraternitates Vestras praesentes nostrae in forma Brevis literae, aut earumdem transumpta, sive exempla, etiam typis impressa, et manu alicuius publici Notarii subscripta, et sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munita pervenerint, illico notum faciatis, et nuntietis omnibus, et singulis Monialibus Monasteriorum, sive vestrarum respective, sive aliarum Dioecesum in uniuscuiusque vestrum Dioecesi quacumque auctoritate, facultate, licentia, Indultis, ac privilegiis, sive per hanc Sanctam Sedem, sive per Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Episcoporum, et Regularium praepositam, sive per Vos ipsos, aut Praedecessores vestros Antistites, sive per ordinarios Nostros, et eiusdem Sanctae Sedis pro tempore Nuntios quomodolibet concessis, extra claustra suorum Monasteriorum quacumque etiam infirmitatis causa commorantibus, in virtute sanctae obedientiae praecipiatis, ut intra quindecim, aut viginti dies, et non amplius, ab earumdem praesentium nostrarum literarum publicatione, et affixione, ad proprium Monasterium, in quo regularem Professionem emiserunt, redeant, ibique permaneant, aliter ipso facto poenas a Sacris Canonibus contra violantes clausuram Monialium inflictas, praeter alias vestro arbitrio irrogandas, incurrere, et incurrisse sciant, quibus sane poenis, aliisque vestro etiam arbitrio imponendis, obnoxios, et ipso facto subiectos esse decernimus, et declaramus omnes, et singulos consilium, auxilium, commodum, aliaque huiusmodi dantes, aut praestantes, ne eaedem praesentes suum sortiantur effectum.

§ 3. Caeterum, Venerabiles Fratres, rogamus Vos, et in Domino hortamur, ut pro eximia pietate vestra, religionis zelo, Ecclesiasticae disciplinae amore, et aeterna Sacrarum Virginum salute Fraternitatibus Vestris potissimum credita, statim hisce nostris acceptis, omnia, et singula in ipsis contenta debitae executioni mandanda curetis, super quibus vestras conscientias oneramus, ac significamus districtam Supremo Divino Iudici Iesu Christo Coelesti Sacrarum Virginum Sponso reddendam esse rationem. Contendite igitur omni ope, consilio, prudentia, et auctoritate vestra, Sacerdotale Ministerium vestrum cumulate explere; Nos enim omnes opportunas, et necessarias ad eiusmodi effectum facultates, etiam auxilium Brachii Saecularis, quatenus opus fuerit, invocandi, Apostolica auctoritate earumdem praesentium tenore impertimur.

§ 4. Verum, ne imposterum Indulta exeundi e Monasteriis, et extra Claustra permanendi, ob quamcumque causam, tanta facilitate Monialibus in iisdem Portugalliae, Algarbiorumque Regnis concedantur, tum Fraternitatibus Vestris, vestrisque successoribus, tum ordinariis eiusdem Apostolicae

Sedis pro tempore isthic Nuntiis, tum denique ipsi Congregationi Cardinalium Episcoporum, et Regularium, quamcumque facultatem tribuendi, expediendique Indulta huiusmodi, quacumque auctoritate, potestate, privilegiis, et Indultis, quibus omnibus quoad hanc partem earumdem praesentium tenore derogamus, attributam, omnino inhibemus, et inhibitam esse volumus, et declaramus. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 54, 55].

311.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Quanta cura*, 30 iun. 1741.[1]

Quanta cura adhibenda sit, ut Sacrosanctum Missae Sacrificium non solum omni Religionis cultu, ac veneratione celebretur; verum etiam ut a tanti Sacrificii dignitate cuiusvis generis mercedum conditiones, pacta, et importunae atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque huiusmodi, quae a simoniaca labe, vel certe a turpi quaestu non longe absunt, e medio tollantur, nemo est ex Catholicae Fidei cultoribus, qui ignoret.

§ 1. Verum eousque tandem progressa est, sicut non sine ingenti cordis nostri moerore undique accepimus, nonnullorum, sive Ecclesiasticorum, sive Laicorum Virorum avaritia, quae est idolorum servitus, ut eleemosynas quidem seu stipendia propter Missarum celebrationem, iuxta locorum consuetudines, vel Dioecesanarum Synodorum Sanctiones, in subsidium alimentorum uniuscuiusque Sacerdotis dumtaxat, pro regionum opportunitatibus praescripta, colligant; Missas vero celebrari curent alibi, ubi eleemosynae, seu stipendia, vel consuetudine, vel Synodali lege, pro singulis Missis attributa sunt minoris pretii, quam illic, ubi accipiuntur, darentur.

§ 2. Id quam absonum sit, atque alienum ab ipsa, sive expressa, sive tacita pie offerentium voluntate, omnes plane intelligunt. Nec aliter existimandum est; in illa enim potius Missas esse celebrandas quisque vult, ad quam, religionis, et pietatis stimulis ductus, eleemosynas confert, aut in qua quispiam fortasse tumulatus est, quam in alia Ecclesia sibi prorsus ignota. Quod sane, veluti mercaturis faciendis a turpis lucri cupiditate inductum, non solum ab avaritiae suspicione, et vitio, verum etiam a furti crimine, unde restitutioni subiacet, haud immune, in causa est, ut bonorum quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura huiusmodi venit, graviter offensi, ab eleemosynis ad celebrandas Missas amplius offerendis sese abstineant.

§ 3. Execrabilem huiusmodi abusum alicubi sensim irrepentem detestantes Romani Pontifices Praedecessores Nostri, de consilio tum Congregationis S. R. E. Cardinalium Universalis Inquisitionis contra haereticam

[1] Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, et Episcopis universis, gratiam, et communionem Sedis Apostolicae habentibus.

pravitatem, tum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, decretum voluerunt, nimirum a quolibet Sacerdote, stipendio, seu elemosyna maioris pretii pro celebratione Missae a quocumque accepta, non posse alteri Saçerdoti Missam huiusmodi celebraturo stipendium, seu eleemosynam minoris pretii erogari, etsi eidem Sacerdoti Missam celebranti, et consentienti, se maioris pretii stipendium, seu eleemosynam accepisse indicasset.

§ 4. Eapropter Vos, Venerabiles Fratres, in Apostolici Ministerii, et sollicitudinis Nostrae partem adscitos, rogamus, et maximopere in Domino hortamur, ut custodientes vigilias super gregibus vestris, enitamini, ne ea pestis amplius pervagetur, sed ut penitus extinguatur. Ab avaritia enim, tamquam a radice, mala omnia germinant; quam quidam appetentes, erraverunt a Fide, et inseruerunt se doloribus multis. Avaritia quidem nulla potior contagio, quae conceptam apud omnes Sacerdotalis dignitatis perfectionisque opinionem magis inficiat evellatque. Avaritia opibus Deum posthabere, ac servire Mammonae docens, efficit, ut Avari haereditatem non habeant in Regno Christi, et Dei. Quod si haec in Laicis hominibus minime toleranda, atque adeo legibus coercenda, quid in Ecclesiasticis viris, qui terrenis rebus nuntium miserunt, qui in sortem Domini vocati, qui Deo mancipati sunt? Quid, quod non per mundana lucra, sed per Altaris ministerium, tam sordide, et cum sanctissimarum legum contemptu, et cum Sacerdotalis characteris dedecore, in avaritiam praecipiti animo rapiuntur? Contendite igitur, Venerabiles Fratres, quibus Christi ovium cura demandata est, non solum ut verbo, et exemplo praeeuntes, Christi sitis bonus odor in omni loco, unde populi vestigia vestra sequantur; verum etiam ut Ecclesiasticos primum, deinde Laicos viros ab infectis vitiorum pascuis avertentes, per viam mandatorum Dei ad Coeleste Ovile currere doceatis.

§ 5. Quoniam autem ita comparatum est, ut praesentis poenae metu salutaribus monitis facilius obtemperetur; per Edictum in vestris Dioecesibus proponendum affigendumque, universis notum facite, quemcumque, qui eleemosynas, seu stipendia maioris pretii pro Missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines, vel Synodalia Statuta exigunt, colligens, Missas, retenta sibi parte earumdem eleemosynarum, seu stipendiorum acceptorum, sive ibidem, sibi alibi, ubi pro Missis celebrandis minora stipendia, seu eleemosynae tribuuntur, celebrari fecerit, Laicum quidem, seu Saecularem, praeter alias arbitrio vestro irrogandas poenas, Excommunicationis poenam, Clericum vero, sive quemcumque Sacerdotem, poenam Suspensionis ipso facto incurrere; a quibus nullus per alium, quam per Nos ipsos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit. Fore autem in Domino confidimus, ut unusquisque memor conditionis suae, posthac bene consultum velit animae suae, nec tam salutares leges censurasque Ecclesiasticas parvipendat. Interea Fraternitatibus Vestris Apostolicam Benedictionem, in populos etiam curae vestrae commissos redundaturam, peramanter impertimur.

§ 6. Volumus autem, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. I, p. 56, 57].

312.

Benedictus XIV, ep. *Pro eximia*, 30 iun. 1741.[1]

Pro eximia tua pietate observantiaque, quam canonicae disciplinae praestare debes, Venerabilis Frater, quem pastoralis creditarum Tibi ovium cura iamdiu laudabiliter impensa commendant, plane non dubitamus, quin permolestum quoque Fraternitati Tuae accidat, quod Nos per alias nostras in simili forma Brevis literas ad universos Catholici Orbis Antistites, hac ipsa die datas, ac typis impressas, Tibique cum hisce insimul reddendas, non sine effusis lacrymis communicamus.[2] Etsi autem detestabilem in Missarum celebratione mercaturam, de qua tantopere querimur, alibi etiam fieri accepissemus, non ea tamen, nec tanta cum turpis lucri aviditate exerceri noveramus, quanta a nonnullis Pedemontii Ecclesiasticis, et Laicis viris frequentari recentibus nuntiis certiores facti fuimus, ut salutare, ad tam sordidae negotiationis, et criminis notam a Dioecesibus Pedemontii penitus delendam, remedium adhibere satageremus. Verum Nos, ne opinionem, quam omnes de Ecclesiasticae disciplinae decore, et observantia in Pedemontii Dioecesibus vigente habent, minuere videremur, et ut debitis Apostolicae sollicitudinis officiis faceremus satis, id scribendi inivimus consilium.

§ 1. Itaque quemadmodum facile hinc perspicis, Venerabilis Frater, non obscurum hac in re peculiaris nostrae erga unumquemque Pedemontii Antistitem caritatis testimonium, ita vehementer enitaris oportet, ut omnem tam pro negotii gravitate, quam pro nostrae providentiae ratione operam colloces, ut de contagione mercaturae huiusmodi penitus extincta Tecum gratulemur.

§ 2. Verum si malorum hominum pervicacia tanta fuerit, ut poenis per easdem literas nostras irrogandis arroganter despectis, ad eam confringendam Brachii saecularis auxilio Tibi opus sit, illud invocare ne omittas, minime dubitans, quin libentius quam optas, Tibi praesto sit.

§. 3. Tanta namque est Carissimi in Christo Filii Nostri Caroli Emanuelis Sardiniae Regis illustris in Nos, et Apostolicam hanc Sanctam Sedem observantia saepissime rebus ipsis probata, ut maiora in dies Regiae, non solum erga Nos ipsos, sed etiam erga Fraternitatem Tuam pietatis, et pro Ecclesiastica disciplina zeli, ac patrocinii argumenta Nobis certo polliceamur. Interea Fraternitati Tuae Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 57, 58].

[1] Venerabili Fratri, Archiepiscopo Taurinensi.

[2] Cf. N. 311.

313.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Grave*, 15 aug. 1741.[1]

Grave, et permolestum Nobis accidit compertum habere, nonnullos Hiberniae Episcopos adeo muneris sui, et animarum curae sibi commissarum esse oblitos, ut alter, ex quo iampridem Episcopale regimen susceperit, nunquam hactenus in Dioecesi resederit, alter, transacto vix cum ovibus suis mense, Angliam, deinde Galliam, Belgium, Germaniamque peragraverit, nonnulli vero semel in anno aestivo tempore, paucis quidem diebus, quasi relaxandi animi causa, ad Ecclesiam sibi traditam accedere consueverint. Hoc autem quanto Nos dolore confecerit, verbis explicare satis non possumus. Quid enim aliud ex tam absurda Episcoporum absentia cogitare possumus, nisi certam Populorum calamitatem, aeternamque animarum perniciem? Experientia quippe didicimus, et oculis prope Nostris vidimus in ipsa Italia Ecclesiasticam disciplinam, pietatem, et mores in deterius ire, si quando Episcopum a Sede sua diutius abesse contigerit; quamquam in Italia non desint et Parochi vigilantes, et Ecclesiastici plurimi docti, ac probi tam Saeculares, quam Regulares, imo et Vicarius probitate vitae, scientia, usuque Ecclesiasticarum rerum valde peritus, qui absentis Episcopi partes pro viribus expleat. Quid vero sperandum, aut quid mali non metuendum, ubi summa Ecclesiasticorum paucitas, ubi Catholici inter Heterodoxos versari debent, et ab ipsis Magistratibus saepe Religionis causa vexari solent?

§ 1. Non est autem, cur Nos in praesens novas leges, aut poenas, ad coercendam eiusmodi licentiam, statuamus; cum dubitare minime possimus, Vos non ignorare, quam graviter, stricteque per Sacros Canones, Apostolicasque Constitutiones, tum maxime per Concilium Tridentinum[2] Episcopis iniungatur in Ecclesiis suis residere, et Oves sibi creditas nullo unquam tempore extra summam necessitatem deserere. Qua de re etiam nomine Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum nonnullos ex Vobis admonitos fuisse certo scimus. Cui sane residendi debito satis nequaquam faciunt, qui per alium a se substitutum, seu Vicarium, Ecclesiam regunt, nisi forte ad breve tempus, et gravi de causa id fieret.

§ 2. Neque vero opus esse censemus, Viros doctos, et sacrarum literarum apprime callentes, quales Vos estis, docere de differentia residendi, quam materialem, et formalem, vocant. Quis enim Vestrum, Venerabiles Fratres, ignorat, tunc Episcopum materiali modo in Ecclesia sua residere, cum neque Verbum Dei voce, et exemplo disseminat, neque a semita iustitiae deflectentes revocat, neque periclitantibus opem, et auxilium defert, neque adversus Lupos rapaces, qui in vestimentis ovium saepe intrant ovile, ut rapiant,

[1] Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis, et Episcopis Regni Hiberniae.
[2] Sess. VI, *de ref.*, c. 1; sess. XXIII, *de ref.*, c. 1.

et mactent, sedulo invigilat, fortiterque se opponit? In qua sane vigilantia, ac Pastorali sollicitudine potissimum sita est vera, et formalis residendi ratio. Alloquimur profecto Viros Theologos, humanarum, Divinarumque rerum scientissimos, qui probe intelligitis, curam, et salutem animarum opus esse Divinum, et onus Angelicis, ut aiunt, humeris formidandum, Oves Dominicas pascere: quarum de manibus vestris sanguinem Summus Pastor aliquando requiret, si quae forte vitio, aut negligentia vestra perierit. Neque enim se quisquam excusatione tuebitur, quod illae se inscio, aut absente, substituti alicuius, aut Vicarii oscitantia aberraverint. Unicuique enim vestrum singulatim ab Oraculo Divino districte denunciatur: Attendite Vobis, et universo gregi, in quo Vos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Vobis igitur, non alteri, pascendi oves praeceptum datum est: Vobismetipsis spiritualis animarum salus innititur, et Vos illam suscepistis, de ipsis rationem reddituri. Proinde Vobis non immerito tribuetur inopia Verbi Dei, Sacramentorum neglectus, corruptela morum, et omnis eorum, qui ignorant, et errant, miseranda pernicies.

§ 3. Nos itaque haec omnia non sine lacrymis considerantes, hortamur Vos, et per amantissima Iesu Christi Viscera, cuius vices in terris, licet immerentes, gerimus, obsecramus, ut animarum vestrarum non minus, quam earum, quae Fidei vestrae traditae sunt, miseratione moti, malis hisce tempestive occurratis, habentes prae oculis iudicium illud durissimum, quod Princeps Pastorum faciet iis, qui Ecclesiae praesunt, et Populum suum salvum non faciunt. Ponite Vobis ante oculos clarissima, et quidem domestica tot Sanctorum Episcoporum exempla, qui charitate pleni, et de animarum salute, ultra quam dici possit, solliciti, Hiberniam Catholicae fidei zelo illustrarunt, eamque pietate, et religione florentissimam effecerant.

§ 4. Memoria recolite Sanctum Patritium, Hiberniae Apostolum nuncupatum, quem Sanctus Coelestinus Praedecessor Noster ad Vos misit: cuius Apostolicae Legationis, et praedicationis uberrimus fructus extitit, ut Hibernia antea Idolorum cultrix, mox Sanctorum Insula diceretur, et esset.

§ 5. Recolite Sanctum Malachiam Archiepiscopum Armachanum, et Legatum Apostolicum per universam Hiberniam ab Innocentio II Praedecessore Nostro constitutum, cuius ingens animarum studium a S. Bernardo quasi coloribus expressum legimus: *Stetit Pastor intrepidus, omnimodis argumentosus, quomodo faceret oves de lupis, monere communiter, secreto arguere, flere per singulos, nunc aspere, nunc leniter convenire, prout cuique expedire videbat... Circumiens Civitatem, perquirebat anhelus, quem Christo acquireret. Sed et foris rura, et oppida nihilominus saepius percurrebat; ibat, et erogabat, vel ingratis coelestis tritici mensuram, nec vehebatur equo, sed pedes ibat, et in hoc se Virum Apostolicum probans.* Haec S. Bernardus.

§ 6. Sed et sinceriora percurrite S. Laurentii Archiepiscopi Dublinensis acta, quem Regio sanguine ortum, Legatum Apostolicum in Hiberniam Alexander III Praedecessor Noster in Concilio Lateranensi III selegit, eique postea Honorius III pariter Praedecessor Noster solemni ritu Sanctorum honores decrevit; atque inde facile intelligetis, quae, quantaque pro grege suo Vir Apostolicus fecerit, atque pertulerit.

§ 7. Quod si recensere voluerimus Sanctissimos Viros, Columbanum, Kilianum, Virgilium, Rumoldum, Gallum, aliosque plures, qui ex Hibernia in alias Provincias Catholicam fidem invexerunt, aut illam per martyrium effuso sanguine collustrarunt, plus nimio epistolae modum excederemus. Satis sit eos breviter indicasse, quo facilius in memoriam revocetis, quae fuerit maiorum vestrorum religio, ac pietas, quae, quantaque dignitatis Episcopalis sollicitudo, quae quidem illos gloriosos, ac beatos effecit. Horum sane vestigiis ut Vos, quantum fieri potest, insistatis, iterum in Domino rogamus, et obtestamur.

§ 8. Confidimus autem plurimum, ut Vos, non tam paternae huius admonitionis officio, quam conscientiae vestrae stimulis excitati, in Dioecesibus Vestris in posterum resideatis, et gravissimum pascendi oves debitum serio, accurateque persolvatis. Quod si vestrum quispiam, vel ratione provectioris aetatis, aut aegrae valetudinis impedimento, se Pastorali muneri revera imparem sentiat, is Coadiutorem sibi dari a Nobis petat, Nobisque simul indicet, quem ipse idoneum ad illud munus fore iudicaverit: Nam statim ac erimus de eius probitate, doctrina, aliisque ad Episcopatum necessariis satis instructi, Coadiutorem haberi indulgebimus. Apostolicam interim Benedictionem Nostram paterno affectu Vobis impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. I, p. 63-65].

314.

Benedictus XIV, ep. encycl. *In suprema*, 22 aug. 1741.[1]

In suprema Universalis Ecclesiae procuratione, meritis licet imparibus, per ineffabilem Divinae bonitatis abundantiam, ut Orthodoxae Fidei assertores, sic etiam Ecclesiasticae disciplinae custodes, ac vindices constituti, Quadragesimale praesertim Ieiunium, quod inter praecipua orthodoxae disciplinae capita semper, et ubique ab ipso Ecclesiae exordio numeratum esse nemo ex Catholicis inficiatur, ab hodierna Ieiunantium corruptela vindicare, et in pristinam, quantum, benedicente Domino, fieri posset, observantiam revocare cupientes, per alias nostras in simili forma Brevis literas ad Fraternitates Vestras die xxx proxime elapsi mensis maii currentis anni datas,[2] eximium Fraternitatum vestrarum zelum excitandum curavimus, ut adlaborare studeretis, ne hac in parte, et optatum Apostolicae nostrae sollicitudinis angoribus levamen, et salutare abolendae sacratissimi Ieiunii corruptelae remedium deesset. Quoniam autem paternae Pontificiae caritatis, quae novit imbecillitates infirmorum sustinere, atque etiam cum infirmantibus infirmari, non immemores, quemadmodum a Ieiunio aliquando, legitima causa, aut gravissima urgentique necessitate exigente, dispensandum esse ex Apostolica beni-

[1] Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis et Episcopis universis, gratiam, et communionem Sedis Apostolicae habentibus.

[2] Cf. N. 308.

gnitate censuimus, ita inter caetera praescripsimus Unicam Comestionem servandam, et licitas, atque interdictas Epulas minime esse apponendas.

§ 1. Hinc factum esse accepimus, quod non defuerint, qui per humanas, et hominibus a Christiana poenitentia abhorrentibus dumtaxat dignas illationes, sibi aliisque persuadeant, unicam potissimum Comestionem servari, atque Epulas licitas, et interdictas minime apponi debere, cum multitudini quidem indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, non vero singulis ob legitimam causam, et de utriusque Medici consilio dispensatur.

§ 2. Quam sane persuasionem a sententia nostra alienam ut ex omnium animis penitus evellamus, Nos quibuscumque, quacumque occasione, sive multitudini indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legitimam causam, et de utriusque Medici consilio, dummodo nulla certa, et periculosa affectae valetudinis ratio intercedat, et aliter fieri necessario exigat, in Quadragesimae, aliisque anni Temporibus, et diebus, quibus carnium, ovorum, et lacticiniorum esus est prohibitus, dispensari contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, Unicam Comestionem servandam, et licitas, atque interdictas Epulas minime esse apponendas, tenore praesentium declaramus, et edicimus; quemadmodum per singulas nostras in pari forma Brevis literas singulis utriusque sexus Christifidelibus, ob corporis infirmitates, quibus obnoxii reperiuntur, in sacratissima Quadragesima, aliisque Ieiunio consecratis diebus, vescendi prohibitis licentiam dantes, unicuique expresse praescribimus, atque praecipimus.

§ 3. Eapropter Fraternitates Vestras rogamus, atque in Domino obsecramus, ut populos vestrae curae commissos ad tam opportunum sanandis vulneribus, quibus per humanam infirmitatem quisque sauciatur, sanctissimi Ieiunii remedium alacriter adhibendum cohortantes, sedulo, ac paterne moneatis, rem agi non quidem exiguam, sed longe gravissimam, de observando, sustinendoque Ieiunio purificandis animis corporibusque salutari. In spem igitur illos erigite coelestium praemiorum, quibus assequendis non sunt condignae passiones huius temporis; immo leve, ac momentaneum non tribulationis, sed modicae abstinentiae nostrae incommodum, magnum gloriae pondus operatur in Coelis. Ab omnibus se abstinent, qui in agone contendunt, ut corruptibilem coronam accipiant; pudeat tam imbelles, ac delicatos Christianae militiae milites, refugientes a consortio Crucis Christi, qui coronam legitime certantibus propositam sperare praecipit incorruptam; ad cuius auspicium, et pignus, Fraternitatibus Vestris Apostolicam Benedictionem, iisdem etiam Populis vestris Nostro nomine impertiendam, peramanter elargimur.

§ 4. Volumus autem, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 65, 66].

315.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Quamvis Paternae*, 26 aug. 1741.[1]

Quamvis Paternae vigilantiae, qua de iustitia unicuique integre, sapienterque administranda solliciti esse debemus, iamdiu innotuerit, quod Causae extra nostram Romanam Curiam, pro Litigantium commodo, ad partes (ut aiunt) committi solitae, iis quandoque decidendae, ac fine debito terminandae delegentur, qui tum congrua Iuris peritia, tum quoque probitatis, spectataeque Fidei praesidio destituuntur: acerbiori nihilominus doloris sensu perculsi fuimus, postquam huiusmodi abusum, rumore publico evulgatum, multorum querelis ad Apostolicam Sedem delatis, eorumque literis ad Nos crebro datis apertius sensimus confirmari. Rationes praeterea, et peculiares Causae dicti abusus cum Nobis plures in eisdem literis obtenderentur, eas potissimum referri perspeximus eximio Protonotariorum non Participantium numero, quibus, utpote in Dignitate Ecclesiastica constitutis, in more positum est dictas Causas delegari, licet tempore quo ad huiusmodi Dignitatis, et Officii gradum provehuntur, nulla meritorum, et qualitatum fiat diligens inquisitio, nec sedulo examinetur, an polleant requisitis ad Ius dicendum, et Iustitiae habenas moderandas necessariis.

§ 1. Quam graves curas id animo nostro ingesserit, quamve intimo moerore affecti simus, ubi aliorum res, et negotia, ob Iudicum ignorantiam, et malitiam, periclitari, et in discrimen adduci rescivimus: intelliget plane cui perspectus erit ille, quo semper incensi sumus, Iustitiae administrandae zelus. Sed cum silere diutius, pro commissa Nobis Populorum salute, Paterna Charitas non pateretur, et ad propulsandam hanc corruptelam, restituendamque iudiciorum integritatem, congruis remediis manus admoveremus; novimus non recentes, sed obsoletas esse huiusmodi querelas, atque rem esse non de morbo nunc ingruente, sed iamdudum invecto: remedia ad illum avertendum non esse modo excogitanda, sed antiquitus praestituta; originem vero non Curiae nostrae Romanae, sed iis adscribi oportere, qui de praxi eiusdem Curiae iniuste nimis conqueruntur.

§ 2. Si enim longe praeteriti temporis ratio habeatur, facile quisque coniicet fel. record. Bonifacio Papae VIII has querimonias fuisse suggestas, eundemque Pontificem ad implendas Apostolici regiminis partes, sua Decretali *Statutum, de Rescriptis, in 6* consulto praescripsisse, ne a Sede Apostolica, eiusque Legatis Causae imposterum aliis delegarentur, quam Personis in Ecclesiastica Dignitate constitutis, et quibus sive Personatus, sive Canonicatus in aliqua Cathedrali Ecclesia obtigisset; Iudicia praeterea non in obscuro, sed in insigni, et populoso Oppido, ac in Urbibus instrui oportere, in quibus Peritorum Iudicum copia commode haberi posset. Sacro etiam Concilio Tridentino hanc ipsam imperitorum Iudicum querelam propositam fuisse, fas

[1] Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis.

est credere. Postquam etenim Sess. 25, *de Reform.* cap. 10 praemissum fuit, a Sede Apostolica Iudicibus non undequaque idoneis Causas in partibus delegari, et id fieri tum ob malitiosam petentium suggestionem, tum quoque ob locorum longinquitatem, a quibus notitia Personarum, quibus Causae mandentur, haberi non potest: *Statuit eadem Sancta Synodus, in singulis Conciliis Provincialibus, aut Dioecesanis aliquot personas, quae qualitates habeant iuxta Constitutionem Bonifacii VIII, et alioquin ad id aptas designari, quibus imposterum Causae committerentur; et si aliquem interim ex designatis mori contingeret, substitueret Ordinarius Loci cum consilio Capituli alium in eius locum, usque ad futuram Provincialem, aut Dioecesanam Synodum: ita ut haberet quaevis Dioecesis quatuor saltem, aut etiam plures probatas, et qualificatas Personas, quibus huiusmodi Causae committerentur; alioquin post designationem factam, quam statim Episcopi ad Summum Romanum Pontificem transmitterent, delegationes quaecumque aliorum Iudicum, aliis, quam his factae, subreptitiae censerentur.*

§ 3. Cum vero Concilia Provincialia quolibet Triennio, Dioecesana anno quolibet ex praescripto Tridentini cogenda,[1] ob varia, quae obversantur impedimenta, longius protrahantur, nec Episcopis subsit quandoque certa spes, quod iis prospere sublatis, dicta Concilia haberi possint, atque in illis designari novi Iudices Synodales, in locum illorum, qui defecerunt: Saepe idcirco Congregatio Concilii Tridentini Interpres a Locorum Ordinariis requisita, consultissime respondit, subrogandorum Iudicum electionem ab Episcopis esse faciendam cum Consilio Capituli.

§ 4. Providae igitur, et vetustae huiusmodi leges palam evincunt, antiqua esse vulnera in hac parte disciplinae illata, illaque modo recrudescere, non quia congrua desit medela, sed quia negligitur ad praescriptum Canonicarum Sanctionum Iudicum Synodalium designatio, quorum notitia si Romano pro tempore Pontifici exhibita fuisset, eisdem tantummodo Iudicibus facta fuisset Causarum delegatio, semota quavis querelarum occasione.

§ 5. Dum minoribus in hac Curia muneribus, atque illo praesertim Secretarii Congregationis Concilii fungeremur, nihil Nobis fuit antiquius, quam Episcopis, aliisque Ecclesiarum Praelatis hosce sensus ingerere, eosque pro viribus ad has Ecclesiasticas leges custodiendas sedulo commonere. Nunc vero imperscrutabilis Consilii altitudine ad Supremum Apostolatus fastigium licet immerentes evocati, Pastoralis officii exigit ratio, ut nostris hisce literis certa vobis imposterum methodus praescribatur, ad quamcumque dubiorum, et querelarum occasionem avertendam. Volumus itaque, et mandamus, quod in iis Dioecesibus, in quibus vigiles Ecclesiarum Antistites ad tramites Tridentinae Synodi Iudices elegerunt in Conciliis sive Provincialibus, sive Dioecesanis, electorum Nomina quamprimum Nobis renuncient; et si forte unum, vel plures illorum mori contingat, antequam denuo eadem Concilia cogantur, decedentibus subrogentur novi Iudices, eligendi ab Episcopo cum Consilio Capituli, qui Nomina subrogatorum in dicto munere, usque ad diem Synodi duraturo, Nobis itidem significent. Ubi vero Concilia Provincialia, et Syno-

[1] Sess. XXIV, *de ref.*, c. 2.

dalia iamdiu coacta non sunt, nec ulla idcirco facta dignoscitur Iudicum electio: pro iniuncta humilitati nostrae omnium Ecclesiarum sollicitudine, Archiepiscopos, et Episcopos in Domino iugiter hortamur, et obtestamur, ut sublatis quibusvis impedimentis, eadem Concilia, sicubi omissa sunt, quamprimum haberi curent; interim vero cum consensu suorum Capitulorum Iudices eligant, et Nomina Electorum in Albo redacta Nobis remittant; et si mori aliquem contingat, alios cum Consilio Capituli sufficiant, suffectosque Nobis indilate denuncient. Quo autem ad Numerum eligendorum, etsi Tridentini Decreto cautum sit, quatuor saltem in unaquaque Dioecesi eligi debere, plures nihilominus eligi volumus, si Dioecesis amplitudo, aliaeque peculiares circumstantiae id probe exposcere videantur.

§ 6. Monitos tamen esse volumus Locorum Ordinarios, quod licet ad tramites praemissae Decretalis Bonifacii VIII, cui etiam consona sunt disposita a Tridentino, facultas iudicandi tribuenda sit Personis, Dignitate aliqua Ecclesiastica, Personatu, vel Canonicatu Cathedralis Ecclesiae insignitis; huiusmodi qualitates ita esse accipiendas, ut non desit in persona ad hoc munus assumenda, altera potissimum requisita qualitas Doctrinae, et idoneitatis, in qua summa Negotii est constituta. Hoc pacto designati, et electi Iudices Nostro Supplicum Libellorum Secretario denuncientur ab Ordinariis, vel immediate per se ipsos, vel mediate per suos in Urbe Negotiorum Gestores: Nostraeque erit vigilantiae solerter cavere, ne imposterum ab Officialibus nostrae Curiae ad id Deputatis, Causae aliis, quam dictis Iudicibus, delegentur. Quae quidem dum Vobis, Venerabiles Fratres, per haec Apostolica scripta nota esse volumus, in felicitatis auspicium, et paternae dilectionis pignus, Apostolicam Benedictionem vobis impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 66-68].

316.

Benedictus XIV, const. *Universalis*, 29 aug. 1741.

Universalis Ecclesiae cura, quam inscrutabilis Divinae Sapientiae, atque Bonitatis altitudo humilitati nostrae committere dignata est, inter caeteras sollicitudines exigit etiam, ac postulat, ut diligenter invigilemus, ne Clerici Ecclesiasticis Beneficiis, quae e liberali Ecclesiae manu acceperunt, abutentes, eorum redditus, non sine aliorum fidelium scandalo, inconsulta prodigalitate disperdant, sed tanquam boni dispensatores ita administrent, ut et vitae suae necessaria provideant, et pauperum inopiae, et Ecclesiarum necessitatibus succurrant.

§ 1. Relatum est ad aures nostras, quosdam Clericos Ecclesiasticis Beneficiis cum onere, vel sine onere residentiae provisos, turpibus ut plurimum ex causis impulsos, annuos eorumdem Beneficiorum redditus, quos, donec viverent, percipere possent, unico actu alienare sub nomine cedendi commodum, seu utilitatem percipiendi fructus eorumdem Beneficiorum, quos alteri, quoad vixerint, vendunt, recepta pecunia ad eam summam, et quantitatem, quam ipsi, habita

ratione eorum aetatis, et corporis valetudinis, durante vita, verisimiliter consequi potuissent. Cum autem isti improvidi Clerici instar illius prodigi filiifamilias, de quo in Evangelio scriptum est: *cum substantiam suam a Patre recepisset, totam statim consumpsisse luxuriose vivendo, et deinde, facta fame valida, coactum esse vivere de siliquis immundorum animalium*, pia Ecclesiae subsidia, et Ecclesiasticos proventus in suas explendas cupiditates improbo huiusmodi contractu profundant; multa hinc, et gravia mala, ut experientia ipsa compertum est, evenire solent. Nam primum non leve dedecus Ecclesiastico Ordini inuritur, et grave reliquis fidelibus scandalum generatur, dum vident, Ecclesiasticas pecunias, quae sunt vota fidelium, bona pauperum, patrimonium Christi, in pravos usus insumi, vel improvisa profusione dissipari, quae ab Ecclesiasticis, tanquam probis dispensatoribus, in solamen pauperum, et Ecclesiarum restaurationem impendi deberent. Praeterea saepe huiusmodi Clerici ad summam rediguntur egestatem, et ut se sustentare possint, vel indecore, non sine infamia Clericalis gradus, mendicant, vel indignis quaestibus, et negotiis operam praebent; Ecclesiam autem, et Ecclesiasticas res quodammodo aversantur, quasi fraudati mercede, vel stipendiis suis, quae nullius culpa, sed solum vitio, et flagitiis suis amiserunt. Ideo Ecclesiastica munera, vel nunquam, vel negligenter obeunt, Divinam Psalmodiam, si ad eam in publicis Ecclesiis ratione suorum Beneficiorum teneantur, frequenter omittunt, vel oscitanter persolvunt, Ecclesiasticos coetus non frequentant, animarum salutem non curant, Divina fastidiunt, mundana sectantur.

§ 2. Volentes igitur hanc improbam consuetudinem, et non ferendam pravitatem, qua non mediocriter Clericalis ordinis fama minuitur, et honor conculcatur, Ecclesiae autem debito servitio, pauperes opportunis subsidiis, et sacrae aedes necessariis reparationibus, et ornamentis fraudantur, penitus abolere, Motu proprio, ac certa scientia, et matura deliberatione nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine, omnibus Clericis quacumque dignitate, praeeminentia, honore, et privilegio insignitis interdicimus, et prohibemus, ne in posterum audeant sub nomine alienandi utilitatem, et commodum percipiendi fructus, vel alio quovis titulo, praetextu, et colore vendere, ac distrahere suorum respective Beneficiorum redditus, et proventus, vel ad vitam, vel in longum tempus, recepta ab Emptore, per unam, vel plures solutiones, pecuniarum quantitate, quam ipsi Beneficiati per eiusdem temporis, vel vitae spatium probabiliter consequi potuisset: sub poena excommunicationis, et nullitatis actus, seu contractus, et omnium inde consecutorum, aliisque poenis inflictis, praescriptis, et statutis contra alienantes bona Ecclesiae, quas rursus hic contra eosdem Clericos sic contrahentes renovare, decernere, ac statuere intendimus, et volumus. Et insuper ad uberiorem cautelam, et quatenus opus sit, omnes huiusmodi contractus, quos in futurum fieri contigerit, motu, scientia, deliberatione, et potestate simili damnamus, reprobamus, cassamus, irritamus, et annullamus, eosque nullos, cassos, ac irritos decernimus, et declaramus, illosque suis auctoribus tanquam invalidos, cassos, irritos, atque inanes, viribusque, et effectu ab initio vacuos, neque in iudicio, neque extra, ad ullum effectum suffragari debere, neminemque ad

eorum observantiam obligari, etiamsi pluries iuramento firmati, et vallati sint, sed nullum inde ius cuicumque, aut actionem, vel titulum etiam coloratum possidendi, aut praescribendi per quodvis longissimum temporis spatium acquiri unquam posse pariter praecipimus, et iubemus.

§ 3. Decernentes, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 69-71].

317.

Benedictus XIV, const. *In sublimi*, 29 aug. 1741.

In sublimi Beati Petri Cathedra Divina dispositione, licet immerentes, collocati, gravi dolore constringimur, quoties considerationis nostrae oculos convertimus ad praestantiorem Dominici Gregis partem, hoc est ad Ecclesiasticum coetum, eumque conspicimus, vel pravis moribus, vel indecoris actibus dehonestari; non enim ignari sumus, quanta sit inde in popu'is corruptionis timenda pernicies, si sal, unde caetera condiri debent, evanuerit.

§ 1. Pervenit quidem ad aures sollicitudinis nostrae non raro contingere solere, ut quidam Clerici in minoribus, vel maioribus ordinibus constituti, aut sola Ecclesiastica tonsura decorati, Beneficia, seu Officia simplicia, vel cum onere residentiae possidentes, aliis resignent, annua sibi pensione sub Apostolico beneplacito reservata, inito eodem tempore pacto cum Resignatario, cassandi, et abolendi dictam pensionem, repraesentata pecunia, nempe factis quibusdam anticipatis solutionibus pecuniarum ad eam summam, quae ad abolitionem, et extinctionem praedictae pensionis, vel potius ad palliatam ipsius beneficii venditionem nefarie perficiendam, expressa inter Partes conventione, stabilita fuit. Et quoniam profani isti Beneficiorum distractores non ignorant, quod si huiusmodi improba pacta Datariae Apostolicae nostrae Ministris, aut Nobis innotescerent, nunquam resignationes huiusmodi a Datario, vel Prodatario Nostro, vel a Nobis, aliisque Romanis Pontificibus pro tempore existentibus admitterentur; ut circumspectam eorumdem Datariae Apostolicae Officialium, et Nostram aliorumque Pontificum vigilantiam fallerent, callida malorum hominum improbitas hanc perditionis viam, et rationem excogitavit: Arcano, et clandestino pacto inter Resignantem, et Resignatarium, ad pensionem cassandam, et extinguendam, conventa pecuniae quantitate, eaque quandoque etiam deposita apud publicum mercatorem, seu mensam argentariam, unitim, ac simul expediri curant Bullam resignationis Beneficii, et alteram Pensionis reservatae super eodem Beneficio favore Resignantis; ita tamen, ut prope eodem, vel non multo post tempore, quo Supplicationi pro reservatione Pensionis solita Data apponitur, alia Supplicatio subscribatur, seu signetur pro cassatione, atque extinctione eiusdem Pensionis per anticipatas, seu anticipandas solutiones facienda, nulla mentione facta de praecedenti abominanda conventione, et simoniacam labem redolente pacto, quo Beneficii resignatio in occultam ipsius Beneficii venditionem execrabili transformatione commutatur.

§ 2. Cum autem huius generis pacta improba, reprobata, damnata sint, et gratiae huiusmodi cassationis, seu extinctionis Pensionis, tanquam subreptitiae, et dolosa calliditate obtentae, et quae, rei veritate, et totius negocii serie expressa, nunquam a Sede Apostolica concessae fuissent, nullae, irritae, ac inanes sint, et in maximum animarum eas fraudulenter impetrantium damnum, ac detrimentum tendant, et praeterea scandalo simplicibus, et bonis abominationi, et pluribus aeterno exitio sint: Siquidem gratiarum huiusmodi impetratores, qui Ecclesiastica Beneficia tali infami mercatu negotiantur potius, quam resignant, non solum gravissimo peccato, quod prae oculis habere deberent, animas suas illaqueant, sed insuper palam apud omnes in populo, non sine infamia Ecclesiastici ordinis, execrantur, et contemnuntur; et si pro aliis Beneficiis obtinendis ad Datariam Apostolicam accedere alias fuerint, tanquam Beneficiorum Venditores male audiunt, et publice redarguuntur; cum statim ipsis ab eorum competitoribus opponatur Resignatio facta, cum cassatione Pensionis per anticipatas, seu anticipandas solutiones, hoc est, indigna Beneficii iam antea obtenti negotiatio, et clandestina sub ambagibus, et fraudulentis conventionibus detestanda venditio.

§ 3. Nos igitur hoc execrabile malum, quo non leve Ecclesiastico Ordini dedecus, et infamiae nota inuritur, prout necessitas, et pastorale munus postulat, coercere in futurum volentes, et longe a Sanctuario Dei profanam huiusmodi abominationem removere, Motu proprio, ac certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine statuimus, et declaramus, omnia huiusmodi pacta, et conventiones pro cassatione, seu abolitione Pensionum per anticipatas, vel anticipandas solutiones contemporanee ad Resignationes Beneficiorum, cum reservatione Pensionis, per quascumque personas quavis dignitate, honore, ac praeeminentia insignitas inita, tanquam a Sacris Canonibus, et Apostolicis Constitutionibus improbata, et simoniacam labem redolentia, nulla, cassa, ac irrita esse; et omnes cassationes, abolitiones, et extinctiones Pensionum huiusmodi, quas in posterum intra sex menses, a die captae possessionis Beneficii per Resignatarium computandos, fieri contigerit, etiam si nullum praecedens pactum intervenisse inter partes probari possit, et cassatio praedicta secuta sit vigore Supplicationis manu nostra, vel Romani Pontificis pro tempore signatae, quam nullatenus, tanquam per subreptionem, et fraudes obtentam, neque in iudicio, neque extra, ad ullum effectum eis suffragari volumus, irritas, nullas, et inanes esse, ac omnibus viribus, ac effectu vacuas, et quatenus opus sit, motu, scientia, et deliberatione simili, deque Apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium damnamus, revocamus, annullamus, cassamus, et abolemus, et insuper tam Resignantem, quam Resignatarium ab omni iure Beneficii decidisse, eosque ipso facto, absque alia declaratione, vel Iudicis sententia, privatos, et ad alia obtinenda inhabiles esse, ac fore, et a quocumque Beneficium huiusmodi, tanquam de iure, et de facto vacans, impetrari posse; et praeterea Resignantem ad restituendas pecunias pro cassatione Pensionis huiusmodi indebite, et simoniace perceptas, quae arbitrio Ordinarii erunt piis locis applicandae, vel pauperibus personis distribuendae, sub peccato gravi teneri, et Ecclesiasticis remediis, ac poenis, si renuat, ipso iure, absque alia senten-

tia, et declaratione, cogi posse, motu, scientia, et potestate pari decernimus, et declaramus.

§ 4. Et quoniam multa malitia hominum est in terra, ut omnis aditus fraudibus, et dolis, quos perversa nonnullorum calliditas, et in exitium sui ingeniosa excogitare consuevit, quoad fieri potest, intercludatur, volumus, praecipimus, et declaramus, sub hac Nostra voluntate, constitutione, et dispositione comprehendi omnes, et singulas cessiones, seu translationes in ipsum Resignatarium, aut in aliam personam, commodi, seu utilitatis percipiendi fructus pensionum huiusmodi, necnon alias quascumque cessiones, translationes, resignationes, extinctiones, abolitiones, quovis modo, titulo, nomine, colore, et auctoritate, per anticipatas solutiones, seu repraesentata pecunia factas intra dictum tempus sex mensium; et etiam ultra id temporis spatium, dummodo reprobum illud, et detestabile pactum praecessisse constiterit.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 71-73].

318.

Benedictus XIV, const. *Dei miseratione*, 3 nov. 1741.

Dei miseratione, cuius iudicia incomprehensibilia sunt, et viae investigabiles, in suprema Ecclesiae specula immerentes constituti, ut super universum Dominicum gregem excubias sedulo agamus, ad commissum Pastoralis officii munus pertinere dignoscimus, subnascentes ex infernalis hostis astutia, et hominum malitia, abusus, quibus et animarum saluti pernicies, et Sacramentis Ecclesiae iniuria infertur, radicitus evellere, et potestatis Nobis desuper traditae operam interponere, ut et humana cohibeatur temeritas, et veneranda Divinae Legis servetur auctoritas.

§ 1. Siquidem Matrimonii foedus a Deo institutum, quod, et quatenus naturae officium est, pro educandae prolis studio, aliisque Matrimonii bonis servandis, perpetuum, et indissolubile esse convenit; et quatenus est Catholicae Ecclesiae Sacramentum, humana praesumptione dissolvi non posse, Salvator ipse ore suo pronuntiavit, dicens: *Quod Deus coniunxit, homo non separet:* ad aures Apostolatus nostri pervenit, in quibusdam Ecclesiasticis Curiis inconsulta nimis Iudicum facilitate infringi, et temere, atque inconsiderate de eorumdem Matrimoniorum nullitate latis sententiis, potestatem Coniugibus fieri transeundi ad alia vota. Quos sane improvidos Iudices humanae naturae conditione, et voce ipsa quodammodo admoneri oportebat, ne tam praecipiti audacia Sanctum Matrimonii nexum frangerent, quem perpetuum, atque indissolubilem primus humani generis Parens praemonuit, inquiens: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.* Et illud additum est: *Quamobrem relinquet homo Patrem suum, et Matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.*

§ 2. Huiusmodi autem abolendae pravitatis notitia diversis ex partibus Nobis delata est, atque etiam indicata sunt exempla nonnullorum Virorum, qui post primam, et secundam, ac tertiam, quam duxerant, uxorem, ob

nimiam Iudicum praecipitantiam in nullitate Matrimoniorum declaranda, adhuc illis primis uxoribus superstitibus, ad quartas contrahendas nuptias devenerant; et similiter foeminarum, quae post primum, secundum, et tertium maritum, quarto etiam, illis quoque viventibus, se iunxerant, non sine pusillorum scandalo, et bonorum omnium detestatione, qui sacra Matrimonii vincula ita contemni, et temere perfringi dolebant. Nos autem, his intellectis, gravi affecti dolore, intimo animo ingemuimus, et non praetermisimus Apostolicae nostrae sollicitudinis partes in Domino adimplere. Siquidem primo Pontificatus Nostri Anno ad Episcopos illarum Partium, in quibus praedicta acciderant, plenissimis datis literis,[1] graviter conquesti sumus de huiusmodi pravitate, quae in Ecclesia Dei tolerabatur, et ad eam abolendam eorum animos erigere, et pastoralem zelum accendere curavimus: quod etiam egimus cum aliis aliarum Regionum Episcopis ubi huiusmodi pravum dirimendorum Matrimoniorum usum irrepsisse cognovimus.

§ 3. Verum Nobis responsum est, id saepe contingere partim ex culpa illorum Iudicum, quibus, vel in prima instantia, cum Causa coram Iudice Ordinario ex aliqua legitima causa cognosci nequit, vel in secunda, cum in partibus nullus adest Iudex, ad cuius Tribunal Causa in gradu appellationis devolvatur, vel si adest, iusta de causa coram eo disceptari nequit, Causae Matrimoniales huiusmodi a Sede Apostolica committuntur; qui vel ob inscitiam, vel ob malam voluntatem, proclives sunt ad Matrimonia dissolvenda, atque eadem Matrimonia, levi, vel etiam nullo habito examine, irrita, ac invalida declarant: partim etiam ex facto Coniugum super nullitate suorum Matrimoniorum litigantium; cum frequenter unus tantum eorum, qui dissolutionem Matrimonii postulat, in iudicio compareat, et Sententia, nullo contradicente, secundum sua vota obtenta, ad alias nuptias convolat; vel ambobus Coniugibus in Iudicium venientibus, altero, qui pro Matrimonio, altero vero, qui contra agit, Sententia de nullitate Matrimonii prolata, nullus est, qui ad superiorem Iudicem appellationem interponat; vel quia litigantes in specie quidem discordes, re vera inter se concordes sunt, et invicem colludentes, contractum matrimonium dissolvi cupiunt; vel quia Pars, quae pro validitate Matrimonii stabat, eiusque nullitatem acriter contra adversarium impugnabat, lata a Iudice Sententia contra Matrimonium, mutat voluntatem, vel pecunia sibi ad sumptus litis non suppetente, vel aliis deficientibus auxiliis ad litigandum necessariis, et incoeptum opus, ac Causam post primam Sententiam deserit; quo fit, ut deinde ambo Coniuges, vel unus eorum, ad aliud contrahendum Matrimonium se conferat.

§ 4. Quod autem ad Iudices pertinet, quibus extra Romanam Curiam pro Litigantium commodo causae Matrimoniales committuntur, paterna illa vigilantia, qua de iustitia unicuique integre sapienterque administranda solliciti esse debemus, encyclicis Literis ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et Episcopos scriptis vicesima sexta Augusti anno secundo Pontificatus Nostri,[2] providere curavimus, in quibus ea praescripsi-

[1] Cf. N. 307.
[2] Cf. N. 315.

mus, quae Sacris Canonibus, et Concilii Tridentini decretis consona, si diligenter, ut speramus, serventur, in posterum Causae non nisi personis congrua iuris peritia, et necessario probitatis, spectataeque fidei munitis praesidio committentur. Insuper ad ea, quae in iisdem encyclicis literis constituta sunt, id etiam in praesenti adiungimus: quod, quamvis Concilii Tridentini Decretum,[1] quo causae Matrimoniales subtractae fuerunt Decani, Archidiaconi, et aliorum inferiorum iudicio, et Episcoporum tantum examini, et iurisdictioni reservatae, dumtaxat procedat de Archidiaconis, Decanis, aliisque inferioribus, qui in eadem Dioecesi constituti, vel privilegio aliquo, vel praescriptione, saltem in visitatione, Causarum Matrimonialium cognitionem sibi adrogabant; ac idcirco minime obstet commissionibus, quae, pro iisdem causis matrimonialibus definiendis, a Sede Apostolica alicui eorum in secunda instantia fierent: nihilominus praecipimus, ac mandamus iis, ad quos, huiusmodi Commissionum, seu Delegationum expediendarum cura pertinet, ut in futurum causarum matrimonialium cognitionem non committant nisi Episcopis, praesertim vicinioribus, vel si nullus sit Episcopus, cui ex legitima causa commode committi possit, tum commissio, et delegatio dirigatur uni ex iis, qui, secundum ordinem, et modum a Nobis in praefatis encyclicis Literis praescriptum, pro Iudice idoneo ab Episcopo cum consilio sui Capituli nominatus fuerit.

§ 5. Quod vero ad ordinem, et seriem iudiciorum in causis matrimonialibus pro debita, et congrua earum terminatione, servandum spectat: motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine hac Nostra in perpetuum valitura sanctione constituimus, decernimus, ac iubemus, ut ab omnibus, et singulis Locorum Ordinariis in suis respective Dioecesibus persona aliqua idonea eligatur, et si fieri potest ex Ecclesiastico coetu, iuris scientia pariter, et vitae probitate praedita, quae Matrimoniorum Defensor nominabitur, cum facultate tamen eam suspendendi, vel removendi, si iusta causa adfuerit, et substituendi aliam aeque idoneam, et iisdem qualitatibus ornatam; quod etiam fieri poterit, quotiescumque persona ad Matrimoniorum defensionem destinata, cum se occasio agendi obtulerit, erit legitime impedita.

§ 6. Ad officium autem Defensoris Matrimoniorum huiusmodi, ut supra electi, spectabit, in iudicium venire, quotiescumque contigerit, matrimoniales causas super validitate, vel nullitate coram legitimo Iudice disceptari, eumque oportebit in quolibet actu iudiciali citari, adesse examini testium, voce et scriptis Matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quae ad Matrimonium sustinendum necessaria censebit.

§ 7. Et demum Defensoris huiusmodi persona, tanquam Pars necessaria, ad iudicii validitatem, et integritatem censeatur, semperque adsit in Iudicio sive unus ex Coniugibus, qui pro nullitate Matrimonii agit, sive ambo, quorum alter pro nullitate, alter vero pro validitate in iudicium veniant. Defensor autem, cum ei munus huiusmodi committetur, iuramentum praestabit fideliter officium suum obeundi, et quotiescumque contigerit, ut in

[1] Sess. XXIV, *de ref.*, c. 20.

iudicio adesse debeat pro alicuius Matrimonii validitate tuenda, rursus idem iuramentum praebebit: quaecumque vero, eo non legitime citato aut intimato, in iudicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa declaramus, ac pro nullis, cassis, ac irritis haberi volumus, perinde, ac si citata, et intimata non esset ea Pars, cuius citari intererat, et quam, iuxta legum, et canonum praescripta, ad legitimam iudicii validitatem, citari, aut intimari omnino necessarium erat.

§ 8. Cum igitur coram Ordinario, ad quem causas huiusmodi cognoscere pertinet, controversia aliqua proponetur, in qua de Matrimonii validitate dubitabitur, et existentibus in iudicio, vel uno ex Coniugibus, qui pro nullitate Matrimonii, vel ambobus, quorum alter pro validitate, alter vero pro nullitate actionem intendat, Defensor Matrimonii partes omnes officii sui diligenter adimpleat. Itaque si a Iudice pro Matrimonii validitate iudicabitur, et nullus sit, qui appellet, ipse etiam ab appellatione se abstineat; idque etiam servetur, si a Iudice secundae instantiae pro validitate Matrimonii fuerit iudicatum, postquam Iudex primae instantiae de illius nullitate Sententiam pronunciaverat; sin autem contra Matrimonii validitatem Sententia feratur, Defensor inter legitima tempora appellabit adhaerens Parti, quae pro validitate agebat: cum autem in iudicio nemo unus sit, qui pro Matrimonii validitate negotio insistat, vel si adsit, lata contra eum Sententia, iudicium deseruerit, ipse ex officio ad superiorem Iudicem provocabit.

§ 9. Appellatione a prima Sententia pendente, vel etiam nulla, ob malitiam, vel oscitantiam, vel collusionem Defensoris, et Partium, interposita, si ambo, vel unus ex Coniugibus novas nuptias celebrare ausus fuerit, volumus, ac decernimus, ut non solum serventur, quae adversus eos, qui Matrimonium contra interdictum Ecclesiae contrahunt, statuta sunt, praesertim, ut invicem a cohabitatione separentur, quoadusque altera Sententia super nullitate emanaverit, a qua intra decem dies non sit appellatum, vel appellatio interposita deserta deinde fuerit; sed ulterius ut contrahens, vel contrahentes Matrimonium huiusmodi, omnibus poenis contra Polygamos a Sacris Canonibus, et Constitutionibus Apostolicis constitutis, omnino subiaceant, quas in eos, quatenus opus sit, motu, scientia, ac potestate simili rursus statuimus, decernimus, ac renovamus.

§ 10. Posteaquam vero, appellationis beneficio, ad alterum Iudicem causa in secunda instantia delata fuerit, omnia, et singula quaecumque coram Iudice in prima instantia servanda praefinita fuerunt, etiam coram altero in secunda exacte, ac diligenter custodientur, citato in quolibet Iudicii actu Defensore matrimonii qui voce, et scripto matrimonii validitatem strenue, ac pro viribus tuebitur. Et si Iudex in secunda instantia fuit Metropolitanus, aut Sedis Apostolicae Nuncius, aut Episcopus vicinior, Matrimonii Defensor sit, qui ab ipsis fuerit deputatus, quemadmodum ipsis deputare mandamus, ut quae a Nobis superius constituta sunt, peragere possit; si autem Iudex in secunda instantia erit Iudex Commissarius, cui a Sede Apostolica causae cognitio demandata sit, et qui Tribunal, et iurisdictionem ordinariam non habeat, et propterea careat Defensore Matrimonii, volumus, ut illo Defensore Matrimonii utatur, qui constitutus fuerit ab Ordinario, in cuius Dioe-

cesi causam cognoscet, etiam si idem Ordinarius sit, qui primam Sententiam in eadem causa pronunciaverit.

§ 11. Instructo autem in hunc modum iudicio, si secunda Sententia alteri conformis fuerit, hoc est, si in secunda, aeque ac in prima, nullum, ac irritum matrimonium iudicatum fuerit, et ab ea Pars, vel Defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, vel appellationem interpositam prosequendam minime censuerit: in potestate, et arbitrio Coniugum sit novas nuptias contrahere; dummodo alicui eorum, ob aliquod impedimentum, vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram Sententiam conformem, ut supra, Coniugibus facta intelligatur, et locum habeat, salvo semper, et firmo remanente iure, seu privilegio causarum matrimonialium, quae ob cuiuscumque temporis lapsum nunquam transeunt in rem iudicatam; sed si nova res, quae non deducta, vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt, et rursus in iudicialem controversiam revocari. Quod si a secunda Sententia super nullitate, vel altera Pars appellaverit, vel huiusmodi sit, ut ei, salva conscientia, Defensor Matrimonii acquiescendum non putet, vel quia sibi videtur manifeste iniusta, vel invalida, vel quia fuerit lata in tertia instantia, et sit revocatoria alterius praecedentis super validitate in secunda instantia emanatae, volumus, ut, firma remanente utrique Coniugi prohibitione ad alias transeundi nuptias, quas si contrahere ausi fuerint, poenis, ut praefertur, a Nobis constitutis subesse decernimus, causa in tertia, vel quarta instantia cognoscatur, servatis diligenter omnibus, quae a Nobis in prima, et secunda instantia demandata fuerunt, nempe, in quolibet iudiciali actu, citato, et audito Defensore matrimonii, qui a Iudice tertiae instantiae deputatus fuerit.

§ 12. Defensor autem Matrimonii, quem ad munus suum gratis obeundum pro amore Dei, et proximi utilitate, et Ecclesiae reverentia, in Domino exhortamur, si operam suam sine mercede, aut salario, aliqua ex causa exhibere recusaverit, ab ipsius Causae Iudice ei constituatur, et ab ea Parte, quae pro validitate Matrimonii agit, si ipsi facultas sit, solvatur; sin minus, a Iudice primae, vel secundae, vel tertiae instantiae respective subministrabitur, qui pecunias ex mulctis suorum Tribunalium redactas, vel redigendas, et in opera pia erogandas, in huiusmodi sumptus insumere poterunt. Cum vero Iudices causae erunt Iudices Commissarii, qui neque forum habent, et consequenter neque pecuniam ex mulctis collectam, volumus, ac mandamus, ut Defensori Matrimonii satisfiat ex pecunia mulctarum illius Episcopi, in cuius Dioecesi Iudex Commissarius, iuxta Sedis Apostolicae mandatum, iudicium exercebit.

§ 13. Hactenus quidem quoad Causas Matrimoniales, quae extra Romanam Curiam pertractantur. Quoad Causas vero, quae Romae disceptandae sunt, cum earum cognitio in prima instantia ad S. R. E. Cardinalem in praefata Urbe, eiusque Suburbiis, et Districtu Vicarium nostrum in Spiritualibus pro tempore spectet; mandamus, ac iubemus, ut omnia, et singula, quae in aliis causis extra Romanam Curiam pertractandis praescripta fuerunt, nempe ut iudicium peragatur, citato, et audito Defensore Matrimonii ab eodem Cardinali Vicario deputato, aliaque, ut supra, omnino serventur.

Tum etiam in aliis causis, quae in prima instantia, ex consensu Partium, vel in secunda, per appellationem ad Sedem Apostolicam, omisso medio, interpositam, vel in tertia, Romam deferuntur; quae omnes iudicari volumus, vel in Congregatione S. R. E. Cardinalium super interpretatione, et executione Concilii Tridentini, vel in causarum Palatii nostri Auditorio, dummodo Nobis, et Romano Pontifici pro tempore iustis ex causis non videatur particularis Congregatio S. R. E. Cardinalium, vel Romanae Curiae Praelatorum deputanda. Cum autem causa super matrimonii nullitate agitabitur in dicta Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, Defensor Matrimonii a Cardinali Praefecto eiusdem Congregationis, si vero in Palatii nostri Auditorio, ab Auditore Decano Praefati Tribunalis, si demum in Congregatione particulari, a Persona eiusdem Congregationis digniore deputetur.

§ 14. Unica quidem resolutio pro nullitate Matrimonii emanata, si causa in Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, vel in Congregatione particulari deputata cognoscatur, et similiter in Palatii nostri Auditorio, unica Sententia super eadem nullitate pronunciata minime sufficiat ad tribuendam liberam Coniugibus facultatem novas nuptias contrahendi. Sed, si causa in praefata Congregatione Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum introducta fuerit, rursus in eadem, ad Defensoris Matrimonii instantiam, reproponatur; si vero Congregationi particulari commissa fuerit, ad petitionem eiusdem Defensoris, altera etiam particularis Congregatio deputabitur; si vero in Palatii nostri Auditorio iudicata sit, a praefato Defensore appellatione interposita, ab aliis Auditoribus iuxta ordinem in gyrum, seu turnum definiatur. Si autem causa universo Tribunali commissa fuerit, ab omnibus Auditoribus rursus examinabitur: nolentes omnino, ut ullo in casu Matrimonii vinculum dissolutum censeatur, nisi duo iudicata, vel resolutiones, aut Sententiae penitus similes, et conformes, a quibus neque Pars, neque Defensor Matrimonii crediderit appellandum, emanaverint. Quod si secus factum fuerit, et novum initum Matrimonium, nostrae voluntatis huiusmodi transgressores poenis a Nobis, ut supra, statutis submittantur.

§ 15. Et quoniam saepe apud Sedem Apostolicam preces porrigi solent pro dispensatione Matrimonii rati, et non consummati, (quae ut plurimum pro voto consultivo ad Congregationem S. R. E. Cardinalium Concilii Interpretum, vel nonnunquam ad aliquam Congregationem particularem deputatam, a Romanis Pontificibus pro tempore remitti solent; ut huiusmodi instantiae ordine, ac rite procedant, volumus, ac mandamus, ut supplex libellus Nobis, vel Romano Pontifici pro tempore exhibeatur, in quo plena, et accurata totius facti species contineatur, causaeque omnes in eo exprimantur, quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censentur, ut Romanus Pontifex, eo lecto, et mature considerato, secum deliberare possit, an petitionem reiiciat, vel eius examen alicui ex dictis Congregationibus committat; a qua posteaquam suum votum consultivum editum fuerit, a Secretario eiusdem Congregationis totius negotii series exacte Romano Pontifici pro tempore referatur, qui pro sua prudentia iudicabit

an Congregationis Resolutio sit approbanda, vel potius totius causae examen alteri Congregationi, vel Tribunali, prout eidem Pontifici videbitur, rursus committendum.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 81-86].

319.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Satis Vobis*, 17 nov. 1741.[1]

Satis Vobis compertum esse non dubitamus, *Venerabiles Fratres*, eam semper fuisse piae Matris Ecclesiae vigilem curam, ut Sacramentum Matrimonii, *Magnum* ab Apostolo nuncupatum, publice, et palam a Fidelibus celebretur. Quod quidem, ut diligentius, quam antea factum fuerat, imposterum ab omnibus observaretur, Sancta Tridentina Synodus,[2] Lateranensis Concilii sub Innocentio III celebrati vestigiis inhaerendo,[3] praecepit, ut imposterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio Contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntietur; deindeque, nullo legitimo concurrente impedimento, ad illius celebrationem in facie Ecclesiae, coram Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus Testibus praesentibus, rite procedatur. Voluit etiam eadem Sancta Synodus, apud Parochum diligenter Librum custodiri, in quo Coniugum, et Testium nomina, diesque, et locus Matrimonii describantur.

§ 1. Providae tamen huiusmodi leges, tanta auctoritate saluberrime institutae, prava horum temporum conditione sensim prolabi visae sunt, et enerves propemodum reddi, ob Matrimonia usu nimis recepta, quae occulte adeo celebrantur, ut illorum notitia, quantum fieri potest, obliteretur, et in tenebris ignorantiae perpetuo iaceat consepulta. In more etenim positum est, illa celebrari nullis praeviis factis Denunciationibus, coram solo Parocho, vel alio Sacerdote de eius licentia, adhibita praesentia tantum duorum Testium apposite a Contrahentibus advocatorum, quorum fides nemini illorum est suspecta; remque peragi saepe extra Ecclesiam, quandoque etiam intra illam, ianuis tamen occlusis, vel eo temporis momento, quo semota alterius cuiusvis praesentia, scientia initi Matrimonii, praeter Parochi, Contrahentium, Testiumque personas, alios penitus effugiat.

§ 2. Quantum a Sacramenti dignitate, et ab Ecclesiasticarum legum praescripto occulta haec Matrimonia, *Conscientiae* vulgo nuncupata, ut plurimum abhorreant, satis superque coniicere quis poterit, qui mentis aciem ad exitiosos illorum effectus convertat. Hinc enim gravia ortum habent peccata, praesertim vero eorum, qui Divini Iudicii interminatione posthabita, priore Uxore, cum qua clam contraxerunt, relicta, cum alia spe futuri Matri-

[1] Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis.
[2] Sess. XXIV, *de ref. matrim.*, c. 1.
[3] C. 3, X, *de clandestina desponsatione*, IV, 3.

monii decepta, et in turpem secum vivendi licentiam abducta, palam contrahere promittunt. Quorumdam vero mentem ita pravae cupiditates excaecant, ut novum contrahere secretum Matrimonium audeant, post alterum secreto itidem contractum, et nondum prioris Coniugis morte solutum, seseque magno scelere polygamos reddant. Alii etiam eo impudentiae devenere, ut in huius magni Sacramenti contemptum, post primas secreto initas, et alteras aut publice, aut privatim nuptias contrahendo, sese audacius polygamia pariter innodare non perhorrescant. Age vero quam gravia, quam nullo pacto ferenda ex his Matrimoniis mala oriantur. Si enim ad quamcumque Matrimonii suspicionem submovendam, Virum seorsim a Muliere vivere contingat, sublata est illico individua vitae consuetudo, et contemptum est verbum Domini: *Adhaerebit homo Uxori suae, et erunt duo in carne una.* Sin haec vitae consuetudo servetur, nemo est, qui illam criminis non arguat, et utpote detestabilem, in scandali materiam non traducat. Neque illata per scandala dispendia rependit subsecuta celebratio occulti Matrimonii, quod in tenebris delitescit, et ab omnibus ignoratur.

§ 3. Leviora quoque damna non sunt, quae susceptae Proli irrogantur. Saepe enim contingit, illam a Parentibus, et a Matre praesertim amotam, nec pie, nec liberaliter institui; sed incertis fortunae casibus obiectam relinqui, nisi etiam Parentes ipsi, contra naturae leges, ausu nefario illius vitae insidientur. Ubi vero tam immane facinus Parentes deterreat, illosque ad sobolem alendam, instituendamque humanitas ipsa compellat; alia imminet Liberis susceptis ex occulto Matrimonio lugenda Avitarum facultatum, et Bonorum iactura, pro quorum possessione assequenda quamvis clament iura sanguinis, illis tamen careant necesse est, propter occulta Parentum Matrimonia, et ademptam legitimitatis, et Filiationis probationem.

§ 4. Huic etiam malorum origini sunt referenda ipsa quoque secreto Matrimonia contracta a Filiisfamilias contra Patris iuste dissentientis voluntatem; ex quibus quam gravia incommoda exoriri soleant, neminem latet. Quid plura? Adeo invaluit malitia, ut quandoque in Minoribus Ordinibus constituti Pensiones, et Beneficia, ad Divinum Cultum, et Ecclesiastica munia instituta, etiam post initum clam Matrimonium retinuerint, sibique de mammona iniquitatis loculos miserrime comparaverint.

§ 5. Deflenda haec igitur potius uberibus lacrymis, quam latiore calamo explicanda malorum congeries, cum ex hac Apostolicae Sedis specula omnes sibi vindicet nostrae vigilantiae curas, temperare non possumus, quin Vos ipsos, Venerabiles Fratres, in partem nostrae sollicitudinis evocantes, vestram pietatem, et zelum excitemus ad custodiendas vigilias noctis super Grege Vobis credito, quem luctuosa horum temporum conditio in discrimen adducit. Primum itaque periculi non infrequens occasio Vos reddat difficiliores ad remittendum Publicationes, a quibus contracturi Matrimonium saepe per malitiosam suggestionem petunt dispensari. Quam caute, solerterque oporteat ea in re Episcopos versari, non obscura Vobis a Concilio Tridentino exhibentur argumenta. Si enim (ait eadem Sancta Synodus) probabilis fuerit suspicio, Matrimonium malitiose impediri posse, si praecesserint Denunciationes: tunc vel una tantum Denunciatio fiat, vel saltem Parocho, et duobus

Testibus praesentibus, Matrimonium celebretur, et deinde ante illius consummationem Denunciationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur. Praeterea licet Episcopo relictum sit omnimode super Denunciationibus dispensare, haec tamen facilitas, non a sola Dispensantis voluntate pendet, sed a Tridentino coercetur arctis prudentiae, discretique arbitrii legibus; quod idem est, ac legitimam causam dispensationis requirere.

§ 6. Parem quoque, imo fortasse maiorem vigilantiam necesse est a Vobis adhiberi, ne, post remissas Denunciationes, celebretur Matrimonium coram Parocho, vel alio Sacerdote ab ipso Parocho, vel a Vobis deputato, praesentibus duobus, vel tribus Testibus confidentibus, ne ulla celebrationis notitia, vel rumor oriantur. Id enim, ut ad praescriptum Sacrorum Canonum licite fieri possit, non satis est obvia quaevis, et vulgaris causa, sed gravis, urgens, et urgentissima requiritur. A Sacro Nostrae Poenitentiariae Tribunali, eo potissimum casu fit potestas ita celebrandi Matrimonium, quo Vir, et Foemina in figura Matrimonii publice degentes, et de quibus nulla viget criminis suspicio, in occulto tamen Concubinatu perseverent. Facile enim quisque coniiciet, quam absonum esset, eos, a statu damnationis per gratiam Sacramenti revocandos, ad publice contrahendum Matrimonium praeviis Denunciationibus compelli. Hanc vero praxim Vobis duximus proponendam, non quia Dispensatio praemisso casui solum congruat, cum alii similes, et fortasse urgentiores esse possint, in quibus dispensari expediat; sed quia Vestri Pastoralis Officii partes versari debent in sedulo investiganda legitima, et urgenti causa Dispensationis, ne Matrimonia occulte celebrata luctuosos habeant exitus, quos intimo cordis moerore recensuimus.

§ 7. Hunc porro in scopum Vos hortamur, et impense admonemus, ut Personarum Matrimonium secreto contrahere petentium diligens fiat a Vobis inquisitio: an scilicet eius qualitatis, gradus, et conditionis sint, quae id probe exposcant; an sint sui, vel alieni iuris; an Filiifamilias, quorum nuptiae Patri iuste dissentienti sint invisae: ab Episcopali etenim, quod geritis, munere nimium esset alienum, facilem praeberi Filio inobedientiae occasionem; an res sit de Personis Ecclesiasticis, licet in Minoribus Ordinibus constitutis, Pensiones, et Beneficia Ecclesiastica obtinentibus, ut detestabilis illorum retentio in statu Uxorato congruis remediis postea compescatur. Potissimum vero curet Vestra sollicitudo, antequam secreti Matrimonii licentia concedatur, quod Contrahentes clara, et indubia, et a quavis fraude immunia exhibeant documenta status liberi, ad avertendum ab iis, qui improbi sint ingenii, polygamiae periculum.

§ 8. Quod attinet ad Ministrum secreti Matrimonii, volumus ad id munus deputari Parochum alterius ex Contrahentibus, quem notitia Personarum, experientia, et diuturnus rerum usus, quovis Sacerdote extraneo peritiorem effecisse praesumuntur. Si quae tamen Vobis occurrant circumstantiae, quae alium Sacerdotem loco Parochi exposcere videantur: gravi impellente causa, is Sacerdos a Vobis eligatur, qui probitate, et doctrina, et obeundi muneris peritia commendetur.

§ 9. Uni tamen, aut alteri Sacramenti Ministro a Vobis deputando districte praecipiatur, ne Matrimonio intersit, nisi prius paterna charitate

Coniuges in Domino monuerit, Sobolem procreandam regenerari quamprimum oportere sacro Baptismatis lavacro; ac Christo Iudici districtam reddituros esse rationem, nisi Filios ut legitimos agnoverint, eosque pietate, bonisque moribus imbuerint, et frui patientur Bonis temporalibus, a Maioribus in supremis tabulis relictis, vel provida legum auctoritate delatis.

§ 10. Celebrato autem Matrimonio, indilate a Parocho, vel alio Sacerdote, coram quo initum est, exhibeatur Episcopo illius scriptum documentum, cum nota loci, et temporis, Testiumque, qui celebrationi interfuerunt. Vestrum erit postea diligenter incumbere, quod ad perennem gestae rei memoriam, praefatum documentum fideliter transcribatur in Libro prorsus distincto ab altero, in quo Matrimonia publice contracta de more adnotantur. Huiusmodi Liber pro Matrimoniis secretis apposite compactus, clausus, et Sigillis obsignatus, in vestra Episcopali Cancellaria caute erit custodiendus. Et eo tantum casu resignari, et aperiri vestra accedente licentia patiemini, quo alia id genus Matrimonia describi oporteat, vel id sibi vindicet iustitiae administrandae necessitas, vel demum aliquod documentum ab eo exposcant verum interesse habentes, quibus probationum aliunde petendarum non suppetit copia: sedulo tamen animadvertentes, quod, re absoluta, denuo claudatur, et Sigillis, ut antea, obsignetur. Fides, seu Attestationes clam celebrati Matrimonii, a Parocho, vel Sacerdote, qui vices Parochi gessit, exarandae, Vobisque exhibendae, transcribantur in dicto Libro, prout iacent, de verbo ad verbum, a Persona a Vobis deputanda, quae apud omnes integritatis, probatique nominis luculentum habeat testimonium. Fides vero, et Attestationes ipsae in secretiori loco, sartae, tectaeque a Vobis serventur.

§ 11. Quod si ex occulto huiusmodi Matrimonio Prolem nasci contingat, eadem mundetur salutari Aqua Baptismi in Ecclesia, in qua aliis Infantibus hoc Sacramentum indistincte confertur. Et quia ad operiendum clam initum Matrimonium, facile est in Libro Baptizatorum nullam fieri mentionem Parentum, et eorum Nomina consulto reticeri: Volumus, ac expresse mandamus, quod a Patre Baptizati, eoque defuncto, ab illius Matre, suscepta Proles vobis denuncietur; dictaque Denunciatio fiat, vel immediate per Parentes ipsos, vel per literas eorum charactere exaratas, vel per fide dignam Personam ab ipsis Parentibus designatam, ut certo, et clare Vobis constet, quod Proles tali loco, et tempore, vel reticitis, vel falso expressis nominibus Parentum, baptizata, est legitima, licet occulti Matrimonii foedere procreata. Quae sane omnia cum Vobis innotuerint, ne illorum excidat memoria, in Libro fideliter describentur ab eo, cui facta a Vobis est potestas adnotandi Matrimonia occulte celebrata. Liber, in quem Baptizatorum, ac utriusque Parentis nomina referentur, quamvis distingui debeat ab altero Matrimoniorum, eadem tamen diligentia, iisdemque cautelis in Cancelleria Episcopali clausus, et sigillis obsignatus, erit custodiendus, prout Librum Matrimoniorum caute custodiri supra mandavimus.

§ 12. Quia vero nonnulli deesse non possunt, qui propriae conscientiae vocibus obsurdescant, et nostris hisce mandatis parere negligant; debita poenarum districtione pro modo culpae a Vobis puniantur. Quinimmo cum satis Nobis experientia compertum sit, in huiusmodi negotiis homines, in terram

oculos declinantes, ob humanos respectus tardiores effici, et a recte agendi semita revocari: Mandamus idcirco, Matrimonia occulta a Vobis evulgari, et nota fieri, si certo Vobis constiterit, ex aliquo Matrimonio occulto procreatam fuisse Sobolem, et baptizatam suppressis Parentum nominibus, nulla praestita Vobis notitia, ut par erat, ab illius Parentibus, intra triginta dies a Nativitate numerandos.

§ 13. Ne autem Contumaces, et Inobedientes, violatae fidei, proditique Secreti Pastores suos insimulent; sedulo a Vobis curandum est, ut a Parocho, vel alio Sacerdote pro secreta celebratione Matrimonii a Vobis deputando, Coniuges clare, et aperte moneantur, ea lege, et pacto illis permitti Secreti Matrimonii celebrationem, ut Soboles inde procreanda non solum regeneretur Sacro Baptismate, sed post Baptisma denuntietur Episcopo cum nota loci, et temporis administrati Sacramenti, ac sincera indicatione Parentum, a quibus ortum habuit, quemadmodum supra praemissum est; alioquin Matrimonium, licet contractum data per Episcopum Secreti fide, in lucem proferetur, in gratiam Filiorum, et ad propulsandam ab illis gravem, nulloque pacto ferendam iacturam.

§ 14. Volumus denique, ac mandamus, Fides, seu Attestationes Matrimonii clam initi, et Sobolis ex eo procreatae, excerptas ex dictis Libris, modo, quo dictum est, apud Vos caute custodiendis, tantam promereri fidem, quantam sibi alii Libri Parochiales Baptismatis, et Matrimonii vindicare consueverunt.

§ 15. Haec a Vobis, Venerabiles Fratres, in hac temporum calamitate observari enixe praecipimus, ad communem Animarum salutem, et ad praesidium Ecclesiasticae disciplinae, propter invalescentem hominum malitiam nova semper detrimenta vel patientis, vel reformidantis. Caeterum nostris hisce literis sublata nolumus ea validiora remedia, quae huic malo in diem ingruenti consona dignoscet prudentia vestra, ad Pastorale officium cumulate obeundum. Vobis interea paternae charitatis, et benevolentiae testem, Apostolicam Benedictionem impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 89-93].

320.

Benedictus XIV, const. *Ad Sepulcra*, 23 nov. 1741.

Ad Sepulcra Apostolorum, quorum consecrata Sanguine Roma, quae fuerat Magistra erroris, facta est discipula veritatis; ad Sacros Beati Petri cineres, super cuius fidei firmitate extructa totius sacri aedificii Coelo inserenda consurgit sublimitas, Romana Mater Ecclesia in suis triumphat Filiis, qui, calcatis Mundi blanditiis, et infernalis hostis superatis insidiis, ad praemia pervenerunt aeterna, et quos inter Sanctos Dei Servos, et coelestis beatitudinis consortes, congruo devotionis cultu venerandos, Romani Pontificis a Christo Domino accepta, et per Petrum ad Successores suos derivata decernit auctoritas. Quae igitur a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris prudenti consilio, et provida ratione instituta sunt, et longo deinde

usu recepta, pie sancteque servata, Nos, quorum humilitatem ineffabilis Dei benignitas ad Cathedram Petri evehere dignata est, decet diligenter servare, et studiose custodire, et si quid vel temporum, vel rerum varietate immutatum est, in integrum restituere, et ad pristinam rationem, ac formam revocare, atque alia disponere, prout in Domino videtur expedire.

§ 1. Sane quidem omnes, et singulas Beatorum Canonizationes in Urbe nostra peragendas in Basilica B. Petri Apostolorum Principis semper peractas fuisse, antiqua ac fide digna testantur monumenta. Cum autem fel. record. Benedictus Papa XIII Praedecessor noster, a quo ad Cardinalatus honorem assumpti fuimus, in eadem Vaticana Basilica Beatos Turribium ex Majorga, Iacobum a Marchia, Agnetem a Monte Politiano, Peregrinum Latiosum, Iohannem a Cruce, Franciscum Solanum, Aloysium Gonzagam, Stanislaum Kostkam, et biennio post Beatam Margaritam a Cortona, Sanctorum cultu honorandos solemniter de more constituisset; ac deinde Beatum Iohannem Nepomucenum in Sanctorum numerum similiter referre vellet; ei persuasum est, ut id in Basilica nostra Lateranensi solemni ritu perageret. Nos, qui per id temporis Ecclesiae Anconitanae ex concessione, et dispensatione Apostolica praeeramus, eumdem Benedictum Praedecessorem per nostras literas certiorem facere non praetermisimus, Beatorum Canonizationes, quoties in Urbe faciendae erant, nonnisi in Vaticana Basilica ab antiquo tempore celebrari consuevisse; et ad huiusmodi officium praestandum eo magis Nos teneri credidimus, quia per plures annos, dum in minoribus eramus, unus ex insignis eiusdem Basilicae Capituli Canonicis extitimus, et per plures etiam annos munere Promotoris Fidei functi fuimus. Tum autem Roma benigne Nobis responsum est, quod in Basilica Lateranensi solemnis apparatus pro Canonizatione ibidem habenda iam nimium processerat, nostraeque literae serius, quam oportebat, ad Urbem pervenerant.

§ 2. Postmodum a piae mem. Clemente Papa XII similiter Praedecessore nostro ab Ecclesiae Anconitanae, ad Ecclesiae Bononiensis regimen Apostolica eius auctoritate translatis Nobis significatum est, praedictum Clementem Praedecessorem BB. Vincentii de Paulis, Iohannis Francisci Regis, Catherinae Fieschi Adorni, et Iulianae Falconeriae Canonizationem propediem in Ecclesia Lateranensi solemniter celebraturum. Sed quoniam per id tempus iam primus Tomus Operis Nostri de Servorum Dei Beatificatione, et Beatorum Canonizatione in publicum editus fuerat, in quo nullam, ante praefati Benedicti Praedecessoris tempora, Beatorum Canonizationem in Urbe solemniter, nisi in dicta Basilica, celebratam fuisse satis superque demonstratum fuerat, ulterius animi nostri sensus aperire superfluum duximus.

§ 3. Praeterea, cum ante fel. rec. Alexandri Papae VII pariter Praedecessoris nostri tempora, nulla statuta esset solemnitas in Beatificatione Venerabilium Servorum, et Ancillarum Dei observanda, idemque ritum, et solemnitatem adhibendam in sacra functione huiusmodi, eamque debita cum pompa in Vaticana Basilica explendam decreverit,[1] ita semper posterioribus temporibus servatum est, ut omnes Beatificationes, in eadem Vaticana Basilica celebrarentur

[1] Cf. Lambertini, De Servor. Dei Beatificatione, etc., l. I, c. XXIV.

tur, usque ad praefati Benedicti XIII tempora, quo Romanam Ecclesiam gubernante, quamvis in Vaticana Basilica Beatificatio Ancillae Dei Beatae Hiacynthae Mariscottae, et Servi Dei B. Ioannis de Prado facta sit; nihilominus Beatificatio Servi Dei B. Fidelis a Sigmaringa, paulo post Canonizationem B. Iohannis Nepomuceni, in Basilica Lateranensi celebrata fuit. Post hanc vero Beatificationem in eiusdem Benedicti Pontificatu, in Basilica Vaticana solemni ritu relati fuerunt in Beatorum numerum Servus Dei postea Beatus, et nunc Sanctus Vincentius de Paulis, et Servus Dei Beatus Petrus Forerius; in Pontificatu autem Clementis XII, paulo post supradictas Canonizationes in Basilica Lateranensi uno eodemque die unica solemnitate peractas, in eadem Basilica solemniter adscriptus est inter Beatos Servus Dei nunc Beatus Ioseph a Leonissa. Cum autem a Nobis, ob ineffabiiem Dei benignitatem Pontificatus honorem, ac onus gerentibus, decretum fuisset, ut inter Beatos Servus Dei Alexander de Saulis adscriberetur, solemnis eiusdem Beatificationis functio in Basilica Vaticana celebrata est.

§ 4. Matura igitur consideratione perpendentes, quod a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris omnes Venerabilium Servorum, et Ancillarum Dei Sanctificationes in Urbe nostra solemniter peragendae, laudabili instituto, optimisque ex causis ab antiquissimo tempore in Vaticana Basilica, et quod ab Alexandri Papae VII Praedecessoris nostri, et successivis deinde temporibus, Beatificationes quoque in eadem Vaticana Basilica, exceptis nonnullis supramemoratis Canonizationibus, et Beatificationibus ab iisdem Praedecessoribus nostris Benedicto, et Clemente in Basilica Lateranensi peractis, semper celebratae fuerunt: Ne igitur commendabili, et antiquae consuetudini, praedictae Vaticanae Basilicae praerogativae huiusmodi, ex B. Iohannis Nepomuceni Canonizatione, ac Venerabilis Servi Dei Fidelis a Sigmaringa Beatificatione a Benedicto, necnon ex Beatorum Vincentii de Paulis, et Iohannis Francisci Regis, ac Beatarum Catharinae Fieschi Adorni, et Iulianae Falconeriae, respective Canonizatione, et Venerabilis Servi Dei Iosephi a Leonissa Beatificatione, a Clemente, Praedecessoribus praedictis, in Ecclesia Lateranensi celebratis, praeiudicium aliquod afferatur: hac nostra perpetuo valitura constitutione veterem consuetudinem, ac venerandum Praedecessorum nostrorum institutum, decretumque Alexandri Praedecessoris praedicti, ac integrum eius tenorem Apostolica auctoritate approbantes, confirmantes, et innovantes, ac illis quodcumque Apostolicae firmitatis robur adiicientes, motu proprio, et ex certa scientia, ac Apostolicae potestatis plenitudine, decernimus, praecipimus, et constituimus, ut in posterum, et perpetuis inde futuris temporibus, omnes, et singulae Venerabilium Servorum, et Ancillarum Dei Beatificationes, ac BB. Canonizationes in Urbe nostra praedicta pro tempore celebrandae, non in aliis, quam in Basilica Principis Apostolorum de Urbe praedicta, privative quoad reliquas Basilicas, Ecclesiasve eiusdem Urbis, celebrari omnino debeant; utque Canonizationes, et Beatificationes in eadem Ecclesia Lateranensi a Benedicto, et Clemente Praedecessoribus praedictis, ut praefertur, peractae, nullo unquam tempore, perinde ac si in ea celebratae non fuissent, praeiudicium aliquod antiquo instituto, et Vaticanae Basilicae praerogativae afferre valeant.

§ 5. Insuper quoniam ab eodem Alexandro Praedecessore nostro, usque ab anno 1659 alterum emanavit decretum super contributione, tam in Beatificationibus, quam in Canonizationibus, favore Sacrarii eiusdem Basilicae facienda, quod a Nobis in praedicto Tomo primo Operis Nostri de Beatorum Canonizatione relatum est,[1] motu, scientia, et potestate simili illud approbamus, et confirmamus, et quatenus opus sit, quae ab ipso Alexandro Praedecessore decreta sunt, rursus decernimus, et constituimus, et in futurum ab omnibus inviolabiliter observari volumus, et mandamus.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 93-95].

321.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Immensa*, 20 dec. 1741.[2]

Immensa Pastorum Principis Iesu Christi, qui, ut homines vitam abundantius haberent, venit, et se ipsum tradidit redemptionem pro multis, caritas urget Nos, ut, quemadmodum ipsius vices plane immerentes gerimus in terris, ita maiorem caritatem non habeamus, quam ut animam nostram non solum pro Christifidelibus, sed pro omnibus etiam omnino hominibus ponere satagamus. Etsi autem, pro suprema Catholicae Ecclesiae procuratione infirmitati nostrae iniuncta, Apostolicam hanc Sanctam Sedem, ad quam undique gentium in dies concurritur, ut opportunum, ac salutare emergentibus in Christiana Republica, sive negotiis, sive detrimentis remedium afferatur, hic Romae, more institutoque Maiorum, tenere, ac regere cogimur; nec longinquas dissitasque regiones, ut qualemcumque inibi Apostolici ministerii nostri pro lucrandis animabus pretioso Iesu Christi sanguine redemptis operam impendamus, ac vitam ipsam, quemadmodum cupimus, profundamus, adire non possumus: tamen sicut nolumus omnes Apostolicae providentiae, auctoritatis, benignitatisque partes ab omni natione, quae sub Coelo est, desiderari; ita Vos, Venerabiles Fratres, quos ad excolendam Vineam Dei Sabaoth Cooperatores eadem Apostolica Sedes sibi adscivit, in Pontificiae sollicitudinis vigilantiaeque nostrae partem libenter advocamus; ut et imposito Vobis muneri magis magisque satisfacere, et coronam legitime certantibus in Coelo repositam facilius consequi valeatis.

§ 1. Porro Fraternitatibus Vestris compertum est, quae et quanta Romani Pontifices Praedecessores nostri, et Catholici Principes de Christiana Religione benemerentissimi, laborum incommoda, ac pecuniarum dispendia alacri constantique animo passi fuerint, ut hominibus, qui ambulabant in tenebris, et in umbra mortis sedebant, per Sacros Operarios, tum sacris praedicationibus bonisque exemplis, tum donis, tum opibus, tum subsidiis, tum

[1] Cf. Lambertini, De Servor. Dei Beatificatione, etc., l. I, c. XLVI.

[2] Venerabilibus Fratribus, Antistitibus Brasiliae, aliarumque Ditionum Carissimo in Christo Filio Nostro Iohanni Portugalliae, et Algarbiorum Regi, in Indiis Occidentalibus, et America subiectarum.

auxiliis, lumen Orthodoxae Fidei illucesceret, et ad agnitionem veritatis venirent: et quibus etiam nunc muneribus, quibus beneficiis, quibus privilegiis, quibus praerogativis, quemadmodum semper factum est, Infideles cumulentur, ut iis illecti, Catholicam Religionem amplectantur, in eaque manentes, per bona Christianae pietatis opera aeternam salutem adipiscantur.

§ 2. Eapropter non sine gravissimo paterni animi nostri moerore accepimus, post tot inita ab iisdem Praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus Apostolicae providentiae consilia, post editas Constitutiones, opem, subsidium, ac praesidium Infidelibus omni meliori modo praestandum esse, non iniurias, non flagella, non vincula, non servitutem, non necem inferendam esse, sub gravissimis poenis, et Ecclesiasticis censuris, praescribentes; adhuc reperiri, praesertim in istis Brasiliae regionibus, homines Orthodoxae Fidei cultores, qui veluti caritatis in cordibus nostris per Spiritum Sanctum diffusae sensuum penitus obliti, miseros Indos non solum Fidei luce carentes, verum etiam sacro regenerationis lavacro ablutos, in montanis asperrimisque earumdem Brasiliae, tam occidentalium, quam meridionalium, aliarumque regionum desertis inhabitantes, aut in servitutem redigere, aut veluti mancipia aliis vendere, aut eos bonis privare, eaque inhumanitate cum iisdem agere praesumant, ut ab amplectenda Christi Fide potissimum avertantur, et ad odio habendam maximopere obfirmentur.

§ 3. Hisce malis, quantum cum Domino possumus, occurrere satagentes, primum quidem eximiam pietatem, et in Catholica Religione propaganda incredibilem Carissimi in Christo Filii Nostri Iohannis Portugalliae, et Algarbiorum Regis illustris zelum excitandum curavimus; qui pro filiali sua erga Nos atque hanc Sanctam Sedem observantia, statim se omnibus et singulis suarum Ditionum Officialibus, et Ministris in mandatis daturum pollicitus est, ut quemcumque suorum Subditorum aliter, quam Christianae caritatis mansuetudo exigit, erga Indos huiusmodi sese gerere comperissent, gravissimis iuxta Regia edicta poenis afficerent.

§ 4. Deinde Fraternitates Vestras rogamus atque in Domino hortamur, ut nedum debitam ministerii vestri vigilantiam, sollicitudinem, operamque vestram hac in re, cum nominis dignitatisque vestrae detrimento, deesse non patiamini; quin immo, studia vestra Regiorum Ministrorum officiis coniungentes, unicuique probetis, Sacerdotes animarum pastores quanto, prae Laicis Ministris, ad Indis huiusmodi opem ferendam, eosque ad Catholicam Fidem adducendos, ardentiori Sacerdotalis caritatis aestu ferveant.

§ 5. Praeterea Nos, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, Apostolicas in simili forma Brevis Literas a fel. rec. Paulo Papa III Praedecessore nostro, ad tunc existentem Iohannem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem de Tavera nuncupatum Archiepiscopum Toletanum die 28 mensis Maii anno MDXXXVII datas, et a rec. mem. Urbano Papa VIII itidem Praedecessore nostro, tunc existenti iurium, et spoliorum Camerae Apostolicae in Portugalliae et Algarbiorum Regnis debitorum Collectori Generali, die XXII mensis Aprilis anno MDCXXXIX scriptas[1] renovamus, et confirmamus; necnon

[1] *Commissum Nobis.* – Cf. Bull. Rom., tom. 6, II, p. 183, 184.

eorumdem Pauli, et Urbani Praedecessorum vestigiis inhaerendo, ac impiorum hominum ausus, qui Indos praedictos, quos omnibus Christianae Caritatis et mansuetudinis officiis ad suscipiendam Christi Fidem inducere oportet, inhumanitatis actibus ab illa deterrent, reprimere volentes, unicuique Fraternitatum vestrarum, vestrisque pro tempore Successoribus committimus, et mandamus, ut unusquisque vestrum, vel per se ipsum, vel per alium, seu alios, editis atque in publicum propositis affixisque edictis, omnibus Indis, tam in Paraquariae, et Brasiliae Provinciis, ac ad Flumen *de la Plata* nuncupatum, quam in quibusvis aliis regionibus, et locis in Indiis Occidentalibus, et Meridionalibus existentibus, in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, universis et singulis personis, tam saecularibus, etiam Ecclesiasticis cuiuscumque status, sexus, gradus, conditionis, et dignitatis, etiam speciali nota, et mentione dignis existentibus, quam cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam Iesu, Religionis, et Instituti Mendicantium, et non Mendicantium, ac Monachalis, Regularibus, etiam quarumcumque Militiarum, etiam Hospitalis Sancti Iohannis Hierosolymitani, Fratribus Militibus, sub excommunicationis latae sententiae per Contravenientes eo ipso incurrenda poena, a qua, nonnisi a Nobis, vel pro tempore existente Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo constituti, et satisfactione praevia, absolvi possint, districtius inhibeant, ne de caetero praedictos Indos in servitutem redigere, vendere, emere, commutare, vel donare, ab Uxoribus, et Filiis suis separare, rebus, et bonis suis spoliare, ad alia loca deducere, et transmittere, aut quoquo modo libertate privare, in servitute retinere, necnon praedicta agentibus consilium, auxilium, favorem, et operam quocumque praetextu, et quaesito colore praestare, aut id licitum praedicare, seu docere, ac alias quomodolibet praemissis cooperari audeant, seu praesumant, contradictores quoslibet, et rebelles, ac unicuique Vestrum in praemissis non parentes, in poenam excommunicationis huiusmodi incidisse declarando, ac per alias etiam censuras, et poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Nos enim unicuique Vestrum, vestrorumque pro tempore Successorum, desuper plenam, amplam, et liberam facultatem tribuimus, et impertimur.

§ 6. Non obstantibus, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 99-102].

322.

Benedictus XIV, const. *Regularis disciplinae*, 3 ian. 1742.

Regularis disciplinae observantiam, ante etiam quam et Generalium, ac Particularium alicuius Nationis, aut Provinciae Conciliorum decretis confirmaretur, et Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum legibus sanctionibusque praescriberetur, quoad vetitum Mulieribus quibuscumque, etiam consaguineis, intra quorumcumque religiosorum Virorum Clausuram ingressum, tam integerrime custoditam fuisse constat, ut, ne dum foeminis quibuscumque, sed masculis quoque, non tam ad Monasteriorum claustra, seu septa, quam ad ipsa eorumdem Monasteriorum Oratoria, et Ecclesias nullus patuerit aditus, et accessus; quin imo sub gravissimis poenis fuerit interdictus; ne scilicet, ut inquit S. Gregorius PP. I Praedecessor noster, in Servorum Dei secessibus occasio praebeatur popularibus conventibus, et simpliciores ex hoc animas plerumque, quod absit, in scandalum trahat.

§ 1. Huiusmodi autem regularis disciplinae observantia, etsi, pro temporum varietate, ac necessitate, tot tantasque subiit vices, ut iidem Praedecessores nostri aditum et accessum ad publicas Monasteriorum Ecclesias dumtaxat, sive masculis, sive foeminis, Sacrosanctum Missae Sacrificium audiendi, Praedicationibus Verbi Dei interessendi, et Sacramentum Sanctissimae Eucharistiae sumendi, ac peccata sua confitendi causa, sine tamen Parochorum praeiudicio, interdum concesserint; vicissim tamen ipsi Praedecessores nostri, tam ante Concilii Tridentini decreta, quam post eorumdem Decretorum promulgationem denuntlationemque, providis saluberrimisque Constitutionibus ordinationibusque, sub poena etiam excommunicationis latae sententiae, foeminis quibuscumque aditum ingressumque huiusmodi intra Monasteriorum clausuram interdixerunt.

§ 2. Quoniam autem, sicut dolentes accepimus, alii quidem Apostolicas leges, ac praecepta huiusmodi, vel ausu temerario parvipendentes, vel ad eorum arbitrium interpretantes, foeminis quibuscumque aditum ingressumque, tam manifeste, ac tanta sollemnitate vetitum, permittunt; alii vero privilegia, indulta, praerogativas, facultates, licentias, et alias quocumque pacto excogitatas concessiones sibi sive a iure, sive ab homine factas, et impertitas, seu facta, et impertita, ac quorumcumque munerum, dignitatum, ac praeeminentiarum ratione debitas, seu debita arrogantes, praetendentes, obtendentesque, foeminas quaslibet intra Monasteriorum claustra, septa, coenacula, cubicula, aliasque officinas aut admitti, ac recipi sinunt mandantque, aut una secum ducunt; alii denique sub pietatis, ac religionis praetextu, cum Supplicationes, sive cum Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, sive cum sacris Sanctorum Sanctarumque Reliquiis, Statuis, et Imaginibus, per claustra, septa, et alia Monasteriorum loca de more, ut asserunt, habentur, sine ullo prorsus discrimine masculos, et foeminas Supplicationes huiusmodi per eadem loca sequi, et comitari licitum, quin imo, ut Indulgentias lucrari valeant, necessarium esse obtendunt.

§ 3. Hinc est, quod Nos, qui, dum in minoribus essemus, quamplurimos huiusmodi abusus compertos habebamus, in hac sublimi Sacrosancti Apostolatus specula constituti, non tam assiduis nonnullorum aliarum Ecclesiarum Antistitum documentis, quam iustis etiam Superiorum, aliorumque Virorum ex Religiosis Ordinibus, Dei honorem, et instituti sui disciplinam zelantium, expostulationibus, de antedictis similibusque abusibus in dies admonemur, ut opportunum, ac salutare iisdem abusibus tollendis, quantum cum Domino possumus, remedium afferamus: auctoritate Apostolica, tenore praesentium, primum quidem omnes, et singulas Constitutiones, Sanctionesque a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, tam ante, quam post Concilii Tridentini decreta, super Clausura Monasteriorum quorumcumque religiosorum Virorum editas, renovamus, et confirmamus, necnon in posterum ab omnibus et singulis, ad quos spectat, et in futurum spectabit, sub iisdem poenis in Constitutionibus, Sanctionibusque eorumdem Praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, et decretis eiusdem Concilii Tridentini contentis, inviolabiliter observandas esse statuimus, decernimus, praecipimus, atque mandamus.

§ 4. Deinde motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, earumdem praesentium tenore, omnia et singula indulta, privilegia, praerogativas, facultates, licentias, et quocumque alio pacto nuncupatas concessiones, omnibus et singulis quibuscumque Ecclesiasticis personis quacumque auctoritate, dignitate, honore, praeeminentia, ac iurisdictione fungentibus, etiam Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, sive singulis, sive eorumdem Cardinalium Congregationibus, etiam de Latere Legatis, sive qui Provinciis, et Legationibus Status nostri Ecclesiastici pro tempore praesunt, sive quos ad Carissimos in Christo Filios nostros Romanorum Regem in Imperatorem pro tempore eligendum, vel electum, Reges, et Reginas illustres, aliasque summas Potestates, prout rerum conditio postulaverit, mitti, et ablegari contigerit; sive qui, licet aliarum insignium Ecclesiarum Antistites, tamen tamquam Apostolicae huius S. Sedis Legati de Latere alias nuncupati, et habiti sunt, et fortasse habentur, aut haberi, et esse praetendunt, et in posterum habendi sunt; sive Ordinarii, sive Extraordinarii nostri et eiusdem Apostolicae Sedis ubicumque, etiam ad ipsos Imperatorem, et Reges, ac summas Potestates, Nuntii, sive Inter-Nuntii resident; ac demum quibuscumque aliis quocumque nomine, et expressione nuncupatis personis, quocumque tempore, a quibusvis, etiam ab ipsis Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, quacumque de causa, occasione, titulo, colore, et praetextu, per quascumque Apostolicas, sive in simili forma Brevis, sive sub Plumbo expeditas literas, sub quibuscumque verborum formis, facta, data, concessa, et impertita, sive factas, datas, concessas, et impertitas, super huiusmodi accessu, et ingressu revocamus, abolemus, annullamus, atque irritamus, necnon a datarum earumdem praesentium die revocata, abolita, annullata, et irrita, ac nullius prorsus momenti, ac vigoris esse, et fore, neminique cuilibet quocumque tempore suffragari statuimus, decernimus, et declaramus.

§ 5. Quemadmodum etiam statuimus, decernimus, et declaramus, quemlibet omnium antedictorum, etiam speciali mentione dignorum, quacumque facultate huiusmodi temere uti audentem, ipso facto, absque ulla alia declaratione, poenas, et Ecclesiasticas censuras, a quibus, praeter quam a Nobis, et pro tempore existente Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi possit, incurrere, et incursum esse, licentiamque huiusmodi cuicumque concessam nullo modo suffragari, atque nullius momenti, perinde, ac si minime concessa fuisset, ipso facto fore, et haberi, ac poenas, et censuras Ecclesiasticas ipso etiam facto, ut praemittitur, per contrafacientem incurri, et incursas esse.

§ 6. Decernentes, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. I, p. 103-106].

323.

Benedictus XIV, const. *Salutare*, 3 ian. 1742.

Salutare in Catholica Ecclesia institutum, ab ipsa antiquitate susceptum, ac tanta cum sollicitudine et pastorali zelo custoditum, ut flos ille Ecclesiastici germinis, decus, atque ornamentum gratiae spiritualis, laeta indoles, laudis et honoris opus integrum, atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi, Sacrae Virgines, quarum, quo sublimior gloria est, maior et cura est, intra Monasteriorum septa, et claustra vigili sollicitaque custodia servarentur, tam ante, quam post Tridentinae Synodi Decreta,[1] Romani Pontifices Praedecessores nostri tot sanctissimis Legibus, et initis Apostolicae providentiae caritatisque consiliis communire, et confirmare studuerunt, ut, quae se Christo dicaverint, et a carnali concupiscentia recedentes, tam carne, quam mente se Deo voverint, consummment opus suum magno praemio destinatum.

§ 1. Quoniam autem, etsi providas huiusmodi Sanctiones, Constitutionesque, si ea, qua decet, regularis disciplinae observantia custodirentur, satis esse scimus, ut Virgines ea, quae Coelestis earumdem Sponsi Iesu Christi sunt, cogitantes, sint sanctae et corpore, et spiritu; longa tamen experientia edocti, et assiduis Venerabilium Fratrum aliarum Ecclesiarum Antistitum querelis admoniti, supremas Apostolicae auctoritatis providentiaeque partes requiri, ut abusibus quamplurimis ex nimia quorumcumque, aut sibi quocumque pacto arrogantium, aut praetendentium, aut obtendentium facultatem alias sibi quomodolibet, sive a iure, sive ab homine concessam, vel demandatorum munerum ratione debitam esse, ut sive ipsi, sive alii, ingredi clausuram Monialium, aut ipsae Moniales e clausura ob quascumque etiam non legitimas causas egredi, et extra clausuram huiusmodi commorari possint, licentiam concedendi, indulgentia sensim invectis, opportune occurratur.

[1] Sess. XXV, *de regularibus*, c. 5.

§ 2. Hinc est, quod Nos, pro suprema omnium Christifidelium procuratione imbecillitati nostrae in universalis Orthodoxae Ecclesiae regimine divinitus imposita, opportunum abusibus huiusmodi remedium, quantum cum Domino possumus, adhibere satagentes, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, omnes, et singulas Constitutiones a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, tam ante, quam post Concilii Tridentini Decreta, super clausura Monialium editas renovamus, et confirmamus, necnon imposterum ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, et in futurum spectabit, sub iisdem poenis in Constitutionibus eorumdem Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum, et Decretis Concilii Tridentini praefati contentis, inviolabiliter observandas esse statuimus, decernimus, praecipimus, atque mandamus.

§ 3. Praeterea motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, earumdem praesentium tenore, omnia, et singula indulta, privilegia, praerogativas, facultates, licentias, et quocumque alio pacto nuncupatas concessiones, omnibus, et singulis quibuscumque Ecclesiasticis personis, quacumque auctoritate, dignitate, honore, praeeminentia, ac iurisdictione fungentibus, etiam Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, sive singulis, sive eorumdem Cardinalium Congregationibus, etiam de Latere Legatis, sive, qui Provinciis, et Legationibus Status Nostri Ecclesiastici pro tempore praesunt, sive quos ad Carissimos in Christo Filios Nostros Romanorum Regem in Imperatorem pro tempore eligendum, vel electum, Reges et Reginas illustres, aliasque Summas Potestates, prout rerum conditio postulaverit, mitti, et ablegari contigerit, sive qui, licet aliarum insignium Ecclesiarum Antistites, tamen tamquam Apostolicae huius Sanctae Sedis Legati de Latere alias nuncupati, et habiti sunt, et fortasse habentur, aut haberi, et esse praetendunt, et imposterum habendi sunt, sive Ordinarii, sive Extraordinarii Nostri, et eiusdem Apostolicae Sedis ubicumque, etiam apud ipsos Imperatorem, et Reges, ac Summas Potestates Nuntii, sive Inter-Nuntii resident (exceptis dumtaxat locorum Ordinariis, iisque omnibus Superioribus, quibus tamquam Ordinariis, et ordinaria iurisdictione utentibus, Monialium Monasteria subiecta, et addicta sunt, in casibus tamen necessariis, et servatis aliis de iure servandis, et non aliter omnino), ac demum quibuscumque aliis quocumque nomine, et expressione nuncupatis personis, quocumque tempore, a quibusvis, etiam ab ipsis Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, quacumque de causa, occasione, titulo, colore, et praetextu, per quascumque Apostolicas, sive in simili forma Brevis, sive sub Plumbo expeditas Literas, sub quibuscumque verborum formis facta, data, concessa, et impertita, sive factas, datas, concessas, et impertitas, super huiusmodi ingressu, revocamus, abolemus, annullamus, atque irritamus; necnon a datarum earumdem praesentium die revocata, abolita, annullata, et irrita, ac nullius prorsus momenti, ac vigoris esse, et fore, neminique cuilibet quocumque tempore suffragari.

§ 4. Ac quemlibet omnium antedictorum, etiam speciali mentione dignorum, quacumque facultate huiusmodi, sive pro se, sive pro aliis temere uti audentem, ipso facto, absque ulla declaratione, poenas, et Ecclesiasticas cen-

suras contra violantes Clausuram Monialium inflictas, a quibus, praeterquam a Nobis, et pro tempore existente Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi possit, incurrere, et incursum esse; licentiamque huiusmodi concessam nullo modo suffragari, atque nullius momenti, perinde ac si minime concessa fuisset, ipso facto fore, et haberi, ac poenas, et censuras Ecclesiasticas ipso etiam facto, ut praemittitur, per contrafacientem incurri, et incursas esse, statuimus, decernimus, ac declaramus.

§ 5. Decernentes, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 106-109].

324.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Etsi minime*, 7 febr. 1742.[1]

Etsi minime Nobis dubitandum sit, omnes, quibus animarum cura credita est, Vosque praesertim, Venerabiles Fratres, ad Apostolatus officium evectos, atque in Praelationis fastigio a Deo constitutos, in id potissimum sollicitudinem intendere, ut Christianus Populus Coelestis Doctrinae pabulo enutritus, et rudimentis Fidei saluberrime instructus, in semitam Mandatorum Domini, facem Vobis praeferentibus, feliciter dirigatur: temperare tamen non possumus, quin vos ipsos Nostrae Auctoritatis, ac Paternae dilectionis stimulis excitemus ad tam pium, tamque salutare Opus Doctrinae Christianae impensiori cura provehendum, sublatis iis impedimentis, quae animarum saluti adversantur.

§ 1. Quia vero scientibus Legem loquimur, et vigiles Ecclesiarum hortamur Antistites, quibus nec Pietatis, nec alia sacrarum Literarum desunt praesidia; supervacaneum ducimus plurimis urgere argumentis, non satis esse ad coelestem Beatitudinem assequendam, confusim, et involute credere a Deo revelata, et ab Ecclesia Catholica proposita Mysteria; sed hanc coelestem Doctrinam divinitus traditam, et quae ex auditu concipitur, Doctoris legitimi ac fidelis ministerio ita esse accipiendam, ut singillatim illius capita explicentur, et eorum aliqua necessitate *medii*, aliqua vero necessitate *praecepti* Fidelibus ad credendum proponantur. Praeterea licet per Fidem iustificari dicamur, cum ea sit humanae salutis initium, et fundamentum; ad futuram tamen, quam inquirimus Civitatem, ut pervenire aliquando mereamur, satis compertum est, solam Fidem non sufficere; sed viam nosse, constanterque tenere oportere, nempe praecepta Dei, et Ecclesiae, tum virtutes, quas persequi, tum vitia, quae studiose declinare debemus.

§ 2. Quae quidem omnia cum primis Catholicae Fidei rudimentis, sive *Doctrina*, ut aiunt *Christiana*, contineantur, Episcopalis muneris exigit ratio, ut illa in singulis Dioecesibus, et ubique locorum recte, atque ex ordine explicetur; nec posse Episcopos sine tacito conscientiae convicio illam negligere, sed in hoc opus maxime necessarium omnem curam, et diligentiam

[1] Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis.

conferre debere. Id tamen oneris non ita Episcopo impositum esse intelligimus, ut ipse per se Doctrinae Christianae semper intersit, pueros interroget, et Mysteria Fidei, quam profitemur, aperiat. Nimium quippe novimus, in Pastoralis sollicitudinis munere praegravari Apostolicae servitutis sarcinam, ac plane intelleximus, cum Anconitanam primum, tum deinde Bononiensem Ecclesiam regeremus, multis, variisque curarum veluti fluctibus iactari Praesulem suo satis muneri facere cupientem. Id vero futurum affirmamus, ut si Episcopus, alieno etiam a Visitatione Dioecesis tempore, quandoque adsit ubi doctrina traditur Christiano homine digna, pueros, puellasque de rebus antea auditis sciscitetur, ac Mysteria nostrae Religionis evolvat, et annunciet: Pastoris operam in maximam crediti sibi Gregis utilitatem cessuram, eiusdemque exemplum alios excitaturum ad Vineam Domini Sabaoth pro viribus excolendam.

§ 3. Hanc administrandae Ecclesiae quasi legem sibi duxerunt nedum veteres, sed recentiores etiam Praesules, Beatorum Civium Albo adscripti; Carolus nempe Borromaeus, Franciscus Salesius, Turribius, Alexander Sauli, quorum aliqui (ut litteris consignatum est) cum gravioribus distenti, atque impediti curis, adesse coram non possent, operae, ac diligentiae suae Vicarium aliquem ex Canonicis, aut ex Sacerdotibus designabant, qui, susceptis Pastoralis Ministerii partibus, Adolescentulos ad omnia Religionis Officia Fidei elementis informarent.

§ 4. Optimum ergo, et ad profectum animarum maxime accommodatum erit Antistitis exemplum, si, quod antea dictum est, id omni tempore, praesertim vero dum obit Dioecesim, in singulis Paroeciis impleverit. Sed ut quisque facile coniiciet, ad hoc vires eius non suppetunt. Ideoque ut propositum assequatur, necesse est, diligentia, quanta potest maxima, curet, ne in aliis, quos tam laudabilis, tamque fructuosi operis Vicarios constituit, studium, ac sedulitas desideretur.

§ 5. Duo potissimum onera a Tridentina Synodo[1] Curatoribus animarum sunt imposita: alterum ut Festis diebus de rebus divinis sermonem ad Populum habeant; alterum, ut pueros, et rudiores quosque, Divinae Legis, Fideique rudimentis informent. Si statis diebus eam Parochi concionem habebunt, quae non persuasibilibus humanae Sapientiae verbis obstrepat auribus, sed captui Auditorum accommodata in eorum animos ostensione spiritus illabatur; si Mysterium aliquod annunciabunt, in primis vero, quod eo tempore Ecclesia recolit, ea disserentes, quae ad virtutum incitamento sint, et ad vitia fugienda, graviora praesertim, et quae foedius grassantur in Populo; si diebus ipsis (hoc enim pariter debent suo muneri) pueros, tamquam infantes modo genitos, nutriant Doctrinae lacte, nunc hos, nunc illos interrogando, dubia, atque involuta explicando; si demum cum Apostolo attendant lectioni, exhortationi, et doctrinae, ut perfectus sit homo Dei, et ad omne opus bonum instructus: fas est credere, exitum optatis respondere posse, et Populum acceptabilem sectatorem bonorum operum facile extiturum.

§ 6. Verum satis experientia compertum est, imparem esse solius Parochi laborem; cum nequeat unus omnes instruere, ubi Doctoris diligentiam

[1] Sess. XXIV, *de ref.*, c. 4, 7.

numerus vincit. Quoties tamen Episcopus toto animo, ac studio in Ecclesiam sibi commissam incumbat, numquam necessariis, et opportunis destituetur auxiliis. Semper enim invenias, qui Tonsura initiari, qui per Minorum, qui per Sacrorum Ordinum gradus ad Sacerdotii fastigium promoveri, qui denique ad Ecclesiastica Beneficia viam sibi munire studeant. Gravissimis idcirco verbis (et verbis facta respondeant) affirmet Episcopus, numquam se facturum, ut Tonsura inauguret grandiores aetate, aut Minores, praesertim vero Maiores Ordines iis conferat, qui in tradenda Christiana Doctrina operam suam Parochis commodare neglexerint. Hunc porro Clericorum numerum idem Episcopus in singulas suae Civitatis, et Dioecesis Parochias apte distribuat, et eorum aliquos determinatae Ecclesiae adscribat. Denunciet praeterea, ac fidem praestet, in conferendo Parochiarum, et aliorum Beneficiorum Iure, plurimum apud se ponderis, et momenti habiturum studium, et diligentiam in hoc opus a Clericis collatam: atque ita re ipsa constabit, non Rectori tantum impositum esse docendi munus, sed plures illi praesto esse, ut omnes Officii sui numeros cumulate implere possit.

§ 7. His accedit, Sacris Apostolicis Constitutionibus, et septima praesertim fel. rec. Leonis X Praedecessoris Nostri edita in Concilio Lateranensi,[1] saluberrime cautum fuisse, ut tam Ludimagistri discipulos suos, quam Piae Foeminae Puellas instituentes, sana, et incorrupta Doctrina (Episcopo id potissimum urgente), tamquam pabulo vitae, nutriant, et confirment. Constat etiam, ipsum Episcopum posse, ac debere Sacris Oratoribus quam diligentissime commendare, ut pro concione in Parentum aures animosque ingerant, sua interesse Mysteriis nostrae Religionis susceptam prolem imbuere: et si ad id minus idonei fuerint, filios in Ecclesiam adduci oportere, in qua Divinae Legis praecepta explicantur. Pluribus itidem in locis pia, ac laudabilis, et ubi non sit recepta, inducenda consuetudo invaluit, ut Parocho idem munus persequenti auxilium ferant Laici tum viri, tum mulieres, in Christiana institutione veluti adiutricem operam navantes, qui audiunt pueros, ac puellas Orationem Dominicam, Angelicam Salutationem, Symbolum Apostolorum, aliaque id genus memoriter pronunciantes. Alibi quoque Sodalitia erecta sunt, quorum cura in explicanda Christianae Religionis disciplina versatur, et quorum Institutum nedum meritis laudibus cumulat san. mem. Pius V in sua Constitutione, quae incipit: *Ex debito,*[2] sed in omnibus etiam Dioecesibus propagari enixe exposcit. Quae quidem omnia in unum collecta si sedulo perpendantur, certum omnibus, atque exploratum erit, ubi multa sit messis, paucos nequaquam esse Operarios, nec eos deesse, qui parvulis panem petentibus frangant.

§ 8. Sed quia compertum est, non solum Adolescentulos, illosque qui confirmata sunt iam aetate, in divinarum rerum ignoratione versari, sed etiam viros, ipsosque senes salutaris Doctrinae esse omnino expertes; vel quia numquam illam perceperunt, vel quia iamdiu perceptam paulatim delevit

[1] *Supernae dispositionis*, 5 maii 1514, § 32. - Cf. N. 65.
[2] Cf. N. 141.

oblivio: huic etiam malo provida Episcoporum occurret vigilantia, si operis sui Vicarios cogent, quae parata sunt, remedia sedulo adhibere.

§ 9. Ut autem ab iis, qui in prima sunt aetate, sermo instituatur, ad Sacram Eucharistiam, et Confirmationem admitti plures postulant: Parentes enim enixam hanc voluntatem, ac fere impatiens studium non praeseferunt. Moneat igitur Episcopus Parochos, eisque districte praecipiat, ne quis eorum sacrum Eucharistiae Sacramentum administret, et *Schedulam*, ut aiunt, confirmationis iis tradat, qui graviora Fidei, et Doctrinae capita, et Sacramentorum virtutem, et vim ignorent; vel quia parum in hoc Tirocinio profecerint, vel quia ea neglexerint audire, quae ad huiusmodi Sacramenta pie, riteque suscipienda statis temporibus tradita sunt. Hoc sane pacto primae aetati satis videri potest consultum.

§ 10. Si vero loquamur de Adolescentia, quoniam unusquisque proprium donum habet ex Deo, usu satis constat, alios Ecclesiasticae, alios vero saecularis vitae rationem inire. De primo hominum genere verba iam fecimus, cum de iis ageremus, qui Ordinibus initiari volunt. Id unum addi posse videtur, rem fore magni commodi, multaeque utilitatis plenam, si qui se sistunt examini, eos Praesul potissimum interroget de iis, quibus Christiani hominis scientia continetur. Etenim magistra rerum experientia edocuit, ex his aliquos, tametsi latini sermonis nitore, et elegantia excultos, in scientiarum curriculo liberaliter institutos, et quae ad Ordines pertinent apprime callentes, de Doctrina tamen Christiana percunctanti parum, aut nihil apposite respondere.

§ 11. Si autem ad eos, qui in saeculo degunt, mentis aciem convertimus, palam fit, illos ut plurimum sacri coniugii foedera inire. Verum cum Matrimonio iungendi non sint, si Parochus, ut debet, prius interrogando deprehenderit, Marem, seu Foeminam, quae ad salutem necessaria sunt, ignorare; vix tantae, ac tam luctuosae ignorantiae locum relinquet Episcopus, qui Pastores animarum admoneat officii sui, et huic si desint, negligentiae repetat poenas.

§ 12. Omnes denique omnium aetatum, atque ordinum homines solent identidem sordes animae Poenitentiae Sacramento detergere. Curabit itaque Episcopus, ut Sacerdos excipiens Confessiones, fixum illud, immotumque animo semper habeat, invalidam esse Absolutionem Sacramentalem, quam quis ignoranti res necessarias necessitate *medii* impertitur, nec posse homines Deo per huiusmodi Sacramentum reconciliari, nisi prius excussa huius ignorantiae caligine, ad agnitionem Fidei educantur. Sedulo etiam animadvertet Confessarius, in aliud tempus reiiciendam esse Absolutionem illius, qui necessaria necessitate *praecepti* suo vitio nescit; et eo quandoque casu Poenitentem absolvi posse, quo se vincibilis huius ignorantiae reum agnoscat, et accuset; ac intime dolens, tum a Deo veniam precetur, tum Confessario serio promittat, operam se impense daturum, qua, Divinae Gratiae praesidio, discat etiam necessaria necessitate *praecepti*.

§ 13. Hanc profecto Christiani Populi instituendi rationem si Pastores sibi proposuerint, si eorum consilia, labores, et studia ad propositam methodum duxerint referenda: sperare fas est, Fide, et Opere Gregem ita in dies profecturum, ut coaedificetur in habitaculum Dei in Spiritu Sancto. At n[illegible]

cum maximi momenti ea res sit, nullaque alia ad Dei gloriam, et ad animarum salutem utilius instituta, mirari nemo debet, quod plurima passim obiiciantur impedimenta.

§ 14. Sitae quandoque sunt in agro parvae, humilesque Ecclesiae, aliae Parochiali proximae, aliae vero longo intervallo disiunctae, ad quas diebus festis Patresfamilias una cum liberis accedunt, Sacerdotem Sacris operantem audituri; ex quo fit, ut suae Parochiae nunquam fere intersint, nec ullum de Mysteriis Fidei, de Praeceptis, de Sacramentis verbum accipiant. Episcopus huic malo occurret, suamque obiiciet auctoritatem. Et primo quidem, quoad parvas Ecclesias Parochiali proximas, expressa lege caveatur, ne quis antea Sacrificium faciat, quam Parochus Missam celebraverit, sermonem habuerit, caeterasque sui muneris partes absolverit. Hoc enim pacto Ecclesia Parochialis confluentium Parochianorum numero celebrabitur. Quo vero ad parvas Ecclesias a Parochiali longe sepositas, cum difficile admodum sit, Parochianos ob locorum distantiam, longum iter, atque asperum, hyemali praesertim tempore, cum pluviae inundant, Parochialem adire, ibique Divinis Officiis interesse, relicta Ecclesia proximiore: decernat Episcopus, gravibus etiam statutis poenis, quod Sacerdotes ibi operantes Christianae Doctrinae summam Populo tradant, Divinamque Legem annuncient. Monendus tamen est Parochus, ne alienae operae nimium tribuat, sed videat ipse quo loco res sint, cum pueri Sacramentum Eucharistiae, et Confirmationis, alii vero Matrimonii, sibi administrari exposcant.

§ 15. Praeterea sua etiam Urbes habent impedimenta. Saepe enim contingit, in aliis Ecclesiis, ac praesertim Regularium, solemni ritu, magnaque Populi frequentia, Festum aliquem diem celebrari: ideoque si in Ecclesia Parochiali, summo mane, aut statim a prandio Catechismus habeatur, aut nemo, aut pauci admodum sunt, qui eidem Catechismo intersint, quique praescriptas horas non causentur. Sin vero captentur horae Civitatis commodo magis appositae, usu compertum est, populum ad Ecclesiam confluere, in qua Festus dies agitur; et celebritate pompae illectum, Doctrinam Christianam non sine gravi animae detrimento deserere. In hoc articulo quia certa, et communis regula praescribi non potest, id totum relictum esse volumus Prudentiae vigilis Ecclesiae Antistitis, qui attenta loci, temporis, personarum qualitate, expensisque rerum omnium momentis, ita studeat solemnis diei celebritatem cum Doctrina Christiana componere, ne alteri altera sit impedimento. Quod si Regulares, et Exempti contradixerint, et sanctum hoc Doctrinae opus, licet ab Episcopis prius admoniti, suis functionibus perturbare praesumpserint, Nostram locorum Ordinariis auctoritatem, qua potimur in exemptos, pollicemur; nec alia Pontificiae vigilantiae deerunt remedia, ne Parochiales Ecclesiae debitis fraudentur obsequiis.

§ 16. Plurimum quoque ad Christiani Populi institutionem conferre poterit, si Visitatores eligantur, quorum alii Civitatem, alii Dioecesim lustrantes, omnia sedulo inquirant, ut certior factus Episcopus, pro meritis cuiusque Pastoris, aut praemia decernat, aut poenas.

§ 17. Clementis Papae VIII, aliorumque Praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, hortamur in Domino, et enixe commendamus, in Doctrina

Christiana tradenda adhibere libellum de Clementis eiusdem mandato a Cardinali Bellarmino conscriptum, mox in deputata Congregatione diligenter examinatum, et approbatum; ac denique ab eodem Clemente in lucem et saluberrimo consilio edi iussum, ut unus deinceps, idemque modus in docendo, et discendo Christianam Doctrinam, ab omnibus teneretur. Nihil hac uniformitate optabilius; nihil ad praecavendos, qui in multiplicem Catechismorum varietatem irrepere possent errores, conducibilius, atque opportunius. Sicubi vero contingat, ob peculiares regionum necessitates, aliquempiam adhiberi forte libellum; sedulo invigilandum erit, ne quid ille contineat, ne quid in eum unquam inducatur, a Catholica veritate absonum. Curandum insuper, ut in eo fidei dogmata clare, et dilucide sint explicata, additis, si quae desunt, necessariis, ac sublatis quae redundant. Brevis enim et univoca docendi methodus multum prodesse solet ad faciliorem interrogationem, cum quis periculum facit progressus puerorum.

§ 18. Complectatur Liber huiusmodi etiam Fidei, Spei, et Charitatis actus, quos recte scienterque compositos esse, minime dubitandum. Sed si aliter se res habeat, castigati emendato praelo donentur. Actus praedicti paucis potius, quam multis verbis efferri gaudent; dum illis tamen tota vis, et natura virtutis explicetur. Et quia Christianam Religionem profitenti maxime necessaria est consuetudo, et exercitatio saepius eliciendi dictos Actus; idcirco ne illorum usus circumscribatur angustis finibus, et exiguo numero a quibusdam singulis annis praefinito; Episcopus suae non minus, quam alienae salutis studiosus, provide statuat, ut in Parochiis, tum Urbis, tum Dioecesis, Rectores Animarum, post Missam Festo die celebratam, statim ante Aram provoluti, clara, et intelligibili voce dictos virtutum actus eiiciant, et praeire satagant Populo, verba ab ipsis prolata devote reddituro. Hoc enim pacto Fideles sensim illos memoriae mandabunt, et assuescent, nedum Festis, sed aliis etiam diebus, in hac pia exercitatione versari.

§ 19. Saluberrimas has erudiendi Gregis rationes, quas Vobis, Venerabiles Fratres, per haec Apostolica scripta notas esse volumus, quisque vestrum facile intelliget, consonas esse *Monitis Nostris Pastoralibus* praelo iam demandatis, cum Sponsam Nostram Bononiensem Ecclesiam Paterna Charitate cominus amplecteremur: illasque praeterea ex Pontificiis Constitutionibus haustas esse, et spectabilium Antistitum Testimonio, et exemplo comprobatas. Quia vero maximam inde utilitatem proficisci experimento cognovimus; quo maiori possumus studio Vos hortamur, et admonemus, ac per Viscera Misericordiae Dei nostri enixe obtestamur, ut pro iniuncto Vobis Pastoralis Ministerii debito praemissorum executioni strenuo, constantique animo incumbatis, sedulo recogitantes, quidquid laboris, studii, ac vigilantiae in hunc scopum collatum fuerit, Deum omnium Bonorum Datorem uberi mercede retributurum. Et Apostolicam Benedictionem ex animo Vobis impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 110-115].

325.

Benedictus XIV, const. *Ad Apostolicae*, 25 febr. 1742.

Ad Apostolicae servitutis Nostrae ministerium pertinet sedula invigilare cura, ut dispensationes super gradibus affinitatis, seu consanguinitatis, intra quos Matrimonia contrahi prohibentur, vel super aliis a Sacris Canonibus statutis impedimentis, nisi ex debitis causis non concedantur, et omnia inde amoveantur, unde nota aliqua ab improbis aspergi possit nomini, ac decori Romanae Ecclesiae, cui, licet immerito, Divina benignitate praesidemus.

§ 1. Sane quidem ad Dispensationes obtinendas, ab iis, qui eas postulant, in supplici libello causae pro illis consequendis exprimi solent; quae si eiusmodi fuerint, ut iuxta canonicas Sanctiones, et prudens Ecclesiasticae Provisionis arbitrium, locus ad dispensandum esse videatur, dispensatio concedi solet, eiusque executio Ordinario, ut plurimum committi; cui onus incumbit diligenter inquirere, an causae expositae veritate nitantur, ut, veris illis existentibus, gratia executioni demandetur, secus vero, si causae nullatenus veritati consentaneae sint. Si autem contingat, ob causas minime veras existentes, ut dispensatio executioni non tradatur; qui eam impetrarunt, apud negotiorum Gestores, seu Literarum Apostolicarum Expeditores conqueruntur; a quibus nonnunquam responderi solet, executionem perperam, et iniuria denegatam fuisse, quia expressio causarum, earumque verificatio, in dispensationibus non est aliquid substantiale, sed formalitas quaedam, et Forensis styli consuetudo: quod non minus veritati adversatur, quam executionis ordinem, ac modum bene, ac prudenter constitutum subvertit; cum expressio causarum, earumque verificatio, ad substantiam, et validitatem dispensationis pertineat, illisque deficientibus, gratia nulla, ac irrita sit, nullamque executionem mereatur.

§ 2. Id autem, ut plurimum evenit in dispensationibus, in quibus apponi solet clausula: *et Oratoribus vitae periculum immineret;* quae cum saepe in dispensationibus in primo, et secundo, vel in secundo gradu, et in nonnullis aliis canonicis impedimentis, sine ulla ratione, causa, et veritate, expressa reperiatur: Ordinarii Locorum, qui cautius, et accuratius se gerunt, nisi vitae periculum immineat, dispensationem exequi recusant; alii vero, fortasse falso rumore inducti, quod huiusmodi clausula sit mera formalitas, indulgentius quam necesse est procedentes, periculo vitae neque argumentis probabilibus verificato, eoque Oratoribus saltem verisimiliter imminere comperto, gratiam Dispensationis exequuntur.

§ 3. S. M. Praedecessor noster Pius PP. V in sua Constitutione per viam Motus proprii expedita, et publicata sub die v Decembris anno MDLXVI, cuius initium est: *Cum sicut accepimus,*[1] decrevit, omnes, et singulos Procuratores, tam Officii Sacrae Poenitentiariae, seu Contradictarum, quam alios quoscum-

[1] Cf. Bull. Rom., tom. 4, II, p. 324, 325.

que Sollicitatores, et Scriptores, qui veritatem facti, a narratione, quam ab ipsis Partibus habuerunt, quoad substantialia, et qualitates necessario exprimendas, diversam faciunt, seu quoquomodo intervertunt, aut immutant, aut depravant, et per subreptionem, et obreptionem gratias a Romanis Pontificibus extorquent, poenam falsi incurrere, et ea puniri omnino debere.

§ 4. Huiusmodi autem constitutio quamquam videatur pertinere dumtaxat ad Procuratores, Sollicitatores, et Scriptores Officii Sacrae Poenitentiariae, ubi per id temporis Matrimoniales Dispensationes etiam in foro externo concedi solebant, nihilominus pro Pastorali Nostra, et Paterna cura ex Alto Nobis commissa, hortamur, monemus, ac praecipimus omnibus, et singulis negotiorum Gestoribus, Procuratoribus, et Expeditoribus Literarum Apostolicarum, etiam Datariae Nostrae, ut cum supplices preces pro aliqua Matrimoniali Dispensatione porrecturi sunt, id primum ante omnia agant, ut plenam atque exactam facti notitiam assequi curent, sciscitantes ab ipsis Oratoribus, an hae, et illae causae adsint, ex quibus sciunt dispensationem concedi solere in hoc, vel illo gradu; deinde in supplici libello facti speciem nitide, ac sincere exponant; caveantque diligenter, ne illam aliquatenus in rebus substantialibus alterent, immutent, invertant, corrumpant, sed stricte adhaereant iis, quae ab Oratoribus sibi exposita fuerunt; et multo magis abstineant, ne quid falsi, aut ficti proprio ingenio inventum, vel excogitatum, ad gratiam dispensationis facilius obtinendam, in precibus obtrudant; demum, prae oculis habentes, se operam suam in Ecclesiasticis negotiis in hac Alma Urbe exhibere, ubi Cathedra veritatis est, ipsam solam ament, et sectentur veritatem, non lucrum, aut gratiam, et favorem supplicantium; diligenterque videant, ne mendacii, aut erroris merito argui, cum animae suae detrimento possint, falso, et perperam asserentes, causas, earumque verificationes, ex provida Nostrorum Praedecessorum dispositione, in huiusmodi gratiis, ad Ecclesiasticae disciplinae vigorem, et Canonicarum legum, et Apostolicarum Constitutionum voluntatem servandam, apponi, et respective demandari solitas, vanas, et superfluas esse, et tanquam inanes Curiae formalitates, parvi aut nihili esse faciendas.

§ 5. Praeterea huiusmodi graves abusus, quibus honor et decus huius Almae Urbis dehonestatur, et Sedis Apostolicae splendori ac dignitati officitur, penitus abolere cupientes: motu proprio, ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine praefatam Constitutionem s. m. Pii V Praedecessoris Nostri extendimus, dilatamus, ac producimus ad omnes praedictos negotiorum Gestores, Procuratores, et Expeditores literarum Apostolicarum, cuiuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis, et quocumque indulto, privilegio, et dignitate munitos; et quatenus opus sit, eam de novo ferimus, statuimus, et innovamus; volentes, ac decernentes, ut in omnibus superius expressis casibus, poena falsi contra Delinquentes locum habeat; sine tamen praeiudicio obligationis refundendi expensas Oratoribus, qui, ob illorum culpam, eiusmodi dispensationes, quae executioni demandari nequeant, obtinuerunt.

§ 6. Denique omnes, et singulos Venerabiles Fratres, Archiepiscopos, Episcopos, et Locorum Ordinarios, caeterosque Executores Literarum Apo-

stolicarum, quibus huiusmodi Dispensationum exequutio committi solet, enixe rogamus, et obsecramus, ut sedulo, ac diligenter attendant, priusquam Dispensationis gratiam exequantur, an causae in Apostolicis literis expressae, et quarum verificatio eorum curae, et vigilantiae a Sede Apostolica commissa est, verae ne, an secus existant, an potius Sedi Apostolicae falsum expositum, et veritas reticita fuerit; qua super re eorum conscientiam oneramus.

§ 7. Et quoniam in iisdem Apostolicis literis super Dispensationibus in gradibus prohibitis, aliisque praefatis impedimentis, nonnulla observata sunt, quae negotium Executoribus quandoque exhibere, et scrupulos eorum animis ingerere solent, Apostolicae Nostrae sollicitudinis erit, ea dilucidius, et apertius in iisdem dispensationum literis Apostolicis exponere, ac declarare, ut omni dubitatione sublata, et causis coram Executore huiusmodi probationum genere probatis, quo de illarum veritate moraliter certus reddatur, Apostolicae literae Matrimonialium Dispensationum sine ulla haesitatione ad debitam executionem deduci possint.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 127-130].

326.

Benedictus XIV, const. *Ad militantis*, 30 mart. 1742.

Ad militantis Ecclesiae regimen nullo meritorum Nostrorum suffragio, sed imperscrutabilis consilii altitudine evocati, inter graves curas, quas assidue pro Nostro munere sustinemus, postrema illa non est, in quam totis viribus Nobis incumbendum esse ducimus, ut graves nimium, diuturnae, nulloque unquam tempore intermissae Episcoporum, aliorumque ordinariam Iurisdictionem habentium querelae adversus Maiora Tribunalia, atque illa etiam Nostrae Romanae Curiae, propositae, tandem compescantur.

§ 1. Intimo siquidem animi Nostri moerore, cum in minoribus adhuc essemus, iamdiu intelleximus, plerosque Locorum Ordinarios conqueri, sensim abusum irrepsisse, quod ad malitiosam petentium suggestionem, a Patriarchis, Metropolitanis, Sanctae Sedis a latere Legatis, et diversis dictae Romanae Curiae Iudicibus, *Inhibitiones* sine delectu Causae, et rei, de qua agitur, examine, passim concedantur. Et quamvis in more positum sit, dictas Inhibitiones indebite expeditas pro causae meritis revocari, et aboleri; remedium tamen inflicto vulneri non satis esse dicunt, cum interea oporteat Episcopos, aliosque inferiores Iudices, in ipso causarum, et Iudiciorum cursu, otiosos immorari, ius suum iudicialiter asserere, et vindicare, et ad continendos in officio Populos gravia saepe incommoda, et dispendia subire.

§ 2. E contrario Nobis quoque, dum etiam in minoribus essemus, Superiorum iudicum responsiones audire contigit, asserentium, memoratas querelas inanes esse, nec ulli innixas fundamento, utpote ex hac unica re causam, et originem habentes, quod inferioribus grave est obedientiae, ac subiectionis iugum erga maiora Tribunalia, ipsisque nimis displicet, sibi subditis appellationis beneficio succurri.

§ 3. Porro cum facile haec dissidia componi, et succrescentia litium semina avelli possint, si, quae a Sacra Tridentina Synodo,[1] ab Apostolicis Constitutionibus, et Congregationum Decretis provide sancita sunt, debitae executioni mandentur: Nos idcirco ad conservandam Ecclesiae disciplinam, restituendamque Tribunalibus formam eisdem canonicis legibus consentaneam, pro credito Nobis Apostolicae servitutis Officio, opportune duximus consulendum.

§ 4. Inhaerentes itaque Decretis eiusdem Sacri Concilii, necnon Congregationis Episcoporum, et Regularium, Iussu, et approbatione rec. mem. Clementis PP. VIII Praedecessoris Nostri alias editis die XVI Octobris MDC,[2] itemque aliis Congregationis particularis, iussu pariter, et approbatione fel. rec. Urbani PP. VIII similiter Praedecessoris Nostri, promulgatis die v Septembris MDCXXVI, eorumque declarationibus nuper superadditis a piae mem. Benedicto XIII etiam Praedecessore Nostro in Appendice Concilii Romani,[3] aliisque Apostolicis Constitutionibus, hac de re alias editis, et innovatis, et praesertim Constitutioni piae mem. Gregorii XV, quae incipit: *Inscrutabili*, sub Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae MDCXXII nonis februarii.[4]

§ 5. Districte praecipimus, et mandamus, ne deinceps ab exequutione Decretorum dicti Sac. Concilii Tridentini, in omnibus illis causis, et negotiis, in quibus exequutio huiusmodi Episcopis, et Locorum Ordinariis, etiam uti Sedis Apostolicae Delegatis, ab eodem Sacro Concilio, vel dictis Apostolicis Constitutionibus, *appellatione, vel inhibitione quacumque postposita*, commissa est, appellatio aliqua in Tribunalibus praedictis recipiatur, vel Inhibitiones, Citationes generales, vel speciales, cum Commissione inserta, Monitoria, et alia huiusmodi, per quae dictorum Decretorum exequutio retardetur, aut Processus ad ulteriora in eadem exequutione suspendatur aut impediatur, quoquo modo concedantur.

§ 6. Itaque a quibuscumque Mandatis, prohibitionibus, provisionibus, et statutis tam in Visitatione, quam extra, pro Divino cultu conservando, et augendo, et praesertim circa ea, quae observanda, et evitanda sunt in celebratione Missae, aut alio quovis modo respiciunt exequutionem Decreti Sac. Concilii Sess. 21, *de Ref.*, cap. 8, et sess. 22, *in Decret. de observ. et evit. in celebrat. Missae.*

§ 7. Item a Decretis cogentibus Clericos tam Saeculares, quam Regulares, etiam Monachos, et exemptos, ad publicas Processiones, servata tamen forma Constitutionis san. mem. Pii V, quae incipit: *Etsi Mendicantium.*[5] Prout etiam a Decretis, et provisionibus super praecedentia inter Personas Ecclesiasticas, tam Saeculares, quam Regulares in eisdem Processionibus, vel associatione Defunctorum, delatione Umbellae, et huiusmodi. Necnon super observatione Censurarum, etiam Episcopalium, et Festorum Dioecesis, iuxta dispositionem eiusdem Sacri Concilii sess. 25, *de Regular.*, cap. 12 et cap. 13.

[1] Sess. XIII, *de ref.*, c. 1; sess. XXIV, *de ref.*, c. 20.
[2] Cf. Bizzarri, Collectanea S. C. Ep. et Reg., p. 18-21.
[3] Conc. Roman., a. 1725, p. 113-119.
[4] Cf. N. 199.
[5] Cf. N. 121.

§ 8. Item in omnibus iis, quae ad curam Animarum, et Sacramentorum administrationem quoquo modo pertinent, et praesertim adversus Monitiones, Censuras, aut alias provisiones, per quas Parochi, aut alii Curam Animarum exercentes, diebus saltem Dominicis, et Festis solemnibus Plebes sibi commissas salutaribus verbis pascere compellantur, docendo ea, quae ad salutem necessaria sunt, iuxta Decretum Sacri Concilii sess. 5, *de Reform.*, c. 2.

§ 9. Item adversus deputationem Vicariorum etiam perpetuorum, cum assignatione Congruae, per quos Cura Animarum exerceatur, quoties plura Beneficia Curata ex Dispensatione Apostolica ab aliquo obtineantur; vel quoties eadem Beneficia Curata Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, Beneficiis, seu Collegiis, aut piis Locis quibuscumque perpetuo unita, et annexa reperiuntur; iuxta praescriptum dicti Sacri Concilii sess. 7, *de Reform.*, cap. 5 et cap. 7, et iuxta Constitutionem san. mem. Pii V, quae incipit: *Ad exequendum.*[1]

§ 10. Item adversus Visitationem Beneficiorum Curatorum, ut supra, perpetuo unitorum, necnon quarumcumque Ecclesiarum quomodolibet exemptarum, prout etiam adversus Decreta, et provisiones ab Ordinario capiendas, ut quae in eis reparatione indigent, reparentur, et Cura Animarum, si qua illis imminet, aliisque debitis obsequiis minime defraudentur, iuxta dispositionem Sacri Concilii eadem sess. 7, *de Reform.*, cap. 8, et sess. 21, cap. 7.

§ 11. Item a Decretis, seu Mandatis, per quae Episcopi, etiam uti Apostolicae Sedis Delegati, in Ecclesiis Parochialibus, aut Baptismalibus, in quibus Populus ita numerosus est, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, et Cultui Divino peragendo, cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, et Cultum Divinum celebrandum: aut etiam invitis Rectoribus, procedant ad constitutionem novarum Parochiarum, cum assignatione competentis portionis, ubi ob locorum distantiam, sive difficultatem, Parochiani, sine magno incommodo, ad percipienda Sacramenta, et Divina Officia audienda accedere non possunt; vel denique propter paupertatem, et in caeteris casibus a iure permissis, deveniant ad uniones perpetuas aliorum Beneficiorum simplicium, non tamen Regularium, iuxta dispositionem Sacri Concilii sess. 21, *de Reform.*, cap. 4 et cap. 5, et sess. 24, similiter *de Reform.*, cap. 13.

§ 12. Item a deputatione Coadiutorum, aut Vicariorum pro tempore, vel aliis provisionibus ab Episcopo capiendis, etiam tanquam Apostolicae Sedis Delegato, quando illiterati, et imperiti Parochialium Ecclesiarum Rectores sacris minus apti sunt officiis; cum assignatione partis fructuum pro sufficienti illorum victu. Necnon a suspensione, atque etiam a privatione illorum, qui turpiter, et scandalose vivunt, et postquam praemoniti sunt, in sua nequitia incorrigibiles perseverant, iuxta praescriptum eiusdem Concilii d. sess. 21, *de Reform.*, cap. 6.

§ 13. Item a translatione Beneficiorum simplicium, etiam Iurispatronatus, ex Ecclesiis, quae vetustate, vel alias collapsae sint, et ob eorum inopiam

[1] Die 1 nov. 1567. - Cf. Bull. Rom., tom. 4, II, p. 401, 402.

nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in Matrices, aut alias Ecclesias cum omnibus emolumentis, et oneribus. Prout etiam a Decretis cogentibus Patronos, Rectores, Beneficiatos, aut Parochianos, sive Populum, ad refectionem, et instaurationem Ecclesiarum Parochialium, servata forma Sacri Concilii sess. 21, cap. 7.

§ 14. Item a censuris, sequestratione, et subtractione fructuum, aut aliis quibuscumque provisionibus, pro cogendis ad residentiam Parochis, caeterisque omnibus, quibus Cura Animarum incumbit, iuxta Decretum eiusdem Sacri Concilii sess. 23, *de Reform.*, cap. 1.

§ 15. Item a denegatione, revocatione, suspensione, vel restrictione, et limitatione facultatis audiendi Confessiones, respectu eorum, qui Parochiale Beneficium non obtinent, etiam si fuerint Regulares, pro excipiendis Confessionibus Saecularium, iuxta ordinationem Sacri Concilii sess. 23, cap. 15, et Praedecessorum Nostrorum Constitutiones, ac praecipue illam fel. rec. Clementis X, quae incipit: *Superna.*[1]

§ 16. Item in illis Civitatibus, aut Locis, ubi vel Parochiales Ecclesiae certos non habent fines, nec earum Rectores proprium Populum, quem regant, sed promiscue petentibus Sacramenta administrant, vel etiam nullae sunt Parochiales, a divisione, seu distinctione Parochiarum, earumque ordinatione, sive institutione in titulum perpetuum, iuxta Decretum Sacri Concilii sess. 24, *de Reform.*, cap. 13.

§ 17. Item a deputatione Vicarii, vel Oeconomi, cum assignatione Congruae, pro tempore, quo vacat Ecclesia Parochialis. Prout etiam ab indictione Concursus, relatione examinatorum, necnon praeelectione, et provisione Episcopi in eodem Concursu, iuxta definitionem Sacri Concilii eadem sess. 24, *de Reform.*, cap. 18.

§ 18. Item a Mandatis, seu Decretis inhibentibus praedicationem, vel publicas lectiones, aut coercentibus, vel punientibus quoscumque, etiam exemptos, tam Saeculares, quam Regulares, qui in alienis Ecclesiis, quae suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, et in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, praedicare praesumpserint; iuxta Decretum Sacri Concilii sess. 5, *de Reform.*, cap. 2, et sess. 24, similiter *de Reform.*, cap. 4, et Constitutionem piae mem. Gregorii XV, quae incipit: *Inscrutabili*, § fin.[2] Una cum declarationibus contentis in Constit. Clementis PP. X, quae incipit: *Superna.*[3]

§ 19. Et generaliter in omnibus iis, quae pertinent ad Curam Animarum, et rectam Sacramentorum administrationem, adversus visitationem, correctionem, coercitionem, et quascumque alias provisiones Episcopi Dioecesani, etiam quoad exemptos, sive Saeculares, sive Regulares, iuxta laudatam Constitutionem Gregorii XV, quae incipit: *Inscrutabili.*[4]

§ 20. Item adversus quascumque Provisiones, et Decreta pro conservanda, aut restituenda clausura Sanctimonialium, aut pro correctione, seu punitione

[1] Cf. N. 246.
[2] Cf. N. 199.
[3] Cf. N. 246.
[4] Cf. N. 199.

eorum, qui circa Personas intra Monasteria degentes, aut circa Clausuram, vel circa Bonorum administrationem deliquerint. Prout etiam ab examine pro approbatione, vel reprobatione Confessariorum sive Regularium, sive Saecularium, quomodocumque exemptorum, et tam ordinariorum, quam extraordinariorum, pro excipiendis Confessionibus Monialium, etiam Regularibus subiectarum. Itidemque a Decretis, vel aliis quibuscumque provisionibus cogentibus Administratores, sive Saeculares, sive Regulares quomodolibet exemptos, ad reddendam singulis annis rationem Bonorum ad Monasteria Sanctimonialium huiusmodi pertinentium. Ac demum a quibuscumque Decretis super amotione Cappellanorum, Sacristarum, et aliorum quorumcumque Officialium, et Ministrorum, tam Saecularium, quam Regularium, ipsis Monialibus, vel earum Ecclesiis inservientium, iuxta dispositionem Sacri Concilii sess. 25, *de Regular. et Monial.*, cap. 5, cap. 9, et cap. 10, servata tamen, quoad Regulares, et exemptos, forma praedictae Constitutionis rec. mem. Gregorii XV quae incipit: *Inscrutabili.*[1]

§ 21. Item adversus pastoralem Visitationem Dioecesis, et praesertim Monasteriorum Commendatorum, Abbatiarum, Prioratuum, et Praepositurarum, in quibus non viget Regularis Observantia, necnon Beneficiorum, tam Curatorum, quam non Curatorum Saecularium, et Regularium qualitercumque commendatorum, etiam exemptorum. Prout etiam ab exequutione eorum, quae in ipsa Visitatione mandata, decreta, aut iudicata fuerint. Necnon similiter a quibuscumque Decretis, et Provisionibus, etiam extra Visitationem, pro conservatione, et reparatione Ecclesiasticae Disciplinae, quoad vitam, mores, et honestatem quorumcumque Clericorum, luxum, comessationes, choreas, lusus, crimina, et saecularia negotia fugienda, atque evitanda; iuxta plura Decreta dicti Sacri Concilii, et praesertim sess. 6, *de reform.*, cap. 4, sess. 13, cap. 1, sess. 14, cap. 4, sess. 21, cap. 8, sess. 22, cap. 1 et cap. 8, et sess. 24, cap. 10, ad formam tamen Decretorum Sacrae Congregationis Episcoporum de mandato san. mem. Clementis VIII editorum ann. MDC.[2]

§ 22. Item a Decretis cogentibus Praesentatos, electos, vel nominatos a quibusvis Ecclesiasticis Personis, etiam Nostris et Sedis Apostolicae Nuntiis, ad quaevis Ecclesiastica Beneficia, ad se subiiciendum examini Ordinarii, antequam instituantur, confirmentur, vel admittantur, quemadmodum cavetur sess. 7, *de reform.*, cap. 13.

§ 23. Item a denegatione Sacrorum Ordinum, vel adscensus ad alios Maiores; prout etiam adversus suspensionem ab Ordinibus iam susceptis, ob crimen occultum, sive ex informata conscientia, iuxta dispositionem Sacri Concilii sess. 14, *de reform.*, cap. 1 et cap. 3, et sess. 21, cap. 1, et sess. 23, cap. 16.

§ 24. Item a praefixione termini, intra quem Regularis Episcopo non subditus, qui intra Claustra Monasterii degat, et extra ea ita notorie deliquerit, ut Populo scandalo sit, a suo Superiore puniri debeat, ac de punitione ipse Episcopus certior fieri, iuxta Decretum Sacri Concilii sess. 25,

[1] Cf. N. 199.
[2] Cf. Bizzarri, Collectanea S. C. Ep. et Reg., p. 18-21.

de Regul., cap. 14, et Constit. fel. rec. Clementis Papae VIII, quae incipit: *Suscepti muneris.*[1] Necnon adversus punitionem, et correctionem eorumdem Regularium, qui circa Personas intra septa degentes, aut circa Clausuram ipsam deliquerint; iuxta praedictam Constitutionem Gregorii XV, quae incipit: *Inscrutabili.*[2]

§ 25. Item a Censuris, aut aliis provisionibus contra Concubinarios, et praesertim Clericos etiam retinentes domi, aut extra, Mulieres suspectas, iuxta praescriptum Sacri Concili sess. 24, *de reform. Matrim.*, cap. 8, et sess. 25, *de reform.*, cap. 14.

§ 26. Item adversus privationem Privilegii Fori, et alias provisiones contra Clericos non incedentes in habitu; et tonsura, et in aliis casibus a Sacro Concilio praescriptis sess. 14, *de reform.*, cap. 6, et sess. 23, similiter cap. 6.

§ 27. Prout etiam ab examine, approbatione, vel reprobatione Patrimonii Sacri, Pensionis Ecclesiasticae, aut Beneficii, quoad Clericos promovendos ad Sacros Ordines; iuxta dispositionem eiusdem Concilii sess. 21, *de reform.*, cap. 2.

§ 28. Item adversus convocationem Capituli, quam faciat Episcopus ad aliquid deliberandum, et iuxta vota ipsorum Capitularium concludendum, quoties de re ad suum, vel suorum commodum spectante non agatur; iuxta Decretum Sacri Concilii sess. 25, *de reform.*, cap. 6.

§ 29. Item a Mandatis, seu Decretis super conversione tertiae partis fructuum, et quorumcumque proventuum, et obventionum, tam Dignitatum, quam Canonicatuum, Personatuum, portionum, et officiorum, in distributiones quotidianas, earumque divisione inter Dignitates obtinentes, et caeteros Divinis interessentes, in Ecclesiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis, in quibus nullae sunt distributiones huiusmodi quotidianae, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur; iuxta Constitutionem eiusdem Concilii sess. 21, *de reform.*, cap. 3, et sess. 22, similiter *de reform.*, cap. 3.

§ 30. Item adversus exercitium facultatum Episcopis competentium super executione omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos, in casibus a Iure concessis, iuxta dispositionem Sacri Concilii sess. 22, *de reform.*, cap. 8.

§ 31. Item a Visitatione Hospitalium, Collegiorum quorumcumque, et Confraternitatum Laicorum, Eleemosynarum, Montium Pietatis, sive Charitatis, et omnium Piorum Locorum quomodocumque nuncupatorum, etiamsi eorum Cura ad Laicos pertineat, aut exemptionis Privilegio sint munita. Ac denique a cognitione, et exequutione eorum omnium, quae ad Dei Cultum, aut animarum salutem, seu Pauperes sustentandos instituta sunt; iuxta dictum Decretum Sacri Concilii sess. 22, *de reform.*, cap. 8.

§ 32. Item a Decretis, seu Mandatis cogentibus Administratores tam Ecclesiasticos, quam Laicos, etiam exemptos, Fabricae cuiusvis Ecclesiae etiam Cathedralis, Hospitalis, Confraternitatis, Eleemosynae, Montis pietatis, et quorumcumque Piorum Locorum, ad reddendam singulis annis ipsi Ordi-

[1] Cf. N. 181.
[2] Cf. N. 199.

nario rationem suae administrationis, nisi aliud in institutione, et ordinatione talis Ecclesiae, seu Fabricae expresse cautum fuerit; iuxta Decreta Sacri Concilii sess. 7, *de reform.*, cap. 15, et sess. 22, cap. 9, et sess. 25, cap. 8.

§ 33. Item a Decretis compellentibus Notarios, etiam Apostolica, Imperiali, aut Regia auctoritate creatos, et scribentes in Causis Ecclesiasticis, vel Spiritualibus, ad se subiiciendum examini; eorumque remotione, vel suspensione in casu delicti, vel imperitiae; iuxta praescriptum Sacri Concilii dicta sess. 22, cap. 10.

§ 34. Item ab erectione Seminarii, et taxatione quarumcumque Dignitatum, Personatuum, Officiorum, Praebendarum, Portionum, Abbatiarum, et Prioratuum cuiuscumque Ordinis, etiam Regularis, Hospitalium, quae dantur in titulum, vel administrationem, et Beneficiorum quorumcumque, etiam Regularium, etiam Iurispatronatus, etiam exemptorum, etiam nullius Dioecesis, vel aliis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, et aliis quibusvis Locis piis, etiam exemptis, annexorum, ac quorumcumque aliorum Ecclesiasticorum reddituum, seu proventuum ad Fabricas Ecclesiarum, Confraternitates, et Monasteria omnia, non tamen Mendicantium, pertinentium, necnon Decimarum quacumque ratione ad Laicos, atque etiam Milites cuiuscumque Militiae, aut Ordinis, Hierosolymitano excepto, spectantium, pro eiusdem Seminarii manutentione. Prout etiam ab unione, et applicatione aliquot Beneficiorum simplicium; necnon a Decretis cogentibus eos, qui Scholasterias obtinent, vel quibus lectionis, vel Doctrinae munus est annexum, ad docendum per se ipsos, vel idoneos Substitutos; et generaliter a Mandatis, et provisionibus, quae quoquo modo respiciunt Curam, directionem, et administrationem Seminarii, plenamque exequutionem Decreti editi a Sacro Concilio super Collegio Puerorum in singulis Cathedralibus instituendo, sess. 23, *de reform.*, cap. 18.

§ 35. Item a Mandatis, seu Decretis cogentibus Oeconomos, Vicarios Capitulares, ad reddendam rationem Administrationis per eos gestae Sede Episcopali vacante; iuxta praescriptum Sacri Concilii sess. 24, *de reform.*, cap. 16.

§ 36. Item a comminatione excommunicationis a Iure latae, et a Sententia excommunicationis latae ab homine, suspensionis, et interdicti, nisi appellatio fuerit interposita ex capite nullitatis. Et e converso a Sententia absolutionis ab eisdem Censuris Ecclesiasticis.

§ 37. Et generaliter ab exequutione aliorum quorumcumque Decretorum dicti Sacri Concilii Tridentini, Episcopis, atque Ordinariis locorum demandata ab ipso Concilio, et in Constitutione fel. recor. Pii Papae IV, quae incipit: *Benedictus Deus.*[1]

§ 38. Volumus, praecipimus, et mandamus, quod ab Archiepiscopis, Patriarchis, seu Primatibus, aliisque Iudicibus Ecclesiasticis, etiam Nostris, et Sedis Apostolicae Nuntiis, vel de latere Legatis, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, atque etiam Camerae nostrae generali Auditore, Signaturae Iustitiae Praefecto, caeterisque Iudicibus Romanae Curiae, eorumque

[1] Die 26 ian. 1564. – Bull. Rom., tom. 4, II, p. 168, 169.

Vicariis, et Officialibus, Citationes generales, vel speciales cum Commissione inserta, Monitoria, et alia huiusmodi cum Inhibitione, per quam exequutio Decretorum, Mandatorum, et Provisionum huiusmodi retardetur, suspendatur, aut impediatur, minime concedantur, et quatenus nunc, aut imposterum concessa fuerint, nullatenus inhibeant, atque ab Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis impune sperni possint; quacumque Consuetudine etiam immemorabili, vel quovis Privilegio, aut stylo concedendi Inhibitiones in Causis praedictis, tametsi temporarias, penitus exclusis. Nos enim Citationes, et Monitoria, aliter quam ut praefertur, concessa, vel imposterum concedenda, nulla, atque irrita declaramus, et pro nullis, atque irritis haberi volumus, et mandamus. Decernentes, quod adversus Decreta, Mandata, et Provisiones eiusmodi, quas, vel quae ab Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis fieri, te capi contigerit in Causis, et negotiis praedictis, vel simplex dumtaxat, et extraiudicialis Recursus per viam supplicis libelli, ad Nos, et Successores nostros Romanos Pontifices, vel respective, et iuxta Causarum naturam, et qualitatem, Appellatio ad quos de Iure, in solo devolutivo, et sine retardatione, vel praeiudicio legitimae exequutionis, recipi, et admitti possit.

§ 39. Quoniam vero in hisce ipsis negotiis, et Causis, in quibus Inhibitiones Canonicam exequutionem impedientes, aut suspendentes, concedi non debent, dari possunt casus, qui per ipsum Sacrum Concilium Tridentinum, vel iuxta eius Mentem, per Apostolicas Constitutiones, et Sacrarum Congregationum declarationes, aut communem Doctorum Sententiam, a praefata generali regula de non concedendis Inhibitionibus, eisque posthabendis excipiuntur, quique ut plurimum non aliter, quam prudenti Iudicis arbitrio secundum particulares Facti circumstantias aestimari possunt: hinc Nos, ne sub eiusmodi praetextu, Inhibitiones, ut supra prohibitae, vulgo, et sine ullo delectu etiam in Casibus non exceptis concedantur: Statuimus, et mandamus, quod in dictis Causis, et negotiis superius expressis, Metropolitani, Patriarchae, Primates, aliique Iudices praedicti, et praesertim Camerae nostrae generalis Auditor, eiusque Locumtenentes, et Signaturae Iustitiae Praefectus, eiusque Auditor, ad quos in contingenti casu pro obtinenda Inhibitione recursum haberi contigerit, etiamsi asseratur, casum illum a Sacro Concilio, vel Apostolicis Constitutionibus, quacumque de Causa exceptum esse: nihilominus literas Citatorias, vel Monitoria cum Inhibitione huiusmodi non concedant, nisi prius ex facti circumstantiis, in supplici libello a Parte recurrente clare ac dilucide exponendis, et cum aliquo documento semiplene saltem verificandis, eisdem summarie apparuerit, casum illum esse de exceptis, et propterea Episcopo, vel Ordinario Loci inhibendum esse, ne ad ulteriora procedat. Tunc enim, et non alias, et postquam ipsi Iudices, quorum conscientiam hac in parte oneramus, super dicto supplici libello manu sua rescripserint, quod Inhibitio concedi potest, libellusque cum rescripto eiusmodi in Actis productus fuerit, diligenter ibidem custodiendus, et asservandus, liceat eorum Notariis, sive Actuariis literas Citatorias cum dicta Inhibitione expedire, et Parti recurrenti tradere, ita tamen, ut in earum calce expresse adiiciatur sequens clausula: *Nos enim, attentis Iuribus, et supplici libello Nobis praesentatis, atque in Actis exhibitis, sic, ut praefertur, in-*

bendum esse, speciali Rescripto mandavimus. Alias literae eiusmodi sine tali clausula nullam vim inhibendi habeant in casibus praedictis.

§ 40. Et nihilominus si Notarii, sine dicto speciali Rescripto super supplici libello, aut sine productione illius in Actis, aut sine praedicta clausula, Citationes ullas, aut Monitoria cum inhibitione, sub quocumque praetextu, seu colore, expedire, ac tradere praesumpserint, etiamsi illae, aut illa a Iudice subscripta fuerint, poenam infamiae, et perpetuae inhabilitatis ad Officium Notarii in Causis Ecclesiasticis exercendum, et quoad illos Camerae Nostrae generalis Auditoris, aut aliorum Romanae Curiae Iudicum superius expressorum, etiam quinquaginta ducatorum auri de Camera, pro una medietate Camerae Nostrae Apostolicae, et pro alia ipsi Parti recurrenti, et in causa interesse habenti, sin minus alicui ex Locis Piis, arbitrio Nostro, Nostrorumque Successorum destinando, applicandam, ipso facto incurrant.

§ 41. Ad haec, similiter inhaerentes dispositioni eiusdem Sacri Concilii sess. 7, *de reform.*, cap. 14, et sess. 14, cap. 5, necnon etiam Decreto piae mem. Benedicti XIII hac in re promulgato inter eius additiones ad decreta Urbani Papae VIII in appendice ad Concilium Romanum,[1] volumus, et mandamus, quod Clerici Saeculares, aut Regulares extra Monasterium degentes, quomodolibet exempti, in Civilibus Causis Mercedum, et miserabilium Personarum, etiamsi certum Iudicem a Sede Apostolica deputatum in partibus habeant: in aliis vero, si ipsum Iudicem non habuerint, coram Locorum Ordinariis, tanquam ab ipsa Sede delegatis, conveniri in prima instantia, et Iure medio ad solvendum debitum cogi possint.

§ 42. Quo vero ad Personas non exemptas, inhaerendo similiter dispositioni eiusdem Sacri Concilii sess. 13, *de reform.*, cap. 1, et sess. 22, cap. 7, et sess. 24, cap. 20, necnon supradictis Decretis generalibus Congregationis Episcoporum editis anno MDC cum novissimis additionibus seu declarationibus piae mem. Benedicti XIII in Appendice Concilii Romani: volumus, statuimus, et mandamus, quod Causae omnes, tam Civiles, quam Criminales, ad Forum Ecclesiasticum pertinentes, exceptis Privilegiatis, quae ex eodem Concilio, vel alias iuxta Canonicas Sanctiones apud Nos, et Sedem Apostolicam tractari possunt, aut debent, coram Ordinariis Locorum dumtaxat in prima Instantia cognoscantur, neque a Metropolitanis, Patriarchis, aut Primatibus, aliisque Iudicibus Ecclesiasticis, etiam Nostris et Sedis Apostolicae Nuntiis, vel de latere Legatis, aut Camerae Nostrae generali Auditore, et caeteris quibuslibet Curiae nostrae Iudicibus ad se avocari, vel aliis committi possint, nisi per viam legitimae appellationis, et in casibus, ut supra, non prohibitis, ad ipsorum Tribunalia deferantur.

§ 43. Appellationes autem non recipiantur, neque inhibitiones vigore illarum concedantur, nisi prius constiterit, quod nedum per legitimam Personam, et intra legitima tempora vere appellatum fuerit, sed etiam, quod appellatum fuerit a Sententia definitiva, vel habente vim definitivae, aut a gravamine, quod per definitivam Sententiam reparari non possit: idque per publica Documenta, quae realiter in Actis exhibeantur. Tunc enim, et non

[1] Conc. Roman., a. 1725, p. 113-119.

antea, Iudici, ad quem appellatum fuerit, in Causa se intromittere, citationes, et inhibitiones concedere liceat; dummodo tamen concedantur cum inscriptione tenoris Sententiae, aut Decreti definitivi, seu vim definitivae habentis, vel damnum per definitivam irreparabile inferentis. Alias citationes, inhibitiones, Processus, et inde sequuta quaecumque, sint ipso Iure nulla, atque impune sperni possint.

§ 44. Quod si appellans asserat, Sententiae, aut Decreti Exemplum authenticum, culpa Iudicis *a quo*, vel Notarii, sive Actuarii, habere non posse, tunc saltem copiam simplicem Sententiae, seu Decreti, in Actis producere teneatur, eiusque tenori, in literis Inhibitorialibus inserto adiicienda erit, prout adiici volumus, et mandamus, in earum corpore expressa conditio: *Quatenus tamen tenor insertus vere, et in substantialibus cum Originali concordet, eodemque Originali praesentes literae sint in tempore posteriores, alioquin nullae, et irritae censeantur.* Et si secus factum fuerit, inhibitiones aliter concessae nullatenus afficiant, et Notarii, sive Actuarii, qui illas expediverint, incidant in poenas superius expressas.

§ 45. Cum vero a gravamine, quod per definitivam reparari nequit, appellatum fuerit, si quidem res sit de carceratione iam sequuta cum Mandato verbali, non aliter expediri poterunt Inhibitiones vigore Appellationis, quam constito prius de ipsa carceratione per depositionem saltem duorum Testium. Interim tamen Appellans in eodem, quo reperitur, carcere permanebit, donec aliter ser. ser. iudicatum fuerit. Ubi vero agatur de censuris iam prolatis, vel de comminatione Carcerationis, Torturae, aut Censurarum, observetur omnino dispositio dictorum Decretorum Congregationis Episcoporum sub rec. mem. Clemente VIII, iuxta additiones, et declarationes piae mem. Benedicti XIII.

§ 46. Ulterius in praedictis Causis in prima Instantia pendentibus, vel aliis superius expressis, in quibus non admittitur appellatio in suspensivo, Citationes, quae expediri solent coram Cardinali Signaturae Iustitiae Praefecto, vel ad effectum comparendi, vel pro adeundo eamdem Signaturam, tametsi ab eius Auditore subscriptas, vim inhibendi nullatenus sortiri posse volumus, easque ad praedictos alios dumtaxat effectus, comparendi scilicet vel adeundi Signaturam, expeditas censeri, non autem ad retardandam executionem, vel suspendendum processum ad ulteriora.

§ 47. Denique quoad Causas privilegiatas, quae, ut praefertur, in prima etiam Instantia apud Nos, et Sedem Apostolicam tractari possunt, nihil ex antiquo mutandum esse volumus, sed Monitoria in illis coram Camerae nostrae generali Auditore, vel eius Locumtenentibus, prout hactenus laudabiliter observatum est, expedienda esse, iuxta praescriptum Apostolicarum Constitutionum, et praesertim fel. record. Pauli V Praedecessoris Nostri in Constitutione, quae incipit: *Universi,*[1] necnon praedictarum additionum, et declarationum Benedicti XIII, exceptis tamen Monitoriis intimandis ultra Montes, in quibus ad evitanda scandala, et litigantium incommoda, volumus omnino renovari, et observari stylum, qui olim in eo Tribunali vigebat,

[1] Die 1 mart. 1612. - Cf. Bull. Rom., tom. 5, IV, p. 23-55.

idest, quod ad eiusmodi Monitoriorum expeditionem non aliter procedatur, quam oblato prius ipsi Auditori, vel alteri ex eius Locumtenentibus, coram quo Monitorium expediendum erit, supplici Libello universam Facti speciem clare, et dilucide continente, et praevio etiam eiusdem Iudicis rescripto, quod Monitorium expediri possit, penes Causae Notarium, vel Actuarium, diligenter custodiendo. Et si aliter, quam praefertur, et absque dicto supplici libello, ac speciali Iudicis rescripto, dicta Monitoria ultra Montes intimanda expedita fuerint, Notarius, sive Actuarius, et Substitutus, qui illa expediverit, ipso facto incidat in poenas superius expressas.

§ 48. Omnia, et singula hactenus a Nobis disposita ad rectam Iudiciorum methodum restituendam, eo impensius ab omnibus exacte custodiri, et observari mandamus, quo clarius constat, hac nostra Constitutione non novas fieri, sed antiquas instaurari leges, provide, sapienterque institutas, et temporum iniuria, ac hominum fraude obsoletas, et novo Pontificiae auctoritatis praesidio communiri ordinem procedendi in Causis, iamdiu praescriptum Superioribus, et Inferioribus Tribunalibus a Sacra Tridentina Synodo, Congregationum Decretis, et Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Constitutionibus, aliisque Ordinationibus Apostolicis. Ideoque si ipsi Iudices omni semoto, ut par est, humanae cupiditatis affectu, prae oculis solum habuerint, quae tam maturo, tamque saluberrimo sunt constituta et ordinata consilio, facile eorum quilibet agnoscet, quae sui, et quae alieni Ministerii partes esse debeant in admittendis, ac respective reiiciendis Causarum Appellationibus, et Inhibitionibus. Atque ita fiet, ut non solum unicuique in suo ordine debita Iurisdictionis, et auctoritatis praerogativa servetur, sed etiam ut, extinctis prorsus, ac radicitus avulsis omnium contentionum, et discordiarum seminibus, mutuo charitatis vinculo Tribunalia socientur, et inter illa recte agendi disciplina Christiano Populo utilis, et necessaria restituatur.

§ 49. Demum, ut exemplo Nostro, omnes praemissorum executioni caute, et pro viribus incumbant, et ut praesertim Notariis, Tabellionibus, et eorum Actuariis, et Substitutis omnis contraveniendi ansa praecidatur, volumus, et expresse mandamus, Processus, et Acta Causarum in Nostra Romana Curia coram quovis Iudice pendentium, ac Inhibitiones, Appellationes, Monitoria, aliasque Citatoriales, et Inhibitoriales literas, quas ab iisdem Notariis, eorumque Substitutis, scientibus, vel insciis Iudicibus, vel alias quomodolibet in posterum expediri contigerit, sedulo recognosci, et examinari per fide dignas Personas a Nobis opportune deputandas; quae si deprehenderint, easdem Inhibitiones contra huius Constitutionis formam, et ad subterfugienda Ordinariorum, et Episcoporum iudicia, quaesito gravaminis colore, fuisse perperam concessas, et expeditas, in eosdem Notarios, et Substitutos Canonicis poenis, aliisque a Nobis supra expressis, severe pro modo culpae animadvertant.

§ 50. Decernentes, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. I, p. 134-144].

327.

Benedictus XIV, ep. *Cognovimus*, 12 maii 1742.[1]

Cognovimus in Fraternitatis Tuae literis inveteratum Hispaniae pietatis morem, cui semper solemne, et proprium fuit, explicandum proponere Apostolicae Sedi, quicquid obscuritatis eius decreta habere videantur. Laudavimus autem Pastoralem sollicitudinem, qua sedare voluisti obortam inter aliquos tuae Dioecesis disputationem de sensu literarum Nostrarum, quibus quo pacto Ecclesiastici ieiunii lex observanda, aut solvenda sit constituimus.[2] Respondemus igitur postulato tuo, Nos in iisdem literis definiendum non suscepisse, an qui Ecclesiastica auctoritate ab ieiunio excusantur, non solum vetitis cibis uti, sed iussae pariter vespertinae abstinentiae fines egredi queant. Praecipimus autem Episcopis, eorumque Delegatis, ut nemini vescendi carnibus aliisque Cibis vetitis veniam tribuant, nisi sub gravi, imperata simul unicae comestionis norma. Ita universale istud praeceptum pro tua spectatissima vigilantia Gregi tuo indicendum iubeto. Interea Fraternitati Tuae, haud ignari, qua ipse excellas religione, virtute, atque in Nos Romanamque Sedem eximia observantia, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 164, 165].

328.

Benedictus XIV, const. *Etsi pastoralis*, 26 maii 1742.

Etsi pastoralis Romani Pontificis vigilantia ad omnes Christifideles longissimis etiam Locorum intervallis distantes, ac vitae, rituum, et linguarum genere inter se maxime differentes paterna charitate sese extendat, omnemque curam, ac studium adhibeat, ut ubique Terrarum Catholicae Fidei integritas Ecclesiasticae Disciplinae nitor, probitasque morum, sarta tecta serventur; maioribus tamen Pontificiae sollicitudinis studiis in eos intendit, qui in Ditione Ecclesiastica, et in reliquis Italiae partibus, eiusque Insulis adiacentibus sive orti, sive aliunde advecti Incolae commorantur. Cum itaque factum sit, ut grassantibus iamdudum per totum Orientem, tum barbarorum infidelium immanitate, tum etiam Schismaticorum perfidia, plurimi ex Graecia, Epiro, Albania, aliisque Asiae regionibus, ad Italiam, eique adiacentes Insulas tamquam ad fidei, et tranquillitatis portum confugientes, ibidem sedes, ac domicilium collocaverint, et tam ipsi, quam eorum Filii, Graecorum mores, instituta, ritus, et consuetudines a Graecis Progenitoribus sibi traditas studiose

[1] Venerabili Fratri, Andreae Archiepiscopo Valentiae.
[2] Cf. N. 308, 311.

enixeque servare pergant; ita tamen, ut debitam Romanae Ecclesiae obedientiam, ac devotionem omnino profiteantur; hinc est, quod Nos, qui ineffabili Dei clementia, meritis licet imparibus, eius vicem gerimus in terris, apud quem non est Graecus, et Iudaeus, Barbarus, et Scytha (omnes enim unum sunt in Christo Iesu), et Graecos, et Albanenses Graeci Ritus, tam in Ditione nostra Ecclesiastica, et utraque Sicilia, quam in reliquis Italiae partibus, et Insulis adiacentibus, in Dioecesi Latinorum Episcoporum commorantes, specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, omnia et singula, quae laudabiliter provida Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum ordinatione Graecis, et Albanensibus praedictis, tum quoad rituum Graecorum, sive consuetudinum observantiam, tum quoad privilegia, immunitates, exemptiones, favores, indulta, et gratias, concessa, statuta, ordinata, indulta, et facta dignoscuutur, ut pleniorem roboris firmitatem obtineant, eoque firmius, et stabilius illibata, inconcussaque perdurent, quo saepius sunt in genere, et specie Sedis Apostolicae praesidio communita, per praesentes nostras Literas innovamus, confirmamus, et approbamus, illisque nostrae approbationis, confirmationis, et innovationis robur adiicimus; ut iisdem privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indultis, gratiis, favoribus, perinde ac Clerici Latini tam Saeculares, quam Regulares, eorumque Ecclesiae, Monasteria, et Bona in iisdem Locis, ubi Italo-Graeci commorantur, utuntur, potiuntur, et gaudent, uti, potiri, et gaudere libere possint, ac valeant; ut privilegiis, et gratiis huiusmodi sibi concessis in Domino plene gaudentes, in tranquillitate pacis conquiescant, et per semitam mandatorum Dei gradientes, ferventiori erga Apostolicam Sedem devotione perseverent.

Quoniam vero pro diversis rerum, ac temporum circumstantiis plures, ac diversae editae fuerunt ab iisdem Praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, et a nonnullis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationibus circa eosdem Graecos, et Albanenses, eorumque ritus, consuetudines, instituta, debitamque latinis Praesulibus, in quorum Dioecesi degunt, subiectionem Apostolicae Constitutiones, ordinationes, responsa, edicta, et decreta; eamque ob causam tam de ritibus ipsorum Graecorum, et Albanensium, quam de eorumdem Sacerdotum potestate, et Latinorum etiam Praesulum, atque Parochorum iurisdictione, et auctoritate saepe obortae sunt, et oboriri solent quaestiones et controversiae: Nos pro nostra Pastoralis officii sollicitudine, quantum In Nobis est, hisce malis opportunum remedium adhibere, causasque omnes litium, iurgiorum, dissidiorum, contentionum, quaestionum, et controversiarum amputare, certamque super rebus huiusmodi tum praefatis Graecis, et Albanensibus Graeci ritus, tum Latinis Episcopis, et Parochis regulam, normam, et instructionem, cui potissimum sese in posterum conformare, et in singulis occurrentibus dubiis, et casibus inhaerere debeant, tradere cupientes, omnia et quaecumque per eosdem Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac praesertim Innocentium IV,[1] Leonem X, Clementem VII, Paulum III, Iulium etiam III, Pium IV[2]

[1] Cf. N. 31.

[2] Const. *Romanus Pontifex*, 16 febr. 1564. - Bull. Rom., tom. 4, II, p. 169, 170.

et V,[1] Gregorium XIII,[2] Clementem VIII,[3] et forsan alios Romanos Pontifices circa memoratos Graecos, et Albanenses, eorumque ritus, et consuetudines ordinata, et constituta fuisse comperimus, ut quo saepius fideles ipsi illa perspicient innovari, eo ferventius, ac promptius ad illorum observantiae excitentur; in aliis omnibus, praeterquam in iis, quae praesentibus nostris adversantur, confirmanda et innovanda, nostroque auctoritatis munimine roboranda esse censemus, et confirmamus, atque innovamus; aliaque insuper Motu proprio, et ex certa scientia, maturaque deliberatione nostra, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura sanctione, et Constitutione, disponimus, constituimus, ordinamus, decernimus, et declaramus, prout in Domino conspicimus expedire.

§ I.
De Fide Catholica.

Ac primo quidem cum Catholica Fides sit eiusmodi, ut nisi eam quisque integram inviolatamque servaverit, salvus esse non possit, quaecumque credit, ac docet Sacrosancta Romana Ecclesia, ea omnia, et singula iidem Graeci, et Albanenses Graeci Ritus integre, firmiter, indubitanterque credere, atque affirmare tenentur; prout in sacra Oecumenica Synodo Florentina super unione Occidentalis, et Orientalis Ecclesiae, definitum et declaratum fuit:[4] et in professione Orthodoxae Fidei a Graecis iussu Gregorii Papae XIII Praedecessoris nostri emittenda[5] continetur, videlicet.

I. Quod Spiritus Sanctus a Patre, et Filio aeternaliter est, et essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul, et Filio, et ex utroque aeternaliter tanquam ab uno principio, et unica spiratione, procedit. Et quod ea Verborum illorum: *Filioque*, explicatio, veritatis declarandae gratia, et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuit apposita.

Etsi autem Graeci teneantur credere, etiam a Filio Spiritum Sanctum procedere, non tamen tenentur in Symbolo pronunciare; contraria tamen consuetudo ab Albanensibus Graeci ritus laudabiliter recepta est, quam ab iisdem Albanensibus, aliisque quibuscumque, in Ecclesiis, ubi ea viget, servari volumus; quin etiam a Graecis Presbyteris aliarum quarumcumque Regionum commorantibus in Italia, eiusque Insulis adiacentibus, si ab Ordinariis Locorum, vel ob suspicionem haeresis, vel ob scandalum, vel ob aliam iustam causam requisiti fuerint, particulam illam: *Filioque*, in Symbolo pronunciari praecipimus, ac mandamus.

II. Item profiteri tenentur, tam in azymo, quam in fermentato pane triticeo, Corpus Christi veraciter confici: et Sacerdotes in alterutro ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.

[1] Cf. N. 113.
[2] Cf. N. 146.
[3] Cf. N. 179.
[4] Cf. N. 51, 52, 54.
[5] Cf. N. 146.

III. Item, si vere poenitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis, et omissis satisfecerint, eorum animas poenis Purgatorii post mortem purgari: et ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis Fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet Sacrificia, orationes, et eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a Fidelibus pro aliis Fidelibus fieri consueverunt, secundum Ecclesiae instituta.

IV. Illorumque animas, qui post baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, tum illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis Corporibus, vel eisdem exutae corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatae, in Coelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum Trinum, et Unum, sicuti est, pro diversa tamen meritorum ratione, aliam alia perfectius.

V. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

VI. Item Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum Orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem, et Doctorem existere, et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in actis Oecumenicorum Conciliorum, et in Sacris Canonibus continetur.

VII. Caetera item omnia, quae a Sacris Canonibus, et Oecumenicis Conciliis, ac praecipue a Sacrosancta Tridentina Synodo, et a Gregorio XIII Praedecessore nostro in professione praedicta Orthodoxae Fidei a Graecis emittenda, tradita, definita, et declarata fuerunt, indubitanter recipere, ac profiteri debent, simulque contraria omnia, et schismata, atque haereses quascumque, a Sancta Catholica, et Apostolica Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum Matre, et Magistra damnatas, reiectas, anathematizatas, pariter damnare, reiicere, anathematizare, et abiurare omnino tenentur.

§ II.

De Sacramento Baptismi, pueris baptizatis, ritusque in Baptismate suscepti mutatione.

I. Presbyteri Graeci baptizatos Chrismate in fronte non consignent; et ideo ab ipsis in ordine baptismi apud eorum Euchologium praetermittantur, quae sequuntur post illa verba, *καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν etc.* usque ibi: *εἶτα ποιεῖ ὁ ἱερεὺς σχῆμα κύκλου,* hoc est: *et post orationem etc.*; ubi habetur forma huius consignationis, usque ad illa: *Postea facit Sacerdos figuram circuli etc.*

II. Cum Presbyteris Graecis in Euchologio haec Baptismi forma praescribatur: *Baptizatur Servus Dei N. in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti,* quae latinae formae: *Ego te baptizo in nomine etc.* aequivalet: trinaque aquae immersione, seu aspersione in eo conferendo utantur, non sunt his super rebus a Latinis Locorum Ordinariis inquietandi.

III. Etsi Graecis in Regno Cypri commorantibus Innocentius IV Praedecessor noster olim iniunxerit,[1] ut in unctionibus, quae circa Baptisma fiunt, morem Ecclesiae Romanae teneant, et observent; si tamen Presbyteri Albanenses ritum ungendi pectus, et dorsi medium, aures, pedes, atque manus, in Euchologio descriptum servare voluerint, ubi non est contraria consuetudo, non sunt impediendi.

IV. Ritus autem, seu consuetudo, quam habere dicuntur Graeci Orientales, ungendi per totum baptizandorum corpora, si alicubi tolli, vel removeri sine scandalo non potest, cum sive fiat, sive non, quantum ad Baptismi efficaciam, vel effectum, non multum referat, in iisdem toleretur.

V. Nec refert etiam utrum frigida, vel calida aqua baptizent, cum in utraque Baptismum habere parem vim, atque effectum, affirmare, et tenere dicantur.

VI. Si in eadem Ecclesia Infantes utriusque Ritus baptizentur, Graecus Parochus Subditis suis aqua per ipsum Graeco more benedicta rite Baptismum confert; ac propterea molestandus non est, si non utatur aqua baptismali, quae a Parochis Latinis iuxta morem Romanae Ecclesiae adhibetur. Curent tamen Ordinarii, ut adsit aqua baptismalis latine consecrata, quam omnino (praeter casum urgentis necessitatis) Sacerdos Latinus adhibeat, quoties ei occurrerit latinos pueros ad Baptismum excipere.

VII. Cum administratio Sacramenti Eucharistiae, quod sub una, vel sub utraque specie Infantibus in Baptismo, et Pueris in Missa solent Graeci exhibere, nihil contra Orthodoxam fidem, bonosque mores contineat (dummodo iidem Graeci credant, firmiterque teneant, communionem huiusmodi non esse necessariam ad salutem, et Baptismum sine communione valide, ac licite posse ministrari); quia tamen ad decentiam, et reverentiam Sacramenti magis expedit, si illud eisdem denegetur: propterea ne Graeci, vel Albanenses Graeci Ritus Eucharistiae Sacramentum sub una, vel sub utraque specie Infantibus rationis usu carentibus in Baptismo, nec Pueris in Missa ministrent, interdicimus, ac prohibemus.

VIII. Infantes nati ex Patre, et Matre Graecis, ritu Graeco, nisi aliter Parentes, accedente Ordinarii consensu, voluerint, baptizari debent.

IX. Nati vero ex Patre Latino, et Matre Graeca, latinis sunt caeremoniis baptizandi; proles enim sequi omnino debet Patris Ritum, si sit Latinus.

X. Si vero Pater sit Graecus, et Mater latina, liberum erit eidem Patri, ut Proles, vel ritu Graeco baptizetur, vel etiam ritu Latino, si Uxor Latina praevaluerit, idest si in gratiam Uxoris Latinae, consenserit Graecus Pater, ut latino ritu baptizetur.

XI. Infantes ad eius Parochi iurisdictionem pertinent, cuius ritu sunt baptizati, cum per Baptismum fiat suscepti ritus Graeci, vel Latini professio; ita ut ad Latinum ritum spectent qui latinis caeremoniis baptizati fuerint; qui vero ritu Graeco Sacramentum Baptismi susceperint, in Graecorum numero sunt habendi; adeoque si ante usum rationis decesserint, a proprio, cuius ritu baptizati sunt, Parocho, et in propria Parochia sunt iure communi sepe-

[1] Cf. N. 31.

liendi, nisi iis Baptismus collatus fuerit, vel ob gravem necessitatem, cum nimirum morti proximi fuerint, nec haberi potuerit proprii Parochi, vel ritus copia, vel ex dispensatione Apostolica, cum videlicet facultas data fuerit, ut latine quidem baptizentur, sed in suo ritu Graeco permaneant. In his enim casibus non censentur a proprio ad alium ritum transiisse. Post usum autem rationis idem dicendum; nisi quis in alieni ritus Ecclesia sepeliri cupiat; si quis enim Graeco ritu baptizatus, in Latina Ecclesia, vel latine Baptismate initiatus, in Ecclesia Greca sepulturam eligat, iuris regulae sunt servandae: nimirum cadaver extra propriam Parochiam a proprio Parocho esse associandum, quarta funerali ei minime imminuta, et ubi tumulandum est cadaver, ibi a Parocho illius Ecclesiae, sive Latinae, sive Graecae sunt exequiae celebrandae.

XII. Quando vero Infantibus praedictis, seu etiam adultis, exequiae ritu Graeco, et in Ecclesia Graeca, ut praefertur, iure communi sunt celebrandae, tunc nullum ius habet Latinus Parochus interessendi cum Graeco Parocho, nec partem aliquam Stolae percipiendi; similiter nullum ius competit Parocho Graeco, quando exequiae in Ecclesia Latina, et per Latinum Parochum sunt peragendae; sed servanda sunt utrobique statuta de iuribus Parochorum circa sepulturam eorum, qui ad propriam Parochiam spectant.

XIII. Quem ritum semel in baptismo sunt professi, sive Latinum, sive Graecum, in eo institui, et educari debent, nec ad alium possunt transire, si Latinum semel susceperint; ritus enim Latinus propter suam praestantiam, eo quod sit ritus Sanctae Romanae Ecclesiae omnium Ecclesiarum Matris, et Magistrae, sic supra Grecum ritum praevalet, maxime in Italicis regionibus, ubi latinis Episcopis Graeci subiecti sunt, ut non modo ab ipso ad Graecum transitus nullatenus permittatur, verum etiam a Graecis semel assumptus, absque Apostolica dispensatione deseri nequeat.

XIV. Quod si Infans Graecum ritum in Baptismate susceperit, tunc requirendus est primum Patris Graeci consensus, deinde Episcopi Latini licentia, ut possit Mater Latina Filium suum Graece baptizatum ad latinas caeremonias traducere. Adultis autem, si quidem sunt Ecclesiastici, in quocumque Ordine minori, vel etiam maiori constituti, Saeculares, vel Regulares, a Ritu Graeco ad Latinum sine expressa Sedis Apostolicae licentia transire non liceat; si Laici, ut ad ritum latinum transire possint, Episcopus Dioecesanus pro sua prudentia permittere valeat; non tamen Communitati Graecorum, sive Albanensium huiusmodi, sine Sedis Apostolicae licentia, sed solum privatis personis, attenta uniuscuiusque necessitate.

§ III.

De Sacramento Confirmationis.

I. Episcopi Latini Infantes, seu alios in suis Dioecesibus baptizatos a Presbyteris Graecis absolute Chrismate in fronte consignatos confirment; cum neque per Praedecessores nostros, neque per Nos Graecis Presbyteris in Italia, et Insulis adiacentibus, ut infantibus baptizatis Sacramentum confirmationis conferant, facultas concessa sit, aut concedatur; quin imo usque ab

anno 1595 a fel. rec. Clemente VIII Praedecessore nostro fuit Presbyteris Italo-Graecis expresse interdictum, ne baptizatos Chrismate consignent.[1]

II. Secus sub conditione, et cum cautela eos confirmare debent, de quibus verosimiliter dubitari potest, utrum ab Episcopis Graecis ordinem Baptismi iuxta eorum Euchologium servantibus, fuerint baptizati.

III. Idem dicendum, si Episcopus Latinus ex dispensatione Apostolica Graecum aliquem ordinaverit, qui a Presbytero Graeco in Italia, vel adiacentibus Insulis fuerit baptizatus, nec constet, illum ab aliquo Episcopo, sive Latino, sive Graeco, chrismate in fronte fuisse consignatum; debet nimirum illum antea absolute confirmare; sub conditione autem, si verosimiliter dubium esse possit, an ab Episcopo Graeco fuerit baptizatus.

IV. Quamvis confirmati a simplici Sacerdote, cogendi non sunt eiusmodi Confirmationis Sacramentum ab Episcopo suscipere, si ex tali coactione scandala oriri possent: cum Sacramentum Confirmationis eiusmodi necessitatem non habeat, ut sine eo salvus quis esse non possit; monendi tamen sunt ab Ordinariis Locorum, eos gravis peccati reatu teneri, si cum possunt ad confirmationem accedere, illam renuunt, ac negligunt.

V. Ubi Graecus Catholicus Episcopus haberi potest, prout habetur constitutus in Collegio Corsino Italo-Graecorum in Calabria, curent omnino latini Ordinarii, ut ab illo potius Graecis caeremoniis iuxta Graecum Euchologium, quam a se Latino ritu, Sacramentum Confirmationis Subditis suis Graeco ritu viventibus Chrismate a Latinis Episcopis accepto ministretur, ne scilicet Ecclesiarum ritus, quoad fieri potest, misceantur.

§ IV.

De Oleo Sancto Chrismatis, Catechumenorum, et infirmorum.

I. Non sunt cogendi Presbyteri Graeci Olea Sancta, praeter Chrisma, ab Episcopis Latinis Dioecesanis accipere, cum huiusmodi Olea ab eis in ipsa Oleorum, et Sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu, conficiantur, seu benedicantur; nisi tamen contraria consuetudo introducta sit, quam servari volumus, ac mandamus. Chrisma autem, quod nonnisi ab Episcopo, etiam iuxta eorum ritum, benedici potest, cogantur accipere.

II. Non audeant tamen ab Episcopis Graecis externis Schismaticis, seu Sanctae Romanae Ecclesiae communionem non habentibus, illud accipere, vel eo uti.

III. Item abstineant Chrisma accipere a quocumque alio Episcopo Latino, seu Graeco Catholico, praeter suum Ordinarium Latinum, cuius iurisdictioni subiiciuntur.

§ V.

De Sacramentis Poenitentiae, et extremae Unctionis.

I. Nulli per Sacerdotes, vel Confessarios, pro satisfactione poenitentiae, unctio aliqua solummodo iniungatur.

II. Infirmis vero, iuxta verbum Iacobi Apostoli, unctio exhibeatur extrema

[1] Cf. N. 179.

III. Nec refert, utrum eadem Extrema Unctio per unum, vel plures Presbyteros fiat, ubi huiusmodi viget consuetudo; dummodo credant, et asserant, illud Sacramentum, servata debita materia, et forma, ab uno Presbytero valide, et licite confici.

IV. Idem Sacerdos materiam adhibere, formamque pronunciare respective debet; ac propterea, qui ungit, idem dicat formam respondentem, nec alius unget, et alius formam pronunciet.

V. In casu necessitatis Presbyteri Graeci Catholici possunt latinos absolvere; utantur tamen forma absolutionis in Concilio Generali Florentino praescripta,[1] postea vero, si voluerint dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma huiusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt.

VI. Extra vero casum necessitatis, si quos ex Presbyteris Albanensibus peritos, et ad confessiones omnium audiendas idoneos Ordinarius Latinus iudicaverit, ut non solum Graecos, sed etiam Latinos ad se accedentes possint absolvere, id eorumdem Ordinariorum prudentiae, et arbitrio relinquitur.

VII. Sacerdotes quoque Coniugati, aliique, quibus Parochiarum cura, vel Ecclesiarum Parochialium regimen per Episcopos suos committitur, licite, et libere possint Parochianorum suorum confessiones audire, ipsisque poenitentiam iniungere pro peccatis; quia cui licet, vel conceditur, quod est maius, competit quoque, nec negari convenit, quod est minus.

VIII. Ecclesiarum Parochialium regimini praeficiant Ordinarii Latini, si habere possunt, eos, qui in Seminariis Italo-Graecorum erectis, altero quidem Panormi, altero autem in Calabria in Oppido Sancti Benedicti Ullano, vel in Collegio Graecorum in Urbe, trium ad minus annorum spatio versati sunt, studiisque literarum incubuere; dummodo caetera ad curam animarum exercendam requisita non desint, atque Episcopis eiusdem Seminarii Praesidis, seu respective Rectoris literas exhibeant, quae de recta eorum vitae ratione, deque in Grecis, Latinisque scientiis progressu testimonium ferant.

IX. Liberum tamen sit ipsis Episcopis, Viros alios idoneos Coadiutores, et Cooperatores Parochis Graecis, si opus fuerit, adiungere in audiendis confessionibus, et poenitentiis iniungendis, ac caeteris, quae ad salutem pertinent animarum; ipsisque in his per eorum Dioeceses absque Sacerdotum ipsorum praeiudicio, et gravamine, committere vices suas, cum propter occupationes multiplices, et occasiones varias, possit contingere, ut nequeant per easdem Dioeceses officium suum exequi per seipsos.

X. Nunquam Monachis Graecis, seu Calogeris Animarum cura committatur, nisi ex necessitate, vel alia iusta causa.

XI. Presbyteri Saeculares Graeci ex Albania, vel aliis Orientis partibus advenientes, abiuratis Schismate, et erroribus, atque in fide Catholica bene instructi, in Parochialibus, seu Curatis Ecclesiis Graecorum institui possunt.

XII. Tollendus abusus, ubi est, ut vir, atque uxor simul, et eodem tempore eidem Presbytero confiteantur.

XIII. Aqua ex ritu Graeco in die Epiphaniae, vel primo die mensis benedicta, conservetur in Ecclesia, ut illa Fideles adspergantur.

[1] Cf. N. 52.

§ VI.

De Sacramento Eucharistiae, et Missae Sacrificio.

I. Sacerdotes ad poenitentiae Sacramentum frequenter accedant, ut cum Divinum Mysterium peracturi sunt, nulli coram Deo crimini sint obnoxii; sed cor habeant omni pravitate vacuum, mundum, quoad fieri potest, ac purum. Indignum enim, ac auribus plane horrendum est, ut qui animum habet aliquo scelere foedatum, Sanctum Sanctorum impuris manibus contrectet, et placare Deum attentet, qui in peccatis existens, ipsius Dei furorem, et iracundiam provocat.

II. Item permittitur eisdem, facta iam consecratione, antequam Sacerdos communicet, iuxta ritum in Liturgia praescriptum, aquam ferventem, seu tepidam in Sacrum Calicem infundere.

III. Tollatur abusus fundendi, vel etiam miscendi Sacro Oleo, ac iterum coquendi, vel alias exsiccandi species Sacramenti Sacrae Eucharistiae Feria quinta Coenae Domini, ut deinde illud asservent.

IV. Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, quod pro Infirmis asservatur, singulis octo diebus, aut saltem quindecim renovetur.

V. Non asservetur idem Sacramentum toto anno: si tamen asservatum fuerit, in fine anni sumatur.

VI. In celebratione Solemnium, et aliarum Missarum, et de hora celebrandi eas, dummodo in confectione, vel consecratione formam verborum a Domino expressam, et traditam observent, et celebrando non transgrediantur horam nonam, suam sequi consuetudinem permittantur: ita tamen, ut ieiunii lex de unica comestione in die religiose servetur; et si alicubi viget consuetudo producendi ieiunium cum Missa usque ad vesperam, minime aboleatur, sed in suo robore, ac firmitate permaneat.

VII. Si inter Graecos, qui in Italia, et Insulis adiacentibus degunt, viget abusus, quem in Orientalibus regionibus vigere perhibent, ut Monachi Eucharistiae particulam suspensam ad collum, vel aliter secum deferant, necnon in privatis Domibus, ubi eos commorari contingat, retineant, ut eo auxilio freti, liberi a quibuscumque periculis evadant; vel cum in longiora itinera se committunt, ea refici valeant; eum omnino aboleri volumus, et expresse mandamus: praefatisque Monachis, ne id in posterum facere audeant, severissime prohibemus. Obsequium enim, ac reverentia, qua singuli Fideles Augustissimum hoc Sacramentum prosequi debent, non patitur, ut privatim ac latenter, cuiuscumque arbitrio et voluntate, domi illud retineatur, aut in itineribus, ac peregrinationibus asportetur.

VIII. Cum in Parochialibus Ecclesiis ipsorum Graecorum, ex antiquissimo, et hactenus servato ritu, nonnisi semel in die per unum Sacerdotem celebrare liceat, permittitur quidem Presbyteris Graecis suum, si velint, morem hac in parte servare: interdicitur autem Latinis Sacerdotibus, ne Missas, et alia Divina Officia in dictis Graecorum Ecclesiis, et super eorum Altaribus Maioribus, extra casum alicuius necessitatis, et aliorum Altarium, Ecclesiarumque defectus, et nisi ex Parochi Graeci consensu, quem nullatenus huiusmodi in casibus negare possit, celebrent.

IX. Quia tamen ipsi Graeci, et Albanenses Presbyteri Nobis humillime supplicarunt, ut sibi liceat pro Sacerdotum numero plures in die in suis Ecclesiis Missas celebrare: Nos ipsorum precibus annuere volentes, per praesentes nostras concedimus, ac indulgemus, ut in suis Parochialibus, vel aliis Ecclesiis, praeter Altare Maius, alia etiam minora Altaria seu Cappellas, Sacris Indumentis Graecorum, seu Latinorum more, ornata seu ornatas, erigant, in quibus Latini, vel Graeci Presbyteri respective suo quisque ritu celebrare valeant.

X. Cum in Sacro Generali Florentino Concilio[1] praescriptum sit, ut unusquisque Sacerdos Eucharistiam iuxta Ecclesiae suae ritum, sive Latinae, sive Graecae, in azymo, seu fermentato conficere debeat, vetitumque a Summis Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, ne Latinus Sacerdos Graeco ritu, aut Graecus Latino utatur; districtius inhibemus, etiam sub poenis perpetuae suspensionis a Divinis, ne Presbyteri Graeci Latino more, et Latini Graeco ritu, sub quovis licentiarum, et facultatum Missas, et alia Divina officia, Graeci Latino more, et Latini Graeco ritu celebrandi, ab Apostolica Sede, vel eius Legatis, ac etiam Maiori Poenitentiario pro tempore existente obtentarum praetextu, Missas, et alia Divina Officia celebrare, vel celebrari facere praesumant.

XI. Eadem quoque ratione, tam ubi sunt duae Parochiae, Latina altera, et altera Graeca, quam in una eademque Parochiali Latinorum, vel etiam Graecorum Ecclesia, in qua, ut praemittitur, praeter Altare maius, quod pro solis Graecis Sacerdotibus erectum est, minora quoque Altaria pro Latinorum Sacerdotum usu extructa conspiciuntur, statuimus, et decernimus, ut neque Latinus Parochus Pyxidem in Ciborio cum Particulis sub specie fermentati pro communione Graecorum, neque Parochus Graecus sub specie azymi pro communione Latinorum, in quocumque Ecclesiae suae Altari retineat; sed unusquisque Sacerdos nonnisi in suo sive Graeco, sive Latino ritu Eucharistiam Fidelibus porrigere debeat.

XII. Ne laici autem Latini communionem a Graecis Presbyteris sub specie fermentati recipiant, prohibemus omnino, et interdicimus.

XIII. Graecis tamen Laicis permittimus, ut ubi Parochiam Graecam non habent, possint, si velint, in Ecclesia Latina Eucharistiam sub specie azymi a Latinis Sacerdotibus sumere.

XIV. Quod si in Locis, in quibus Graeci, et Latini simul moram trahunt, et sunt utriusque ritus Ecclesiae, Latini quidem in Fermentato, et Graeci in azymo Sacram Eucharistiam quandoque sumere soleant; si quidem haec consuetudo sine Populi offensione, animorumque commotione removeri non potest, Ordinarii curam suam suavissimis modis impendant, ut Latini semper in azymo, Graeci autem, ubi propriam Parochiam habent, in fermentato communicent.

XV. Ut autem iidem Laici Graeci Eucharistica sub utraque specie communione refici valeant, permittimus, in illis dumtaxat Locis, in quibus eiusmodi ritus introductus est, et ad praesentem usque diem servatur, ac viget:

[1] Cf. N. 51.

ita tamen, ut sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi firmiter credant, ac propterea, quoad fructum attinet, nulla gratia ad salutem necessaria eos fraudari, qui unam speciem solam accipiunt: ubi vero praefatus ritus consuetudine hactenus receptus non est, Episcopis, quorum iurisdictioni Graeci subiiciuntur, curae sit, ne in posterum admittatur.

XVI. Volentes autem specialem ipsis Graecis, et Albanensibus Presbyteris gratiam facere, tenore praesentium, ut tempore ieiunii quadragesimalis, quo, exceptis Dominicis, Sabbatis, et nonnullis solemnioribus festivitatibus, ex antiquo more, nonnisi Missa Praesanctificatorum celebratur, Graeci, et Albanenses praedicti, servato tamen, nec praetermisso in Parochialibus Ecclesiis Praesanctificatorum ritu, in aliis Altaribus, seu Ecclesiis, sive Cappellis, pro sua, ac Fidelium Populorum devotione, Missas integras quibuslibet hebdomadae diebus, ac praesertim cum dies Festi de praecepto Latinae Ecclesiae occurrunt, quos observare tenentur, excepto postremo maioris hebdomadae triduo, celebrare possint, et valeant, concedimus, et indulgemus.

XVII. Si Graeci velint accipere Altaria portatilia ab Episcopis Latinis consecrata, bene erit; sin minus, tolerentur eorum antimensia, sive Throni, super Altaria lapidea ponendi, cum celebrant.

XVIII. Corporalia ut latini habeant, nisi thronis etiam pro corporalibus utantur.

XIX. Latinis Presbyteris Latino ritu in Graecorum Catholicorum Ecclesiis celebrantibus, si careant proprio Altari portatili lapideo, super Antimensiis, seu Thronis Graecorum Sacrum facere non licet.

XX. Unusquisque Sacerdos in aureo, vel argenteo solum, aut saltem stanneo Calice sacrificet, habens Thronos, seu Corporale de lino, candidum, et nitidum, et Altare mundis vestimentis opertum, vel decenti paratu ornatum.

XXI. Mulieres autem servire ad Altare non audeant, sed ab illius ministerio repellantur omnino.

§ VII.

De Sacramento Ordinis.

I. Romani Pontifices Praedecessores nostri necessitatibus Italo-Graecorum occurrere volentes, ut commode possent a proprii ritus Praesulibus ad Ordines promoveri, simulque caventes, ne si ab Ordinariis Latinis ad Graecos Antistites in Graeciam, vel Epirum, aut alias Orientis partes cum dimissoriis remitterentur, ad Schismaticos Episcopos pro ordinatione confugerent, constituerunt: Clemens quidem VIII anno 1595,[1] Romae habendum esse Episcopum Graecum Catholicum, qui Graecos Episcopis Latinis Italiae, et adiacentium Insularum subiectos Sacris Ordinibus initiaret; Clemens vero XII anno 1735, ut Italo-Graecorum in utraque Sicilia commorantium commodis consuleret, alterum eiusdem Graeci ritus Episcopum in Seminario Corsino a se in Calabria erecto,[2] propter Graecorum huiusmodi Ordinationes, manere iussit,

[1] Cf. N. 179.

[2] Const. *Inter multiplices*, 11 oct. 1732. - Bull. Rom., tom. 13, p. 314-316.

quorum laudatissimum Institutum Nos quoque per praesentes nostras perpetuo valituras Literas confirmamus, et innovamus.

II. Ne quis Clericus Saecularis ritus Graeci, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia, et aetate, ad Sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum Ecclesiasticum Beneficium, vel Patrimonium, quod sibi ad vitam honeste sufficiat, pacifice possidere: ac propterea deficiente titulo Beneficii, per legitima documenta Ordinarium suum certiorem reddere debet de sufficienti Patrimonio, ut valeat Sacris Ordinibus initiari: loco autem dicti Patrimonii, nec Clericus Uxoris suae dotem assignare praesumat, nec Ordinarius eam recipere audeat.

III. Quemadmodum etiam nemo ex Graecis, seu Albanensibus in Calabria, et Sicilia commorantibus ad sacra ministeria assumatur, qui trium saltem annorum spatio, Graecis, latinisque literis non dederit operam in altero ex Seminariis Italo-Graecorum, vel in Collegio Graecorum in Urbe.

IV. Promovendi ad Sacerdotium, et Presbyteri, qui praeficiendi fuerint Ecclesiarum Regimini, examinentur antea diligenter, si praecipue de Horis Canonicis, et Missarum Officiis secundum distinctionem temporum exequendis sint sufficienter instructi, ut ad haec nonnisi digni admittantur.

V. Sacerdotes, et quicumque sunt in Sacris Ordinibus constituti, Horas Canonicas more suo dicant: et priusquam Missam celebrent, Officium matutinale recitare curent.

VI. Episcopi Graeci in Ordinibus conferendis ritum proprium Graecum in Euchologio descriptum servent, in quo, etsi nonnulli de Minoribus Ordinibus praetermissi videantur, eos tamen vel nunquam habuisse, vel eorum exercitium aliis Ordinibus esse adnexum iidem Graeci affirmant.

VII. Inde tamen dubitationes quandoque oriri solent, quinam nimirum Ordines supplendi sint ab eo, qui primum ritu Graeco aliquibus Ordinibus fuit initiatus, deinde ritu Latino ad reliquos est promovendus. Quas controversias ut de medio penitus tollamus, certamque tradamus regulam in posterum servandam, ita decernimus: si quis ritu Graeco Clericus, et Lector tantum fuit initiatus, atque ex benignitate Sedis Apostolicae obtinuit, ut Maiores Ordines latinis caeremoniis sibi conferantur, is antequam Subdiaconus ordinetur, tres minores Ordines omissos debet ritu Latino suscipere. Si vero, praeter Lectoris Ordinem, ad Subdiaconatum etiam Graeco ritu ascendit, et ex dispensatione itidem Apostolica facultas sibi facta sit, caeteros Ordines ritu Latino suscipiendi, antequam inter Diaconos cooptetur, ex minoribus Ordinibus Exorcistatum tantummodo supplere cogitur; cum per Subdiaconatum Graeco ritu collatum, Acolythatum, et Ostiariatum recepisse censeatur. Idem dicendum de eo, qui una cum reliquis inferioribus Ordinibus, Diaconatum, aut etiam Presbyteratum Graece suscepit, et Latino postea ritu ad Sacrum Presbyteratus respective Ordinem, aut Episcopatum promovendus sit, ex Apostolica concessione: nimirum Exorcistatus Ordinem in ipso, antequam Presbyter ordinetur, aut Episcopus consecretur, esse supplendum.

VIII. Graeci sine Literis dimissoriis Episcopi Latini Dioecesani nullatenus ad primam Tonsuram, vel aliquem Ordinem recipiendum admittantur.

IX. Promoti ad primam Tonsuram, vel ad alium quemcumque Ordinem sine Dimissoriis Latini Ordinarii, suspensi sint; et si suspensi in Sacris Ordinibus ministraverint, efficiuntur irregulares, sicut et Latini.

X. Super huiusmodi autem, et similibus irregularitatibus dispensandi facultatem a Sancta Sede obtineri oportet.

XI. Non sunt admittendi Episcopi Schismatici sive pro Ordinibus, sive pro aliis Sacramentis conferendis, sed impediendi, quoad Sancta Sedes Apostolica desuper consulatur, et responsum habeatur.

XII. Quos vero communionem Sanctae Romanae Ecclesiae habere constiterit, eis Pontificalia exercendi facultatem Ordinarii Latini in suis Dioecesibus libere concedere possunt.

XIII. Ordinati ab Episcopis Schismaticis alias rite ordinatis, servata debita forma, recipiunt quidem ordinem, sed non executionem.

XIV. Proinde ipsi Ordinati ab Episcopis Schismaticis, correcti, vel emendati reconciliandi sunt, et absolvendi, cum poenitentiis salutaribus, dummodo errores, si quos amplexi fuerint, sin minus Schisma Ordinatoris abiurent in iudicio, vel publice, vel secreto pro qualitate facti.

XV. In ordinibus autem per eos alias rite susceptis ministrare non permittantur, nisi cum ipsis super irregularitate, huiusmodi occasione contracta, auctoritate Sanctae Sedis Apostolicae fuerit dispensatum.

XVI. Cum ex Ecclesiae disciplina a Graecis olim recepta, promoti ad aliquem Ordinem Sacrum, si per aliquod temporis intervallum in eo non fuerint versati, ad altiorem gradum ascendere non possint, quo nimirum Ordinandorum fides, morumque probitas eo temporis spatio cognosci valeat; qua lege Graeci, seu Albanenses in Italia, et Insulis adiacentibus commorantes dubio procul tenentur: nihilominus cum praedicti Graeci, seu Albanenses Ordinarios suos, quibus subiiciuntur, habeant latinos, a quibus tanquam alieni ritus sacris ordinibus initiari prohibentur; ac proinde cum Romam, vel in Calabriam, ubi sunt Episcopi a Sancta Sede Apostolica ad Ordinationes ritu Graeco exercendas deputati, repetitis vicibus, non sine quamplurimis incommodis, et expensis, ad Sacros Ordines iuxta temporum intervalla suscipiendos sese conferre deberent, Nos eosdem Graecos, seu Albanenses gratiis, et favoribus prosequi, eorumque incommodis consulere volentes, de Apostolicae plenitudine potestatis, praefatis Episcopis Graecis Romae et in Calabria pro tempore degentibus, licentiam, et facultatem impertimur, ut Graecos, seu Albanenses huiusmodi ex longinquis regionibus accedentes, qui Minoribus, sive Maioribus Ordinibus initiari cupiunt, ad omnes Ordines promovere in posterum valeant tribus diebus festivis, non autem continuis, sed aliquo temporis intervallo Antistitis ordinantis arbitrio separatis, non servata Interstitiorum lege, nec requisita ad hoc ab iis, qui initiantur, suorum respective Ordinariorum Latinorum licentia, sive dispensatione.

XVII. At cum illis Graecis, seu Albanensibus, qui domicilium habent, seu alias commorantur in ea Provincia, in qua Episcopus ritus Graeci solet sacras ordinationes exercere, ad quem propterea sine gravi incommodo per temporum intervalla accedere possunt, ab interstitiorum lege minime dispensamus, praeterquam cum Alumnis, et Convictoribus ritus Graeci Collegii

Graeci Urbis, et Italo-Albanensium, in Calabria, et Sicilia, si eorumdem Collegiorum necessitas, vel utilitas, arbitrio S. Rom. Eccl. Cardinalis Administratoris, et Protectoris praefati Collegii Graecorum Urbis, et Episcopi praesidentis, seu Rectoris utriusque Collegii Italo-Albanensium praedicti respective pro tempore existentium exegerit, ut praefati Alumni, et Convictores absque temporis intervallo tribus diebus festivis, non tamen continuis, ut praefertur, ad Ordines promoveantur; quo casu eos sic initiari posse, plenam facultatem facimus, atque concedimus.

XVIII. Illis autem, qui non servata Interstitiorum lege, sunt hactenus bona fide ordinati, ex Apostolica benignitate etiam concedimus, ut in susceptis Ordinibus ministrare, et ad maiores etiam servatis servandis ascendere, absque alia dispensatione valeant.

XIX. Quod tamen de aetate Ordinandorum a Sacrosancto Tridentino Concilio praescriptum est,[1] omnino servari volumus. Nullus proinde ex praedictis Graecis, seu Albanensibus ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum suae aetatis annum absque Apostolica dispensatione promoveatur. Praefatorum autem Graecorum Praesulum conscientiam oneramus, ut dignos dumtaxat, et quos literis, et iis, quae ad Ordines exercendos pertinent, bene instructos esse noverint, ad sacra ministeria assumant.

XX. Ut in Ordinibus conferendis quaelibet rituum confusio, et commixtio penitus tollatur, et unius ritus Antistes alterius ritus Clericos initiare in posterum minime valeat, sub perpetuae suspensionis a Divinis poenis prohibemus, ne Latinus quicumque Episcopus etiam subiectos suae iurisdictioni Graecos, neque Graecus quilibet Antistes Latinos quovis praetextu, sine speciali Sedis Apostolicae licentia ad primam Tonsuram, vel ullum Ordinem sive Minorem, sive Maiorem promovere praesumat; alioquin tam Ordinans, quam Ordinatus, perpetuam, ut praefertur, suspensionem se subituros intelligant.

XXI. Maxime autem neque permittendum, neque ullo modo tolerandum, ut Latini ex Latinis progeniti, ac latino ritu educati, qui continentiam profiteri nolunt, iuxta ritum Graecum, sub spe retinendi Uxores, ad Sacros Ordines a quocumque Antistite quavis auctoritate fulgente promoveantur, tam in locis, in quibus non sunt Populi Graeco ritu viventes, sed Latini, quam in locis in quibus sunt Populi, qui a Graecis antiquitus fuerint oriundi, seu a Graecis originem ducant, vel alias retroactis temporibus ritum Graecum servaverint, seu apud illos, vel in eorum aliquibus Ecclesiis ritus huiusmodi ab antiquo hactenus fuerit observatus.

XXII. Cum iis tamen Italo-Graecis, qui ad hanc diem, vel propter antiquam consuetudinem, vel propter quaedam sibi, ut aiunt, a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris concessa privilegia, quibus permittebatur Episcopis Latinis, ut Graecos sibi subiectos, vel ipsi ordinarent, seu ab aliis tam Graecis, quam Latinis Episcopis ordinari facerent, ab Episcopis Latinis bona fide, et absque dispensatione Apostolica, ad Clericalem Tonsuram, vel

[1] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 12.

Minores, seu Maiores Ordines sunt promoti, cum animo tamen proprium Graecum ritum retinendi, et absque actuali Latini ritus in susceptis Ordinibus exercitio; per praesentes nostras hac vice tantum dispensamus, ut eis liceat in suo Graeco ritu permanere, in eoque ad ulteriores Ordines (dummodo per suum Ordinarium approbati fuerint) a Graeco Episcopo promoveri: per easdem nostras expresse prohibentes, ne quid huiusmodi de caetero, vel a Graecis ipsis, vel a Latinis Episcopis, inconsulta Sancta Sede, attentetur.

XXIII. Insuper ut omnibus, circa praefatas Italo-Graecorum huiusmodi per latinos Praesules ordinationes, controversiis, ac dubiis opportuna ratione obviemus, hac nostra Constitutione decernimus, quod si Episcopus Latinus, sive Ordinarius, Italo-Graecis primam Tonsuram, vel Ordines Minores ritu Latino conferat, cum dispensatione Apostolica, ita ut ordinati ab illo in suo Graeco ritu ministrare debeant, (quod ex defectu Graecorum Praesulum per Sedem Apostolicam concedi solet); licite possit idem Latinus Ordinarius literas dimissoriales Italo-Graecis huiusmodi a se, vel ab alio Latino Praesule, ut praemittitur, ordinatis concedere, ut ad Sacros Ordines Graeco ritu, absque alia dispensatione Apostolica, promoveantur.

XXIV. Si vero absque Apostolica dispensatione Italo-Graeci huiusmodi a Latino Episcopo ad aliquos Ordines ritu Latino promoverentur, (id, quod illicite tam ab Ordinante, quam ab Ordinatis fieret, utpote huic nostrae Constitutioni contrarium), Graeci Clerici huiusmodi sic latino ritui alligantur, ut ab eo ad Graecum redire amplius non liceat, sine Apostolica dispensatione; neque Latino Episcopo, seu Ordinario amplius fas sit Graecum Clericum, a se, ut praemittitur, Latino ritu in minoribus Ordinibus constitutum, cum literis dimissorialibus ad Graecum Antistitem remittere, ut ab eo ad Sac. Ordines graece promoveatur, sine dispensatione Apostolica; sed debeat illum potius, si quidem idoneum iudicaverit, post obtentam absolutionem a suspensione, vel ipse ritu Latino ordinare, vel ab alio Latino Praesule ordinari facere. A ritu enim latino ad Graecum, ut praediximus, nec transire, nec redire fas est, absque dispensatione Apostolica.

XXV. Hinc eaedem literae dimissoriales potiori iure denegandae sunt Italo-Graecis, qui quanquam baptizati ritu Graeco, non modo primam Tonsuram, et Minores Ordines latino ritu susceperunt; sed etiam latine vixerunt, et postea ad Maiores ordines ritu Graeco provehi cupiunt, nam Latinus ritus semel assumptus, ut praefati sumus, absque speciali Sedis Apostolicae auctoritate, deseri nequit: ut igitur Italo-Graeci huiusmodi ad ritum Graecum redeant, indigent Apostolica dispensatione; ut vero ad Maiores Ordines ritu latino ascendant, dispensatione non indigent.

XXVI. Etsi expetendum quam maxime esset, ut Graeci, qui sunt in Sacris Ordinibus constituti, castitatem, non secus ac Latini servarent: nihilominus, ut eorum Clerici, Subdiaconi, Diaconi, et Presbyteri Uxores in eorum ministerio retineant, dummodo ante Sacros Ordines, Virgines, non Viduas, neque corruptas, duxerint, Romana non prohibet Ecclesia. Eos autem, qui Viduam, vel corruptam duxerunt, vel ad secunda vota, prima Uxore mortua, convolarunt, ad Subdiaconatum, Diaconatum, et Presbyteratum promoveri omnino prohibemus.

XXVII. Praeterea si quis Subdiaconus, Diaconus, vel Presbyter, post Sacram Ordinationem, Uxore mortua, aliam duxerit, vel si Uxorem non habebat, ducere praesumpserit, nedum excommunicationis latae sententiae poena, aliisque nostro, et Successorum nostrorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis, severissime punietur; verum etiam statim ab Ordine erit deponendus, et ab illegitima Uxore separandus. Matrimonium enim post recensitos Ordines contractum, nullum irritumque declaramus.

XXVIII. Presbyter Graecus coniugatus, antequam ad Sacrum Sacrificium, seu Sanctam Missam celebrandam accedat, vel per hebdomadam, vel per triduum ab Uxore curet abstinere.

§ VIII.

De Sacramento Matrimonii.

I. Curent Ordinarii Locorum, ut Decretum Sacri Generalis Concilii Tridentini de reformatione Matrimonii [1] vertatur in linguam Graecam vulgarem, et in locis, et Parochiis Graecorum, et Albanensium, quoties expedire viderint, evulgetur, et publicetur.

II. Matrimonia inter Coniuges Graecos dirimi, seu divortia, quoad vinculum, fieri nullo modo permittant, aut patiantur. Et si qua de facto praecesserunt, nulla et irrita declarent.

III. Quia vero, secundum Apostolum, Mulier mortuo Viro ab ipsius est lege soluta, et nubendi cui vult in Domino liberam habet facultatem, secundas, et tertias, et ulteriores etiam nuptias Graeci non condemnent, sed illas tanquam legitimas, et validas approbent inter Personas, quae alias licite de iure ad invicem Matrimonio iungi possunt.

IV. Secundo tamen nubentes Presbyteri nullatenus benedicant: nec ipsos Bigamos ad Sacros Ordines, sine speciali dispensatione Apostolica, promoveri liceat.

V. Et quoniam apud Graecos consueverunt contrahi matrimonia inter personas contingentes se, iuxta eorum computationem, octavo gradu, qui secundum computationem, et distinctionem graduum, quam Latini faciunt, apud hos quartus habetur: ne id praesumatur deinceps, firmiter prohibemus, ac districte praecipimus, ut, cum in ulterioribus gradibus licite matrimonia contrahantur, in praedicto quarto Consanguinitatis, vel Affinitatis gradu copulari ulterius non praesumant; statutum, quoad hoc, Generalis Concilii [2] observantes.

VI. Item in cognationis spiritualis, quae in Baptismo, et Confirmatione contrahitur, gradibus, servetur id quod in Tridentina Synodo definitum est. [3] In Baptismo videlicet inter suscipientem, et Baptizatum, et illius Patrem, et Matrem, necnon inter Baptizantem, et Baptizatum, Baptizatique Patrem, et Matrem tantum, cognationem contrahi; eamque rursus, quae ex Confirma-

[1] Sess. XXIV.
[2] Sess. XXIV, *de ref. matrim.*, c. 4, 5.
[3] Sess. XXIV, *de ref. matrim.*, c. 2.

tione oritur, Confirmantem, et Confirmatum, illiusque Patrem, et Matrem, ac Tenentem non egredi: omnibus inter alias Personas spiritualis huius Cognationis impedimentis Matrimonii sublatis.

VII. Maritus Latinus Uxoris Graecae ritum non sequatur.

VIII. Latina Uxor non sequatur ritum Mariti Graeci.

IX. Graecus Maritus potest, si velit, ritum Uxoris Latinae sequi. Item Graeca Uxor potest, si velit, sequi ritum Mariti Latini, post cuius obitum, ad ritum Graecum redire nequeat.

X. Quod si nolint, unicuique Coniugum in suo ritu, Catholico tamen, manere permittatur.

XI. Matrimonium inter Maritum Latinum, et Graecam mulierem, latine coram Parocho Latino contrahatur. Inter maritum vero Graecum, et Mulierem Latinam, potest contrahi vel Graece coram Parocho Graeco, duobus, vel tribus testibus praesentibus, vel latine coram Latino, ubicumque Maritus Graecus voluerit.

XII. Eius autem loci, ac ritus Parochus debet assistere, ubi, et quo ritu matrimonium contrahitur.

§ IX.

Ritus Graecus qua ratione in Italia, et Insulis adiacentibus servandus. De Graecorum, seu Albanensium subiectione Episcoporum Latinorum iurisdictioni.

I. Quoniam Orientalis Ecclesiae ritus, utpote non minima parte a Sanctis Patribus profecti, vel a Maioribus traditi, sic animis Graecorum, aliorumque insederunt, ut Praedecessores nostri Romani Pontifices satius, consultiusque duxerint, ritus huiusmodi, qua in parte nec fidei Catholicae adversantur, nec periculum generant animarum, aut Ecclesiasticae derogant honestati, approbare, seu permittere, quam illos ad Romanarum caeremoniarum normam reducere; idcirco Graecis ipsis, et Albanensibus ritus Graeci inter Latinos degentibus, tam Praelatis, Parochis, et Presbyteris Saecularibus, quam Regularibus, et Laicis, ut suis ritibus, atque observantiis, sive consuetudinibus uti, ac illos, et illas observare, Missasque, et alia Divina officia secundum eorum antiquam consuetudinem celebrare libere, ac licite possint, concedimus, et indulgemus; nec super his a quoquam Latino Ordinario illos, vel illorum quemlibet molestari, vel inquietari permittimus: Inhibentes omnibus et singulis Praelatis, aliisque, ne quis ritus, et caeremonias Graecorum in Concilio Florentino,[1] vel alias approbatas blasphemare, aut reprobare, seu improbare ausit.

II. Sic vero dictis Graecis, et Albanensibus in suis ritibus permanere concessum esse, atque indultum declaramus, ut quae a Fidelibus in Dioecesi, ubi ipsi habitant, universim, et sine ullo Personarum, ac rituum discrimine, iuxta Sacros Canones servanda sunt, ad eadem etiam ipsi, non obstante rituum diversitate, obligati censeantur.

[1] Cf. N. 51, 52, 54.

III. Cuiusmodi sunt in primis Kalendarii Gregoriani observatio, iuxta quod iidem Graeci, et Albanenses tenentur universalis Ecclesiae ieiunia, et festa celebrare, ut, puta, ieiunium quadragesimale, Pascha, Ascensionem Domini, Pentecosten, Natalem Domini, Circumcisionem, Epiphaniam, et caetera huiusmodi, quae in Latina, et Graeca Ecclesia aeque celebrantur.

IV. Deinde Summi Romani Pontificis, et Ordinarii Loci in Missis, ac Divinis Officiis commemoratio; non Patriarcharum, neque Antistitum Orientalium, quibus nulla est in Italia, et adiacentibus Insulis iurisdictio: ubi tamen Graeco Catholico Antistiti, ex licentia Sedis Apostolicae, vel Ordinarii Loci, Pontificalia exercere permittitur, eius quoque nomen iuxta Graecorum morem post Summum Romanum Pontificem, et Ordinarium Loci commemorare liceat.

V. Tum subiectio omnibus, et singulis Romanorum Pontificum Constitutionibus, contra Sollicitantes praesertim in Confessione editis, quae in singulas Nationes universim vires suas extendunt, ac Latinos aeque, ac Graecos sua amplitudine comprehendunt.

VI. Demum dies Festos de praecepto Latinae, ubi degunt, Ecclesiae servare tenentur.

VII. Ad observationem autem ieiuniorum, et vigiliarum eiusdem Latinae Ecclesiae, si tota Loci illius Graecorum communitas, vel potior Laicorum pars cum Parochis, et Presbyteris coniuncta induci posset, optimum esset; idque absque alia Sedis Apostolicae dispensatione, arbitrio Ordinariorum relinquimus Latinorum. Non tamen ad id cogi debent, si velint ritum suum in ieiuniis sequi; cum ipsi qualibet hebdomada feria quarta, et feria sexta, ut asseritur, soleant ieiunare; neque privatis personis fas sit, ubi Parochiam Graecam habent, ibi, contra proprium ritum, Latinorum more ieunia, et vigilias servare; sed omnes vel graece cum Graecis, vel latine cum Latinis ieiunent. Ubi vero propriam Parochiam non habent, ibi libere, et licite possunt in omnibus latino ritui sese conformare, sive Laici sint, sive Presbyteri, excepto Graeco ritu, qui in Missis, ac Divinis Officiis a Presbyteris est servandus.

VIII. Hinc ubi Parochiam Graecam habent, tolerandus est apud Graecos esus carnium die Sabbati, si sine scandalo fieri potest; in locis autem ipsorum, et inter eos tantum.

IX. Prohibentur tamen Graeci suis Famulis Latinis cibos vetitos apponere, sive die Sabbati, quando praefatis Graecis carnes comedere licet, sive alio quocumque tempore, quo Latini debent ab illis abstinere; Latini enim Famuli Graecorum latinum ritum servare tenentur.

X. Item tolerandum est, ut ad ieiunium eodem die Sabbati in Quadragesima, excepto uno Sabbato Sancto, ex antiqua traditione, non teneantur, sed dumtaxat ad abstinentiam.

XI. In ieiuniis quoque biduanis, vel triduanis, vel alias a Dioecesanis, vel in Iubilaeis a Summo Pontifice Romano indictis, dies Sabbati in eis comprehensus, vel praescriptus, in alium diem pro Graecorum plebe ab ipsis Dioecesanis Apostolica Auctoritate permittitur commutari.

XII. Verum quia pro parte dilectorum Filiorum Graeci ritus in Corsica habitantium Nobis nuper humillime preces porrectae fuerunt, ut Auctoritate

Apostolica declararemus, ipsos non teneri ad abstinentiam a piscibus sanguinem habentibus, oleo, et vino, tam in Quadragesima, quam in quartis, et sextis Feriis, et in aliis anni ieiuniis, vel, si ad abstinentiam huiusmodi tam ex praecepto, quam ex consuetudine Ecclesiae Graecorum, ut Nobis exponitur, tenerentur, cum iis eadem auctoritate dispensare dignaremur, ut piscibus, oleo, et vino in dictis quartis, et sextis Feriis, et in Quadragesima, aliisque per annum occurrentibus ieiuniis, vesci ipsis liceret. Nos paternae Pontificiae charitatis, quae novit imbecillitates infirmorum sustinere, non immemores, tam dictis Graecis in Corsica habitantibus, quam omnibus et singulis Albanensibus, et Graecis, qui in Italia, et Insulis adiacentibus commorantur, tenore praesentium, ut ad instar Latinorum, in quorum Dioecesibus degunt, in memoratis Quadragesima, quartis, et sextis Feriis, et reliquis anni ieiuniis, vino, oleo, et piscibus cuiuscumque generis possint uti, concedimus, et indulgemus. Atque Literas Clementis Papae XII Praedecessoris nostri in forma Brevis datas ad Abbatem, et Monachos Monasterii Ordinis Sancti Basilii Magni Ritus Graeci Orientalis Terrae Dimidii Iussi Panormitanae Dioecesis, pro Monachis Graecis, et Epirotis eorumdem Ordinis, et Ritus fundati, quibus concessit, ut piscibus sanguinem habentibus libere, et licite nonnullis anni quadragesimis vesci possint, non obstantibus ritus Graeci ordinationibus, hac nostra Constitutione confirmamus et roboramus.

XIII. Cum autem Sedi Apostolicae semper curae fuerit Graecum ritum custodire, illiusque abolitionem nunquam intenderit, aut in animo habuerit: hinc nos, Praedecessorum nostrorum exemplo, quantum cum Deo largiente possumus, conservationi rituum Graecorum intenti, neque expedire ducimus, neque facultatem facimus, ut Latini Ordinarii iuxta ritum Latinum ad Sacerdotium promoveant aliquem Italo-Graecum Dioecesanum, qui Graecorum more baptizatus fuerit, atque etiam vixerit, ut scilicet Graecorum plebi Latino ritu ipse ministrans praesit, praesertim quia id Graecis plebibus nullam utilitatem affert, quibus magis acceptus Parochus esse solet, si eumdem cum ipsis Ritum Graecum colat, quam si Latinum sequatur.

XIV. Sed in terris, seu Locis, et Casalibus Graecorum, et Albanensium, seu in quibus fuerint Graeci, vel Albanenses, sive sint indigenae, sive ex Graeciae Provinciis, et Insulis, vel ex Epiri, et Albaniae partibus, aut alias undequaque advenerint, Graeco ritu in praesentiarum usque viventes, ad illorum Ecclesias, seu curam animarum exercendam, non Latini, neque Latinis orti Parentibus, aut latino more viventes, ad eumdem Ritum Graecum initientur, sed Graeci, vel Albanenses ritus Graeci respective, Catholici tamen, et alioquin idonei, et sufficientes, atque alias qualitates a Sacris Canonibus habentes, sive sint indigenae, sive, in defectu indigenarum, etiam advenae, ordinentur, et eorumdem Graecorum, seu Albanensium animarum curae praeficiantur.

XV. Caeterum ad tollendam omnem rituum commixtionem, et confusionem, Presbyteri, et Clerici Latini in Ecclesiis Graecorum neque Missas celebrare, neque funeribus, nuptiis, ac Baptismis, et aliis Graecorum actibus publicis, et privatis interesse, aut sese immiscere, nisi ad haec specialiter per ipsos Graecos vocati fuerint, audeant, vel praesumant.

XVI. Nec Presbyteri, et Clerici Graeci in Ecclesiis Latinorum, inconsulto Episcopo, cui illae subiiciuntur, vel eius in Spiritualibus Vicario Generali, Missas, et alia Divina Officia cum solemnitatibus, et cantu celebrent. Ut autem praefatus Episcopus, sive Vicarius Generalis, praefatam licentiam rite concedere valeant, nulla praecisa necessitas pro causa requiritur, sed satis est, ut aliqua spiritualis utilitas inde speretur.

XVII. Cum inter Latinos, Graecosque Clericos, in processionibus, sessionibus, aliisque Ecclesiasticis solemnitatibus, quas ex consuetudine, aut proprio arbitrio, et voluntate promiscuo usu peragere solent, lites quandoque, et controversiae, quibus charitas, et mutua animorum concordia violatur, ob praecedentiae ordinem exoriantur, quia Graeci Latinis, et Latini Graecis praecipuum locum dare renuunt; has in posterum dirimere, atque amputare volentes, praecipimus, ut in praecedentiis huiusmodi, nisi consuetudo aliter obtineat, non attendatur ritus Graeci, et Latini diversitas, sed tempus Ordinationis praedictorum Clericorum, vel qualitas Ecclesiasticae dignitatis, si aliqui eorum ea insigniti reperiantur, vel caeterae qualitates, quae iure suo in praefatis solemnitatibus principem locum sibi vindicare solent.

XVIII. Quia in Ecclesiasticis Graecorum libris nonnulli errores irrepsere, quibus primaevam Ecclesiae Graecae puritatem fraude potissimum, ac dolo Schismaticorum corruptam esse, Orthodoxi dolent: ideo Pastoralem Latinorum Ordinariorum, in quorum Dioecesibus iidem Graeci, et Albanenses degunt, vigilantiam per praesentes nostras literas excitamus, ut omni ope, et studio curent, non aliis Graecos ipsos, seu Albanenses tam Praelatos, ac Presbyteros Saeculares, quam Regulares, Ecclesiasticis libris in Sacramentorum administratione, et Missis, Divinisque Officiis celebrandis uti, nisi iis, qui per Congregationem a Sancta Sede Apostolica emendationi librorum huiusmodi deputatam, correcti, typisque impressi fuerint.

XIX. Ita autem Graecos, seu Albanenses in suo ritu, ut praefertur, permanere, Graecasque caeremonias custodire permittimus, ut Latinorum Episcoporum, in quorum Dioecesi degunt, iurisdictioni subiecti censeantur. Itaque Graeci, seu Albanenses ritus Graeci, tam Ecclesiastici, et Regulares, quam Laici, in utraque Sicilia, vel aliis Italiae partibus, Insulisque adiacentibus commorantes, cum suos Ordinarios Graecos non habeant, non obstantibus quibuscumque exemptionibus, aliisque privilegiis dictis Graecis, eorumque Praelatis, Rectoribus, Abbatibus, et aliis tam Sancti Basilii, et alterius Ordinis Regularibus, qui privatam vitam ducunt, nec in Congregationem sunt redacti, quam Saecularibus, ac etiam Laicis Personis quocumque nomine nuncupatis, per fel. rec. Leonem X, Paulum III, Iulium etiam III et forsan alios Romanos Pontifices, et Sedem Apostolicam, in genere, vel in specie hactenus concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, et innovatis, ita Latinis Ordinariis Locorum quae habitant, debent esse subiecti, ut ipsi Locorum Ordinarii quascumque eorumdem Graecorum, et Albanensium Ecclesias, Monasteria, Prioratus, et alia pia Loca, tam Saecularia, quam cuiusvis Ordinis Regularia, eorumque Praelatos, etiamsi Episcopali, Archiepiscopali, ac maiori dignitate praefulgeant, necnon Abbates, Rectores, Ministros, et quasvis alias eiusdem Nationis Personas in suis Civitatibus, et

Dioecesibus consistentia, quoties opus fuerit, visitare, ac in illis suam Ordinariam iurisdictionem, plenamque, et omnimodam auctoritatem, in iis, quae Dei cultum, Sacramentorum administrationem, ac animarum salutem, haeresumque extirpationem concernunt, exercere, et exequi libere, et licite valeant; reliquis ipsorum Graecorum, et Albanensium, in Divinis celebrandis, aliisque ritibus a Sede Apostolica approbatis, necnon privilegiis, et gratiis Apostolicis intactis remanentibus: nec ipsis Graecis, et Albanensibus Clericis, vel Laicis, eorumve Praelatis, Ecclesiis, Coenobiis, aut aliis piis Locis dictas exemptiones, seu privilegia in aliquo suffragari, sed illos omnes, et singulos Locorum, in quibus moram traxerint, Ordinariorum visitationi, correctioni, punitioni, iurisdictioni, et omnimodae auctoritati in praemissis subesse, illisque tanquam Superioribus suis, suarumque animarum Pastoribus humiliter obedire.

XX. Ubi vero duo essent Episcopi eiusdem Loci a Sancta Sede Apostolica deputati, unus Latinus, alter Graecus, (quemadmodum in Calabriae partibus, et in Sicilia olim fuisse perhibentur, et nunc in quibusdam Graeciae insulis existunt); Episcopus Latinus de Personis Ecclesiasticis, et saecularibus Graecis, ac de iurisdictione Episcopi Graeci, vel aliis quibuscumque ad Episcopum Graecum quomodolibet spectantibus, nullatenus se intromittere praesumat; sed Episcopus Latinus Latinorum, Episcopus vero Graecus Graecorum dumtaxat curam, regimen, et iurisdictionem respective habeant, et exerceant. Id, quod de Episcopis Graecis pro ordinatione Italo-Graecorum, Romae, vel in Calabria per Sedem Apostolicam, ut supra diximus, constitutis, minime intelligendum esse declaramus: cum ii facultatibus Ordinariorum careant, nec quemquam ex iis, qui non sunt Alumni Collegii Graecorum Romae, et Collegii Italo-Graecorum, seu Albanensium in Calabria, ad primam Tonsuram, aut ullum Ordinem sive Minorem, sive Maiorem, nisi cum dimissoriis sui Ordinarii, promovere valeant.

XXI. In Dioecesi, ubi Latini, et Graeci inhabitant, et solum Archiepiscopum, sive Episcopum Latinum Ordinarium habent, dictus Archiepiscopus, sive Episcopus, circa negotia, et causas dictorum Graecorum, Vicarium Graecum ipsis Graecis gratum, vel per ipsos Graecos eligendum (ex quo Graecus Vir melius Graecos mores novit, quam Latinus) ipsorum stipendio, et salario retinendum deputet; et in causis appellationis ad Metropolitanum, qui forsan Graecus non esset, dictus Metropolitanus similiter in dictis causis Iudicem Graecum deputare teneatur.

XXII. Ordinationes demum, et Instituta Regularia Sanctorum Patrum, de vita et statu Monachorum, ab Abbatibus, et Monachis Graecis, qui in Italia, et Insulis adiacentibus privatim degunt, nec Regulam Monachorum Ordinis Sancti Basilii in Congregationem reductorum sunt professi, praecipimus inviolabiliter observari; eosque omnes, et singulos iurisdictioni Ordinariorum Latinorum subiicimus; mandantes insuper, ut quaecumque supra, circa rituum Graecorum observantiam, praescripta sunt, adamussim exequantur.

XXIII. Salvis tamen, et in suo robore semper remanentibus privilegiis, quae a Summis Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, Grego-

rio XIII,[1] Sixto V,[2] Clemente VIII,[3] Paulo V,[4] Urbano VIII,[5] Innocentio X,[6] Clemente XII,[7] et forsan aliis, tam Collegio Pontificio Graecorum de Urbe, et Seminario Corsino in Calabria, quam Congregationi dilectorum Filiorum Monachorum Ordinis Sancti Basilii in Italia, concessa sunt, et indulta, quibus derogare non intendimus.

XXIV. His insuper, quae superius in quacumque parte Italo-Graecis concessimus, indulsimus, declaravimus, praecepimus, ordinavimus, et interdiximus, seu prohibuimus, Graecorum in Oriente sub propriis Catholicis Episcopis, Archiepiscopis, vel Patriarchis commorantium, et aliarum Christianarum Nationum quorumcumque Rituum a Sancta Sede approbatorum, seu permissorum, iuribus qualibuscumque, si quae illis de iure, vel ex consuetudine, vel alias quomodolibet legitime competant: aut Apostolicis Constitutionibus, vel Conciliorum Generalium, aut particularium, seu Congregationum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Decretis, quae super Ritibus Graecorum, seu aliorum Orientalium emanarunt, ullo pacto praeiudicatum, vel praeiudicium ullum quantumvis minimum illatum esse non intendimus; idque expresse declaramus, et pro declarato, et in qualibet huius nostrae Constitutionis, seu dispositionis parte pro repetito haberi volumus, et mandamus.

§ X.

Decernentes, etc.
[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 167-185].

[1] Const. *In Apostolicae,* 13 ian. 1577; const. *Cogit muneris,* 24 iun. 1577; const. *Benedictus Dominus,* 1 nov. 1579. - Bull. Rom., tom. 4, III, p. 328-330; 342-345; 421-425.

[2] Const. *Cum ex antiquo,* 1 sept. 1586. - Bull. Rom., tom. 5, I, p. 160, 161.

[3] Const. *Cum ad restituendos,* 29 oct. 1592; const. *Cum ad sublevandum,* 10 oct. 1597; const. *Altissimi,* 23 sept. 1603. - Bull. Rom., tom. 5, I, p. 398, 399; tom. 5, II, p. 172, 173; tom. 5, III, p. 25-29.

[4] Const. *Iniuncti Nobis,* 17 mart. 1606; const. *Exponi Nobis,* 17 sept. 1608; const. *Decet Romanum Pontificem,* 2 dec. 1615. - Bull. Rom., tom. 5, III, p. 194, 195; 346, 347; tom. 5, IV, p. 198, 199.

[5] Const. *Inter gravissimas,* 17 dec. 1631; const. *In his pastoralis,* 10 iul. 1639. - Bull. Rom., tom. 6, I, p. 298, 299; tom. 6, II, p. 202, 203.

[6] Const. *Nuper,* 2 ian. 1649. - Bull. Rom., tom. 6, III, p. 180-183.

[7] Const. *Inter multiplices,* 11 oct. 1732; const. *Ex iniuncto Nobis,* 4 maii 1736; const. *Praeclara,* 14 febr. 1739. - Bull. Rom., tom. 13, p. 314-316; tom. 14, p. 122-130; 357, 358.

329.

Benedictus XIV, const. *Ex quo*, 11 iul. 1742.

Ex quo singulari providentia factum est, ut Orientalium, et Occidentalium Indiarum Regiones Europae innotescerent, Apostolica Sancta Sedes, quae ab ipsis Ecclesiae incunabulis Evangelicae veritatis lumen ubique diffundere, et illud ab omni erroris umbra servare maximo studio curavit, in his quoque novissimis temporibus Evangelicos Operarios in antedictas Regiones sedulo misit; ut Idololatria ibi late dominante funditus eradicata, Christianae Fidei semen opportune spargerent, atque horrentes illos, et incultos campos in fertiles florentesque vineas, uberrimos aeternae vitae fructus daturas, commutarent. Ex Regionibus autem illis, quas Sancta Sedes prae caeteris ante oculos habuit, fuit profecto amplissimum Sinarum Imperium: in quo quidem negari non potest, quin Christiana fides progressus ingentes fecerit, longe etiam maiores factura, nisi coorta inter Operarios a Sancta Sede illuc missos dissidia, cursum intercidissent.

§ 1. Occasionem dissidiis eiusmodi dederunt Ceremoniae quaedam, et Ritus, quibus Sinenses, ad Confucium Philosophum, et Maiores suos honoribus prosequendos, uti consueverunt: cum nonnulli ex Missionariis contenderent, eas esse Ceremonias, et Ritus mere civiles, adeoque concedendos iis, qui relicto Idolorum cultu, Christianam Religionem amplectebantur; contra vero alii eos, utpote superstitionem olentes, sine gravi Religionis iniuria permitti nullo modo posse assererent. Quae sane controversia multis annis Apostolicae Sedis curam, et sollicitudinem ad se traxit; cum id maxime caveat, ne zizania in agro Dominico radices agant, aut, si forte egerint, eae quam cito fieri potest, evellantur.

§ 2. Primo itaque ad Sanctae Sedis Tribunal Causam hanc detulerunt ii, qui Ceremonias illas, et Ritus Sinicos superstitione imbutos suspicabantur. Super illis Dubia nonnulla proposita fuerunt Congregationi de Propaganda Fide, quae anno 1645 comprobavit responsa, ac decisiones Theologorum, qui Ceremonias, et Ritus eosdem superstitione revera infectos iudicarunt. Proinde Innocentius Papa X ad praefatae Congregationis preces, omnibus et singulis Missionariis, sub poena excommunicationis latae sententiae, sibi, ac Sanctae Sedi reservatae, mandavit,[1] ut responsa, ac decisiones praedictas omnino observarent, easque ad praxim deducerent, donec sibi, et Apostolicae Sedi aliter visum non esset.

§ 3. Verum paulo post ab aliis eiusdem Missionis Operariis alia Dubia de iisdem Ritibus, et Ceremoniis ipsimet Congregationi de Propaganda Fide fuerunt exhibita, ex quibus Ceremoniae ipsae, Ritusque nullam in se superstitionem habere videbantur. Negotium itaque huiusmodi ab Alexandro Papa VII Sacrae Inquisitionis Congregationi commissum fuit: quae, prout varia, diver-

[1] Die 12 sept. - Cf. Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 114.

saque ratione fuerat sibi de eisdem Ceremoniis expositum, alias quidem, tamquam mere civiles, et politicas, esse permittendas, alias vero minime tolerari posse iudicavit; idemque Alexander Pontifex anno 1656 hanc sententiam probavit, et confirmavit.[1]

§ 4. Sed ecce tertio ad Sanctam Sedem haec eadem controversia. Cum plura Dubia Sacrae Inquisitionis Congregationi proposita fuissent, illud quoque ab ea quaesitum fuit, utrum adhuc vigeret Innocentii Papae X praeceptum, quo sub poena excommunicationis latae sententiae mandabat observantiam responsionum, ac decisionum, quae a Congregatione de Propaganda anno 1645, ut supra dictum est, emanaverant. Praeterea, an, stantibus recens expositis dubiis, earum praxis retinenda foret; cum praesertim obstare videretur Decretum Sacrae Inquisitionis, quod ab ea emanavit anno 1656 super quaesitis nonnullis, diversa ratione, aliisque circumstantiis propositis ab Operariis Apostolicis in Sinarum Regno commorantibus. Respondit ad haec Sacra Inquisitionis Congregatio anno 1669,[2] praefatum Congregationis de Propaganda Fide Decretum adhuc vigere, habita ratione rerum, quae fuerunt in dubiis expositae; neque illud fuisse circumscriptum a Decreto Sacrae Inquisitionis, quod anno 1656 emanavit, immo esse omnino observandum iuxta quaesita, circumstantias, et omnia ea, quae in antedictis Dubiis continentur. Declaravit pariter, eodem modo esse observandum praedictum Sacrae Congregationis Decretum anni 1656, iuxta quaesita, circumstantias, et reliqua in ipsis expressa. Hoc autem Decretum Clemens Papa IX comprobavit.

§ 5. Cum autem omnia praefata Decreta pro varia rerum expositarum ratione fuerint facta, ac promulgata, tantum abfuit, ut Rituum Siniensium controversia finem obtineret, ut magis illa vires, et incrementum acquireret. Nam scissis Evangelicis Operariis in partes, adducta res fuit in acriorem animorum, ac sententiarum contentionem. Atque hinc, non sine gravi scandalo, magnoque Fidei damno, consecuta est praedicatio non uniformis, et non eadem ubique Christianorum illorum disciplina, et institutio. De his autem absurdis certior factus Innocentius Papa XII Praedecessor noster, id muneris sui omnino esse putavit, ut perniciosis adeo dissidiis finis daretur; proinde exactam, maximeque accuratam, totius huius controversiae discussionem Sacrae Inquisitionis Congregationi commisit. Cumque nihil intentatum reliquisset, quo sinceram facti notitiam obtineret, firmata quoque fuerunt de illius mandato summa cum diligentia Quaesita, quae per eamdem Sacram Congregationem resolverentur.

§ 6. Quaesitorum illorum examen Innocentii Papae XII mors intercepit. Clemens autem XI, qui successit, Praedecessoris sui zelo plenus, coram se quaesitorum eorumdem examen fieri voluit. Quamobrem post diuturnam, maturam, et accuratissimam rei discussionem, post auditas ex utraque parte rationes, quibus libere producendis unicuique locus amplissimus datus fuit, idem Clemens Papa Undecimus anno 1704 confirmavit,[3] et Apostolica aucto-

[1] Die 23 mart. – Cf. Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 126.
[2] Die 13 nov. – Cf. Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 189.
[3] Hoc decretum refertur in Clementis XI const. *Ex illa*, 19 mart. 1715, § 2.
· Cf. N. 275.

ritate comprobavit praememoratae Sacrae Congregationis responsiones ad omnia, et singula quaesita proposita, quibus Ritus Sinenses, utpote superstitione imbuti, prohibebantur; mandavitque, praefatas responsiones ad Carolum Thomam de Tournon Antiochiae Patriarcham, Commissarium, et in Sinarum Regno Visitatorem Apostolicum transmitti; ut nimirum exactam earumdem observantiam omnibus, et singulis Missionariis, poenis quoque Canonicis in refractarios indictis praeciperet.

§ 7. Promulgavit quidem Patriarcha Antiochenus decisionem Apostolicam, addito Decreto, quo ab universis eius observantiam exigebat. Cum autem illam tentassent eludere, variisque inanibus rationibus effugere ii, qui Sinenses Ritus tamquam politicos, ac mere civiles propugnaverant, praedictus Pontifex Clemens XI, Decreto, quod per Sacrae Inquisitionis Congregationem emanavit anno MDCCX, praecepit omnimodam, et inviolabilem earumdem responsionum abs se Apostolica auctoritate confirmatarum observantiam, et alia quae Decreto ipso continentur, quod est tenoris sequentis.

§ 8. *Decretum super omnimoda, ac inviolabili observatione Responsorum alias in Causa Rituum, seu Ceremoniarum Sinensium a Sacra Congregatione datorum, et a Sanctissimo approbatorum, cum aliis Ordinationibus.*

Feria V die XXV Sept. MDCCX. In Congregatione Generali Sanctae Romanae, et Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Quirinali coram SS. Domino Nostro Domino Clemente Divina Providentia Papa XI, ac Eminentissimis, et Reverendissimis Dominis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus in tota Republica Christiana contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Idem Sanctissimus Dominus Noster in Causa Rituum, seu Ceremoniarum Sinensium, auditis, tam in Congregationibus anno praeterito non semel, quam in aliis, mense, et anno praesentibus pluries coram Sanctitate Sua habitis, praefatorum Eminentissimorum, et Reverendissimorum Dominorum Cardinalium, qui rem mature, ac diligentissime discusserunt, sententiis, decrevit, et declaravit, responsa alias in Causa huiusmodi ab eadem Congregatione data, et a Sanctitate Sua die 20 Nov. 1704 confirmata, et approbata, necnon Mandatum, seu Decretum ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Domino Cardinali de Tournon, tunc Patriarcha Antiocheno, Commissario, et Visitatore Apostolico Generali in Imperio Sinarum die 25 Ian. 1707 hac de re editum, ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, inconcusse, et inviolabiliter, sub censuris, et poenis in Mandato, seu Decreto huiusmodi expressis, observanda esse, quovis contrafaciendi quaesito colore, seu praetextu penitus sublato, ac potissimum non obstante quacumque appellatione a quibusvis Personis, sive Saecularibus, sive Regularibus, etiam specifica, et individua mentione, et expressione dignis, ac quavis Ecclesiastica dignitate fulgentibus, ad Sedem Apostolicam interposita, quam propterea Sanctitas Sua reiiciendam esse decrevit, ac re ipsa reiecit.

Porro cum idem Dominus Cardinalis de Tournon in suo Mandato, seu Decreto supradicto, Apostolicae decisioni die 20 Novembris 1704 latae se expresse inhaerere professus fuerit, Sanctitas Sua ulterius declaravit, ipsum Mandatum, seu Decretum, una cum censuris in eo contentis, ad normam eorumdem responsorum accipiendum esse, ita ut nihil per illud responsis praefatis

additum, seu detractum fuisse censendum sit, ac omnia, quae in eis insunt, etiam in Mandato, seu Decreto praedicto inesse intelligantur.

Caeterum Sanctitas Sua, tametsi non sine ingenti animi sui moerore acceperit, quod humani generis hostis multiplicia in die zizania in latissimis illis Regionibus superseminare non cessat; non tamen propterea in eis Catholicae Religionis propagandae saluberrimum, ac sanctissimum opus allatenus deserere volens, sed illud maiori, qua potest, animi contentione, ac studio, iisque potissimum dissidiis, quibus inibi Christianae Fidei seges veluti spinis suffocatur, prorsus submotis, ardentius semper, et enixius promovere cupiens, congruam super praemissis, aliisque ad ea pertinentibus instructionem confici, illamque dicto D. Cardinali de Tournon, quatenus adhuc in illis partibus commoretur, sin minus, illi, qui eius loco deputatus fuerit, necnon Episcopis, et Vicariis Apostolicis earumdem partium transmitti mandavit, qua non minus debitae Apostolicorum Decretorum executioni, quam Missionariorum concordiae, Evangelicae veritatis praedicationi, atque animarum saluti opportune consulatur.

Demum, ut nimiae illi de his rebus scribendi licentiae, quae non sine Fidelium scandalo inter Partes diuturna contentione exasperata invaluit, modus imponatur, Sanctitas Sua districte praecepit omnibus, et singulis cuiusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, et Societatis, etiam de necessitate exprimendae, Regularibus, aliisque quibuscumque saecularibus Personis, tam Ecclesiasticis, quam Laicis, cuiuscumque tandem status, gradus, conditionis, et dignitatis existant, ut in posterum non audeant sub quovis quaesito colore, vel praetextu, imprimere, vel quoquo modo in lucem edere Libros, Libellos, Relationes, Theses, Folia, seu scripta quaecumque, in quibus ex professo, vel incidenter de Ritibus Sinicis huiusmodi, vel de controversiis desuper, seu illorum occasione exortis quomodolibet tractetur, sine expressa, et speciali licentia a Sanctitate Sua, seu pro tempore existente Romano Pontifice in Congregatione supradictae Sanctae, et Universalis Inquisitionis obtinendae. Ut autem eiusmodi prohibitio inviolabiliter observetur, eadem Sanctitas Sua voluit, et declaravit, contravenientes quoscumque excommunicationis latae sententiae, Regulares vero etiam privationis vocis activae, et passivae poenas ipso facto absque alia declaratione incurrere; et nihilominus aliis etiam poenis Sanctitatis Suae, et Successorum suorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis subiacere. Libros porro, Libellos, Relationes, Theses, Folia, ac Scripta quaecumque, quae in futurum contra praesentis prohibitionis tenorem edi contigerit (citra ullam aliorum hactenus editorum approbationem, super quibus opportune providebitur), pro expresse prohibitis haberi voluit, absque alia declaratione, sub poenis, et censuris in Regulis Indicis Librorum prohibitorum contentis. Impressores vero, praeter Scriptorum sic impressorum amissionem, pecuniariis, aliisque corporalibus poenis, iuxta criminis gravitatem, teneri mandavit. In contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque.

Ioseph Bartolus, Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis Notarius.

§ 9. At vero, nec Decretum huiusmodi ad difficiles animos subiiciendos valuit. Itaque Clemens idem Papa XI, quo illos tandem aliquando fraenaret,

Constitutionem anno 1715 evulgavit, qua solemniter iterum confirmavit antedictas Sacrae Inquisitionis responsiones, easque exacte, et ad amussim observari mandavit, praeclusis omnibus iis effugiis, quibus perfectam eorum observantiam contumaces homines aliquo pacto evadere potuissent; et est tenoris, qui sequitur:

§ 10. *Clementis Papae XI Praeceptum super omnimoda, absoluta, integra, et inviolabili observatione eorum, quae alias a Sanctitate Sua in Causa Rituum, seu Ceremoniarum Sinensium decreta fuerunt: cum reiectione quarumcumque rationum, seu excusationum ad eiusmodi Decretorum executionem declinandam allatarum, ac praescriptione Formulae Iuramenti per Missionarios illarum partium praesentes, et futuros hac in re praestandi.*

Clemens Papa XI. Ad futuram rei memoriam. Ex illa die, etc.

Omittitur Constitutio, quia eam habes supra, in N. 275.

§ 11. Per Constitutionem Apostolicam adeo solemnem, qua Clemens Papa XI se huic controversiae finem dedisse testatur, iustum et aequum videbatur, eos, qui Sanctae Sedis auctoritatem sese quam maxime revereri profitentur, humili, et obsequenti animo illius Iudicio semet omnino subiicere, nec ulterius quicquam cavillari. Nihilominus inobedientes, et captiosi homines exactam eiusdem Constitutionis observantiam se effugere posse putarunt, ea ratione, quod illa Praecepti titulum praefert, quasi vero non indissolubilis Legis, sed Praecepti mere Ecclesiastici vim haberet; tum etiam, quod illam debilitatam existimarent ex Permissionibus quibusdam, quas super iisdem Sinensibus Ritibus publicavit Carolus Ambrosius Mediobarbus Patriarcha Alexandrinus, cum Commissarium, et Visitatorem Generalem Apostolicum in iis Regionibus ageret.

§ 12. Nos igitur animadvertentes, praedictam Constitutionem Christiani Cultus puritatem respicere, quem illa ab omni superstitionis labe immunem servare contendit, nullo modo ferre possumus, quemquam existere, qui eidem repugnare temere audeat, aut contemnere, perinde ac ipsa Supremam Apostolicae Sedis decisionem non contineret, et id, de quo agitur, non ad Religionem spectaret, sed quid per se indifferens foret, aut quaedam variabilis disciplinae ratio: proinde auctoritate ab Omnipotenti Deo Nobis tradita uti volentes ad illam in suo robore omnino servandam, de authoritatis eiusdem plenitudine, non modo eam approbamus, et confirmamus, sed etiam, quantum possumus, omnem vim, et firmitatem ad illam magis, magisque roborandam, ac stabiliendam, adiicimus, eamque in se plenam, ac omnimodam Apostolicae Constitutionis auctoritatem habere dicimus, et declaramus.

§ 13. Permissiones autem, quarum obtentu aliqui praedictae Constitutionis robur infringere conantur, originem duxerunt a Responsionibus quibusdam, quas duo viri, qui iam pridem in Sinarum Regno fuerant, ad quaesita nonnulla dederunt, quae super eiusdem Constitutionis Apostolicae executione, ac praxi, Missionarii quidam proposuerunt. Responsiones itaque huiusmodi, una cum dubiis illis, nullo tamen Romani Pontificis, sive approbantis, sive aliquid de suo addentis indicio, transmissae fuerunt ad praefatum Patriarcham Alexandrinum, eius animi instruendi causa, utque illis uteretur prout circumstantiae rerum, ac temporis postularent: integro tamen rema-

nente Apostolicae Sedis Iure eas comprobandi, vel etiam revocandi, si quando conformes, aut repugnantes Constitutionis praefatae decretis ullo modo compertae forent.

§ 14. Vix Sinarum Regnum Patriarcha Alexandrinus ingressus, in iis angustiis se positum intellexit, ut coactus fuerit in publicum emittere, non quidem Responsiones, quas praememorati duo Viri ad proposita quaesita dederant, bene vero Permissiones octo, quae ab illis fuerant deductae, atque inde ab eodem Patriarcha in Pastorali sua Epistola insertae, cuius tenor est, ut sequitur:

§ 15. *Carolus Ambrosius Mediobarbus, Dei, et Apostolicae Sedis gratia Patriarcha Alexandrinus, necnon in Indiis Orientalibus, ac Sinarum Imperio, finitimisque Regnis, et Insulis Commissarius, et Visitator Generalis Apostolicus cum facultate Legati de Latere etc. Omnibus Episcopis, Vicariis Apostolicis, ac Missionariis, qui in praedictis partibus degunt, salutem in eo, qui est omnium vera salus.*

Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus, et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur et ipsi a Deo. Nil etenim Nobis magis in animo fuit, ex quo in Sinarum Imperium, Deo favente, pervenimus, quam cum iis omnibus, qui in hac Evangelica Vinea laborant, os ad os loqui. Desideravimus enim videre vos, ut aliquid impertiremur vobis gratiae spiritualis ad confirmandum vos, idest simul consolari in vobis per eam, quae in invicem est, fidem vestram atque meam. Verum, quia non sapientiam huius saeculi loquuti fuimus, in timore, et tremore multo fuimus apud vos, satiusque duximus, ad sedandam tempestatem adversus Evangelicos Operarios ingruentem, Nos in mare proiicere, ut vos iactari sinatis. Adiutor noster nunc et erit ille Deus, qui dedit Nobis in mari viam, et in aquis torrentibus semitam. Veritatem dicimus in Christo, non mentimur, testimonium Nobis perhibente conscientia nostra in Spiritu Sancto; quoniam tristitia Nobis magna est, et continuus dolor adhaeret cordi nostro, quod praesentes non potuerimus solari vos, ut fructum aliquem haberemus, et in vobis, et in caeteris gentibus.

At vero, quod non licuit per praesentiam agere, saltem per epistolam non impedimur. Primum quidem gratias agimus Deo nostro per Iesum Christum pro omnibus vobis, qui Spiritu Sancto ferventes, et fortes, Sanctae Sedis mandatis rationabile exhibetis ministerium vestrum, iactantes cogitatum in eum, cui a Domino dictum est: Pasce oves meas; *cui traditae sunt claves Domus David; si aperit, non est qui claudat; si claudit, non est qui aperiat. Quotquot estis, macte animis, vigilate, state in fide, viriliter agite, et confortamini, quia merces vestra magna est in Coelis. Ministerium vestrum implete, attendite vobis, et doctrinae. Lucernae estote, non minus lucentes exemplo, ac zelo praedicationis ardentes. Si qui vero adhuc essent haesitantes, et in opere non efficaces, obsecramus vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis Schismata, sitis perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia. Non amplius invicem iudicemus. Unusquisque vestrum pari humilitate, ac obedientia Sanctae Sedis mandatis obsequatur, ut vestra obedientia in omnem locum divulgetur.*

Non enim opus est, ut aliquem actum faciamus, ut Sanctissimi Domini Nostri Clementis Papae XI mandata iam promulgata vobis innotescant, vimque habeant, ut absque ulla tergiversatione executioni mandentur. Nihil proinde innovamus: sed relinquimus res, prout sunt; hoc est, nullatenus Constitutionem super Ritibus Sinicis a Sanctissimo Domino Nostro Clemente Papa XI die 19 Martii 1715 emanatam[1] *suspendimus, aut, quae in ea vetantur, permittimus.*

Ob aliqua tamen quibusdam Missionariis circa quasdam Ceremonias peragi consuetas suborta dubia, ut quilibet in Vinea Domini strenue, ac viriliter laborare queat, nonnulla adnotamus, quae permitti poterunt: quae et separatim unicuique secundum quaesita dedissemus, nisi compertum Nobis esset, una cum incertis nuntiis iam disseminata, proborum animos, et Christifideles bonae voluntatis non parum perturbasse. Omni igitur, quo poteritis, studio, ac diligentia curare debetis, ut Gentium Ceremoniis penitus sublatis, illi sensim a Christianis, et pro Christianis usu recipiantur Ritus, quos Catholica Ecclesia pie praescripsit.

Primo. *Permittitur Christianis Sinensibus in suis privatis domibus uti Tabellis defunctorum inscriptis solo nomine defuncti, apposita ad latus declaratione debita, et omissa quacumque superstitione in earum constructione, necnon secluso omni scandalo.*

Secundo. *Permittuntur omnes Ceremoniae Nationis Sinicae erga defunctos, quae non sint aut superstitiosae, aut suspectae, sed civiles.*

Tertio. *Permittitur Confucii Cultus ille, qui civilis est, et etiam eiusdem Tabellae purgatae et literis, et superstitiosa inscriptione, et adiuncta declaratione debita; sicuti permittitur ante eius Tabellam correctam accendi candelas, uri odores, apponi comestibilia.*

Quarto. *Permittuntur pro usu et expensis funerum offerri candelas, odores, adiuncta in schedula debita declaratione.*

Quinto. *Permittuntur reverentiae genuflexionum, et prostrationum erga Tabellam correctam, aut etiam erga feretrum, aut defunctum.*

Sexto. *Permittitur praeparari mensas cum dulciariis, fructibus, carne, et cibis usualibus circa, aut coram feretro, ubi sit Tabella correcta, cum debita declaratione, et omissis superstitiosis, pro quadam honestate tantum, et pietate erga defunctos.*

Septimo. *Permittitur coram Tabella correcta reverentia dicta* Ko teu, *tum in anno novo Sinico, tum in aliis anni temporibus.*

Octavo. *Permittitur coram Tabellis reformatis accendi candelas, uri odores cum debitis cautelis, sicuti etiam ante tumulum, ubi pariter collocari possunt cibi, ut supra dictum est, adhibitis cautelis, ut in superioribus.*

Apostolici ergo viri Ecclesiam adhibentes non habentem maculam, neque rugam, ponant manum suam ad aratrum, nec respiciant retro. Videte, fratres, vocationem vestram; non enim auditores Legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Obsecramus itaque vos, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Ne

[1] Cf. N. 275.

diutius agamus secundum potestatem, paterne vos commonere voluimus per Epistolam. Amabilem illum Patremfamilias, qui exiit primo mane conducere Operarios in Vineam suam, audite: Quid hic statis tota die otiosi? Ite et vos in Vineam meam. *Vocem Patris perpendite, et illam Iudicis timete. Ipsi vos probate; virtus enim Dei erit vobis in auxilium, ac plenam ministerio Verbi Dei functi recipietis mercedem, immarcescibilem nimirum a Pastorum Principe gloriae coronam. Ne quis vos seducat inanibus verbis obedire veritati. Scitote, quod obedientes voci eius, qui misit vos, rationem non eritis reddituri pro animabus, sed unusquisque vestrum pro se rationem reddet Deo. Quicumque sub diversis praetextibus cessandum sibi putat a ministerio Missionarii, laedit animam suam, et de alienis aeterno Iudici rationem reddet. Quam dabit homo commutationem pro anima sua, et pro alienis? Deus est vitis vera, vos palmites. Qui non ferent fructus in eum, arescent tamquam palmites; et collecti, et alligati in fasciculos ad comburendum mittentur in caminam ignis inextinguibilis. Respicite Dominum nostrum Iesum Christum secus viam ambulantem, qui in fici arbore nihil invenit, nisi folia tantum, et ait illi:* Nunquam ex te nascantur fructus in sempiternum. *Si aliqui palmites iamdiu conversi in amaritudinem, qui expectabantur ut tandem facerent uvas, spinas super spinas adiecissent, vae, vae a die irae, a die furoris, et indignationis Domini! Attendite ad verba, quae mandat vobis per Servum suum Dominus adhuc misericors. Revertimini ad Deum vestrum, manete in eo, qui manens in vobis purgabit vos, et desideratos cunctis gentibus fructus afferetis. Apostolico satisfecisse nos muneri iudicamus; non enim subterfugimus, quominus annuntiaremus omne consilium Dei vobis, ut nullam excusationem habeatis de peccatis vestris. De caetero quotquot eritis obedientes, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, et Deus pacis, et dilectionis erit vobiscum.*

Cum vero ad promovendam in Neophitis debitam Decretis Apostolicis obedientiam, praesentium nostrarum Literarum notitiam iisdem Neophitis minime necessariam esse, sed satis esse eos in viam salutis dirigere, iuxta Pontificiae Constitutionis praescripta, compertum sit; ne quis eorum, ad quos praesentes Literae directae sunt, cuiuscumque Ordinis, aut Instituti, aut Congregationis fuerit, aut Societatis etiam Iesu, praesentes Literas, aut quae in eis continentur (exceptis Permissionibus, quae quidem caute, et ubi necessitas tantum, aut utilitas postulaverit, patefaciendae erunt) sive directe, sive indirecte per se, vel per alium voce tenus, aut scripto in Linguam Tartaram, aut Sinicam vertat, aut quocumque modo cuilibet, qui Missionarius non sit, nota faciat, sub excommunicationis latae sententiae, a qua nonnisi a Nobis, aut a Summo Pontifice (praeterquam in articulo mortis constitutus) absolvi possit, et quoad Regulares etiam privationis vocis activae, et passivae, poenis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrendis, tenore praesentium vetamus, et in virtute sanctae obedientiae prohibemus. Datum Macai in Palatio nostrae Residentiae die 4 Novembris anno 1721.

§ 16. Cum autem Patriarcha Alexandrinus in praeallata Pastorali mentem suam satis prudenter explicuisset, nimirum Pastoralis huius suae Epistolae notitia opus non esse ad promovendam in Neophitis erga Pontificia Decreta venerationem, et observantiam, cum satis esset, ut iuxta Constitu-

tionis Pontificiae mandata in via salutis dirigerentur; praeterea cum omnibus, et quibuscumque interdictum voluisset, sub poena quoque excommunicationis latae sententiae, ne quis illam in Sinensem, aut in Tartaricum sermonem verteret, aut cuiquam, qui Missionarius non esset, eam palam faceret; de Permissionibus autem cum statuisset, nonnisi caute, et ubi tantum utilitas, vel necessitas id postularet, esse evulgandas: profecto omnis, ad quem Pastoralis illa dirigebatur, ex tali procedendi modo haud obscure inferre debebat, quantis ille animi angustiis obsessus, et quam anceps, ac perplexus in Permissionibus huiusmodi proponendis extitisset; adeo ut oeconomia quadam usus fuisset ad loci, et temporis circumstantias prorsus necessaria: a qua putandum est eum recessurum fuisse, si libertas sibi data esset rem discutiendi cum Episcopis, aliisque doctis Viris, qui nihil aliud, quam Christiani cultus puritatem, et Apostolicae Constitutionis observantiam ante oculos haberent.

§ 17. At Permissiones illae contra expressam adeo Patriarchae ipsius voluntatem, evulgatae, et quod mirum, Pekini Episcopus per binas suas Pastorales mandavit, sub poena suspensionis ipso facto incurrendae, universis Dioecesis suae Missionariis, ut observarent, et observari praeciperent Constitutionem: *Ex illa die,*[1] iuxta Permissiones, quas ipse contendebat, ad ea potissimum referri, quae in praecitata Constitutione fuerant solemniter interdicta. Praecepit insuper, ut Christifideles quater singulis annis in diebus omnium celeberrimis distincte instruerentur cum iis, quae Constitutione Apostolica prohibentur, tum in iis, quae a Patriarchae Alexandrini Pastorali permittuntur.

§ 18. Enimvero Clemens Papa XII Praedecessor noster, tam audax Episcopi Pekinensis factum aequo animo ferre haud potens, muneri suo maxime interesse iudicavit binas illas Epistolas damnare, ac penitus reprobare Apostolico Brevi, quod anno 1735 promulgavit: in quo sibi, ac Sanctae Sedi facultatem reservavit, declarandi Sinensibus Christianis mentem suam, et eiusdem Sanctae Sedis sententiam in iis, aliisque, quae ad materiam huiusmodi spectarent. Praefatum autem Breve est tenoris sequentis:

§ 19. *Clementis Papae XII Revocatio, annullatio, et cassatio duarum Epistolarum Pastoralium bonae memoriae Francisci Episcopi Pekinensis nuper defuncti, die VI Iulii, et die XXIII Decembris MDCCXXXIII circa Ritus Sinenses editarum.*

Clemens Papa XII. Ad perpetuam rei memoriam. Apostolicae sollicitudinis Nobis divinitus commissae ratio Nos admonet, ut ea, quae Christianae Religionis, Catholicaeque Fidei propagationi, ac incrementis quacumque ratione obsistere posse dignoscuntur, quantum Nobis ex alto conceditur, recidere, ac e medio tollere studeamus. Cum itaque, sicut ad Apostolatus nostri notitiam pervenit, occasione binarum Epistolarum, quas Pastorales vocant, bon. mem. Francisci, dum viveret, Episcopi Pekinen. nuper defuncti, die 6 Iulii, et 23 Decembris anni 1733 circa Ritus Sinenses editarum, graves in Imperio Sinarum inter Apostolicos illarum partium Missionarios exortae fuerint dissensiones, quae uberes fructus, quos Sancta Mater Ecclesia ex assiduo Operariorum in

[1] Cf. N. 275.

illam Agri Dominici partem missorum labore praestolatur, impedire, aut morari possent: Nos, ut pristina inter eos Missionarios pax, et animorum concordia, sublatis quibusvis dissidiis, restituatur, de opportuno in praemissis remedio providere volentes, ac Epistolarum praedictarum tenores, et alia quaecumque etiam specificam, et individuam mentionem, et expressionem requirentia, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et exacte specificatis habentes, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, qui iussu nostro Epistolas ipsas sedulo, ac diligenter examinarunt, consilio, ac etiam motu proprio, et ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, binas memorati Francisci Episcopi Pekinensis Epistolas Pastorales praefatas, ac poenas, et alia quaecumque in eis contenta, cum omnibus, et singulis inde secutis, et forsan quandocumque secuturis, penitus, et omnino nulla, invalida, et irrita, nulliusque prorsus roboris, et momenti esse, et perpetuo fore, tenore praesentium declaramus: et nihilominus, ad maiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia, et singula motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus, harum serie itidem perpetuo revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, et abolemus, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuamus, ac pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, et abolitis, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuis semper haberi volumus: Nobis insuper, et Apostolicae Sedi reservantes facultatem Christifidelibus in eodem Regno degentibus aperiendi nostram, et dictae Sedis mentem, post maturam itidem habitam deliberationem, super aliis rebus, quae huiusmodi materiam respiciunt.

Decernentes ipsas praesentes Literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus, et singulis, ad quos quomodolibet spectat, et pro tempore quandocumque spectabit; praesertim vero Archiepiscopis, Episcopis, Vicariis, Pro-Vicariis, et Missionariis Apostolicis tam saecularibus, quam cuiusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, et Societatis, etiam Iesu, Regularibus in supradicto Sinarum Regno nunc, et pro tempore existentibus, inviolabiliter, et inconcusse observari; sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, et Sedis praefatae Nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Volumus autem ut earundem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in Iudicio, et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die XXVI Septembris MDCCXXXV, Pontificatus Nostri Anno Sexto.

F. Card. Oliverius.

§ 20. Id vero quod idem Pontifex Clemens XII sibi, ac Sanctae Sedi Christianis Sinensibus declarandum reservavit, erat profecto materia Permissionum, de quibus certior iam factus fuerat, deque maxima inde secuta inter Missionarios dissensione; cum alii contenderent, Constitutionem: *Ex illa die*,[1] omnem vim suam amittere, si Permissiones illae in praxi consistant; alii vero factis palam ostenderent, Permissionum colore se ad praedictae Constitutionis observantiam minime teneri, iuxta illa, quae in ipsa Constitutione praescribuntur. Itaque praefatus Praedecessor noster, quo Christianae Religionis puritatem, quae in iis Regionibus per exactam praememoratae Constitutionis observantiam servanda erat, assereret, et controversiis istiusmodi finem aliquando imponeret, examini perquam diligenti totum Permissionum negotium commisit, ita ut a Theologis, tum etiam a Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Sacrae Inquisitioni praepositis, mature serioque disceteretur. Antequam vero supremam de illis sententiam pronuntiaret, ad pleniorem facti notitiam obtinendam, omnes, et singulos, quotquot in Urbe existerent, Sinarum Missionarios, tum etiam complures Iuvenes, qui ex iis Regionibus in Europam, educationis, et Christianae rei addiscendae causa, venerant, ad examen super his, servato iuris ordine, vocari iussit.

§ 21. Nos igitur Praedecessoris nostri vestigiis insistentes, eodemque Religionis zelo, quo ille, incensi, ut tanti momenti opus, quod ipse morte praeoccupatus absolvere minime potuit, aliquando tandem, Deo auxiliante, perficeremus, Permissiones illas, et quidem singulas, coram Nobis summo studio, ac diligentia examinari curavimus; neque laborem nostrum tantum, sed Cardinalium quoque, et Sacrae Inquisitionis Consultorum doctrinam, et consilium exquisivimus; ac tandem satis aperte compertum habemus, antedictas Permissiones nunquam a Sancta Sede probatas, Apostolicae Clementis Papae XI Constitutioni repugnare, atque adversari, utpote quae partim Ceremonias, Ritusque Sinenses a praedicta Constitutione proscriptos admittant, ac veluti probatos atque utendos concedant, partim regulis in ipsa traditis ad vitandum superstitionis periculum opponantur.

§ 22. Nolentes, itaque, quemquam, ad Constitutionem ipsam summo Christianae Religionis damno malitiose evertendam, Permissionibus eiusmodi uti; definimus, ac declaramus, praefatas Permissiones ita esse habendas, ac si nunquam extitissent, earumque praxim tamquam superstitiosam omnino damnamus, et execramur. Itaque praesentis huius nostrae Constitutionis perpetuo valiturae vi revocamus, rescindimus, abrogamus, atque omni vigore, et effectu vacuas esse volumus omnes illas, et singulas Permissiones; easque semper uti cassas, irritas, invalidas, et nullius prorsus roboris, aut vigoris habendas esse dicimus, ac pronunciamus.

§ 23. Praeterea cum Clemens Papa XI in Constitutione: *Ex illa die*, apposuerit haec verba: *Per praemissa nihilominus non vetari, quominus erga defunctos peragi possint alia, si quae sint, quae vere superstitiosa non sint*, etc., Nos dicimus, et declaramus ea verba: *Alia si quae sint*, intelligenda esse de usibus, et Ceremoniis diversis ab illis, quas idem Pontifex Apostolica

[1] Cf. N. 275.

Constitutione iam interdixerat, et quas Nos pariter eadem auctoritate configimus, atque interdicimus, ne antedictis Permissionibus, quas omnino damnatas volumus, ullus in posterum locus pateat.

§ 24. Districte itaque prohibemus, ne quis Archiepiscopus, aut Episcopus, aut Vicarius, aut Delegatus Apostolicus, aut Missionarius, tam Saecularis, quam Regularis, cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Instituti, etiam Societatis Iesu, aliorumque, de quibus expressa, et individua mentio fieri debeat, Permissionibus praedictis ullo pacto uti valeat, sive publice, sive privatim, sive palam, sive clam; neque audeat, vel praesumat Constitutionis paulo ante citata verba aliter, ac Nos supra declaravimus, alicui explicare, aut interpretari.

§ 25. Quare ex praedictorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio, motu quoque proprio, ac certa scientia, maturaque deliberatione, tum etiam de plenitudine Apostolicae potestatis, Constitutionis praesentis tenore, et in virtute sanctae obedientiae praecipimus, et expresse mandamus omnibus, et singulis Archiepiscopis, et Episcopis in Sinarum Imperio, aliisque Regnis, et Provinciis, sive finitimis, sive adiacentibus, nunc existentibus, aut olim pro tempore futuris, sub poenis suspensionis a Pontificalium exercitio, et ab Ecclesiae ingressu Interdicti, eorum vero Officialibus, et Vicariis in Spiritualibus Generalibus, aliisque eorumdem Locorum Ordinariis, Vicariis quoque, au Delegatis Apostolicis, qui Episcopi non sunt, tum etiam eorum Provicariis, et insuper Missionariis universis tam Saecularibus, quam Regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Instituti, etiam Societatis Iesu, sub poenis privationis quarumcumque, quibus gaudent, facultatum, et suspensionis ab exercitio curae animarum, tum etiam suspensionis a Divinis ipso facto incurrendae absque alia declaratione, demum excommunicationis latae sententiae, a qua non possint nisi a Nobis, et a Romano Pontifice pro tempore existente absolvi, praeterquam in articulo mortis constituti, addita quoad Regulares etiam vocis activae, et passivae privationis poena, praecipimus, et districte mandamus, ut omnia, et singula, quae in hac nostra Constitutione continentur, exacte, integre, absolute, inviolabiliter, atque immobiliter non modo ipsi observent, sed etiam omni conatu, ac studio ea ipsa observari curent a singulis, et universis, qui quoquo modo ad eorum curam, et regimen spectant; nec colore, causa, occasione, seu praetextu aliquo, huic nostrae Constitutioni ulla in parte contraire, aut adversari audeant, vel praesumant.

§ 26. Praeterea quod Missionarios Regulares cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Instituti, ac Societatis quoque Iesu, si quis eorum (quod Deus avertat) exactam, integram, absolutam, inviolabilem, strictamque obedientiam denegaverit iis, quae a Nobis praesentis huius Constitutionis tenore statuuntur, ac praecipiuntur; eorum Superioribus tam Provincialibus, quam Generalibus, in virtute sanctae obedientiae expresse mandamus, ut homines huiusmodi contumaces, perditos, ac refractarios a Missionibus absque ulla mora dimoveant, eosque in Europam statim revocent, ac de illis notitiam Nobis exhibeant, ut reos pro gravitate criminis punire valeamus. Quod si praedicti Superiores Provinciales, aut Generales huic nostro praecepto minus obtem-

peraverint, aut in eo desides fuerint, Nos contra ipsos quoque procedere non recusabimus, atque inter caetera mittendi aliquem ex ipsorum Ordine in earum Regionum Missiones privilegio, seu facultate, eos perpetuo privabimus.

§ 27. Postremo, ut haec nostra Constitutio in suo robore semper integra, et firma maneat, volumus quoque, ut ad Formulam Iuramenti a Clemente Papa XI in sua Constitutione[1] praescriptam nonnulla adiiciantur, quae maxime necessaria putavimus. Idcirco omnes, qui praefatae Constitutionis vigore, sub poenis in ea contentis, Iuramentum praestare debebunt, in posterum sequenti Formula utentur, videlicet: *Ego N. Missionarius ad Sinas, vel ad Regnum N., vel ad Provinciam N. a Sede Apostolica, vel a Superioribus meis, iuxta facultates eis a Sede Apostolica concessas, missus, vel destinatus, Praecepto, ac Mandato Apostolico super Ritibus, ac Ceremoniis Sinensibus in Constitutione Clementis Papae XI hac de re edita, qua praesentis Iuramenti formula praescripta est contenta, ac mihi per integram eiusdem Constitutionis lecturam apprime noto, plene, ac fideliter parebo, illudque exacte, absolute, ac inviolabiliter observabo, et absque ulla tergiversatione adimplebo, atque pro virili enitar, ut a Christianis Sinensibus, quorum spiritualem directionem quoquomodo me habere contigerit, similis obedientia eidem praestetur. Ac insuper, quantum in me est, numquam patiar, ut Ritus, et Ceremoniae Sinenses in Literis Pastoralibus Patriarchae Alexandrini Macai datis die 4 Novembris 1721 permissae, ac a Sanctissimo Domino Nostro Benedicto PP. XIV damnatae, ab eisdem Christianis ad praxim deducantur. Si autem (quod Deus avertat) quoquo modo contravenerim, toties quoties id evenerit, poenis per praedictas Constitutiones impositis me subiectum agnosco, et declaro. Ita, tactis Sacrosanctis Evangeliis, promitto, voveo, et iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.*

Ego N. manu propria.

§ 28. Confidimus igitur fore, ut Princeps Pastorum Iesus Christus laboribus a Nobis, qui eius vices in terris gerimus, in hoc gravissimo negotio diu impensis benedicat, ut in amplissimis illis Regionibus Evangelica lux clare, nitideque effulgeat, ac praepotenti manu sua sic pia nostra consilia promoveat, ut Regionum earumdem Pastores intelligant, planeque sibi persuadeant obligationem, qua ipsi tenentur vocem nostram audire, et sequi. Confidimus quoque, Deo favente, ex eorum cordibus inanem illum metum sublatum iri, ne videlicet per exactam Pontificiorum Decretorum observantiam infidelium conversio retardetur. Nam haec a Divina Gratia sperari potissimum debet: quae quidem ab eorum ministerio longe non aberit, si Christianae Religionis veritatem impavide praedicaverint, atque ea puritate, qua ipsis ab Apostolica hac Sancta Sede tradita est, parati quoque ad eam propugnandam sanguinem effundere, exemplo Sanctorum Apostolorum, aliorumque Christianae Fidei clarissimorum propugnatorum, quorum sanguis tantum abfuit, ut Evangelii cursum interciperet, aut retardaret, ut potius Vineam Domini florentem magis, et fidelium animarum copiosiorem effecerit. Nos quidem pro viribus nostris Deum obsecrabimus, ut invictam illis hanc animi firmitatem, et Apostolici zeli robur concedat. Verum ad eorum memoriam dedu-

[1] Cf. N. 275.

cimus, ut, quando ad Sacras Missiones destinantur, se tamquam veros Iesu Christi discipulos cogitent, et ab eodem se missos fuisse, non ad gaudia temporalia, sed ad magna certamina, non ad honores, sed ad despectiones, non ad otium, sed ad labores, non ad requiem, sed ad afferendum fructum multum in patientia.

§ 29. Volumus autem, etc.

[Bened. XIV, Bull., tom. 1, p. 188-204].

330.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Nihil profecto*, 12 aug. 1742.[1]

Nihil profecto Nobis ad vigilias Dominici Gregis assidue excubantibus accidere potuit acerbius, nihilque quod minus hac tempestate opinaremur, quam ut deformes, et inverecundi Ethnicorum mores, a quibus Christiani hominis pudor, et modestia semper abhorruit, denuo isthic invecti essent, ac veluti postliminio restituti. Quamvis enim minime Nos lateret, scelestos olim Lupercalium Administros, Sacra Fauno, vel Pani per ludum, atque lasciviam persolventes, nudos huc illuc per Urbem discurrisse; Sanctumque Pontificem Gelasium Praedecessorem nostrum tanta commotum impudentia, ac obscoenum morem execrantem, literas dedisse Andronico Senatori, Populoque Romano[2] acri nefarii ritus assertori; nihilo tamen minus memoriae proditum est, quinto post Christum saeculo exeunte, Theodorico Italiae Rege, et Anastasio Orientis Imperatore, pestem illam penitus fuisse sublatam, et extinctam. Nunc vero multorum relatu, (quod dolentes dicimus), certisque indiciis admonemur, profanum morem, perpetua involvendum caligine, e tenebris antiquitatis rursus emergere, ac in Vestris Dioecesibus foede revocari, cum ad Sanctorum Patronorum Festa solemniter recolenda, Pueri, ac interdum Adolescentes, cursu in spem Bravii nudi contendere iubeantur, maxima utriusque sexus, ac omnium aetatum spectante frequentia. Quae quidem spectacula eo nequitiae magis, ac improbitatis praeseferunt, quo magis non impuro alicui, ut antea, Numini, sed piae, castaeque Sanctorum memoriae nuncupantur.

§ 1. Qua igitur corporis nuditate impudentissime habita sunt apud veteres Lupercalia, eadem Festi Christianorum Dies istic celebrantur; nec minus iniuriae in illis verecundia passa est, quam in his hodie morum honestas habeat detrimenti. Dies Festi non ad id instituti sunt, ut Christianus Populus epulis, ebrietatibus, ludis, spectaculis, aliique id genus licentiae liberius vacet; sed ut Fideles in precibus, divinisque laudibus frequentes, et assidui sint, ut Ecclesiis intersint, Sacramenta ad animae vulnerum curationem instituta adhibeant, seduloque se exerceant in his operibus, quae veram pietatem continent, et ut demum Sanctos una cum Christo Regnantes, tamquam Patronos, congruis officiis, et honoribus prosequantur.

[1] Venerabilibus Fratribus, Episcopis Provinciarum Maritimae, et Campaniae, aliorumque locorum, etc.

[2] *Sedent quidam.* – Cf. Mansi, tom. 8, col 95-101.

§ 2. Dedecet praeterea membrorum nuditas, atque ita dedecet, ut vetuerit Ecclesiastica disciplina Salvatoris Imagines nudo penitus corpore in Tabulis, vel Simulacris expressas. Et quamvis nudo corpore Christum Cruci suae affixum, et illorum temporum mores, et gravium Scriptorum auctoritas suadeant; adhuc Christianorum Pietas a tali spectaculo semper abhorruit. Athletarum pugnae (ut literis consignatum est) in Stadio apud Graecos, in Circo apud Romanos usui fuere, atque in illis Disco, Lucta, et Coestu strenue certatum est; utque Veterum testantur monumenta, interdum nudi, interdum etiam fascia tecti homines dimicarunt. In vestris igitur Dioecesibus, Venerabiles Fratres, nonnihil priscae licentiae adhuc remanet. Et cum in Plateis seminudi his luctationibus vacent homines; cumque ex industria saepius, saepius vero ex violento motu nudi penitus circumagantur: facile quisque coniicere potest, quam absonum, et indecorum sit, his ludis aditum non intercludere.

§ 3. Quapropter ne iniuncto Nobis Apostolicae servitutis officio deesse videamur, districte per haec scripta mandamus, ut turpes, et obscoenae huiusmodi exercitationes, Puerorum, et Adolescentum nudorum cursus, luctaeque, quocumque nomine, vel occasione exhibendae, a vestris Dioecesibus eliminentur. Et quia inobedientiae delictum, mixti, ut aiunt, Fori videri potest; curabimus diligenter, ut si qui legum vestrarum rationi fuerint refragati, in eos, etiam qui nostro nomine Civitatibus temporaliter praesunt, rigide, et condigne animadvertant; sicque fore speramus, ut foeda haec corruptela, utroque percussa gladio radicitus evellatur.

§ 4. Verum quia impioribus etiam Causis Vindices non desunt, et perpugnaces Assertores, si qui forte sint, qui impudenter exprobrent, huiusmodi ludos Pontificum Antecessorum tolerantia, ac diuturno usu invaluisse: hi probe sciant, nullum ex temporis lapsu deploratae Causae comparari praesidium. Et ne longe a vestris Dioecesibus petantur exempla, in memoriam revocent, choreas etiam quasdam Mulierum, et Virorum publice eo die haberi solitas, quo S. Xisti Pontificis, et Martyris Alatrinae Civitatis Patroni recolebatur, iussu Episcopi provide vetitas fuisse; et Edictum Episcopi, licet aeri calamo Romanae Curiae Advocatorum impetitum, die 2 aprilis 1694 a Congregatione Negotiis Episcoporum, et Regularium praeposita, strenue fuisse propugnatum. Caeterum cum Sancto etiam Gelasio obiiceretur, antiqui moris fuisse Lupercalia; Sanctissimus Pontifex consuetudinem pudori inimicam, et honestati detrahentem reprobavit, ratus Praedecessorum suorum leges saluberrime institutas non defuisse, sed hominum fraude, et malitia leges ipsas fuisse contemptas.

§ 5. Quemadmodum itaque Nos de perspecta Praedecessorum nostrorum vigilantia egregie, ut par est, sentimus, et abusum non illorum incuriae, sed Subditorum inobedientiae ducimus referendum: sic a Vobis spectabiles Ecclesiarum vestrarum Antistites a quavis negligentiae nota vindicentur. Quanti Dei honorem, Sanctorum cultum, et animarum salutem facitis, Venerabiles Fratres, vos hortamur, et obtestamur, ut corrupti huiusmodi mores, specie quadam laetitiae invecti, reformentur, utque creditae Vobis Oves ab impuro, profanoque Ritu declinantes, ad piam, et fructuosam Festos dies celebrandi

rationem traducantur. Nos interea, in optati eventus auspicium, Apostolicam Benedictionem ex animo Vobis impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 205, 206].

331.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Certiores effecti*, 13 nov. 1742.[1]

Certiores effecti, pullulare in nonnullis Italiae Dioecesibus controversiam de obligatione, qua Sacerdotes Missas celebrantes adstringantur Eucharistiam ministrare intra easdem fidelibus iis, qui ad ipsam accipiendam paratos se exhibent, ac petunt Sacrificii, cui adstant, participes fieri; Nostro proinde animo reputavimus, gliscenti malo Apostolicae huius paginae documento obviam ire, ne ulterius, haud absque fidelium eorumdem scandalo, progrediatur. Itaque, Venerabiles Fratres, sermonem Nostrum ad Vos convertimus, ut ipsi quoque Pastoralis hac in re Officii partes minime negligatis.

§ 1. Ac primo quidem dicendum Nobis occurrit, nemini ex fidelibus in mentem venire posse, Missas privatas, in quibus Sacerdos solus sacram sumit Eucharistiam, propterea veri, perfecti et integri Sacrificii incruenti a Christo Domino instituti rationem amittere, ideoque illicitas esse existimandas. Nec enim ignorant fideles, aut saltem facile edoceri possunt, Sacrosanctum Tridentinum Concilium, innixum doctrinae, quam perpetua Ecclesiae Traditio servavit, huic adversantem novam falsamque Lutheri sententiam damnasse sess. 22, cap. 6 et can. 8: *Si quis dixerit, Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas: anathema sit.*

§ 2. Nihilominus, quandoquidem vetus Ecclesiae praxis, et disciplina, iuxta quam fideles Missis adstantes participare passim atque in publicis conventibus solebant Sacrosanctum Sacrificium, institutioni, et exemplo Christi Domini omnimode convenit, verba eiusdem Concilii eo ipso spiritu, quo ab eodem prolata sunt, iteramus: *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius Sacrificii fructus uberior proveniret.* Utinam autem eo ipso Christianae pietatis fervore, quo primorum saeculorum fideles exardebant, nostrorum quoque temporum homines inflammati, avide ad publicam sacram Mensam advolare, sanctorumque Mysteriorum solemnitati non adesse tantum, sed religiose eorumdem participationem exoptare conspicerentur. Nulla certe res est, qua utilius Episcopi, Parochi, Confessarii studium suum omne impendere valeant, quam in excitandis fidelibus ad eam mentis puritatem sectandam, unde digni reddantur frequenti ad sacram Mensam accessu, et non spirituali tantum, sed Sacramentali etiam participatione illa Sacrificii, quod a Sacerdote, tamquam publico Ecclesiae Ministro, non pro se tantum, sed pro ipsis, et ipsorum nomine offertur.

[1] Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis Italiae.

§ 3. Et quamvis de eodem Sacrificio participent, praeter eos, quibus a Sacerdote celebrante tribuitur in ipsa Missa portio Victimae a se oblatae, ii etiam, quibus Sacerdos Eucharistiam reservari solitam ministrat; non tamen idcirco, aut vetuit unquam Ecclesia, aut modo vetat, satisfieri ab ipso Sacerdote pietati, et iustae eorum petitioni, qui Missae adstantes, ad consortium admitti postulant eiusdem Sacrificii, quod et ipsi pariter offerunt ea ratione, quae ipsos decere potest: immo probat atque cupit, ne id omittatur, eosque Sacerdotes increparet, quorum culpa, et negligentia fidelibus participatio illa denegaretur.

§ 4. At quoniam in Ecclesia Christiana opus est cuncta ordinate, et congruenter disponi; Pastores vigilantiam et curam suam conferent, ut ex una parte fidelium pietas minime fraudetur eo accessu, eaque participatione; ex alia vero ita utrumque sortiatur, quin ulla in laudabilibus aliis institutis oriatur perturbatio, unde facile confusio etiam, et scandalum oriretur. Quare Pastores monere debent eosdem fideles, ut participes esse cupientes sacrae Mensae (quod maximopere probandum diximus), studeant tempus, locum, et circumstantias nancisci, quibus et ipsi iustorum votorum suorum compotes evadant, nec instituta illa pietatis impediant. Hisque pastorum suorum monitis fideles sese dociles praebentes, cavebunt, ne sibi iniuriam factam querantur, si quandoque pro tempore, loco, et personis, Episcopus minime opportunum censuerit, a Sacerdote celebrante, Eucharistiam distribui iis, qui adstant; quibus scilicet eo ipso tempore facilis, et obvia suppetit ratio ad eamdem Mensam accedendi, pluribus aliis locis cuivis instructam.

§ 5. Haud aegre Episcopi, et Parochi id fidelibus persuadebunt, quoties ipsis significent ex Ecclesiae disciplina, quae modo viget, non quidem difficiliorem, sed faciliorem evasisse iisdem participationem, quam optant. Siquidem veteri more in singulis Ecclesiis passim unica Missa celebrabatur, cui fideles adstabant, indeque participabant; quin a solis propriis Pastoribus, quemadmodum reliqua Sacramenta, ita etiam Eucharistiam licite accipere valebant; hisce vero temporibus, ex Sacerdotum celebrantium, ex locorum, Altariumque, quibus ea celebratio publice peragitur, multiplicitate, patet cuilibet ,facile parabilis sacra Mensa, et ad sacrum Convivium admissio. Sin autem iidem fideles ita moniti, importune insisterent pro recipienda Eucharistia in iis temporis, loci, et personarum circumstantiis, quas excipiendas censuisset Episcopus, Ritualis Romani[1] auctoritate etiam fretus; haec illorum petitio, utpote nec iusta, nec rationabilis, contumacem, ac refractarium animum demonstraret, cupidumque perturbationis, ac proinde minime compositum Eucharistiae qua par est pietate percipiendae.

§ 6. Dum Pastores erga fideles ita se gerent, dumque fideles Pastorum dictis pronas ita aures accommodabunt, orietur absque ulla dubietate pax illa perfecta, atque concordia, qua capita invicem, et membra magnopere colligari decet; desinentque importunae illae controversiae, quae eo tandem tendunt, ut turbas gignant, ac scandalum, verique animarum fructus, quo nihil Pastori carius esse debet, perniciem. Verbis itaque Apostoli Pauli ad

[1] Tit. IV, c. 2, *Ordo administrandi sacram communionem*, n. 10.

Corinthios utimur: *Obsecro Vos, Fratres, per nomen Domini Nostri Iesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in Vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia.* Quae quidem dum Vobis, Venerabiles Fratres, per haec Apostolica scripta nota esse volumus, in felicitatis auspicium, et Paternae dilectionis pignus, Apostolicam Benedictionem impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 212-214].

332.

Benedictus XIV, motu propr. *Essendo*, 23 nov. 1742.

Essendo ben gravi le controversie, che con pregiudizio non meno del pubblico, che del privato Interesse accadono spesse volte nelle deliberazioni degli Appalti de' nostri Beni Camerali, a cagione delle competenze, che insorgono tra gli Oblatori; crediamo esser parte della nostra suprema vigilanza, e di quel molto desiderio, che abbiamo sempre coltivato, di togliere, per quanto possibile sia, ogni semenza di litigio, il porgere alle medesime un convenevole provedimento, colla norma fissa, ed invariabile delle seguenti leggi, e determinazioni.

I. Che negli Appalti Camerali, un anno almeno prima, che termini ciaschedun Appalto, si debbano invitare per mezzo de' soliti Editti coloro, che vogliono attendervi, a dare ciascheduno per un tal giorno determinato l'Offerta sua chiusa, e sigillata.

II. Che venuto il giorno prefisso negli Editti, debbano aprirsi le Offerte in piena Congregazione Camerale, e debba deliberarsi l'Appalto, *prout de Iure*, al maggiore, e miglior Oblatore, salvo però sempre alla medesima Congregazione l'arbitrio di prorogare con altri nuovi Editti il termine da offerire, quando creda, che niuna delle Offerte, che saranno state date, sia giusta e ragionevole, relativamente allo stato allora presente dell'Appalto.

Quali ordini in avvenire vogliamo, ch'esattamente siano osservati in tutte le deliberazioni degli Appalti Camerali, sotto pena della loro nullità, da incorrersi ipso facto, et ipso Iure, senz'altra dichiarazione di Giudice, e che a tenore de' medesimi ordini debba seguire la pubblicazione, e rinnovazione degli Editti, e la stipolazione de' suddetti Appalti, anzi giusta la di loro forma si debbano intender pubblicati gli Editti, consumate le deliberazioni, e stipolati li pubblici Istromenti; perche così, e non altrimenti ordiniamo, e comandiamo, e come legge vogliamo, che inviolabilmente si osservi, per esser così mente, e volontà nostra precisa. Volendo, e decretando, che la presente nostra Cedola di Moto proprio, da ammettersi, e registrarsi in piena Camera, e ne' suoi libri, secondo la bolla di Pio IV nostro Predecessore *de registrandis*,[1] vaglia, e debba avere sempre il suo pieno effetto,

[1] Const. *Cum inter ceteras*, 1 nov. 1564, § 49. - Bull. Rom., tom. 4, II, p. 193-201.

esecuzione, e vigore colla nostra semplice sottoscrizione, e che non gli si possa mai opporre di surrezione, orrezione, nè di alcun altro vizio, o difetto della nostra volontà, ed intenzione; e che così, e non altrimenti, debba sempre nelle cose premesse giudicarsi, definirsi, decidersi, ed interpretarsi dal Reverendissimo Cardinal Camerlengo, da Monsign. Tesoriere Generale, dalla piena Camera, e da qualunque altro Giudice, e Tribunale, sebbene Collegiato, e composto di Reverendissimi Cardinali; togliendo loro, ed a ciascheduno di essi la facoltà, ed autorità di giudicare, definire, ed interpretare diversamente; dichiarando fin da ora nullo, irrito, ed invalido tutto ciò, che si facesse, o si tentasse di fare in contrario.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 214-217].

333.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Cum illud*, 14 dec. 1742.[1]

[Cf. Codicis Iuris Canonici Docum IV. - Cf. etiam Bened. XIV Bull., tom. I, p. 220-228].

334.

Benedictus XIV, const. *Apostolicae servitutis*, 14 mart. 1743.

Apostolicae servitutis officium, quod humeris nostris, licet imparibus, inscrutabilis imposuit Divini altitudo consilii, illius Nos saepe admonet sollicitudinis, quam Romanum Pontificem, ad procurandam omnium Ecclesiarum tranquillitatem, earumque tuenda commoda, et iura, vigili cura oportet impendere; ut Episcopi ad easdem regendas a Spiritu Sancto positi, avulsis omnium dissensionum seminibus, commisso sibi gregi attendentes, ministerium suum in dulcedine pacis adimpleant.

§ 1. Cum itaque ad nostri Apostolatus auditum, publico primum sermone, ac fama, et deinde demissa Venerabilis Fratris Macarii Episcopi Conversani expositione nobis humiliter facta, delatum sit, inter Episcopos pro tempore Conversanos ex una, ac dilectos filios Magnum Magistrum, et Fratres Milites militiae S. Ioannis Hierosolymitani ex altera partibus, annosam litem, et iam senescentem intercessisse, super exercitio iurisdictionis Ordinariae in Oppido *Putiniani*; litemque ipsam, tametsi a bon. mem. Caesare Lambertino Episcopo Insulano, vigore commissionis signatae manu fel. recor. Leonis Papae X Praedecessoris, per definitivam sententiam olim diremptam, nihilominus denuo in Foro instauratam fuisse, et in Causarum Palatii nostri Apostolici Auditorio, magno ipsorum litigantium incommodo, ac dispendio, diutissime exagitatam, et per varias ambages ad hanc diem protractam, et adhuc in eodem Auditorio pendentem, maiori utriusque partis

[1] Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis.

detrimento in diem magis magisque protrahi posse: Idcirco ut celerius et expeditius, quo fieri posset, eidem tandem finis imponeretur, servata tamen, sancteque, ut par est, custodita Canonicarum legum, et sanctionum censura, Nos Praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, praecipue Innocentii PP. III morem, et exempla secuti, qui restituendae pacis, et concordiae solliciti, ad parcendum litigantium expensis, et temporis diuturnitati consulendum, non detrectantes onus, et laborem cognitionis ipsarum controversiarum, Apostolicae auctoritatis, et providentiae partes non semel per se ipsi interposuere, causam huiusmodi fere interminabilem, et perpetuam, ad Nos avocavimus, eamque, adscitis in consilium dilectis Filiis Causarum Palatii nostri Auditoribus, et allegationibus iuris, et facti diversorum Iurisperitorum, qui utrique parti aderant, et iura strenue tuebantur, tum voce, tum scripto coram Nobis deductis, et saepius a Nobis auditis, lectis, et diligenter consideratis, supremo iudicio nostro decidendam, et debito fine duximus terminandam.

§ 2. Sane licet vetustissima huius contestatae litis primordia, si altius ab origine sua repetantur, prae vetustate admodum obscura, et involuta sint; illud tamen certum, firmumque, et indubitatum est, Oppidum *Putiniani* situm esse in Dioecesi Conversana, eiusque finibus contineri, nec illius positionem intra Dioecesis ambitum, impugnatam unquam fuisse ab iis, qui acri et diuturna contentione, pro sibi asserenda contra Episcopum Ordinaria iurisdictione decertarunt. Quo quidem posito, quod in dubium revocari nequit, certi iuris est, iurisdictionem in dicto Oppido exercendam acquiri tantum potuisse, aut ex vi clari et manifesti privilegii Apostolici, adimentis Episcopo, et Praelato inferiori tribuentis aliquam Territorii partem, a reliqua Dioecesi prorsus separatam, et quodammodo avulsam, aut, deficiente privilegio expresso, ex vi consuetudinis immemorabilis stricte cum suis requisitis conditionibus comprobatae. Continuata enim, et pacifica, atque hominum memoriam longe excedens omnium actuum iurisdictionalium exercita possessio, ipso vidente, et acquiescente Episcopo, tantae virtutis, et efficaciae esse censetur, ut iurisdictio Ordinaria, et Territorialis, quae privilegio expresso adscribi non potest, saltem praesumpto videatur referenda.

§ 3. Firmissimo huic iuris Canonici enunciato refragari posse videbantur aliquae Tribunalium, et Iurisconsultorum in Foro sensim receptae opiniones, asserentium iurisdictionem Ordinariam, etiam in alienae Dioecesis parte, adstrui sibi facile posse a Praelato inferiori ex sola quadragenaria possessione, cum titulo, ut vocant, colorato. Verum enim Nos, cum adhuc in minoribus existentes, munere Secretarii Congregationis S. R. E. Cardinalium super interpretatione, et executione Decretorum Concilii Tridentini fungeremur, ad cohibendam huiusmodi propositionum licentiam, et ad inconsultam Canonici iuris interpretationem coercendam, rationum momenta, quae pro utraque sententia afferebantur, expendimus, tractatu in scriptis a Nobis pro ingenii nostri virium facultate elucubrato, et publicis typis impresso. Subinde vero, ut omnis in posterum dubitandi occasio praecideretur, et una esset in Foro certa, et immota iudicandi ratio, sublato quovis dissidentium opinionum conflictu, fel. rec. Clemens Papa XI Praedecessor noster

ea, quae a Nobis literis consignata fuerant, examinanda commisit Congregationi Particulari quinque S. R. E. Cardinalium, et totidem Praelatorum, doctrina, et integritate praestantium, Nobis etiam uti Congregationis Secretario in hunc numerum adscriptis. Porro eadem Congregatio, mature discusso, intimeque ex nostra sententia rimato negotio, praemissas opiniones innixas *possessioni quadragenariae cum titulo colorato*, tanquam Canonicis sanctionibus adversas, praesidio iuris destitutas, et saniorum Canonistarum sententiis parum consentaneas, reiecit; et ad asserendam favore Praelati inferioris iurisdictionem Ordinariam in aliqua parte alienae Dioecesis, expressum privilegium Apostolicum, vel consuetudinem immemorabilem legitime probatam suffragari tantum posse decrevit. Idem vero Clemens Praedecessor antedictae Congrationis decretum die 3 Ianuarii anno Domini 1721 nedum benigne probavit, et observari perpetuis futuris temporibus praecepit; verum etiam typis impressum, et inter Apostolicas Constitutiones relatum perpetuo custodiri mandavit.[1]

§ 4. Hac igitur prae oculis habita certa iudicandi regula provide sapienterque instituta, consulto Religio Hierosolymitana nullum ponebat fundamentum in consuetudine immemorabili, vel quia certa recensebantur initia praetensae iurisdictionis in Oppido Putiniani, vel quia eadem immemorabilis, quae solo labefactatur rumore, interverti, et submoveri penitus videbatur tum ex iudiciali, diuturna, et nunquam intermissa contradictione Episcoporum Conversanorum, tum etiam a plerisque actibus iurisdictionalibus in praefato Oppido ab Episcopis exercitis, quorum non obscura extabant monumenta.

§ 5. Potissimum itaque acquisitae iurisdictionis ordinariae praesidium constituebat in privilegio Apostolico, ac in literis Praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, praesertim fel. rec. Ioannis XXII, qui anno Domini 1317 Monasterium S. Stephani Ordinis S. Benedicti Religioni Hierosolymitanae perpetuo incorporavit, et univit, *cum Ecclesiis, Cappellis, Membris, Castris, Casalibus, Orancils, Territoriis, Olivetis, Possessionibus, Iuribus, Iurisdictionibus, Libertatibus, Privilegiis, et exemptionibus, ac omnibus bonis, iuribus, et pertinentiis suis.*

§ 6. Verum, inspecto, et sedulo expenso integro contextu, et tenore praefatae Constitutionis, minime ex ea evincitnr, in Magnum Magistrum, eiusque Commendatarios, translatam fuisse plenam, et omnimodam iurisdictionem Ecclesiasticam, et Spiritualem, non solum in Ecclesias, et loca, verum etiam in Clerum, et populum, quemadmodum necessarium est, ut Praelatus inferior suum peculiare habeat Territorium a reliqua Episcopali Dioecesi separatum. Resistunt enim tum mens, tum verba Constitutionis praedictae. Et quidem mens, quia unio et incorporatio cum in finem solummodo collineavit, ut Equites Hierosolymitani, qui a Monachis Benedictinis inter se dissidentibus in Monasterium ad oram Maris positum allecti fuerant, possessionem illius adepti, legitimum quoque ex largitione Apostolica nanciscerentur dominium reddituum temporalium; tum etiam ut ex hoc loco, trans-

[1] Die 14 ian. 1721.

vehendis ultra Mare commeatibus maxime opportuno, Classi suae contra Infideles instructae suppetias ferre possent.

§ 7. Adversantur praeterea verba; quia si verba Bullae singillatim examinentur, et praesertim illa: *cum omnibus iuribus, iurisdictionibus, libertatibus, et privilegiis,* tantae non sunt efficaciae, ut iurisdictio ab Episcopo ablata dicatur, et in Religionem Hierosolymitanam translata; quia, cum non agatur de privilegio mere exemptivo, sed de privilegio magis arduo, et a iure communi alieno, tribuendi scilicet iurisdictionem Ordinariam personae inferiori, ablata Episcopo parte suae Dioecesis, nunquam per generalia, et ambigua verba concessum esse intelligitur.

§ 8. Maxime quia in casu, de quo agitur, ad huiusmodi interpretationis veritatem confirmandam accedit circumspecta praefati Pontificis vigilantia, qua in ipsa unione rebus omnibus opportune consultum, ac provisum voluit. Siquidem in dicto Monasterio uniendo, huiusmodi leges, et conditiones servandas praescripsit, ut non solum Equites Hierosolymitani onera eidem inhaerentia adimplerent, Personas idoneas eligerent, quae praeessent Ecclesiae, Missas in Defunctorum animarum expiationem celebrarent, et Divina Officia persolverent; verum etiam Monachis Benedictinis, quorum nonnulli adhuc supererant, omnia ad victum, et vestitum necessaria tribuit, eorumque vitae commodis voluit provideri. Minime autem verisimile censetur, tantum in res singulas levioris momenti collatum fuisse a Pontifice studium, et diligentiam; nullumque praeterea verbum de Oppido populoso, soluto, ut praetenditur, a lege Dioecesana, et avulso a iurisdictione Episcopali; nullum de personis spirituali regimini in posterum praeficiendis; nullum de finibus apte designandis; nullum denique de cura Gregis, ac vigilantia Pastoris in dicta Constitutione adiecisse, si revera id facere providus Pontifex in animo habuisset.

§ 9. Longe autem minoris ponderis, ac levioris momenti apparebant Apostolicae Literae Paschalis, et Calixti II, necnon Alexandri III Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum, qui Apostolicae Auctoritatis munimine confirmarunt donationes factas anteactis temporibus ab Episcopis Conversanis dicto Monasterio S. Stephani Urbi Monopolitanae finitimo. Si enim singulae partes expendantur praefatae Constitutionis Alexandri III, cui consonant disposita per Paschalem, et Calixtum, nihil aliud ex ea constat, quam sub immediata S. Petri, et Apostolicae Sedis protectione fuisse recepta bona quaecumque per Monasterium S. Stephani acquisita, et in futurum acquirenda, recensito etiam Oppido Putiniani, una cum suis membris, et pertinentiis; *illudque fuisse solutum ab omni iugo, et exactione tam Episcoporum, quam Saecularium.* Praeterea in eisdem literis Alexandri, ad augenda novis titulis dignitatis Abbatialis decora, et ornamenta, conceditur Abbati usus Mitrae, et Annuli, necnon facultas recipiendi Chrismatis, et Olei Sancti a quovis Catholico Antistite gratiam, et communionem Apostolicae Sedis habente, et insuper a quovis etiam Antistite Catholico Basilicas, et Altaria consecrari, et ordines Monachis, et Clericis rite conferri posse decernitur. Prohibetur itidem in eisdem Literis Episcopo, ne absque Monachorum consensu in Ecclesia Monasterii Pontificalia exerceat, et Ecclesiastico supponat interdicto Ecclesiam, aut Monasterium, *Monachos, Clericos, seu etiam Laicos*

utroque iure ipsis subiectos; neve eosdem Monachos Synodo Dioecesanae interesse compellat. Demum ad exhibendam Apostolicae Sedi reverentiam, et homagium, unciae unius auri census imponitur, Romano Pontifici quotannis persolvendus.

§ 10. Itaque Constitutiones praefatae, sive coniunctim, et generatim, sive disiuncte, et singillatim considerentur, nihil aliud praeseferre videntur, praeterquam nudam, ac simplicem exemptionem passivam Monasterii, et Monachorum, una cum Clericis, et Laicis eorum obsequio mancipatis, et servitio addictis, a Iurisdictione Ordinarii; non autem translationem in Abbatem Iurisdictionis Ordinariae, et Ecclesiasticae in Clerum, et Populum Putiniani, praevia separatione eiusdem Oppidi a reliqua Dioecesi Conversana; ideoque argumentum, et illatio ab huiusmodi passiva exemptione ad iurisdictionem activam, tanquam Canonicis Sanctionibus nimium absona, omnino repellenda videbatur.

§ 11. Eo magis quia interpretatio Constitutionis pro sola exemptione passiva, Ecclesiasticae historiae monumentis illius aetatis apprime consonans, et conveniens comperitur. Quamvis enim tempore praedicti Alexandri III eximi Apostolica auctoritate consueverint Monasteria ab Episcoporum Iurisdictione, ut Monasticae quieti, et tranquillitati uberius consultum foret, nulla tamen per id temporis recensentur exempla activae iurisdictionis tributae Monachis in Clerum, et Populum.

§ 12. Parvique refert, quod Bulla Alexandri III non solum confirmaverit donationes antiquitus factas Monasterio a Supremis Principibus, Comitibus, aliisque saecularibus personis; sed ratam quoque habuerit cessionem iuris Episcopalis primitus factam ab Episcopis Conversanis favore Monachorum, *sicuti habetur in eorum authenticis scriptis*. Quodoquidem cessio Iuris Episcopalis, cum suapte natura non secum ferat omnimodam, plenariam, et effrenatam abdicationem a donantibus in donatarios totius auctoritatis, et iurisdictionis Ecclesiasticae in Populum, et Clerum exercendae, ad quem effectum verba deberent esse clara, et expressa; ratio iuris suadet, per huiusmodi donationem nihil aliud transfusum fuisse in Abbatem, praeterquam aliquam Iuris Episcopalis partem, cohaerentem, et consentaneam soli exemptioni passivae, et in maius dictae exemptionis incrementum cessuram.

§ 13. Neque huic interpretationi ea adversatur animadversio, quod idem Alexander Papa III confirmavit cessionem iuris Episcopalis, aliasque donationes, relative ad documenta, quae *in Monachorum authenticis scriptis contineri* ferebantur: quia documenta huiusmodi neque examinata, neque Pontifici exhibita, neque in Bulla Alexandrina de verbo ad verbum, ut opus erat, expressa fuerunt; ideoque cum illa apud Monachos, antiquitatis offusa tenebris, perpetuo consepulta iacuerint; palam fit, Literas Apostolicas praedicti Alexandri non egredi limites confirmationis Apostolicae *in forma communi*, nullamque ex eadem confirmatione erui posse activae iurisdictionis probationem.

§ 14. Caeterum ubi etiam donationes fuissent ab eodem Alexandro recognitae, specialiter approbatae, et in suis literis expressae, nihilominus claris ostenditur argumentis, alienam fuisse a voluntate Pontificis quamcumque activi iuris Episcopalis ademptionem, et imminutionem. Etenim proponente

Episcopo Conversano paulo post querelam ereptae sibi iurisdictionis Ordinariae in Oppido Putiniani ab Abbate Benedictino eam sibi vindicante obtentu dictae confirmationis Apostolicae, praefatus Alexander Praedecessor, datis opportune literis Episcopis Vigiliensi, et Tranensi, non solum declaravit, nullum se auctoritati Episcopi Conversani irrogare voluisse praeiudicium, sed etiam ad sarcienda illata illius dignitati dispendia ab Abbate Benedictino, mandavit eisdem Episcopis, ut, causa iudicialiter cognita, et instructa, acta conficerent, et confecta Curiae Romanae remitterent. Successive vero alii Pontifices Clemens, et Caelestinus III, necnon Cardinalis Rogerius Romanae Sedis Legatus, iurium Episcopalium vindices, unanimi sensu decreverunt, redintegrandum esse Episcopum in ablatae iurisdictionis possessione, atque Ecclesiastico iure, et auctoritate in ea confovendum.

§ 15. Haec autem illustria, et antiqua gestarum rerum monumenta demonstrant, privilegia ab Alexandro III Monasterio concessa secumferre nudam passivae exemptionis praerogativam, tam respectu Monasterii praefati, et Ecclesiarum ab eo dependentium, quam respectu Clericorum, et Saecularium Monachis inservientium, firma tamen perseverante, et immota in Episcopo iurisdictione activa in Oppido *Putiniani*; ac proinde illam, utpote a Monachis non acquisitam, per unionem factam a Ioanne XXII, in Religionem Hierosolymitanam transfundi non potuisse. Et licet superius relata monumenta temporum iniuria interciderunt, satis tamen visum est ea relata fuisse a Sententia promulgata a bon. mem. Caesare Lambertino Episcopo Insulano, ad hanc litem dirimendam, ut superius dictum est, delegato a Leone X Praedecessore nostro. Nam eximii huius Praesulis, moribus integerrimi, et iuris Canonici consultissimi, tum ob eius dignitatam, tum ob vitae probitatem, doctrinaeque praestantiam, et generis nobilitatem, in re antiqua, et longe a memoria hominum remota, tanti facienda visa est auctoritas, ut ob illius testimonium, etiam deperditis actis, quibus sententia nitebatur, post longum temporis cursum fides adiungi deberet.

§ 16. Demum ad comprobandam passivae dumtaxat exemptionis concessionem confert ipsa forma literarum Ioannis XXII, qui, unione et incorporatione dicti Monasterii Sancti Stephani Religioni Hierosolymitanae ex Apostolica benignitate facta, et concessa una cum membris, Cappellis, pertinentiis, iuribus, et iurisdictionibus, Pontificiam concessionem, et Apostolicum privilegium non alia designavit nuncupatione, quam *immediatae subiectionis Sanctae Romanae Sedi;* quae sane verba soli congruunt exemptioni passivae, non autem iuri activo, et separationi Territorii.

§ 17. His igitur, aliisque rationum momentis mature, seduloque perpensis; diligenterque auditis, quae fuerunt hinc inde proposita; inspectis etiam omnibus causae instrumentis, penitusque consideratis; diligenti praeterea habito tractatu cum praefatis Causarum Palatii nostri Auditoribus, ut compositis omnibus dissidiis, tandem, benedicente Domino, oriatur abundantia pacis, et ut Conversanae Ecclesiae iura a moderno Episcopo, quibuscumque postpositis humanis rationibus, magnaque sui nominis laude strenue constanterque propugnata, salva in posterum, et illaesa consistant; decernendo pronunciamus, et pronunciando decernimus, iurisdictionem Or-

dinariam, et Episcopalem in Ecclesias, Clerum, et Populum universum dicti Loci, seu Terrae *Putiniani* Conversanae Dioecesis, competere Episcopo Conversano, non autem Bajulivo Sancti Stephani, Magno Magistro, Fratribus, aut Hospitali S. Ioannis Hierosolymitani; quorum favore dominium dumtaxat, et alia bona, et iura temporalia super dicto loco, et Populo, etiam quoad Decimas, quamvis spirituales, per Bajulivos ab immemorabili retro tempore percipi solitas, et, iuxta mentem dicti Ioannis XXII, in publicam causam erogandas: cum obligatione tamen praestandi Parocho eiusdem Terrae Congruam annuorum ducatorum centum, iuxta resolutionem alias captam Anno Domini 1713, et 1715 super eadem Congrua a Congregatione S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositorum; Apostolica auctoritate confirmamus, et approbamus.

§ 18. Ut autem sententia, et decretum nostrum debitae executioni demandetur, atque haec antiquissima lis, et controversia nullo amplius tempore in posterum excitari, et renovari possit, Magistro, et Fratribus dicti Hospitalis, necnon Bajulivis dicti Bajulivatus S. Stephani prope Monopolim, nunc, et pro tempore existentibus, in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus, et mandamus, ut suo iure contenti, idest Dominio temporali dictae Terrae, seu Oppidi Putiniani, aliorumque bonorum, et iurium similiter temporalium, quae ad Abbatem, et Monachos unionis tempore pertinebant, necnon etiam Decimis, quae hactenus ab ipsis Bajulivis percipi cunsueverunt, cum onere tamen solvendi Parocho, seu Archipresbytero eiusdem Terrae pro sua Congrua annuam summam ducatorum centum monetae illarum partium; ac denique passiva exemptione quoad ipsos Bajulivos, eorumque domos, Cappellas, et Ecclesias, si quae sint in dicta Terra, seu Oppido Regulares, aliasque personas tribus requisitis pollentes, ad formam Sacri Concilii Tridentini,[1] et privilegiorum generalium dicto Hospitali Sancti Ioannis, eiusque fratribus, et inservientibus concessorum per diversos Romanos Pontifices Praedecessores Nostros; nullum de caetero Ordinariae, et Episcopalis iurisdictionis actum in Ecclesias tam Curatas, quam non Curatas, Clerum et populum dictae Terrae Putiniani, eiusque districtus, et Territorii, exercere audeant, seu praesumant; et multo minus directe, vel indirecte impedire, quominus nunc, et pro tempore existentes Episcopi Ecclesiae Conversanae praedictam iurisdictionem, omnesque actus ad illam quoquo modo pertinentes, per se, vel per alios, in dictas Ecclesias, Clerum, et populum libere exerceant. Quod si secus directe, vel indirecte per nunc, et pro tempore existentes Bajulivos dicti Bajulivatus S. Stephani factum fuerit, poenam excommunicationis latae sententiae, a qua solum a Nobis, et Successoribus Nostris, praeterquam in mortis articulo, absolvi possint, necnon privationis eiusdem Bajulivatus, omniumque aliarum Dignitatum, et Commendarum, sive de iustitia, sive de gratia per eos quomodocumque obtentarum, et perpetuae incapacitatis, sive inhabilitatis ad alias dignitates, et Commendas in posterum obtinendas, ipso iure, et ipso facto, absque ulla praecedenti Iudicis declaratione, incurrant; ita ut alii Milites proxime, ac deinceps sequentes, in ordine Antianitatis, servata in reliquis forma Sta-

[1] Sess. XXV, *de regularibus*, c. 11.

tulorum, et Constitutionum ipsius Hospitalis, Bajulivatum, aliasque Dignitates, et Commendas per eiusmodi privationem, ut praefertur, vacantes, statim optare, atque obtinere possint, et debeant.

§ 19. Nos enim omnino volumus, quod Bajulivi, et Fratres dicti Hospitalis in dicta Episcopali, et Ordinaria iurisdictione in Terra Putiniani, eiusque Districtu, et Territorio, annexis, et connexis, nullo pacto in posterum se immisceant; et propterea, ad maiorem cautelam, antiquas donationes Leonis, et aliorum Episcoporum, et assertas confirmationes Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum, et praesertim Alexandri III, prout etiam Literas primodictas Ioannis XXII, pro eo, quod attinet ad dictam iurisdictionem Ordinariam, et Episcopalem, motu proprio, et ex certa scientia, et de Apostolicae plenitudine potestatis ex toto revocamus, abolemus, et annullamus, et solum in reliquis in suo robore, et firmitate manere decernimus; et, quatenus per eas, vel alio quocumque modo tam deducto, quam non deducto, dicta iurisdictio Episcopalis, et Ordinaria ab Episcopis avulsa, et in Monachos, et Abbatem dicti Monasterii Sancti Stephani, vel deinde in Magistrum, et Fratres dicti Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani quomodocumque, et qualitercumque translata fuisset; per praesentes nostras Literas eamdem Ordinariam, et Episcopalem iurisdictionem in Ecclesias, Clerum, et populum dictae Terrae Putiniani, motu, scientia, et potestate simili, a Magno Magistro, Fratribus, et Hospitali praefatis penitus penitusque avellimus, et Episcopis Ecclesiae Conversanae, prout antea de iure competebat, plenarie addicimus, et restituimus, eosque in in illa plenissime reintegramus, perinde ac si dictae donationes, et Literae Apostolicae nunquam factae, et concessae fuissent.

§ 20. Quocirca Venerabilibus Fratribus Tranensi, et Barensi Archiepiscopis, ac dilectis Filiis Causarum Curiae Camerae Apostolicae Generali Auditori, ac Nostro et Sedis Apostolicae Nuncio in Regno Neapolitano commoranti, ipsisque Magno Magistro, et Fratribus praefati Hospitalis S. Ioannis nunc, pro tempore existentibus, motu simili per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes Literas, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Episcopi requisiti fuerint, solemniter publicantes, eique in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem praesentes, et in eis contenta huiusmodi, a Bajulivis dicti Bajulivatus S. Stephani, aliisque Fratribus dicti Hospitalis, necnon Clero, et Populo praefati Oppidi, seu Terrae Putiniani nunc, et pro tempore existentibus, caeterisque omnibus, inviolabiliter observari; non permittentes eum, eiusque in Episcopatu Successores, desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet, et rebelles, per sententias, censuras, et poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna, iuris, et facti remedia, postposita quacumque appellatione, et recursu, etiam ad Sedem Apostolicam, compescendo; ac, servata forma Concilii Tridentini, sententias, censuras, et Poenas huiusmodi incurrisse declarando, ac etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 21. Non obstantibus, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. I, p. 246-253].

335.

Benedictus XIV, ep. *Nuper ad Nos*, 16 mart. 1743, Professio fidei Maronitis praescr.[1]

Nuper ad Nos, et Apostolicam hanc Sanctam Sedem delatis scissuris, dissidiisque, propter electionem Patriarchae Patriarchalis Ecclesiae Antiochenae inclytae Nationis Maronitarum, per obitum Iosephi Petri, dum vixit, eiusdem Ecclesiae Patriarchae, qui extra Romanam Curiam debitum naturae persolverat, exortis, ad opportunum et salutare iisdem componendis, sedandisque remedium afferendum, dedimus alias nostras in pari forma Brevis Literas, tenoris sequentis: Benedictus Papa XIV. *Ad futuram etc.* Quod non humana etc., *ut in Bened. XIV, Bull., tom. 1, p. 254-256.*

§ 1. Eapropter Nos aegre ferentes Patriarchalem Ecclesiam praedictam Pastoris destitutam solatio, et tot, tantisque inter Haereticos, Schismaticos, Maumethanos, et Infideles, veluti Rosam inter Spinas, circumdatam angustiis et calamitatibus, amplius vacare, ad provisionem eiusdem Patriarchalis Ecclesiae Antiochenae celerem et felicem, ne Ecclesia ipsa Antiochena maioribus longae vacationis exponatur incommodis, et dissidiis, paternis et sollicitis studiis intendentes, ac perspectam habentes notitiam de eximiis virtutibus Fraternitatis tuae in tua ad Archiepiscopatum Damascenum promotione plurimi habitis, necnon quod Tu Venerabilium Fratrum Nationis Maroniticae Antistitum Decanus sis, et apud Nos plurimorum fide dignorum testimonio commenderis, postquam de praeficiendo eidem Ecclesiae Antiochenae praedictae Nationis personam utilem, ac etiam fructuosam, cum iisdem Cardinalibus dictae Congregationis particularis deliberationem habuimus diligentem, Te a quibusvis excommunicàtionis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad hoc dumtaxat, ut translatio et praefectio per Nos, ut infra, facienda, necnon praesentes suum sortiantur effectum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, ac a vinculo, quo dictae Ecclesiae Damascenae, cui praees, teneris, de simili consilio et Apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ad eamdem Ecclesiam Antiochenam Nationis praefatae, de consilio, et potestatis plenitudine paribus, transferimus, Teque illi in Patriarcham eiusdem Nationis praeficimus, et Pastorem; curam, regimen, et administrationem dictae Ecclesiae Antiochenae Nationis praedictae Tibi in spiritualibus, et temporalibus plenarie committendo, atque etiam non solum liberam Tibi ad Patriarchalem Ecclesiam praefatam transeundi licentiam tribuimus, sed etiam in virtute sanctae Obedientiae, et sub indignationis nostrae, aliisque arbitrio nostro imponendis poenis, praecipimus, et mandamus, ut Patriarchalis Ecclesiae huiusmodi possessionem, statim ac praesentes nostrae Literae ad Te pervenerint, nulla interposita mora, adeas, et cap.as, atque

[1] Venerabili Fratri, Simoni Archiepiscopo Damasceno.

omnia, et singula iura, auctoritatem, potestatem, praeeminentiam, praerogativas, iurisdictionem, privilegia, aliaque huiusmodi ad Patriarcham dictae Patriarchalis Ecclesiae pro tempore existentem quomodolibet spectantia, et quibus alii Patriarchae Ecclesiae praefatae Praedecessores tui de iure, usu, et consuetudine, usi, gavisi, et fruiti fuerunt, pari modo exerceas, ac iis utaris, fruaris, et gaudeas: in illo, qui dat gratias, et largitur praemia, confidentes, quod, dirigente Domino actus tuos, praedicta Ecclesia Antiochena Nationis eiusdem sub tuo felici regimine regetur utiliter, et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus, et temporalibus suscipiet incrementa.

§ 2. Tu igitur ad eamdem Patriarchalem Ecclesiam Antiochenam Nationis praefatae cum gratia nostrae benedictionis accedens, curam, et administrationem praedictas sic exercere studeas fideliter, sollicite, et prudenter, quod Ecclesia ipsa Antiochena dictae Nationis, Gubernatori provido, et fructuoso administratori gaudeat se commissam, Tuque praeter aeternae retributionis praemium, nostram, et dictae Sedis benedictionem, ac gratiam exinde uberius consequi merearis.

§ 3. Quocirca eisdem Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis Suffraganeis, ac dilectis pariter filiis Capitulo, et Vassallis Ecclesiae Antiochenae Nationis praefatae, ac Clero saeculari, et Regulari, etiam Societatis Iesu, et Populo Civitatis, ac Dioecesis Antiochenae eiusdem Nationis, per Apostolica scripta mandamus, ut Suffraganei Tibi tamquam membra capiti obsequentes, et Capitulum Tibi tamquam Patri, et Pastori animarum suarum humiliter intendentes, exhibeant Tibi obedientiam, et reverentiam debitas, et devotas; ita quod mutua inter Te, et ipsos Suffraganeos gratia gratos sortiatur effectus, et Nos eorum devotionem possimus propterea in Domino merito commendare; ac Clerus Te, pro nostra et eiusdem Sedis reverentia, benigne recipientes, et honorifice pertractantes, tua salubria monita, et mandata suscipiant humiliter, et efficaciter adimplere procurent; populus vero Te tamquam Patrem, et Pastorem animarum suarum devote suscipientes, et debita honorificentia prosequentes, tuis monitis, et mandatis salubribus humiliter intendant; ita quod Tu in eis devotionis Filios, et Ipsi in Te per consequens Patrem benevolum invenisse gaudeatis: Vassalli autem praedicti Te debito honore prosequentes, Tibi fidelitatem solitam, ac consueta servitia, et iura Tibi ab eis debita integre exhibere procurent; alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris sive statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§ 4. Volumus autem, quod Tu, antequam regimini, et administrationi dictae Patriarchalis Ecclesiae Antiochenae Nationis praefatae Te in aliquo immisceas, in manibus alicuius Catholici Antistitis gratiam, et communionem Sedis Apostolicae habentis, et in illis partibus degentis, Fidei Catholicae professionem a Sede praedicta Orientalibus praescriptam, iuxta unam, expresse emittere, et fidelitatis debitae solitum iuramentum, iuxta alteram, formas praesentibus adnotatas, praestare omnino tenearis, ac Professionis Fidei, quam emiseris, et iuramenti huiusmodi, quod praestaveris, formas eidem Congregationi de Propaganda Fide de verbo ad verbum per tu s

patentes literas tuo sigillo munitas, per proprium Nuntium quantocitius destinare procures.

§ 5. Forma autem Professionis Fidei, quam emittes, haec est: *Ego Simon Electus Patriarchalis Ecclesiae Antiochenae Nationis Maronitarum firma fide credo, et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem, Factorem Caeli, et Terrae, visibilium omnium, et invisibilium; et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei Unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, qui propter Nos homines, et propter nostram salutem descendit de Caelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est; crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est, et resurrexit tertia die secundum scripturas, et ascendit in Caelum, sedet ad dexteram Patris, et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius Regni non erit finis: et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas: et Unam, Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam; confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum; et expecto resurrectionem mortuorum; et vitam venturi saeculi. Amen. Veneror etiam, et suscipio universales Synodos, prout sequitur, videlicet: Nicaenam primam, et profiteor, quod in ea contra Arium damnatae memoriae definitum est, Dominum Iesum Christum esse Filium Dei ex Patre natum unigenitum, id est ex substantia Patris natum non factum, consubstantialem Patri, atque impias illas voces recte in eadem Synodo damnatas esse, quod aliquando non fuerit, aut quod factus sit ex iis, quae non sunt, aut ex alia substantia, vel essentia, aut quod sit mutabilis, vel convertibilis Filius Dei; Constantinopolitanam primam, secundam in ordine, et profiteor, quod in ea contra Macedonium damnatae memoriae definitum est, Spiritum Sanctum non esse servum, sed Dominum, non Creaturam, sed Deum, ac unam habentem cum Patre, et Filio Deitatem; Ephesinam primam, tertiam in ordine, et profiteor, quod in ea contra Nestorium damnatae memoriae definitum est, Divinitatem, et Humanitatem, ineffabili et incomprehensibili unione, in una persona Filii Dei unum nobis Iesum Christum constituisse, eaque de causa Beatissimam Virginem vere esse Dei Genitricem; Calcedonensem, quartam in ordine, et profiteor, quod in ea contra Eutychen, et Dioscorum, ambos damnatae memoriae, definitum est, unum eumdemque Filium Dei Dominum Nostrum Iesum Christum perfectum esse in Deitate, et perfectum in Humanitate, Deum verum, et hominem verum ex anima rationali, et corpore, consubstantialem Patri secundum Deitatem, eumdem consubstantialem Nobis secundum Humanitatem, per omnia Nobis similem absque peccato, ante saecula quidem de Patre genitum secundum Deitatem; in novissimis autem diebus eumdem propter Nos, et propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei Genitrice secundum Humanitatem, unum, eumdemque Christum Filium Dominum Unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unionem, magisque salva proprietate utriusque naturae, in unam personam, atque substantiam*

concurrente, non in duas personas partitum, aut divisam, sed unum, eumdemque Filium, et Unigenitum Deum Verbum Dominum Iesum Christum: Item eiusdem Domini Nostri Iesu Christi Divinitatem, secundum quam consubstantialis est Patri, et Spiritui Sancto, impassibilem esse, et immortalem, eumdem autem crucifixum, et mortuum tantummodo secundum carnem, ut pariter definitum est in dicta Synodo, et in Epistola S. Leonis Romani Pontificis, cuius ore B. Petrum Apostolum locutum esse Patres in eadem Synodo acclamaverunt, per quam definitionem damnatur impia haeresis illorum, qui Trisagio ab Angelis tradito, et in praefata Calcedonensi Synodo decantato, Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis miserere Nobis, addebant, qui crucifixus es pro Nobis, atque adeo divinam naturam trium Personarum passibilem asserebant, et mortalem; Constantinopolitanam secundam, quintam in ordine, in qua praefatae Calcedonensis Synodi definitio renovata est; Constantinopolitanam tertiam, sextam in ordine, et profiteor, quod in ea contra Monothelitas definitum est, in uno, eodemque Domino Nostro Iesu Christo duas esse naturales voluntates, et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, et humanam eius voluntatem non contrariam, sed subiectam Divinae eius, atque omnipotenti voluntati; Nicaenam secundam, septimam in ordine, et profiteor, quod in ea contra Iconoclastas definitum est, Imagines Christi, ac Deiparae Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, et retinendas esse, atque eis debitum honorem, et venerationem impertiendam; Constantinopolitanam quartam, octavam in ordine, et profiteor in ea Photium merito fuisse damnatum, et Sanctum Ignatium Patriarcham restitutum. Veneror etiam, et suscipio omnes alias universales Synodos auctoritate Romani Pontificis legitime celebratas, et confirmatas, et praesertim Florentinam Synodum, et profiteor, quae in ea definita sunt, videlicet, quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter, tamquam ab uno principio, et unica spiratione procedit; item dictionem illam Filioque, veritatis declarandae gratia, et imminente necessitate, licite, ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam. Item in Azymo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in altero ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae, sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem. Item si vere poenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint, et omissis, eorum animas poenis Purgatorii post mortem purgari, et ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis Fidelium vivorum suffragia: Missarum scilicet Sacrificia, Orationes, et Eleemosynas, ac alia pietatis officia, quae a Fidelibus pro aliis Fidelibus fieri consueverant secundum Ecclesiae Institutum; illorumque animas, qui post Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutae, sunt purgatae, in Caelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum Trinum et Unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius; illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in Infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas. Item Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum Orbem tenere primatum,

et ipsum Pontificem Romanam Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, ac omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam, ut eadem Florentina Synodus asserit, in gestis Oecumenicorum Conciliorum, et in sacris Canonibus continetur. Item legalia veteris Testamenti, seu Mosaice Legis Caeremonias, sacra Sacrificia, et Sacramenta, Domino Iesu Christo adveniente cessasse, et post promulgatum Evangelium sine peccato observari non posse; eiusdem etiam Legis veteris ciborum mundorum, et immundorum differentiam ad ceremonialia pertinere, quae surgente Evangelio transierunt. Illam etiam Apostolorum prohibitionem ab Immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, illi tempori congruisse, ut inter Iudaeos, et Gentiles dissensionis materia tolleretur, cuius Apostolicae prohibitionis causa cessante, etiam cessavit effectus. Pariter veneror, et suscipio Tridentinam Synodum, et profiteor, quae in ea dèfinita, et declarata sunt, et praesertim offerri Deo in Missa verum, proprium, et propitiatorium Sacrificium, pro vivis, et defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, iuxta fidem, quae semper in Ecclesia Dei fuit, contineri vere, realiter, et substantialiter Corpus, et Sanguinem, una cum Anima, et Divinitate Domini Nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia aptissime Transubstantiationem appellat, et sub unaquaque specie, et singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri. Item septem esse novae Legis Sacramenta a Christo Domino Nostro instituta ad salutem humani generis, quamvis non omnia singulis necessaria, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem iterari non posse. Item Baptismum esse necessariam ad salutem, ac proinde, si mortis periculum immineat, mox sine ulla dilatione conferendum esse, et a quocumque, et quandocumque sub debita materia, et forma, et intentione collatum, esse validum. Item Sacramenti Matrimonii vinculum indissolubile esse, et quamvis propter adulterium, haeresim, aut alias causas possit inter Coniuges Thori, et Cohabitationis separatio fieri, non tamen illis aliud Matrimoniam contrahere fas esse. Item Apostolicas, et Ecclesiasticas traditiones suscipiendas esse, et venerandas. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo Ecclesiae relictam fuisse, illarumque usum Christiano Populo maxime salutarem esse. Pariter quae de peccato originali, de iustificatione, de sacrorum Librorum, tam veteris, quam novi Testamenti indice, et interpretatione in praefata Tridentina Synodo definita sunt, suscipio, et profiteor. Caetera item omnia suscipio, et profiteor, quae recipit, et profitetur Sancta Romana Ecclesia, simulque contraria omnia, et Schismata, et Haereses ab eadem Ecclesia damnatas, reiectas, et anathematizatas, ego pariter damno, reiicio, et anathematizo. Insuper Romano Pontifici Beati Petri Principis Apostolorum Successori, ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac iuro. Hanc fidem Catholicae Ecclesiae, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eamdem inte-

gram, et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum, constantissime, Deo adiuvante, retinere, ac confiteri, atque a meis Subditis, vel illis, quorum cura ad me in meo munere spectabit, teneri, doceri, et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem Simon Electus, qui supra, spondeo, voveo, et iuro: sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

§ 6. Forma vero iuramenti, quod praestabis, haec est: *Ego Simon Electus Patriarchalis Ecclesiae Antiochenae Nationis Maronitarum ab hac hora in antea fidelis et obediens ero Beato Petro, Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae, ac Domino Nostro Benedicto PP. XIV, suisque Successoribus canonice intrantibus; non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, seu capiantur mala captione, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, seu iniuriae aliquae inferantur, quovis quaesito colore: consilium vero, quod mihi credituri sunt per se, aut Nuntios, seu Literas, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum, et Regalia Sancti Petri, adiutor eis ero ad defendendum, et retinendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo, et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adiuvabo; iura, honores, privilegia, et auctoritatem Romanae Ecclesiae, Domini Nostri Papae, et Successorum praefatorum conservare, defendere, augere, et promovere curabo; nec ero in consilio, facto, vel tractatu, in quibus contra ipsum Dominum Nostrum, vel eamdem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra, vel praeiudicialia personae, honoris, iuris, status, et potestatis eorum machinentur, et si talia a quibuscumque procurari novero, vel tractari, impediam hoc pro posse, et quanto citius potero commode significabo eidem Domino Nostro, vel alteri, per quem ad ipsius notitiam poterit pervenire. Regulas Sanctorum Patrum, Decreta, Ordinationes, sententias, dispositiones, reservationes, provisiones, et mandata Apostolica totis viribus observabo, et faciam ab aliis observari. Haereticos, et Schismaticos, ac Rebelles Domino Nostro, et Successoribus praefatis pro posse persequar, et impugnabo; vocatus ad Synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum limina singulis decenniis personaliter, ac per me ipsum visitabo, et Domino Nostro, et Successoribus praefatis rationem reddam de toto meo Pastorali Officio, deque rebus omnibus ad Ecclesiae meae statum, ad Cleri, et Populi disciplinam, animarum denique, quae meae fidei creditae sunt, salutem quoquomodo pertinentibus, et vicissim Mandata Apostolica praefata humiliter recipiam, et quam diligentissime exequar. Quod si legitimo impedimento detentus fuero, praefata omnia adimplebo per certum Nuntium ad hoc speciale mandatum habentem, de gremio Capituli mei, aut alium in dignitate Ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem, aut his mihi deficientibus, per Dioecesanum Sacerdotem, et Clero deficiente, omnino per aliquem alium Presbyterum Saecularem, vel Regularem spectatae probitatis, et Religionis de supradictis omnibus plene instructum; de huiusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Proponentem in Congregatione Sacri Concilii Tridentini per supradictum Nuntium transmittendas. Possessiones vero ad Mensam meam pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque denuo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiae meae, inconsulto Romano Pontifice, et Con-*

stitutionem super prohibitione Investiturarum Bonorum Iurisdictionalium de Anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimoquinto editam[1] *servabo, et si ad aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super hoc edita Constitutione contentas eo ipso incurrere volo: Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.*

§ 7. Caeterum Pallium, insigne videlicet plenitudinis Pontificalis Officii, de Corpore Beati Petri Apostoli sumptum, tunc ad Fraternitatem tuam, cum per tuum Nuntium, ea, qua decet, instantia postulatum fuerit, destinandum transmittendumque mandabimus.

Non obstantibus iis omnibus, quae in praeinsertis nostris literis voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 256-261].

336.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Quemadmodum*, 23 mart. 1743.[2]

Quemadmodum preces ad Deum pro Principibus effundere, valde consentaneum est, ita convenit, ut precum ipsarum formulae sint ex illis, quas Ecclesia usu recepit; maxime vero si eiusmodi preces in celebratione Missarum adhibendae sint. Praeterea ad Ecclesiasticam auctoritatem unice spectat preces illas statuere atque indicere; cum nulli saeculari Potestati fas sit decernere, praeceptoque mandare, ut publicae preces fiant, sive ad persolvendas Deo gratias pro beneficio aliquo accepto, sive ad illius opem in gravi aliqua necessitate implorandam.

§ 1. Divus Paulus *in prima ad Timotheum cap. 2,* ut Vos bene nostis, ita loquitur: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt.* Quod si expediat hoc loco praxim ostendere, qua primaeva Ecclesia utebatur in orationibus, et precibus ad Deum pro Principibus offerendis, eam satis patefacere poterunt Sancti Dionysii Episcopi Alexandrini ad Praesidem Aemilianum epistola, Tertullianus *in lib. ad Scapulam, et in Apologetico,* Sanctus Cyprianus *in Epistola ad Demetrianum,* Origines *in respons. ad Celsum,* et Athanagoras *in sua Legatione ad Imperatores pro Christianis.*

§ 2. Multum quidem inter se conveniunt credendi, et orandi ratio. Proinde in celebratissimis epistolae S. Caelestini ad Galliae Episcopos additionibus *cap. 11* legitur: *Obsecrationum quoque Sacerdotalium Sacramenta respiciamus... ut legem credendi lex statuat supplicandi.* Atque hinc oritur, in publicis supplicationibus formulas ab Ecclesia praescriptas esse adhibendas; praesertim si res agatur de orationibus, quae recitari debeant in Missa, ut dictum est. Idcirco etiam a Sacro Concilio Tridentino cavetur,[3] ne preces in Missarum

[1] Urbanus VIII, const. *Humanae salutis*, 27 oct. 1625. - Bull. Rom., tom. 5, V, p. 374-376.

[2] Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis.

[3] Sess. XXII, *de observandis et evitandis in celebratione missae.*

celebratione adhibeantur, *praeter eas quae ab Ecclesia probatae, et frequenti, ac laudabili usu receptae fuerint.* Quamobrem in Missali Romano pro omni fere necessitate existunt piae quaedam, ac religiosae orationes, e vetustis, ac venerabilibus Sacramentariis opportune depromptae.

§ 3. Neque vero putamus nimium progredi, immo inter aequos auctoritatis nostrae limites Nos certe consistere credimus, cum asserimus, ad Ecclesiasticam quidem, non autem ad saecularem Potestatem pertinere, de Ecclesiasticis, ac spiritualibus rebus disponere. Magnus ille Osius Episcopus Cordubensis apud Sanctum Athanasium in Epistola ad solitariam vitam agentes, Ecclesiastica sane libertate, ad Constantium Imperatorem haec scripsit: *Ne te misceas Ecclesiasticis rebus, neque nobis in hoc genere praecipe; sed potius ea a nobis disce. Tibi Deus Imperium commisit: nobis, quae sunt Ecclesiae, concredidit... Cave, ne quae sunt Ecclesiae ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Scriptum est: Quae sunt Caesaris, Caesari; et quae sunt Dei, Deo.*

§ 4. Ad viciniora autem tempora, et ad rem, quae epistolae huic nostrae occasionem dedit, propius accedentes dicimus, a laicorum ipsorum tribunali abrogata fuisse atque rescissa saecularis alicuius Magistratus decreta, quibus publicae pro Principibus preces indictae fuerant, quod eiusmodi decreta nullius auctoritatis, aut roboris esse per se innotesceret. Et non multis abhinc annis Sacra Concilii Congregatio, Praedecessoribus nostris annuentibus, publice abrogavit irritumque fecit saecularis potestatis Edictum, quo illa, ob partam a Principe victoriam, indixerat pro gratiarum actione *Te Deum laudamus*, etiamsi protestationem inseruisset de praeiudicio Ecclesiastico iuri non inferendo, quod nimirum facto protestatio ipsa adversaretur.

§ 5. Ut igitur aequitatis iure, rectoque ordine omnino procedatur, monemus Vos atque hortamur, ut tum Vos, tum alii opera vestra, Deum sedulo rogent pro incolumitate, ac felicitate vestrorum Principum, quemadmodum et Nos pro Principibus Catholicis quotidie facimus. Aequo libentique animo accipite, quod Potestates saeculares a Vobis petant, ut pro se publicae preces fiant; atque operam date, ut Ecclesiae formulae in illis usurpentur, neque novae, aut iniusitatae orationes in Missa recitentur.

§ 6. Sin autem, quod Nobis persuadere non possumus, laicalis aliqua Potestas, usu, vel consuetudine aliqua (quae abusus revera dici debet), praesumat auctoritatem vestram in hoc minime agnoscere, sed iure suo directe velit publicas preces indicere, immo et poenam parere renuentibus statuere audeat; loquimini et Vos, quemadmodum Osius ad Imperatorem locutus est. Rationes adducite, quas, qui errant, fortasse ignorant. Palam ipsis facite, hanc nullatenus esse rationem exorandi Deum, atque id, quod cupiunt, consequendi: ad Vos confugere eos debere, cum Vos il sitis, qui licet *ex hominibus assumpti*, tamen estis *pro hominibus constituti in iis, quae sunt ad Deum*, ut ad Hebraeos Apostolus loquitur: nec, praeter Vos, posse aliquem opus huiusmodi suscipere, et hunc sumere sibi honorem; *sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.*

§ 7. Quod si dictis non acquiescant, neque a Vobis opportunum iudicetur in eos ita procedere, ut Ecclesiasticae Disciplinae iura exigerent, Vobis stricte mandamus, ut Nos quamprimum certiores de iis faciatis, opportunis

quoque transmissis ad manus nostras documentis: cum Nos parati simus ea omnia facere, quae clarissimi Praedecessores nostri in eiusmodi occasionibus facere consueverunt. Nolumus enim, ad Supremum Dei Tribunal vocati, de neglectis Sanctuarii iuribus sontes iudicari. Interea Vos Paterno amore complectimur, Vobisque Apostolicam Benedictionem impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 269, 270].

337.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Nimiam licentiam*, 18 maii 1743.[1]

Nimiam licentiam, ac libertatem, abusumque, in perpetuis indissolubilibusque vinculis Matrimoniorum canonice celebratorum, diuturna etiam animorum concordia stabilium, nulla legitima causa intercedente, nec, si qua esset, iuxta canonicas praescriptiones expensa, ac tanta cum facilitate, non sine gravi bonorum offensione, dissolvendis, in Ecclesiasticis istius Poloniae Regni Curiis inductum vigentemque, per alias nostras in simili forma Brevis Literas die undecima mensis Aprilis anno millesimo septingentesimo quadragesimo primo[2] ad Vos datas,deplorantes Nos, et detestantes, atque insimul Fraternitates Vestras rogantes, et in Domino exhortantes ad custodiendas vigilias super Ovibus vestrae curae commissis, admonueramus, Nos hac in re salutares Leges modumque opportunum serio meditari.

§ 1. Interea certiores facti, in quamplurimis Christiani Orbis regionibus invectam esse pravam consuetudinem Matrimoniorum Occultorum, vulgo Conscientiae dictorum, a quibus illa quoque, inter caeteras inde provenientes inordinationes, confusionesque, emanabat, qua occulta huiusmodi Matrimonia, aliis Matrimoniis cum aliis Coniugibus publice celebratis, re ipsa solvebantur, per Encyclicas alias nostras Literas ad Venerabiles Fratres, Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et Episcopos universos die decima septima mensis Novembris eiusdem anni scriptas,[3] ea, ad antedictam pravam consuetudinem penitus abrogandam, praescripsimus, quae Sacris Canonibus, et Concilii Tridentini Decretis consona, si accurate servarentur, iniectam Nobis sollicitudinem imminuerent.

§ 2. Hisce insuper alias pariter nostras sub Plumbo Literas tertio nonas Novembres anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo primo expeditas[4] addidimus, in quibus typorum arte editis, ac palam propositis, et vulgatis, statuimus, et in causis Matrimonialibus super validitate, et Nullitate Matrimoniorum servandas mandavimus Leges, ac Regulas, quantum ab hominibus prospici potest, opportunas, ac necessarias, secundum quas Ecclesiastici Iudices, neque culpa, et improbitate, neque inscitia,

[1] Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis, et Episcopis Regni Poloniae.
[2] Cf. N. 307.
[3] Cf. N. 319.
[4] Cf. N. 318.

ac ignorantia abrepti, cum disceptationem de validitate, et nullitate Matrimoniorum huiusmodi apud ipsos haberi contigisset, non pro ingenio, sed pro iustitia tuto sententiam suam ferre possent.

§ 3. Praeterea cum relatum obiectumque esset, malum huiusmodi inde evenire, quod Commissiones, quae quoad secunda in Causis Matrimonialibus edita postulata, et instantias dabantur, ad Viros ad Ius dicendum neque aptos, neque idoneos, sed iudicandi prorsus incapaces dirigerentur: Nos non solum per Encyclicas alias Literas universis Antistitibus inscriptas[1] singulis iniunximus, et mandavimus, ut unusquisque cum Capituli Cathedralis Ecclesiae suae consilio, eorum Virorum, quos ad grave Iudicii huiusmodi ministerium probe, et sapienter obeundum aptos, et idoneos, rebus omnibus considerato exacteque expensis, in Domino reputassent, indicem confectum, ad Apostolicam hanc Sanctam Sedem mitterent; verum etiam in memoratis nostris sub Plumbo expeditis Literis addendum curavimus, ne antedictae Commissiones in secundis instantiis super Causis Matrimonialibus deinceps ad alios dirigerentur, quam ad viciniores Antistites; atque ut tunc dumtaxat, si forte contingeret ita fieri non posse, ad quempiam ex indicatis Viris aptis, et idoneis Commissiones huiusmodi dirigantur.

§ 4. Ex praescriptis Apostolicae providentiae auctoritatisque nostrae Sanctionibus conceptam fiduciam sustentantes, fore nimirum, ut abusus antedictus, et omnis inordinatio istinc potissimum, quemadmodum alibi, benedicente Domino, evenire gratulabamur, penitus auferretur; ingenti cum Pontificii cordis nostri dolore accepimus, istic novas fraudes adinventas, novaque effugia quaesita, quibus Apostolicae salutares Ordinationes eluderentur. Horret animus referre non solum Pacta inter Coniuges, Matrimonii dissolutionem contendentes, vicissim conventa, ut alter eorum, post latam ab Ecclesiastico Iudice super Matrimonii nullitate sententiam, ab eadem appellare audens, ad quamdam certam pecuniae summam alteri de ipsa sententia acquiescenti solvendam teneatur, verum etiam ab Ecclesiastico Iudice, apud quem appellatio instituta fuerit, Appellantem ad omnimodam summae huiusmodi solutionem damnari.

§ 5. De hisce autem rebus accuratissime exquisitis plenissime docti, Nos in ea sumus sententia, inordinationem, confusionemque antedictam in Regno Poloniae vigentem maiorem in partem, ex more modoque, quo Matrimonia per Poloniam contrahuntur, ac celebrantur, omnino exoriri. Saepe numero enim, ac passim praesentia proprii Parochi, dum Matrimonium per verba de praesenti contrahitur, desideratur, et cuilibet Sacerdoti interessendi commissio, interdum inscio etiam proprio Parocho, demandatur. Frequentissime etiam super denuntiationibus per tres Festos dies inter Missarum solennia in Parochiali Ecclesia tam Viri, quam Mulieris, de Matrimonio contrahendo fieri solitis, ac tantopere praescriptis, dispensatur; ita ut, nulla intercedente legitima, et urgenti causa, ne una quidem denuntiatio fiat.

§ 6. Quamobrem obstructa omni via, qua ad agnitionem perveniri posset, an quodlibet Matrimonium cum debita utriusque Contrahentis libertate,

[1] Cf. N. 315.

et consensu celebretur; intercedatne inter utrumque Contrahentem Impedimentum aliquod, cuius causa deinceps idem Matrimonium iam contractum dissolvi, et irritari debeat. Hinc opportunus datur locus frequentissimis super nullitate Matrimoniorum in facie Ecclesiae etiam initorum disputationibus; interdum quidem contenditur Matrimonium, sive per vim, sive per metum, et sine alterius Coniugis libero consensu contractum fuisse; interdum vero impedimentum obtenditur, quod, caeteroquin legitimum, ac canonicum, ante resciri potuisset, quam Matrimonium contraheretur, nisi de industria, deditaque opera occultum esse voluissent; interdum etiam, quod frequentius accidit, inde Matrimonii nullitas arcessitur, quod coram alio Sacerdote, licet de commissione sive Parochi, sive Antistitis Ordinarii, sine tamen debitis consuetisque formis attributa, celebratum fuerit Matrimonium. Nemo sane est, qui non intelligat, praemissa omnia, tamquam perpetuum Diabolicae nequitiae fomitem, apertumque sceleri aditum, in causa esse, et ut canonicum appellationis beneficium a Nobis in ultimis nostris Literis tantopere commendatum,[1] quo alter Coniugum post adiudicatam alteri super Matrimonii nullitate causam, frui potest, per hasce fraudes, et effugia impediatur, et ut frequentiores sint, non sine gravissima bonorum offensione, et scandalo, in Polonia huiusmodi Connubiorum dissolutiones.

§ 7. Itaque, ut iniunctis imbecillitati nostrae Apostolici muneris partibus, quantum cum Domino possumus, satisfacere, et opportunum perniciosissimo huic malo remedium adhibere adnitamur, motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine; tenore praesentium, non solum omnia, et singula huiusmodi pacta inter Coniuges, pro dissolutione Matrimonii quandocumque facienda, quomodolibet inita, verum etiam ea, quibus sive directe, sive indirecte, appellatio ab Iudicis sententia iam lata super Matrimonii nullitate impediatur, etiamsi utraque pacta interposito iureiurando approbata, et confirmata, atque etiamsi ante editas nostras memoratas ultimas Literas quomodolibet conventa, et facta fuissent, nulla, invalida, irrita, nullius roboris, et momenti esse ac fore, et imposterum futura, et habenda esse declaramus, et nunc pro tunc annullamus, invalidamus, irritamusque; ita ut nullo unquam pacto, tam in foro interno, quam externo, obligatoria sint et habeantur, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda, a qua nemo, quicumque pacta huiusmodi celebraverit, praeterquam a Nobis, et Romano Pontifice pro tempore existente Successore nostro, nisi in mortis articulo, absolutionem obtinere possit. Praeterea eidem excommunicationis poenae ipso facto obnoxium esse et fore, eamque incurrere, et incursurum esse pariter declaramus, et nunc pro tunc pronuntiamus, quemcumque Iudicem, qui pacta antedicta executioni demandanda, et servanda curare, et pronuntiare ausus fuerit; ac propterea praefatas ultimas Literas, seu Constitutionem nostram, et quaecumque in iis, sive in ea, contenta, ac praesertim omne id, quod quoad ordinem seriemque appellationis a deputato Matrimonii Defensore semper ac ab Iudice contra eiusdem Matrimonii nullitatem sententia pronuntiata fuerit, interponendae, continetur, statuitur, ac praecipi-

[1] Cf. N. 318.

tur, quatenus opus sit, iterum innovamus, et confirmamus, denuntiamusque; et Fraternitatibus Vestris easdem nostras Literas iterum proponendas, evulgandasque, in virtute sanctae obedientiae iubemus, perinde ac si de verbo ad verbum iisdem praesentibus expressae, et insertae fuissent, quemadmodum earumdem tenorem ipsis praesentibus pro expresso, et inserto haberi volumus.

§ 8. Quamquam vero quaecumque hactenus gessimus, retulimus, praescripsimus, satis esse intelligimus, ut Fideles istic praesertim Matrimonii sanctitatem cognitam habentes, ad Sacramentum hoc magnum, ea, qua decet, animi reverentia, ac pietate, ineundum accedant, eamdemque sanctitatem, mutuamque animorum concordiam perpetuo inviolatam indissolubilemque servent, tamen nostrae hac in re gravissima Apostolicae sollicitudini haud satis esse ducimus, nisi Fraternitatibus Vestris proponamus praeclaras salutaresque Leges, ac Regulas aliarum bene constitutarum Dioecesum, in quibus fere nunquam, aut raro lites super contractis Matrimoniis agitantur, et Sententiae super eorumdem Matrimoniorum nullitate pronuntiantur.

§ 9. Ac primum omnium, munus, quod ad proprium Parochum iure spectat, interessendi Matrimoniis celebrandis, per se ipse Parochus, nisi legitima gravissimaque de causa impeditus, obire tenetur.

§ 10. Onus pariter proprio Parocho iniunctum est, ut antequam Denuntiationes de ineundo Matrimonio publice in Ecclesia inter Missarum solemnia fiant, ipse tum Sponsum, tum Sponsam seorsim caute, et, ut dicitur, ad aurem explorare studeat, an ex voluntate, sponte, ac libenter, et vero cum animi consensu, in matrimonium vicissim coniungantur; necnon ut, quantum fieri potest, inquirere nitatur, ullum ne, et cuius generis impedimentum inter Contrahentes intercedat; aliis ne fidem sponsionemque alter ex Contrahentibus dederit; de consensu ne Parentum Filii, Filiaeque familias contrahant. Haec, aliaque huiusmodi momenta postquam Parochi accuratissime exploraverunt, si aliquod eorumdem momentorum sive deficere, aut nocere posse deprehenderunt, suspensis interea denuntiationibus, illud, quod obstare possit, deferre tenentur ad proprium Antistitem, qui, prout res postulaverit, pro auctoritate, munerisque sui debito, opportune provideat.

§ 11. Quod si Parochi nihil, quod Denuntiationibus publice, et de more faciendis obstet, tuto animadverterint, tunc illas per tres festos dies continuos in Ecclesia inter Missarum solemnia, iuxta tam Concilii Lateranensis sub fel. rec. Innocentio PP. III Praedecessore nostro,[1] quam Concilii Tridentini praescriptum,[2] proponent, ut impedimentum, si quod prius resciri non potuerat, ab interessentibus Auditoribus indicetur.

§ 12. Etsi autem Antistites super ovibus sibi commissis vigilias, ea, quam ante diximus, salutari ratione, custodientes, non ignorant, Matrimonium coram quolibet Sacerdote non Parocho, facta illi copia, dataque licentia, sive a proprio Parocho, sive a Loci Ordinario Antistite, validum esse, auctoritatemque super Denuntiationibus dispensandi, atque ut una pro tribus, et ne una quidem, urgente legitima gravissimaque causa, Denuntiatio fiat, per-

[1] C. 3, X, *de clandestina desponsatione*, IV, 3.
[2] Sess. XXIV, *de ref. matrim.*, c. 1.

mittendi se habere; tamen diligentissime caveant, ne ad libitum hac sua auctoritate, tum super Denuntiationibus dispensandi, tum cuilibet potius Sacerdoti, quam proprio Parocho facultatem, ut in contrahendis Matrimoniis interesse possit, committendi, nisi ubi ineluctabilem necessitatem ita exigere animadverterint, utantur. Immo cum, ut praemissum est, commissionem huiusmodi necessario dandam esse perspexerint, eam non statim, sed postquam ex adhibitis diligentiis, acceptisque certis notitiis, sibi tuto constiterit nullum inter Contrahentes interponi impedimentum, impertiuntur.

§ 13. Quoad dispensationem vero super Denuntiationibus semper prae oculis Concilii Tridentini Decretum de reformatione Matrimonii habentes, apertissime intelligunt, facultatem in huiusmodi dispensationibus effraenatam immoderatamque sibi nullatenus inesse, sed facultatem ad prudentiae rationem, legitimarumque causarum emergentes occasiones dirigendam, eaque caute uti, ita ut hac in re semper recitent haec eiusdem Concilii Tridentini verba: *Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, Matrimonium malitiose impediri posse, si tot, nempe tres praecesserint Denuntiationes; tunc vel una tantum Denuntiatio fiat, vel saltem Parocho, et duobus, vel tribus Testibus praesentibus, Matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem Denuntiationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur.*

§ 14. Haec, Venerabiles Fratres, Antistitum gravissimas Episcopalis in Matrimoniis praesertim celebrandis ministerii partes adimplere studentium sollicitudo, diligentia, ac ratio agendi, omnes fere Connubiorum dissolutiones e medio tollit; hanc igitur sequamini. Per hanc semitam, non recens apertam, sed semper tuto tritam, et a laudato Concilio Tridentino tantopere commendatam, atque sub praecepto ad suscipiendam frequentandamque universis Antistitibus traditam, dirigite gressus vestros, ut iniuncto Vobis oneri, etiam hac in parte satisfacere possitis. Vigiles, ac solliciti adnitamini, ut Parochi, Animarumque Christifidelium Rectores, in partem laborum vestrorum Coadiutores vocati, in suis, ea, qua tenentur, vigilantia, sedulitate, et integritate muneribus exercendis, per se ipsi omnem operam, et curam impendant. Ne patiamini, ut facili, humanitate ducti, non autem legitima necessitate coacti, iuridicam propriorum Parochorum praesentiam, in contrahendis Matrimoniis necessariam, ob quodlibet leve momentum removentes, cuilibet Sacerdoti in illis interessendi licentiam concedatis. Canonicas Ordinationes, ac Leges super Denuntiationibus ante contrahendum Matrimonium faciendis, non sive gravi animi angore, conscientiaeque stimulo servandas, et summa cum nonnullorum offensione scandaloque minime praetereundas, Vos ipsi custodite, et ab aliis, quorum interest, re ipsa servari facite.

§ 15. Nec obtentu, praetextu, aut colore cuiuscumque consuetudinis, et usus hactenus quomodolibet invecti, et in vestris Dioecesibus vigentis, ea, quae ad haec usque tempora, super Denuntiationibus sine legitima causa dispensandi, versa est in fastidium, et tot litium fomitem, facilitate, deinceps abuti audeatis; perniciosa enim consuetudo, et auctoritatis abusus, non ad normam agendi, sed ad male actorum exprobrationem confert.

§ 16. Quam vero Vobis, ad commissiones, et dispensationes huiusmodi praecipitanter effuseque dandas, exemplo, et incitamento fuisse asseritur,

nimiam in iisdem tribuendis indulgentiam, qua vere, nec ne, Ordinarius Apostolicae huius Sanctae Sedis in Polonia pro tempore existens Nuntius, rigore facultatis, ipsi, inter caeteras tamquam a Latere Legato concedi solitas, utcumque hac in re competentis, easdem commissiones dispensationesque impertitur, ipsam moderno, et pro tempore existenti in Polonia Nuntio inhibendam mandamus, ut Fraternitates Vestrae, hoc exemplo, et incitamento etiam sublato, exinde sese a Commissionibus Dispensationibusve antedictis abstineant.

§ 17. Itaque, Venerabiles Fratres, nolumus Vos ignorare, Nos, tot nostras susceptas sollicitudines, tot nostras non omissas adhortationes, tot praescriptas Apostolicae nostrae providentiae auctoritatisque ordinationes, ex animi nostri, ad maiorem Dei gloriam, Animarumque salutem intenti, sententia, minime succedere, nec pristinas in Matrimoniis ineundis dissolvendisque lites, et controversias e medio tolli animadvertentes, suprema auctoritate nostra, ad efficaciora, et asperiora remedia hisce malis curandis apta atque idonea opportune adhibenda, esse usuros: Vobis enim satis superque perspectum est, Nos iustis, ac rationabilibus de causis, quemadmodum, si secus fortasse fiet quam praescripsimus, certe accideret, Iudicium Causarum Matrimonialium Poloniae quoad primam etiam Instantiam reservare posse; et insuper, relicta Episcopis locorum prima, et Metropolitanis secunda Instantia, decernere, (sicut, necessitate tamen coacti, omnino decernemus) ut in Causis Matrimonialibus Poloniae, tum prima ab Episcopalibus, tum secunda a Metropolitanis Curiis Sententia, super nullitate Matrimonii pronuntiata, executioni minime demandetur, nisi utraque Sententia, cum rationum momentis, prius in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum mature exacteque fuerit expensa, ac probata; necnon Matrimonium quodlibet, post utramque sententiam in Curiis vestris latam, vel interea temporis, dum in eadem Congregatione Cardinalium utraque sententia huiusmodi expenditur, vel nullo apud eamdem Congregationem Cardinalium habito recursu, quomodolibet, servatis etiam servandis, exinde contractum, nullum, irritum, nullius roboris, et momenti esse et fore declarare.

§ 18. Decernentes, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. I, p. 278-283].

338.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Demandatam*, 24 dec. 1743.[1]

Demandatam caelitus humilitati Nostrae omnium Ecclesiarum curam subeuntes, sub ipsum initium Pontificatus Nostri, per encyclicas Literas datas die 3 Decemb. anni 1740[2] ad Venerabiles Fratres, Patriarchas, Primates,

[1] Venerabilibus Fratribus, Patriarchae Antiocheno Graecorum Melchitarum, et omnibus eiusdem Ritus Catholicis Episcopis, eidem Patriarchae subiectis.

[2] Cf. N. 304.

Archiepiscopos, et Episcopos per universum terrarum Orbem regentes Ecclesiam Dei, inter caeteros animi nostri sensus, quos illis manifestos esse voluimus, eosdem etiam omnes hortati sumus, ut quibuscumque in rebus, ad Catholicae Fidei, disciplinaeque conservationem et incrementum pertinentibus, Nostram atque huius Sanctae Sedis auctoritatem et opem sibi, suisque Ecclesiis necessariam esse contingeret, de iis ad Nos cum omni fiducia referre non dubitarent; atque omnibus illis ea adiumenta polliciti sumus, quae ab Apostolica suprema Potestate Nobis concredita, et ab ea sollicitudine, quae nostrum Pastorale decet officium, inferiorum Ecclesiarum Praelatis afferri maxime convenit. Haec autem a Nobis universo Episcoporum coetui publice promissa cum semper huc usque omni cura, et vigilantia, in mediis etiam difficillimorum temporum perturbationibus, Domino vires subministrante, effectu complere studuerimus; atque iis omnibus, qui hortationibus nostris excitati, de suis, suarumque Ecclesiarum rebus ad Nos adierunt, ea omnia praestiterimus, quae tum ad propriam ipsorum, tum ad animarum ipsis subditarum incolumitatem, atque utilitatem conducere iudicavimus, minime quidem negligendum esse censuimus recursum, quem de rebus non parvi momenti, et alias ad fel. record. Praedecessores Nostros Benedictum XIII, et Clementem XII, et nuper ad Nos ipsos habuerat Ven. Frater Cyrillus Patriarcha Antiochenus; qui ardenti zelo erga Fidei, et disciplinae puritatem, atque animarum salutem impulsus, pro quo etiam illustres labores exantlasse, et magna pericula adiisse dignoscitur, complura dubia in suae, aliarumque Ecclesiarum sibi subiectarum regimine incidentia, et varia postulata de rebus, sua sententia, sibi opportunis, ad huius Apostolicae Sedis iudicium, more Maiorum detulerat; ut suprema Romani Pontificis auctoritate, et omnis dubitationum ambiguitas, errorumque tolleretur occasio, et Ecclesiastici regiminis ordo, ac tranquillitas, in iis regionibus, ad Populorum salutem providis legibus assereretur.

§ 1. Itaque laudabili, iustoque illius desiderio obsecundare, eiusdemque iteratis precibus, quantum opportune fieri posset, satisfacere cupientes, totam rerum summam longo intervallo iacentem resumpsimus, eamque per nosmetipsos examinare, atque accurate definire volentes, summo studio, ac diligentia praedicta Dubia, et Postulata singulatim perpendimus; adhibitisque in consilium nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, ex eo coetu delectis, qui Propagandae Fidei negotiis praesunt, tum etiam aliquibus ex Clero Saeculari, et Regulari gravibus Viris, ac Theologica, et Canonica facultate praestantibus, quos omnes coram Nobis semel, bis, tertio de praedictis rebus sententias suas aperire mandavimus; ea tandem decernere, atque sancire statuimus, quae per has Literas Nostras, Vobis, Venerabiles Fratres, per universum Antiochiae Patriarchatum Orthodoxis Graeco-Melchitarum Ecclesiarum Episcopis, tenenda, atque observanda, Apostolica auctoritate declaramus; maximam de vobis omnibus in Domino fiduciam habentes, fore, ut Paternae Nostrae erga Vos charitati, ac studiosae de rebus vestris sollicitudini, integra, promptaque, ut par est, obedientia, aque observantia respondeatis.

§ 2. Porro ex dubiis, et postulatis a praelaudato Ven. Fratre Cyrillo Patriarcha propositis, aliqua pertinent ad conservationem Rituum, et Morum

Ecclesiae Graecae, tum universorum in genere, tum eorum in specie, qui ad ieiuniorum observantiam, et Sacrosancti Missae Sacrificii celebrationem attinent. Alia versantur circa Iurisdictionem eiusdem Patriarchae, et Episcoporum ei subiectorum, quam hinc ab Episcopis Maronitis, hinc vero a Missionariis Latinis perturbari asseritur. Nonnulla denique spectant ad Monachorum disciplinam, eorumque legitimam Superioribus subiectionem; tum etiam ad Religiosarum Foeminarum vivendi Regulam, earumque regimen, et tutelam,

§ 3. De Ritibus igitur, et moribus Ecclesiae Graecae illud imprimis generatim statuendum decrevimus, nemini licuisse, aut licere, quovis titulo, et colore, et quacumque auctoritate, aut dignitate, etiamsi Patriarchali, aut Episcopali praefulgeat, quidquam innovare, aut aliquid introducere, quod integram, exactamque eorumdem observationem imminuat. Hinc est, quod Euthymii olim Archiepiscopi Tyri, et Sidonis, Viri alioquin Catholici, reique Christianae propagandae studiosissimi, factum, alias ab hac Sede Apostolica de anno 1716 improbatum, iterum cogimur reprobare; inductamque ab eo, auctoritate propria, inconsultoque Romano Pontifice, nonnullarum Ecclesiae Graecae consuetudinum immutationem, revocamus, atque irritam fuisse, et esse decernimus; omnesque imposterum, et singulos Ecclesiae Graecae Ritus, et mores a Patribus traditos omnino servari mandamus; specialiter iniungentes Ven. Fratri Patriarchae Antiocheno, ut eorum conservationi diligenter invigilet, ac provideat, ne ulla novitas (unde confusionis, ut plurimum, et scandali occasio) in ipsis introducatur: permittentes solummodo eidem Patriarchae, et Episcopis Catholicis in propriis Dioecesibus facultatem corrigendi, atque extirpandi abusus, si quos, aut errore vulgi, aut schismaticorum dolo, sive saeculi vitio inter eos irrepsisse compererint; vel etiam aliqua peculiaria pietatis exercitia admittendi, ac probandi, si quae ad promovendam Fidelium religionem apta, et proficua prudenter in Domino iudicaverint.

§ 4. Huic autem sanctioni generaliter a Nobis prolatae consentaneum est, ut illae consuetudines in specie, quae aliquam mutationem, aut detrimentum subiisse feruntur, in pristinum vigorem reducantur, et restituantur.

§ 5. Cum itaque praedictus Cyrillus Patriarcha Antiochenus in quodam Episcoporum consessu de anno 1736 in Monte Libano habito, supra enunciati Euthymii Archiepiscopi exemplum aliqua ex parte sequendum sibi esse duxerit, ignorans vero, ut asseritur, Apostolicae Sedis Decreta, quae ad ipsius petitionem anno 1732 prodierant, (et quorum quidem executionem, ab eodem in accipienda suae Dignitatis confirmatione in genere promissam, pro illius perspecta vitae, officiique religione, et constanti in hanc Sanctam Sedem observantia, nunquam eum scienter praetermissurum fuisse, in animum inducimus); non solum sibi licere, sed etiam expedire putaverit, receptam Ecclesiae Graecae disciplinam circa ieiunia immutare: considerans nempe inopiam complurium suorum subditorum Graeco-Melchitarum, desertos Arabum pagos incolentium, ubi ciborum Quadragesimalium maxima est penuria, magnam insuper severitatem, ac diuturnitatem abstinentiarum, quae in Ecclesia Graeca observantur, ubi nimirum, praeter ieiunium Quadragesimae, quod in tota Ecclesia Paschalibus Resurrectionis Domini Festis

Apostolica institutione praemittitur, similis etiam quadraginta dierum abstinentia Natalitiae Christi solemnitati praecedit, tum alia quatuordecim dierum ante Festum Assumptionis Beatae Mariae Virginis observatur, et alia demum ante Festum Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, totidem dies complectens, quot a Feria secunda post Octavam Pentecostes ad eorumdem Apostolorum Festum intercurrunt; perpendens etiam relaxationem disciplinae, quae per Euthymii decreta iam apud illas Gentes invaluerat, difficile posse ad veterem rigorem revocari: super tribus huiusmodi abstinentiis postremo loco recensitis, quo ad omnes Incolas Pagorum Montanorum, perpetuo dispensans, eas coarctaverit singulas ad unum diem immediate praecedentem enunciatas solemnitates Natalis Christi, Assumptionis B. Mariae Virginis, et Martyrium SS. Apostolorum Petri, et Pauli.

§ 6. Nos huiusmodi innovationem, et abstinentiarum relaxationem, et coarctationem, in nimium detrimentum veteris Graecarum Ecclesiarum disciplinae vergere iudicantes, licet alioquin, deficiente auctoritate Apostolicae Sedis, nullius roboris esse dignoscantur, eas tamen auctoritate Nostra expresse revocamus, et nullum effectum imposterum habere, neque ullatenus executioni mandari, sed omnia in pristinum restitui debere, iubemus. Atque insuper in toto tractu Patriarchatus Antiocheni laudabilem consuetudinem a Maioribus derivatam, abstinendi etiam qualibet Feria quarta, et sexta per annum ab esu piscium, quae ab aliis quoque finitimis Populis eiusdem Graeci Ritus exacte custoditur, indistincte servari praecipimus.

§ 7. Et nihilominus Decreta Congregationis Particularis de Propaganda Fide alias die 22 Ianuarii anni 1732 de eiusmodi rebus edita, et a praedicto Patriarcha, ut asseritur, ignorata, renovantes, ac Paterno animo commiserantes egestatem Fidelium Incolarum Libani, et Anti-Libani, et inopiam ciborum Quadragesimalium, quae in plerisque locis illius tractus adesse fertur, ob quam saepe accidit, ut carnibus, et lacticiniis necessario vesci debeant; indulgendo statuimus, ut illaesa remanente etiam quoad illos generali lege de ieiuniis, et abstinentiis, a qua nemini liceat dispensationem in genere concedere, si tamen aliquando vera, et gravis necessitas urgeat dispensandi cum aliquo coetu, seu Communitate, facultatem concedimus Ven. Fratri Patriarchae Antiocheno, ut in singulos tantum annos, quibus eam necessitatem persistere cognoverit, et non aliter nec alio modo, huiusmodi dispensationem singulis praefatis Communitatibus concedere possit: non omissis interim debitis cautionibus, per quas veterum Rituum neglectui, et oblivioni sensim irrepenti occurri posse, pro suo arbitrio, et prudentia existimaverit.

§ 8. Simili modo nullam innovationem fieri debere decrevimus in eo, quod respicit celebrationem Sacrosancti Missae Sacrificii, quod unicum in singulos dies super quolibet Altari offerri, veterum Sanctorum Ecclesiae Graecae Patrum praecepto, et consuetudine traditum est; propatereaque minime indulgendum censuimus petitioni per eumdem Patriarcham Nobis porrectae, qua postulaverat, ut ad satisfaciendum pietati Sacerdotum, et multiplicibus Fidelium Oblationibus, praedictum Ritum antiquitate commendatum immutari permitteremus, et in Ecclesiis Libani, et Anti-Libani plures Missas eodem die super eodem Altari offerendi Sacerdotibus fieret potestas;

ac praeterea in Feriis Quadragesimae (quo tempore, exceptis diebus Sabbati, et Dominicae, nonnisi Praesanctificatorum Missa in Graecis Ecclesiis celebratur) integrum Sacrificium peragendi facultatem concederemus. Quibus de rebus veteres Ecclesiae Graecae Rubricas omnino servari, earumque executionem Sacerdotibus inculcari mandamus; eliminata tamen ab opinione vulgi inepta credulitate, qua nonnulli arbitrari dicuntur, Sacerdotem utentem indumentis, et supellectilibus, quibus alius Sacerdos eodem die usus est, ieiunii observantiam infringere.

§ 9. Permittimus tamen, iuxta Decretum latum die 31 Martii 1729 ab aliquibus ex Ven. Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, ut alia Altaria in loco Ecclesiae apto erigi possint. Si autem Altarium numerus Celebrantium, et Offerentium multitudini non respondeat, liceat pluribus Sacerdotibus, ubi huiusmodi consuetudo viget, super eodem Altari una cum Episcopo, vel alio Sacerdote Sacrificium peragente, concelebrare; ita tamen, ut sacris vestibus more Celebrantium induti, unusquisque totam Liturgiam integre recitet, et verba Consecrationis proferat, perinde ac si Sacrosanctum Sacrificium singulatim conficerent.

§ 10. Huiusmodi autem Sacrificium singuli Sacerdotes iuxta mentem eorum, qui voluntarias oblationes exhibent, licite valent applicare. Quod si secundae, et ulteriores Oblationes pro eiusdem Sacrificii applicatione superaddantur, Sacerdos, qui eas receperit, semper teneatur monere Fideles posteriore loco offerentes, de aliis oblationibus ad eumdem finem acceptis; et nisi iidem Offerentes unica Missae celebratione se voti compotes fore declarent, sciat se unico Sacrificio plurium voluntati minime satisfacturum. Eorum vero mentem, qui pro Sacrificio obtulerunt, nunquam a Sacerdotibus impletum iri declaramus per solam adiectionem Particularum, et commemorationem, quae in Panis praeparatione ante Missae Sacrificium fieri solet: cum omnino necessaria sit integra concelebratio; nisi de eorumdem Offerentium voluntate aliter fiat.

§ 11. Ut autem a Sacerdotibus Graeco-Melchitis in Sacris Mysteriis peragendis una, et eadem caeremoniarum ratio, iidemque Ritus serventur, et ne aliqua sensim in iisdem obrepat difformitas, mandavimus Typis Congregationis de Propaganda Fide imprimi Missale ad usum illorum Ecclesiae, iuxta Rubricas remotissima antiquitate firmatas; quod absoluta editione sacrorum Librorum Ritus Coptici, qui sub praelo sunt, incessanter impleri curabimus.

§ 12. Quod vero attinet ad praedictorum Venerabilium Fratrum, Patriarchae Antiocheni, et Episcoporum Graeco-Melchitarum Iurisdictionem, cuius conservatio magnopere Nobis cordi esse debet: non sine magno animi Nostri dolore accepimus, nonnullos Episcopos Maronitas, praedictorum iura sibi asserentes, in illorum subditos Iurisdictionem sibi neutiquam competentem saepe, ut asseritur, exercuisse; absolvendo eos, qui Ecclesiasticis Censuris a propriis Pastoribus innodati fuerant; dispensationes Matrimoniales concedendo in gradibus, et circumstantiis a Ritibus Graeco-Melchitis minime permissis; dispensando etiam cum Monachis Graeco-Melchitis super votis Religionis; subditos denique Antiocheni Patriarchae ad Maroniticum Ritum amplectendum variis artibus attrahendo. Quae omnia, et singula a dictis Episcopis,

ut fertur, peracta, iam per se nulla, et Pontificio, Canonicoque iure damnata, ne, in alienae Iurisdictionis perturbationem, et simultatum, ac discordiarum fomentum, iterum renovari contingat, suprema, quam Iesus Christus Princeps Pastorum Beato Petro Apostolo, Nobisque huius Successoribus, in Ecclesia Catholica tribuit potestate, omnibus, et singulis Maronitarum Episcopis, ipsique Patriarchae Nationis Maronitarum, eorumque Successoribus in perpetuum, in virtute sanctae obedientiae, quatenus Nobis exposita veritate nitantur, praecipimus, ut ab huiusmodi imposterum abstineant; inhibentes praeterea, ne quocumque praetextu aut obtentu, rebus spiritualibus Nationis Graeco-Melchitarum, in iis, quae spectant ad Iurisdictionem, et auctoritatem illius Patriarchae, Episcoporum, et Parochorum, se ingerere audeant, aut eorum subditis transitum a Graeco ad Maroniticum Ritum suadere, vel eos, qui sponte transire vellent, nisi forte peculiaris a Romano Pontifice licentia interveniret, acceptare praesumant.

§ 13. Et quoniam intelleximus saepedictum Patriarcham Antiochenum, eique subiectos Episcopos, vereri, ne Missionarii Latini, quos in eorumdem adiutorium et levamen, Apostolica Sedes in eas regiones mittere, nec sine gravi incommodo, magnisque sumptibus illic substentare consuevit, utendo facultatibus sibi concessis, eorum Iurisdictioni praeiudicium inferant, et numerum subditorum imminuant, volentes etiam in hac parte eorumdem indemnitati consulere, ac libero propriae auctoritatis exercitio prospicere, statuimus primo, et declaramus, licere tantummodo Fratribus Ordinis Minorum Sancti Francisci Custodiae Terrae Sanctae, Parochialia munia obire circa Graecos Melchitas, eisque Sacramenta administrare, in iis locorum et temporum circumstantiis, quibus omnino deficiat modus habendi Parochum, aut alium Antistitem Graeci Ritus. Quo casu praedicti Fratres emolumenta legitimo iure debita percipere licite valeant, et a iurisdictione Antiocheni Patriarchae nullatenus ipsi dependeant; sed huic dumtaxat petenti teneantur singulis annis notulam tradere Animarum Graeci Ritus in ea Civitate, seu loco existentium, utpote quae in reliquis eidem Patriarchae omnino subesse intelligantur. Curet autem Patriarcha pro sui muneris implemento, ut ubicumque opus fuerit, Catholici Parochi copia suppetat, a quo praefati Graeci-Melchitae Sacramenta Graeco Ritu recipere queant.

§ 14. Sacramentum vero Confirmationis a Patre Guardiano Terrae Sanctae, in Civitate Hierosolymitana, et in iis locis, ubi Episcopus Graecus Catholicus iure suo, et in propria Dioecesi non resideat, conferri posse *sub conditione* Graecis a simplici Sacerdote confirmatis, ac sponte ab eodem confirmari petentibus. Ubi vero sit Episcopus Catholicus residens, huiusmodi Sacramentum non conferat, nisi de eiusdem Episcopi consensu; eo autem dissentiente, abstineat.

§ 15. Praeterea omnibus, et singulis Melchitis Catholicis Graecum Ritum servantibus, ad Latinum Ritum transire deinceps expresse vetamus. Missionariis vero omnibus districte mandamus, sub poenis etiam infra exprimendis, aliisque arbitrio Nostro decernendis, ne cuiquam ex illis huiusmodi transitum a Graeco ad Latinum Ritum suadere praesumant, aut etiam cupientibus, inconsulta Apostolica Sede, permittant.

§ 16. De iis autem, quos *Latinizantes* appellant, nimirum, qui a Graecis Parentibus progeniti, deficientibus Graecis Sacerdotibus, Latino Ritu a Latinis ad hunc diem baptizati fuerunt, eumque Ritum hactenus tenuerunt, quorum magnus numerus Damasci inveniri perhibetur, neque satis hucusque definitum fuit, cui potissimum Ritui addicti esse deberent: statuimus, et declaramus, ut coram Persona a Nobis deputanda semel profiteri debeant in quo Ritu vivere malint; in eoque imposterum, omni variandi facultate adempta, perseverare teneantur.

§ 17. Filii vero, qui ab huiusmodi Parentibus post emissam ab illis praedictam declarationem nascentur, necnon ii, qui iam nati sunt, sed nondum ad usum rationis pervenerunt, sequantur conditionem Parentum, si Coniuges unum eumdemque Ritum elegerint; sin minus, Patris Ritum sequantur.

§ 18. Caeterum si quos imposterum Graecos, necessitate cogente, ob defectum Parochi Catholici Ritus Graeci, Baptismum, aut alia Sacramenta a Latino Presbytero recipere eveniat, illi non ideo censendi erunt Latinum Ritum suscepisse; sed, omni dubitatione sublata, Ritum Graecum, in quo orti sunt, observare teneantur. Et eum quidem, durante praedicta necessitate, in omnibus rebus, quibus possunt, et praecipue in ieiuniorum observatione, retineant; in reliquis vero integre resumant, et prosequantur, statim ac Episcopus, aut Parochus Graecus supervenerit.

§ 19. Ad praecidendas denique controversias omnes, quae super huiusmodi quaestionibus oriri solent, etiam inter ipsos Missionarios, propter diversas eorum sententias, atque doctrinas; utque omnis contentio inter Fideles inde promanans penitus extinguatur: expresse praecipimus Missionariis cuiuscumque Ordinis, et Instituti, etiam Societatis Iesu, ut solliciti sint super his omnibus servare unitatem spiritus, et doctrinae; quod quidem, nostris hisce decretis, aliisque de Ritibus Graecorum in partibus Orientalibus observandis alias a Sede Apostolica editis, fideliter obtemperantes, facile consequentur. Curent praeterea, ut omnia laudabilia Ecclesiae Graecae instituta ab antiqua Patrum traditione derivata, et Apostolica approbatione firmata, in suo vigore permaneant, atque a Fidelibus istius Nationis integre executioni tradantur; neque aliquid iisdem suggerere, aut suadere audeant, quod illorum contemptum, atque imminutionem inducere possit; multoque minus auctoritate propria aliquid circa illa innovare, aut etiam super iisdem aliquam dispensationem concedere, vel admittere praesumant. Alioquin, praeter districtam, quam Deo, Nobis, suisque Superioribus (quos de urgenda huius Decreti observantia peculiariter oneramus) rationem reddent, sciant se harum Literarum vigore privationem vocis activae, et passivae, et inhabilitationem ad quemcumque gradum, et officium in suis respective Ordinibus, Institutis, et Congregationibus, ipso facto incursuros.

§ 20. Demum quod attinet ad Regularem Monachorum disciplinam, decernimus, ut Monachi utriusque Congregationis sub invocatione respective Sanctissimi Salvatoris, et Sancti Ioannis, observent regulam genuinam Sancti Basilii, eis tradendam a Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis: abstineantque ab esu carnium in sensu praedictae Regulae. Utriusque autem supradictae Con-

gregationis, sive alterius cuiuscumque Instituti Monachos immediate subesse iubemus Episcopis Ordinariis Catholicis, et mediate Patriarchae pariter Catholico. At in Dioecesibus, in quibus non est Catholicus Antistes, Patriarchae Catholico immediate subiaceant.

§ 21. Nullius vero generis Libros, aut folia, sine praevia approbatione, et licentia Episcopi Dioecesani, et Patriarchae praedictorum edere possint; atque insuper nullum de rebus sacris Librum, aut folium publici iuris faciant, inconsulta Sede Apostolica. Quod si novas Librorum sacrorum ab eadem Sancta Sede iam probatorum Editiones fieri contingat; onus erit Patriarchae, et Episcoporum Catholicorum, inspicere, ne ulla in re discordent ab Editionibus approbatis.

§ 22. Monasterium porro Monialium in Kesruano erectum a Graeco-Melchitis, pro Puellis suae Nationis, et Ritus, ante omnia declaramus eidem Graeco-Melchitarum Nationi iure proprietatis acquisitum esse; ita ut Puellae alterius cuiuscumque Ritus, et Nationis nullatenus quacumque de causa in eodem deinceps admitti possint; sublata cuicumque, etiam Patriarchae, atque Episcopis, super hoc dispensandi facultate.

§ 23. Insuper praedictum Monasterium, et Moniales sub protectione Sanctae Sedis Apostolicae, et Congregationis de Propaganda Fide recipimus; illius vero, seu illarum regimen, tum spirituale, tum temporale, ad Monachos Congregationis Sancti Ioannis de Soairo spectare decernimus, cum immediata subiectione Episcopo Ordinario, et mediata Patriarchae Graeco-Melchitarum Antiocheno; qui etiam immediatam super eo, et illis auctoritatem acquirere debeat, quotiescumque futuris temporibus non adesset Episcopus Orthodoxus illius Sedis. Quatenus vero (quod Deus avertat) neuter esset Catholicus, per id tantum temporis, et donec alteruter Catholicus supervenerit, praedictum Monasterium immediate subiaceat Abbati Generali praefatae Congregationis Sancti Ioannis, tamquam Delegato Sedis Apostolicae.

§ 24. Confessarius Ordinarius Monialium praedicti Monasterii sit Monachus professus dictae Congregationis Sancti Ioannis, quem scientiae, pietatis, ac prudentiae commendatione ab ipsius Abbate Generali delectum, et praesentatum, Episcopus Dioecesanus probaverit. Idemque statuimus de Confessario extraordinario, quem idem Abbas Generalis ter in Anno, et quandocumque necessitas urgeat, ad audiendas dictarum Monialium Confessiones valeat deputare. Facta insuper praedicto Episcopo potestate, quatenus id expedire putaverit, alium quemcumque Sacerdotem Regularem, etiam alterius Instituti, et Ritus Latini, vel etiam saecularem eiusdem Ritus, in Confessarium extraordinarium dictis Monialibus deputandi.

§ 25. Non aliam vero Regulam a praedictis Monialibus servandam statuimus, quam genuinam illam Sancti Basilii, quam Monachis tradendam, supra significavimus. Cui quidem Regulae, si tam supradicti Monachi, quam mox enunciatae Moniales, aliquas peculiares Constitutiones addere velint, quae nec eiusdem Regulae observantiae, neque Graecis Ritibus adversentur, eas ad Congregationem de Propaganda Fide prius cognoscendas, et si opus fuerit corrigendas, Nobisque auctoritate Apostolica confirmandas exhibere teneantur.

§ 26. In omnibus hisce Decretis, Venerabiles Fratres, quae, praevio maturo examine, ut supra diximus, auditoque consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, aliorumque praestantium integritate, ac doctrina Virorum, statuenda, edenda, ac Vobis denuncianda esse iudicavimus, minime dubitamus, quin agnoscatis, nihil aliud Nobis propositum fuisse, quam ut et Venerabiles Ecclesiae Graecae Ritus, ac mores in suo vigore persistant, et debita Vobis a populis obedientia, vestraque simul in eos auctoritas, et Iurisdictio, sarta tecta servetur. Quorum utrumque ex una, eademque animi, ac iudicii aequabilitate proficiscitur; per quam et varias Ecclesiarum Institutiones et consuetudines iusta aestimatione pensantes, unum illud ad animarum salutem omnino necessarium in votis habemus: ut scilicet omnes, qui ubique Terrarum Catholico censentur nomine, unico Fidei, atque unitatis vinculo teneantur. Et supremam huius Sanctae Sedis auctoritatem, qua super alias Divina institutione praeeminet, ad promovendam omnium Ecclesiarum utilitatem solummodo interponentes, de caetero Fraternitatibus Vestris intacta manere volumus iura omnia, ac privilegia, et liberum Iurisdictionis vestrae exercitium, ad regendas Oves vestrae fidei commissas, easque per semitas mandatorum Dei ad salutis aeternae metam, adiuvante Divina Gratia, dirigendas. Hinc est, quod, et huiusmodi Decreta libenter a Vobis, et cum debita devotione, atque observantia, suscipienda et amplectenda fore confidimus. Et nihilominus auctoritate Nostra Vobis mandamus atque praecipimus, ut ea omnia et singula servetis, et ab aliis, ad quos attinet, executioni mandari, atque exactissime observari curetis. Et Apostolicam Benedictionem Fraternitatibus Vestris ex animo impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 290-296].

339.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Inter omnigenas*, 2 febr. 1744.[1]

Inter omnigenas calamitates, quibus Ecclesiae Filii sub Infidelium dominatione degentes undique opprimuntur, quibusque omnibus paterna charitate compatimur; non aliae magis animum nostrum sollicitant, atque urgent, quam quae sunt eius generis, unde animabus Christi Sanguine redemptis perditionis occasionem oriri, et Catholicae Fidei, disciplinaeque integritati detrimentum inferri posse veremur. Ex quibus cum illae, quas in Serviae Regno sub durissimo Turcarum iugo iamdiu sustinetis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, multis ex partibus alias ad aures nostras pervenerint; tum vero novissime, per Venerabilem Fratrem Ioannem Baptistam, electum a Nobis, et constitutum Archiepiscopum Scopiae distinctius expressae, ac pene ob oculos nostros expositae, incredibili Nos dolore affecerunt. Licet enim inter gravissimas vexationes, et persecutiones ab infidelium crudelitate, et schisma-

[1] Venerabilibus Fratribus, Dilectis Filiis, Archiepiscopis, Episcopis, Parochis, et Universo Clero, et Populo Regni Serviae, aliarumque finitimarum Regionum.

ticorum odio illatas, assiduam Pastorum istius Regni vigilantiam, ac sollicitudinem in proprios greges, firmamque Populorum in Fide, ac pietate constantiam commendare, immo et admirari debuerimus; plures tamen dolendi causas Nobis attulerunt, tum nonnullorum ex illis infracta, et fluctuans, vel etiam arbitraria, in maximi momenti rebus, agendi ratio; tum invecta inter plerosque Fideles, ex alienigenarum consortio, morum, ac disciplinae corruptela; praesertim vero turpis Christianae professionis occultatio, ad infidelitatem accedens, qua plures in istis regionibus uti, temporalium damnorum timore, perhibentur.

§ 1. Debuerant quidem pleraque ex iis, quae contra Fidei, et morum puritatem inter istarum Ecclesiarum Fideles irrepsisse dicuntur, vel anteverti, vel introducta corrigi, atque emendari, per satis notas Pontificii, et Canonici Iuris sanctiones, et per Apostolicae Sedis Decreta per organum Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum saepius emanata; potissimum vero per ea, quae statuta fuerunt in Albano Concilio, quod sub fel. rec. Praedecessore nostro Clemente XI, ab istius Regni Primate, pro universo Clero, et Populo Albaniae, et Serviae, indictum, et celebratum fuit. Ideoque praedictas omnes iuris Ecclesiastici, et Sedis Apostolicae leges Vobis omnibus in memoriam revocantes, earumque studium, et observantiam impense commendantes, praedictum Concilium Albanum vestris praecipue rebus, ac temporibus accommodatum et opportunum, omnino teneri, ac per omnia observari praecipimus; volentes, ut omnes istius Regni Archiepiscopi, Episcopi, Parochi, et Missionarii, et Reliqui Animarum curam habentes, aliquod illius exemplar apud se habeant, atque ad illius normam, suos, et Populorum mores exigere studeant, et conformare.

§ 2. Attamen, ut graviores abusus ad Fidei, morum, ac rituum integritatem pertinentes, quae ex istis Regionibus ad nostram notitiam in specie pervenerunt, penitus tollantur, ac perpetuo eliminentur, postquam eosdem accurate, ac diligenter per nosmetipsos perpendimus, examinavimus, ea, quae sequuntur, Decreta, non sine Venerabilium Fratrum nostrorum consilio, perferre, ac vobis denunciare statuimus; quorum dispositiones a vobis omnibus ad quos attinet, utpote utiles, ac necessarias, libenter amplectendas esse in Domino confidimus; et nihilominus auctoritate Apostolica exactissime impleri, et custodiri mandamus.

§ 3. Ordientes itaque a negotiis Fidei, sine qua impossibile est placere Deo, omnibus et singulis istius Regni fidelibus, qui Ecclesiae Catholicae communionem retinere cupiunt, districte praecipimus, atque iubemus, ut caveant, ne ad occultandam, quum licitum et necesse est aliquando, Christianae Religionis professionem, aliqua faciant, aut admittant contra Evangelica Praecepta, et Instituta; praesertim vero, quae protestationem includunt Mahumeticae sectae. Ideoque si Circumcisionem susceperint, sciant, quod Christus ipsis, Apostolo attestante, nihil proderit. Nomina Turcica, quorum nec memores esse deberent per labia sua, assumere: abominanda Infidelium Templa, quae Moschaeas vocant, frequentare, ecclesiasticorum Ieiuniorum dies Carnium esu profanare, et haec eo fine, ut Mahumetani credantur, prorsus devitent.

Haec enim omnia, etsi Fides Christi in corde teneatur, fieri nequeunt, sine Mahumetis errorum simulatione, sinceritati Christianae contraria, quae mendacium in re gravissima continet, et virtualem Fidei negationem, maxima cum Dei iniuria, proximique scandalo, includit.

§ 4. Multo vero magis, quum a publica Potestate interrogantur, illicitum sibi esse sciant Mahumeticae sectae se addictos profiteri; sed illud noverint esse tempus, quo eos oportet, sumentes scutum Fidei, non solum corde credere ad iustitiam, sed etiam ore Christum confiteri ad salutem; alioquin si eum coram hominibus negare ausi fuerint, et ipse negabit eos coram Patre suo.

§ 5. Impius pariter, et illicitus est illorum Serviae Christianorum abusus, qui, ex hac vita migraturi, cadavera sua Turcarum sepulturis mandari, cum istorum assistentia, et Mahumeticis adhibitis ritibus, permittunt, aut iubent. Etenim si Christum in vita erubescere minime debent, quanto minus quum eiusdem tremendo iudicio sistendi sunt; ne et ipse eorumdem coram Aeterno suo Patre erubescat.

§ 6. Munus itaque Episcoporum, Parochorum, et Missionariorum erit, serio Christianos illos, qui supradicta, cum ingenti Fidei iniuria, nefarie praesumunt, docere et admonere; quod frustra sibi de Christianae Legis custodia, et zelo, deque Filiorum in eadem educatione blandiantur; quoniam vel in uno istorum deficientes, facti sunt omnium rei. Itaque ipsis aperte denuntient, quod quisquis metu cuiuslibet potestatis, vel temporalium amittendorum formidine, Fidem suam prodit, iram Dei super se provocat; seque, nisi resipiscat, ab omni salutis spe extraneum reddit; quoniam magis timet hominem, quam Deum, et momentanea retinere, quam aeterna acquirere mavult. Si qui autem obstinati in huiusmodi via impiorum pergere velint, incapaces erunt Sacramentorum in vita, et, si impoenitentes decesserint, suffragiorum post mortem; ad quae nullus Ecclesiae Minister illos admittere praesumat; alioquin a proprio Episcopo Canonicis poenis, ad praescriptum etiam supradicti Albani Concilii, plectendus erit.

§ 7. Arcendae pariter a Sacramentis Ecclesiae sunt illae Mulieres, quae nuptiarum nomine in Turcarum contubernium admissae, celantes Christianae Religionis professionem, ibi vitam agunt ab omni Religionis exercitio remotam; eisque, a Pastoribus denuntiandum est, ne salutis aeternae fiduciam collocent in ea Fide, quam, sine operibus mortuam, in corde tantum utiliter conservare posse, sibi persuadent.

§ 8. Istarum vero Filios quos Parochis baptizandos exhibent, ubi eorum vitae periculum imminere videatur, sacro lavacro abluere praedicti Parochi minime dubitent; admonitis Matribus, ut, si convaluerint, ipsos in Christiana Religione educare sedulo curent. De iis vero, qui validam, ac vivacem corporis constitutionem praeseferunt, et nullo superstitioso fine, sed unico salutis obtinendae voto, ad baptismum a supradictis Matribus offeruntur; quoniam impossibile est singulas rerum circumstantias expendere, quae suadere possunt, vel eos in Evangelicae legis, et fidei cultu perseveraturos, vel Christiana educatione ab huiusmodi Matribus fraudatos, Mahumetani Patris impietatem sequuturos esse; perpensis etiam infantilis aetatis periculis, ob quae tertiam plerumque hominum partem ante completum decennium extingui ferunt;

nihil expresse iubendum censemus; Ecclesiaeque Ministros dumtaxat hortamur, ut invocato cum gemitibus lumine Spiritus Sancti, iuxta illius ductum, et prudentiae suae dictamina se gerant. Quod si eos ad Baptismum admitti posse crediderint, ne omittant Matribus inculcare districtam obligationem, qua tenentur, huiusmodi Ecclesiae Filiis, si ad rationis usum pervenerint, notam facere veritatem Dei, eosdemque in disciplina, et correptione Domini educare.

§ 9. Illud etiam grave, ac permolestum auribus nostris accidit, Concilii Tridentini Decreta de Sacramento Matrimonii ab aliquibus non observari in istis Regionibus, in quibus debitam eorum publicationem iamdiu sequutam fuisse, ipsius Albani Concilii testimonio comprobatur. Itaque omnes istarum partium Fideles supradictis Decretis teneri declarantes, irrita omnino, et nulla esse definimus praetensa Matrimonia, quae coram solo Turcarum Iudice, Caddi dicto, vel etiam absque isto, per solos Sponsos, et non ad praedicti Tridentini Concilii praescriptum [1] contrahuntur. Quique huiusmodi nullas, et clandestinas nuptias contraxerint, et post contractas convivunt, tamquam in illicito concubinatu versantes (nisi de praeterito poenitentiam agant, et iusto Matrimonio in facie Ecclesie iungantur), a Sacramentorum participatione arceri praecipimus.

§ 10. Matrimonio autem a Fidelibus rite contracto, eisdem minime permittimus, ne quidem ob causam Uxorum a Turcarum raptu servandarum, idem coram Caddi per Procuratores Turcico Ritu renovare; nisi tamen Mahumetanus nuptiarum ritus sit mere civilis, et nullam Mahumetis invocationem, aut aliud quodcumque superstitionis genus includat. Etsi enim non per se ipsos, sed per Procuratores id peragant, nunquam tamen illius delicti insontes haberi debent, quod ipsorum auctoritate, vel mandato committitur.

§ 11. Quoad proclamationes vero a Tridentino Concilio statutas,[2] licet in Servia minime usu firmatae asserantur, quum tamen in praelaudato Concilio Albano Parochis etiam Serviae praescribantur, adempta dispensandi facultate extra urgentis necessitatis occasionem; Nos idem omnino, quum fieri potest, observari praecipimus.

§ 12. Quod si alicuius Fidelis Uxor ad Turcas confugiat, et cum aliquo ex istis nefarias nuptias contrahere audeat, non licet Viro aliam Uxorem in illius locum ducere; quum Matrimonium, Iure Divino, Coniugibus superstitibus, indissolubile, per huiusmodi Mulieris facinus minime dissolvatur. Unde, qui in tali casu alteram ducit, moechatur; et nisi ab ea omnino separetur, a Sacramentis arcendus est.

§ 13. Et quidem de huiusmodi Mulierum salute, nisi poenitentiam agant, quid iudicandum sit, omnibus patet. De Mulieribus autem Christianis a Turcis per vim raptis, iisdemque violenter, vel in pueritia nuptis, quae nullo Sacramentalis fidei iure coniunctae, in illicito concubinatu cum Infidelibus perseverant, idem omnino statuimus, quod in praedicto Concilio Albano decretum fuit; ut scilicet illis Ecclesiae Sacramenta denegentur; nulla ratione habita,

[1] Sess. XXIV, *de ref. matrim.*, c. 1.
[2] Sess. XXIV, *de ref. matrim.*, c. 1.

vel praetensae illarum in Christiana Fide perseverantiae, vel violentiae in puerili aetate a Turcis illatae, vel etiam quod unicae, aut potioris, et iustae Uxoris loco a Turcis habeantur; quum ista nullum ius tribuant in concubinatu, et fornicatione degentibus, ad percipienda Sacramenta; nullamque Sacerdotibus, ad eadem indignis ministranda, praebeant facultatem.

§ 14. Circa Dispensationes Matrimoniales, caveant Episcopi, et Missionarii Serviae, ne facultatibus sibi ab hac Sancta Sede communicatis inconsulte, vel erga immerentes utantur; neve terminos suae potestatis transiliant. Nullas itaque Dispensationes concedendas esse statuimus illis Christianis occultis, de quibus dictum est, quod Mahumeticos simulent ritus: etenim isti, quum Christum erubescant, gratiarum Ecclesiae, quae Christi sponsa est, indignos se faciunt. Praeterea nullas dispensationes concedant in iis casibus, quibus Matrimonia iuxta Ritum Ecclesiae Catholicae, ut supra dictum est, et valide, et sancte celebranda non esse praeviderint. Tunc enim non Dispensationes, sed Dissipationes, et incontinentiae fomenta essent, a quibus fidelis prudensque Minister Christi omnimode abstinere tenetur.

§ 15. Specialiter autem advertant, eam facultatem, inter caeteras ipsis communicatas, non reperiri: dispensandi scilicet super impedimento iustitiae publicae honestatis, proveniente ex matrimonio rato, quod alias inter alterutram partem, et alterius consanguineum in primo gradu, intercesserit; sed ante consummationem, vel morte, vel aliter legitime solutum fuerit. Hoc enim impedimentum fortius est eo, quod ex sponsalibus oritur; idcirco ab huiusmodi dispensatione concedenda abstinere debebunt.

§ 16. In celebratione nuptiarum observentur tempora ab Ecclesia Catholica praescripta. Quod si infra vetitos dies Mahumetani suas nuptias celebrantes, aliquem ex Fidelibus officii causa invitaverint, quoniam Ecclesiae praecepta ad eos, qui foris sunt, minime pertinent, non prohibentur Catholici Serviae, Christianam modestiam secum ferentes, illis interesse; dummodo fieri possit absque Creatoris iniuria, et offensione fidelium, et Ecclesiae Dei; et nulla in Turcarum nuptiis Mahumetis invocatio, nullique superstitiosi ritus intercedant, quibus invitati, ore, vel opere iungi debeant, et consentire. Quae tamen Infidelium consortia, et profana convivia, si, quantum poterunt, devitare curaverint, multa sane animarum pericula praecavebunt.

§ 17. Quod pertinet ad cognationem spiritualem, sapientissima Tridentini Concilii Decreta, [1] quacumque in contrarium consuetudine minime obstante, in Servia omnino observari mandamus. Itaque nec eam, quae oritur ex Sacramentis Baptismi, et Confirmationis, ultra personas, et gradus ab eodem Concilio praefinita, extendi permittimus; nullam vero spiritualem cognationem aliunde oriri, et in specie ex assistentia matrimonio praestita, etiam ad contrahentium invitationem, sicuti nec inter eos, a quibus capilli pueris primo tondentur, expresse declaramus. Urget enim ratio praedicti Conciliaris Decreti; ne scilicet propter multitudinem prohibitionum, contingat saepius, in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel cum peccato per-

[1] Sess. XXIV, *de ref. matrim.*, c. 2.

severetur, vel quae cum scandalo dirimi debeant. Quod cum sapienter statutum fuerit circa ea spiritualis cognationis genera, quae iam in Ecclesia recepta erant; multo maiori ratione obtinere debet in aliis huiusmodi speciebus, quae in Ecclesia Catholica ignotae, infectum a schismaticis principium habent, quorum est alligare hominibus onera gravia, et importabilia, digito autem suo ea non movere. Itaque et istorum scandalum, si quod acceperint ex huius Decreti inter Fideles observantia, secure contemnendum est.

§ 18. De Sacris autem Ritibus, in quibus istarum Regionum Ecclesiae, Romanam hanc, reliquarum omnium Matrem, et Magistram, in speculum sibi, et exemplum proponentes, non alio quam Romano Missali, Rituali, ac Caeremoniali uti perhibentur, hortamur Venerabiles Fratres Archiepiscopos, et Episcopos, ut nihil in huiusmodi tuta, ac laudabili consuetudine immutari, et tam in Sacrorum celebratione, et Sacramentorum administratione, quam in Benedictionibus, et Exorcismis, non aliis quibuscumque aliunde petitis Ritibus, Caeremoniis, et precationibus, quocumque praetextu, aditum reserari permittant.

§ 19. Videant autem, ne forte inanes, aut leves timendi causae illae sint, quae passim afferuntur, pro omittendis in Baptismatis administratione caeremoniis a Rituali Romano praescriptis; quas etiam, quum ex veris, gravibusque causis praetermitti contingat, primo quoque tempore suppleri curabunt. Neque enim sine gravi peccato negliguntur tam magni ponderis, tantaeque antiquitatis Ritus, atque ad reverentiam Sacramento conciliandam maxime necessarii.

§ 20. Curandum est etiam, ne extra casum necessitatis, iustique timoris ab Infidelibus incussi, communis, et naturalis Aqua, vel etiam ea, quae pro lustrationibus benedicitur, in Baptismi administratione adhibeatur; ac temere omittatur usus Aquae ad hunc praecise effectum benedictae iuxta praescriptum Ritualis Romani. Vix enim sine maxima incuria, vel inani timore (iuxta sensum etiam Albani Concilii) evenire potest, ut in Ecclesiis Parochialibus, ubi illae existunt, Baptismales Fontes, statutis temporibus, et ritibus non benedicantur, aut Sacrorum Oleorum ad hoc sufficiens copia non suppetat.

§ 21. Invigilent etiam, pro pastoralis muneris implemento, ne Fidelibus quocumque in loco degentibus Sacerdotes Catholici desint, qui ipsis in Paschatis solemniis Sacrosanctam Eucharistiam ministrare possint; tum, ut Lateranensis Concilii pro omnibus utriusque sexus Fidelibus Decretum[1] observetur; tum, ut in communi totius Ecclesiae de Resurrectione Domini laetitia, hoc vivifico pabulo, quod symbolum quoque unitatis est, Ecclesiae Filii roborentur, ac nutriantur. Quod si propter locorum, et temporum infelicitatem eveniat, ut infra duas Hebdomadas, quae a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis intercurrunt, nullatenus id fieri possit: tunc, ut eidem praecepto, vel in Quadragesima, vel in solemniis Pentecostes, praeviisque diebus, iuxta proprii Sacerdotis consilium, a Populis istarum Serviae regionum satisfieri valeat, harum Literarum tenore concedimus, et indulgemus.

[1] C. 12, X, *de poenitentiis et remissionibus*, V, 38.

§ 22. Dolenter vero nimis accepimus, vel adeo desertas, et ruinosas esse istarum Regionum Ecclesias, vel adeo insolescere Infidelium furorem, ut Sanctissima Eucharistia neque decenter, neque tuto, ut par est, asservari possit; unde eveniat, ut plerique Fideles Infirmi, absque salutari Viatico, naturae debitum solvant. Porro gravissimo huic malo, quantum fieri potest, occurri, et provideri debet. Quamobrem Infirmorum notitia per Parochos anxia diligentia est inquirenda, non tantum pro iisdem Poenitentiae Sacramento expurgandis, Christianisque monitis, ac spiritualibus consolationibus iuvandis, ac sublevandis; verum etiam, ut Sanctissimo Christi Corpore reficiantur, atque ad extremum agonem subeundum muniantur. Itaque ubi alicui ex Fidelibus mortis periculum instare perspiciant, praedictum Sacramentum Eucharistiae quamprimum ipsi ministrent; et si quidem sine periculo possint, ab Ecclesia sumptum, si aliqua ibi existerit, ad Infirmi domum deferre debent, cum extra summum necessitatis casum, apud infirmos, in Aedibus non Sacris, Missam celebrare non liceat.

§ 23. Dum autem Sacerdos tantum Sacramentum ad infirmos defert, Decreta in Albano Concilio promulgata adamussim observet, quibus praecipitur, ut indutus Superpelliceo, Stolaque utrique humero circumsepta, et praecedente uno saltem lumine, Hymnos, et Psalmos submissa voce recitans, in Sacra Pyxide, vel in Calice mundo, velamine cooperto, ambabus manibus illud ante pectus tenens, devote deferat. At ubi (sicut ibidem additur) Turcarum vis praevalet, et iniquitas, Sacerdos Stolam semper habeat propriis coopertam vestibus: in sacculo, seu bursa Pyxidem recondat, quam per funicolos collo appensam in sinu reponat; et nunquam solus procedat, sed uno saltem Fideli, in defectu Clerici, associetur.

§ 24. Denique circa sepelienda Fidelium Cadavera, omnes Turcarum superstitiones devitentur; a quibus profecto impuram originem trahunt superstitiosi quidam ritus, veluti lotiones, quae incenso Thure, et certarum precum recitatione, quae a Catholica improbantur Ecclesia, peraguntur. Itaque abstinentes, quantum poterunt, ab omni specie mala, et infidelium imitatione, discant istarum Regionum Populi, nihil in huiusmodi Ritibus contineri, quod necessarium sit ad Defunctorum salutem, atque suffragium. Turcarum vero dicteria, et cachinnos, inanesque schismaticorum sermones, pro nihilo habeant.

§ 25. In aestimandis autem periculis, quorum interventu in supra enuntiatis rerum generibus Ecclesiasticae disciplinae rigorem relaxari posse declaravimus, universos istarum Regionum Fideles, praecipue vero Animarum Pastores monemus, itidemque rogamus, ut abiectos animos Christiana virtute erigentes, quid vere timendum sit, quid contemnendum, examinent; et non in angustia, et metu terrenarum potestatum, sed in amplitudine charitatis, et ardore dilectionis, quae foras mittit timorem, Dei, et Ecclesiae praecepta observent, et Animarum Curam administrent. Quod si solam Turcarum insultantium formidinem, aut levium incommodorum periculum, ad transgredienda Christianae professionis instituta, vel ad negligendum Animarum sibi creditarum regimen, iustam sibi causam esse iudicaverint: vere de ipsis dici poterit, quod ibi trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Idcirco Vene-

rabiles Fratres Archiepiscopos, et Episcopos, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesias istas gravissimarum calamitatum cumulo vexatas, hortamur in Domino, et obsecramus, ut inanes huiusmodi timores, ex inferiorum Ecclesiae Ministrorum, omniumque Fidelium pectoribus excutiant, eosque erigant, atque excitent, ut calcatis aeque mundi blanditiis, atque terroribus, per arduam, angustamque semitam, Christum Ecclesiae Caput, ad sanctificationis fastigium invitantem, constanter sequantur.

§ 26. Agnoscant porro singularem in ipsos Dei nostri misericordiam, qui dum, terribili iudicio, in aliis Regionibus Infidelium dominationi subiectis Christianam Religionem penitus conculcari, et extingui permisit: in isto tamen Serviae Regno veritatis suae lumen vigere voluit, quo respicientes homines in angustiis, et tribulationibus constituti, et consolationem acciperent in hac vita, et ad meliorem, ac beatiorem aliam assequendam perducerentur.

§ 27. Itaque, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, cogitate etiam, atque etiam, et praecavete, ne per ingrati animi vitium, Divinae erga vos pietatis fluenta siccentur; et auferatur a vobis Regnum Dei, cuius legibus obtemperare, et recte constitutos mores servare contempseritis.

§ 28. Quod si supra exposita Decreta, quibus vestram agendi disciplinam ad Sanctissimarum Ecclesiae legum puritatem cupimus revocare, quaeque vobis omnino exequenda per has Literas nostras auctoritate Apostolica denuntiamus, gravia vobis videbuntur, et importabilia; videte ne ad leve Christi onus, ac suave ipsius legis iugum, eam gravitatem, et molestiam vestra opinione transferatis, quae ex superaddita temporalium bonorum, vel retinendorum sollicitudine, vel acquirendorum cupiditate proficiscitur. Haec si abieceritis, et mundi servitutem cum ea, quam Christo professi estis, minime conciliandam esse duxeritis: profecto levia vobis omnia, et expedita in Christianae legis observantia videbuntur. Fidelis est autem Deus, qui non patietur vos ab infidelibus vexari, ac tentari supra id, quod potestis; sed faciet etiam ex tentatione proventum, et momentanea tribulationum vestrarum aeterno gloriae cumulo abunde rependet. Quod ab ipso Patre misericordiarum, et Deo totius consolationis vobis ex animo adprecantes, Apostolicam Benedictionem vobis omnibus amanter impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 302-308].

340.

Benedictus XIV, const. *Ab augustissimo*, 5 mart. 1744.

Ab Augustissimo Eucharistiae Sacramento, in quo Salvator Noster, et Dominus Iesus Christus se ipsum nobis, tamquam gratiarum omnium fontem uberrimum, atque pretiosum aeternae gloriae pignus amandum, atque fruendum exhibere ineffabili benignitate dignatur; cui curvari convenit omne genu, omnesque gentes, et populos, et linguas perenne adorationis et honoris tributum offerre; sceleratorum Hominum audaciam, multoque magis sacri-

legas impiorum manus arcendas esse, in primisque a Nobis Apostolicae auctoritatis clypeo, ac districto poenarum gladio, quantum cum Domino possumus, longius propulsandas, tum ipso ministerii Nostri Officio, tum etiam Praedecessorum nostrorum exemplis admonemur.

§ 1. Et sane, cum alias Ven. mem. Praedecessor Noster Innocentius Papa XI per suam Constitutionem datam IV Idus Martii Anno Incarnationis Dominicae MDCLXXVII,[1] statuerit, ut omnes, et singuli utriusque sexus, qui de execrabili furto Hostiae consecratae, sive unius, vel plurium Particularum consecratarum, cum sacra Pyxide, vel sine illa, legitime, et iudicialiter confessi, aut convicti fuerint, quive propria malitia, vel de alterius mandato, Hostiam eiusmodi, sive unam, vel plures Particulas consecratas, ad malum finem, apud se retinere, vel alio transferre, seu asportare praesumpserint, condignis poenis, et animadversionibus pro facinoris atrocitate plectantur, et pro prima etiam vice Curiae saeculari tradantur, non obstante minori aetate, dummodo vigesimum annum attigerint; easdemque poenas constituerit etiam contra Mandantes: immediatus illius Successor fel. pariter rec. Alexander Papa VIII, aequali zelo ad tam nefarium scelus eliminandum armatus, praedictam Innocentii XI Constitutionem confirmavit, per aliam in simili forma datam XI Kalendas Ianuarii anni MDCXC;[2] in qua etiam illud addidit, ut sub antedictae Constitutionis dispositione intelligi deberent comprehensae omnes, et singulae personae tam Saeculares, quam Ecclesiasticae, etiam Regulares, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, Ordinis, Congregationis, Societatis, et Instituti, quibuscumque privilegiis, exemptionibus, et Indultis munitae, et quavis speciali nota, aut individuatione dignae, nulla prorsus excepta; easque omnes, si quas atrocissimi huius criminis, quocumque modo, etiam sine qualitate furti, per se ipsas, vel per alios quoscumque, aut de alterius mandato, commissi, reas esse constaret, omnibus, et singulis poenis tum antiquis, tum in dicta Innocentii XI Constitutione innovatis, etiam, quoad Ecclesiasticos, degradationis realis, et traditionis brachio saeculari, omnino et irremissibiliter obnoxias fuisse et esse, atque in posterum fore, declaravit.

§ 2. Nos igitur, quibus horrendae huiusmodi impietatis magis magisque praecavendae non minor cura pectori insidet, supradictas Praedecessorum nostrorum Innocentii XI, et Alexandri VIII Constitutiones (quarum tenores, ac si de verbo ad verbum praesentibus insertae forent, haberi volumus), atque omnes, et singulas dispositiones, ordinationes, declarationes, et extensiones in illis contentas, prout iacent, Motu proprio, et ex certa scientia, et deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione confirmamus, approbamus, et innovamus, easque inviolabiliter, et inconcusse servari volumus, et mandamus.

§ 3. Cum autem, sicut Nos ipsi pluries agnovimus, dum adhuc in minoribus existentes, in Romana, atque universali Inquisitione Consultoris munere fungebamur, in huiusmodi Causarum tractationibus, quae coram Sacro praedictae Inquisitionis Tribunali agitantur, hae plerumque exceptiones a Reis,

[1] Cf. N. 250.
[2] Cf. N. 255.

atque Reorum Advocatis proponi soleant, quod scilicet subreptarum Particularum, sive Hostiarum consecratio, et surripientium, sive asportantium, vel respective retinentium intentio ad malum finem directa, minime a Fisco probentur; et propter huiusmodi exceptiones, et deficientes in Fisco probationes ad easdem repellendas, huius generis causas in longum protrahi contingat, atque etiam ipsi aliquando Rei delictorum suorum impunitatem, aut poenarum minorationem pessimo exemplo obtinere tentaverint; cumque super relevantia istarum exceptionum, quae ex praedictarum Innocentii XI, et Alexandri VIII Constitutionum contextu oriri asseruntur, et super eo, an ipsis Reis, vel Fisco potius incumbat onus conficiendi probationes pro supradictis exceptionibus fundandis, vel respective destruendis, novam aliquam declarationem Pontificia auctoritate suffultam memoratis Constitutionibus adiungi desideraretur: idcirco Nos, volentes omnia sacrilegis Hominibus adimere subterfugia, per quae condignas tantae impietatis poenas declinare, vel earum minorationem, et relaxationem praetendere, vel obtinere possent, motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus, atque etiam Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana adversus haereticam pravitatem generalium Inquisitorum a Sancta Sede specialiter deputatorum sensui, et consilio Nobis alias super hac re insinuato inhaerentes, ea quae sequuntur opportune statuenda, et declaranda censuimus.

§ 4. Quoties igitur per legitimas probationes constiterit, vel Hostiam, vel Particulas a Reo subreptas, sive alio modo asportatas, atque retentas, in Sacro prius Repositorio, seu Tabernaculo, vel in Sacra Pyxide, aut Ostensorio asservatas, indeque sacrilego ausu extractas, atque asportatas fuisse; vel eidem Reo constituto, aut alteri personae, in actu Communionis a Sacerdote traditas, deindeque vel in eodem Communionis actu, vel post illum, ab ipso sumente ex proprio ore extractas fuisse: tunc satis, et abunde fundatam praesumptionem Fisco suppetere declaramus, pro asserenda earumdem Hostiarum, seu Particularum consecratione; ad quam excludendam nonnisi claras, et concludentes in contrarium probationes admitti debere decernimus; quarum perficiendarum onus ad ipsum Reum pertinere dubitandum non est, ac ne in posterum dubitari contingat, praesentis declarationis tenore statuimus.

§ 5. Inutiliter etiam a Reis, vel ab eorum Defensoribus proponeretur exceptio non probatae pravae intentionis abutendi Sacramento ad malum, vel sacrilegum finem, nisi concludentibus, et iuridicis probationibus, adstruendis pariter ab ipsis Reis, in quos tale onus praesentis declarationis vigore expresse refundimus, huiusmodi exceptio constabilita fuerit, et iusta, aut excusabilis ratio asportationis, aut retentionis Sacramenti, plene comprobetur. Alias etenim Fisco semper assistet valida, et legitima praesumptio de intentionis pravitate, quotiescumque probaverit ipsam Sacrae Hostiae, vel Particulae subreptionem, asportationem, aut retentionem; absque eo quod, super malo, vel sacrilego fine, speciales probationes debeat cumulare. Itaque neque istam, neque aliam superius memoratam exceptionem, ubi sufficienter, ut supra, probatae non fuerint, impiis tanti Sacramenti violatoribus ullatenus suffragari volumus, quo minus omnibus, et singulis poenis, etiam pro prima vice

traditionis brachio Saeculari, et quoad Ecclesiasticos, degradationis realis, et traditionis pariter pro prima vice brachio Saeculari, in praefatis, et antiquioribus Praedecessorum Nostrorum, et iuris sanctionibus, contra huiusmodi nunquam satis detestandi facinoris Reos iuste, ac sapienter constitutis, subiiciantur, et cum effectu plectantur, et puniantur.

§ 6. Decernentes, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 314-317].

341.

Benedictus XIV, const. *Sacerdos in aeternum*, 20 apr. 1744.

Sacerdos in aeternum Christus Dominus, dum ipsa nocte, in qua tradebatur, Apostolis a se ipso delectis consecrandi Corporis sui, eiusdemque offerendi, et ministrandi potestatem concessit: mox eisdem post resurrectionem suam, insufflato Spiritu Sancto, amplissimam peccata remittendi, ac retinendi contulit facultatem; hoc simul exemplo praeceptoque suo constituit, et sanxit, ut ea deinceps in universam Ecclesiam potestas atque facultas per legitimam tantummodo Sacerdotum ordinationem transfundi, et propagari deberet; unde, evacuato veteri Levitarum ministerio, et Sacerdotio filiorum Aaron, qui exemplari, et umbrae deserviebant Caelestium, omnibus quidem adoptionis suae filiis ad novum Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech aditus pateret; sed non alii reipsa ad sublimem fungendum honorem assumerentur, quam qui a Deo vocati, atque ab Apostolis, seu ab eorum Successoribus, rite instituti atque ordinati fuissent. Quod si, iuxta Legem Moysi, accedentes ad Sanctuarium illud manufactum, aut Thuribulum aureum ab hominibus effectum, manu arripientes, praeter eos, qui ex designata Tribu, et Familia originem ducerent, sine ulla miseratione morti deputabantur, quanto magis putandum est deteriora supplicia mereri eos, qui, profani cum sint, adeo praestantiori novae Legis ministerio se ingerere, atque oblationem, et dispensationem Mysteriorum Dei sibi arrogare praesumpserint; quum praesertim ea nulliter, et irrite celebrantes puram ipsam Panis, et Vini substantiam publicis adorationis actibus, atque receptis Latriae protestationibus impie prosequantur, et quantum in ipsis est, in idem Idololatriae crimen fideles populos, licet ignorantes, inducant. Mendaces vero illi, qui absque legitima auctoritate, in Poenitentiae Tribunalibus, tamquam Iudices animarum, sedere audent, eamque sibi falso asserere facultatem, emundandi conscientias hominum ab operibus mortuis, quam aeterni foederis Sponsor Dei Filius nemini se, nisi per Ecclesiasticam Ordinationem, communicaturum promisit, severioribus profecto poenis plectendi sunt, cum Sacramentum reconciliationis humanae conculcent, et sanguinem Testamenti, a quo virtus illius omnis promanat, pollutum ducant, confitentibus vero fideliter peccata sua impiam in re gravissima fraudem faciant.

§ 1. Et quidem gravissima huiusmodi scelera execrantes Romani Pontifices Praedecessores Nostri Paulus IV, et Sixtus V decreverunt, ut qui ad

Presbyteratus Ordinem non promoti, Missarum celebrationem usurpare, et Sacramentum Poenitentiae ministrare praesumpserint, a Iudicibus Sanctae Inquisitionis tradi deberent Curiae Saeculari, debita animadversione puniendi. Eorumque vestigiis per omnia inhaerens fel. record. Clemens Papa VIII etiam Praedecessor Noster, ne circa poenam huiusmodi delinquentibus irrogandam ullus dubitationi locus superesset, in suis Literis incipientibus: *Et si alias*, datis in forma Brevis apud S. Petrum sub die prima Decembris anni millesimi sexcentesimi primi,[1] distinctius constituit, ut omnes, et singuli, qui ad Sacerdotium, ut supra, non promoti, reperti fuerint Missarum celebrationem usurpasse, vel Sacramentalem confessionem audisse, a praedictis Iudicibus S. Inquisitionis, vel locorum Ordinariis, tamquam Ecclesiae misericordia indigni, a Foro Ecclesiasiastico abiiciantur, et ab Ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerint, rite degradati, statim Curiae Saeculari tradantur, per Iudices Saeculares debitis poenis plectendi.

§ 2. Et successive rec. pariter mem. Praedecessor Noster Urbanus Papa VIII per similes Literas datas die vigesimatertia Martii anno millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, quarum initium est: *Apostolatus Officium*,[2] supradictas Decessorum dispositiones ita confirmavit, et ampliavit, ut quicumque se praefatis sceleribus obstrinxerint, mandaverit eos privilegio aetatis minoris annis vigintiquinque, nullatenus excusari, dummodo vigesimum annum expleverint, quominus ad normam dictae Constitutionis Clementinae, statim Curiae Saeculari, condignis poenis afficiendi, tradantur. Quas quidem omnes et singulas Constitutiones, atque Ordinationes, Apostolica Nostra Auctoritate adprobamus, et confirmamus, et quatenus opus sit, innovamus, atque in posterum ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari praecipimus, earum omnium tenores, ac si praesentibus de verbo ad verbum insertae forent, pro plene, et sufficienter expressis habentes.

§ 3. Quia vero propria nonnunquam experientia cognovimus, dum adhuc in minoribus existentes in Romana atque Universali Inquisitione Consultoris munere fungebamur, ab huiusmodi criminum Reis, seu ab eorum Defensoribus, complures alias exceptiones proponi, quarum praetextu, poenarum ut supra iuste indictarum condonationem, aut saltem minorationem obtinere contendunt; et signanter contra probationes a Fisco adstructas opponi solere, quod aut Testes cumulaverit in sua quemlibet depositione singulares, dum, exempli gratia, unus ex ipsis Reum viderit Sacris se Sacerdotalibus Vestibus induentem, alter eundem ad Altare progredientem, alius vero unam, alius aliam Missae partem recitantem audierit; aut etiam quod ab eodem Fisco non satis exclusa fuerit promotio Rei ad Ordinem Presbyteratus, iuxta praetensum onus, quod ipsi Fisco incumbere contendunt. Ad elevandam vero delicti gravitatem, illud aliquando audivimus allegari, quod Reus integram Missam non celebraverit, sed antequam illam expleret, ab Altari discesserit; vel quod, si unam Missam integre celebrasse convictus fuerit, id, iuxta assertum sensum praedictarum Constitutionum, nequaquam sufficiat ad incurren-

das poenas in eisdem propositas; vel denique, etiamsi plures huiusmodi sacrilegas Missas celebraverit, minime probari possit formam Consecrationis ab eo prolatam fuisse.

§ 4. Idcirco Nos, frivola huiusmodi Reorum effugia de medio tollere volentes, re matura a Nobis ipsis, et accurate perpensa, atque etiam audito consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana adversus haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum a Sancta Sede specialiter deputatorum, Motu proprio, et de Apostolicae potestatis plenitudine, statuimus primo, et declaramus, quod licet delictum celebrationis Missae non satis plene probatum dici possit ad effectum deveniendi ad realem delinquentis traditionem brachio Saeculari, quando Testes inducti in suis quisque depositionibus singulares dignoscuntur; nihilominus indicia per huiusmodi depositiones acquisita satis relevantia iudicari debeant, ut Reus tormentis subiiciatur, ad eliciendam veritatem.

§ 5. Ad dignoscendum autem, utrum Reus in Ordine Presbyteratus revera constitutus fuerit, necne, laudabilem quidem commendamus praxim Tribunalis Sac. Inquisitionis, qua consuevit in huiusmodi casibus exquirere per literas ab Episcopo illius loci, unde Reus originem ducit, vel in quo domicilium habet, an ipse eundem Reum promoverit, sive ad alium Episcopum Literas Dimissoriales pro eiusdem ordinatione direxerit, ut hic deinde requiratur, an ad earum executionem devenerit. Verum ubi, hoc peracto, ex huiusmodi extraiudicialibus Episcoporum Literis constet, minime Reum fuisse promotum; id satis superque esse volumus, ut Fisci intentio probata dicatur; declarantes, non aliter Fisco incumbere onus probandi non promotionem Rei ad Ordinem Presbyteratus, sed ad ipsum potius Reum pertinere, quatenus contrarium praetendat, suam promotionem ad praedictum Ordinem concludenter ostendere.

§ 6. Sub dispositione vero praesentis Nostrae, necnon praemissarum omnium Constitutionum comprehendi decernimus omnes et singulos, qui, absque Sacerdotali gradu, et ordine, non modo unam Missam celebrare ausi sint, sed etiam unius Missae partem celebrasse iudicialiter fateantur, seu legitime convicti fuerint, dummodo elevationem Hostiae, vel Calicis, seu utriusque, in Altari peregerint, quamvis de prolatione formae consecrationis non constet: cum ex huiusmodi verborum prolatione tremendi quidem Sacrificii contemptus, et delinquentis audacia, et crimen augeatur; sed ex eorum reticentia nequaquam imminuatur peccatum idololatriae, quod per actus adorationis a Celebrante non promoto erga puram Panis, et Vini substantiam exhibitos, admittitur, et in quod Populus etiam fidelis, materialiter saltem, inducitur. Quod si, non peracta Elevatione, Reum ab Altari discessisse probetur, tunc solum concedimus, ut contra ipsum ad mitiorem poenam deveniatur, arbitrio, et prudentia Iudicis Ecclesiastici praefiniendam.

§ 7. Omnes denique exceptiones supra expressas, quae ab huiusmodi Reis, eorumque Defensoribus, in ipsorum excusationem praetendi solent, seu singulatim, seu coniunctim considerentur, nullatenus attendi, seu eisdem Reis suffragari debere statuimus, quominus ad realem eorum traditionem brachio Saeculari, vel, si de Clericis in aliquo Ecclesiastico Ordine consti-

tutis agatur, ad eorum degradationem, et traditionem pariter brachio Saeculari, etiam pro prima vice, procedatur, ad hoc ut condignis tantae impietatis poenis a iure, seu alias statutis, et comminatis, cum effectu puniantur, et afficiantur.

§ 8. Easdemque declarationes, et ordinationes a Nobis contra Celebrantes non promotos hucusque statutas, ad eos etiam extendimus, et pertinere decernimus, qui, cum Sacerdotes non sint, Confessiones Sacramentales audire, et absolutionem poenitentibus impertiri praesumant; quos pariter eisdem poenis traditionis brachio Saeculari, seu respective degradationis, et traditionis pariter brachio Saeculari, etiam pro prima vice, subiici debere praecipimus, non obstantibus praemissis exceptionibus, si quas ab huiusmodi Reis ad proprium casum aptabiles, in sui defensionem seu excusationem adduci contingat. Sed unam dumtaxat exceptionem, ad effectum mitigandae poenae, attendi debere mandamus; ubi nimirum concludenter probetur, Absolutionem a Reo minime prolatam fuisse: tunc enim concedimus, ut Iudex Ecclesiasticus mitiorem poenam, pro suo arbitrio et prudentia, delinquenti valeat irrogare.

§ 9. Decernentes, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 342-346].

342.

Benedictus XIV, ep. *Si fraternitas*, 8 iul. 1744.[1]

Si Fraternitas Tua secum reputabit quot gravissimis et maximis curis propemodum obruamur, quantumque, hoc praesertim difficillimo tempore, prorsus Nos teneat imposita tenuitati nostrae sollicitudo omnium Ecclesiarum, non sane mirabitur tamdiu sibi procrastinatum fuisse responsum ad eas Literas, quibus Apostolica auctoritate dissolvendas rogasti obortas in Hispania disputationes aliquas, e duabus nostris Epistolis ad omnes Episcopos superioris anni MDCCXLI, XXX maii,[2] et XXII augusti,[3] quibus intra legitimos fines coercuimus invalescentem Ecclesiastici ieiunii relaxationem. Potius tibi in mentem veniet cogitare de singulari nostro in religiosissimam Hispanam Ecclesiam amore, unde Nos immensa licet rerum mole fatigatos ad expediendum sibi in omni sua perplexitate salutis iter opem nostram praesto habet.

§ 1. Quamquam igitur, dum praenuntiatas Constitutiones edidimus, non aliud propositum Nobis fuerit, ac refraenare paucorum nimis ingenio fidentium Theologorum licentiam, qui opinionum novitate gaudent; nec otium, nec animus Nobis fuerit definire quicquid subtili indagatione deduci possit ex proposita a Nobis ieiunandi regula; tamen eximia paterna caritate complectimur adeo observantissimos Romanae Sedis Hispanos, tantique facimus obsecrationes tuas, ut occurrere anxietati vestrae libenter adiecerimus animum,

[1] Venerabili Fratri Archiepiscopo Compostellae.
[2] Cf. N. 308.
[3] Cf. N. 314.

et Nos ipsi quaestiones abs te propositas dirimendas constituerimus. Sic autem se habent.

I. *Utrum, quae in antedictis nostris literis in forma Brevis de unica comestione, et de epulis non permiscendis, praescribuntur, sub gravi etiam praecepto prohibeantur?*

Respondemus: Concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito, sub gravi teneri easdem facultates non aliter dare, quam geminis hisce adiectis conditionibus, videlicet unicae in diem comestionis, et non permiscendarum epularum. Eos vero, qui huiusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligari.

II. *An ii, quibus concessum est vesci carnibus, possint in vespertina refectiuncula, ea quantitate carnis vesci, quae ieiunantibus permittitur?*

Respondemus: non licere; sed opus habere eo cibo, eaque uti potione, quibus utuntur homines ieiunantes rectae meticulosae conscientiae.

III. *An qui ieiunii tempore vesci carnibus permittuntur, et unica comessatione uti debent, horam ieiunantibus praescriptam servare opus habeant?*

Edicimus, observandam iis esse.

IV. *Quaenam sint epulae licitae, quae vetantur cum interdictis coniungi?*

Respondemus: Epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas. Epulas interdictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova, et lacticinia.

VII. *Utrum memorata duo praecepta urgeant extra Quadragesimam?*

Respondetur: urgere extra Quadragesimam utrumque praeceptum; illud scilicet unicae comestionis, cum reliquis legibus in secundo, et tertio ad haec postulata responso expressis; et alterum non permiscendi epulas licitas cum interdictis, ut in quarto postulato definitum est.

§ 2. Habes, Venerabilis Frater, penitus explicatum quicquid apud vos ex nostris saepius nuncupatis Apostolicis literis dubitationem attulisse scribis. Qua quidem in re laudavimus consilium tuum interrogandae supremae Romanae Sedis, ut libero, et non vacillanti gressu ad oves sana doctrina imbuendas incedere Pastores queant, in istoque tuo suscepto consilio agnovimus Hispanam religionem, nihil sibi tutum nisi e Divi Petri Cathedra acceptum, reputantem; qua splendidissima gloria tantum nomen, et incorruptae Fidei fructum Hispania sibi peperit.

§ 3. Cavendum autem vobis est (idque plurimum ad te pertinet, qui illustris Archiepiscopi, et Inquisitoris geris praecipuum munus) ne in expendendis Apostolicae Sedis Constitutionibus, pro nimia exhauriendi argumenti sollicitudine, nullus fiat disserendi ambigendique modus. Sedula deinde opera conferenda, ut istiusmodi dubia, quae facile, pro ingeniorum varietate, disputando emergunt, penitus inter vos dirimantur, ne diuturna unquam disceptatione fluctuent animi; praesertim cum Constitutiones ipsae Apostolicae scopum, quo tendunt, aperte demonstrent, et illuc prompte dirigi potest quicquid dubitando interturbare videatur. Id si animadvertissent, qui de praesenti negotio plura dubitarunt, nodum sibi exsolvissent. Patebat enim nihil aliud Nobis in animo fuisse, quam cohibere vivida nonnulorum Theologorum

ingenia, qui nimium sacri ieiunii fines praetergressi, et non parum obliti illud ad retinendum in officio corpus divinitus institutum, hosti huic spiritus infensissimo blandiebantur. Statim siquidem comperissent, quid in propositis quaestionibus constituendum esset; nec tibi molestiam exhibuissent, nec Nobis, quos gravissimae undique circumstant curae, non parum temporis occupassent; quod tamen pro singulari nostro in vestram gentem studio, atque amore, libenter impendimus ad rectum vobis iter monstrandum, in posterum simul praecaventes, quomodo in huiusmodi quaestionibus firmare gressus vestros in promptu sit.

§ 4. Reliquum est, Venerabilis Frater, ut tibi, quod facimus ex animo, praecipuae benevolentiae nostrae pignus, Apostolicam Benedictionem peramanter impertiamur.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 356-358].

343.

Benedictus XIV, decr. *Cum ex relatione*, 17 iul. 1744.

§ 1. Cum ex relatione eorum, quae Congregationibus Sac. Rituum, aut Antepraeparatoriis, aut Praeparatoriis proponuntur, et discutiuntur, facta Nobis pro sui muneris adimplemento tum a Congregationis Secretario, tum a Fidei Promotore, innotuerit, saepe excitatam fuisse inter eiusdem Congregationis Consultores controversiam, an in Causis Beatificationis, et Canonizationis Servorum Dei, procedentibus per viam non Cultus, cum disputandum proponitur Dubium super Virtutibus aut Martyrio, Testes de auditu auditus, qui soli extant in Processu Apostolico, in linea probationis iungi possint cum Testibus de visu, qui extant in Processu Ordinario; contendentibus nonnullis, id tantum fieri posse, si Testes de auditu, qui extant in Processu Apostolico, sint de auditu a videntibus; aliisque asserentibus, idipsum fieri debere, etiamsi Testes non sint de auditu a videntibus, sed de auditu auditus, dummodo caetera alia non desint, quae requiruntur pro coniunctione Processus Ordinarii cum Processu Apostolico, et alia etiam concurrant a Congregatione Rituum statuta, ut rite, et recte admittantur Testes de auditu, de quibus omnibus in Nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum*, lib. 2, cap. 4 et 5.

§ 2. Nos ad amputandam quamcumque controversiam, decernimus primo, non posse in linea probationis coniungi Testes de auditu auditus in Processu Apostolico examinatos, cum Testibus de visu, qui extant in Processu Ordinario, praedictamque coniunctionem in linea probationis competere tantum Testibus de auditu a videntibus, qui sint in Processu Apostolico examinati, dummodo caetera supra indicata non desint requisita: et ex coniunctione Testium de visu examinatorum in Processu Ordinario, cum Testibus de auditu a videntibus, examinatis in Processu Apostolico, propositis Dubiis super Virtutibus, aut Martyrio, responderi posse, *Constare de virtutibus, etc.*, aut *Constare de Martyrio:* et in progressu ad ulteriora pro obtinenda formali Beatificatione sufficere debere duo miracula, quae ante Beatificationem

patrata sint, et approbata; et pro obtinenda Canonizatione sufficere debere alia duo miracula, post Beatificationem secuta et approbata.

§ 3. Decernimus secundo loco, quod, si in Processu Ordinario Testes extent de visu, et in Processu Apostolico non reperiantur nisi Testes de auditu auditus, Testes hi de auditu auditus, in Processu Apostolico excepti, vim et robur adminiculi habere valeant, modo quidem levis, modo gravis, prout eorum numerus, et qualitas exposcit, ita ut, exclusa a Postulatoribus quacumque fraudis, aut negligentiae suspicione, ex qua factum sit, ut soli Testes de auditu auditus in Processu Apostolico fuerint examinati, si, attentis numero, et qualitate Testium de visu in Processu Ordinario examinatorum, habitaque consideratione adminiculi non levis, sed gravis, desumpti ex Testibus de auditu auditus in Processu Apostolico examinatis, res ad eum statum redacta sit, ut faciat fidem, et auctoritatem Viro prudenti de re gravi iudicaturo, propositis Dubiis super Virtutibus, aut Martyrio, responderi possit, *ita constare de Virtutibus*, aut *ita constare de Martyrio, ut procedi possit ad ulteriora, hoc est ad discussionem Miraculorum:* nec obtineri posse Decretum Beatificationis, nisi tria Miracula praecesserint, quae fuerint approbata; neque demum Canonizationis Decreto locum esse debere, nisi duo alia post Beatificationem Miracula superveniant, quae pariter fuerint approbata.

§ 4. Demum tertio loco decernimus, nihil per praesens Decretum a Nobis fuisse immutatum super Dubio Virtutum, aut Martyrii, in Causis, quae procedunt per viam casus excepti, aut in quibus, etsi procedant per viam ordinariam non Cultus, soli Testes de auditu extant in Processu tum Ordinario, tum Apostolico; quoad eas enim exacte observari mandamus Decretum Generale a Nobis editum *die 23 aprilis 1741* et impressum in Nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum* lib. 3, cap. 3, num. 25 *editionis Patavinae, et editionis Romanae,* quod etiam nunc confirmamus tum quoad numerum Miraculorum, tum etiam quoad caetera, quae in dicto Decreto continentur; et in quibus statuitur, Miracula semper esse comprobanda per Testes contestes de visu, sive agatur de Causis procedentibus per viam Ordinariam de non Cultu, sive per viam extraordinariam de casu excepto, et sive res sit de Miraculis pro obtinenda Beatificatione, sive de aliis, quae proponuntur pro Canonizatione obtinenda. Et Secretario Congregationis Sacrorum Rituum mandamus, ut praesens Nostrum Decretum inter acta Congregationis referat, et typis edi curet, ut ad omnium notitiam deveniat.

[Bened. XIV Bull., tom. 4, Appendix, p. I, II].

344.

Benedictus XIV, const. *Apostolica Indulta*, 5 aug. 1744.

Apostolica indulta, quamvis prudenti Romanorum Pontificum dispensatione concessa, ad Christiani Populi profectum, et promovendam animarum salutem plurimum conferre non dubitemus: si tamen eorum interpretatio ingeniorum liberius opinantium licentiae permittatur, unde in sensus a mente,

et voluntate concedentium alienos detorqueantur: eadem in Ecclesiasticae Disciplinae detrimentum, et ipsorum Fidelium periculum atque perniciem, perverso hominum abusu, traduci posse veremur. Quapropter, pro ea, quam Dei nutu suscepimus, sanctissimarum Ecclesiae Legum custodia, et flagranti, quo tenemur, studio, de universo Christi grege ad aeternae beatitudinis metam securius dirigendo, non solum recte constitutas a Patribus agendi regulas in dies magis magisque constabilire satagimus; nullam praetermittentes occasionem intemeratae disciplinae observantiam Catholicis omnibus praescribendi et commendandi; verum etiam Indultorum ab hac eadem Apostolica Sede benigne concessorum certos indicare limites, et tutam ipsorum formam usumque praefinire, iuxta nostram et Praedecessorum nostrorum, quorum auctoritate prodierunt, mentem et voluntatem, opportunum in Domino iudicamus.

§ 1. Sane hanc providentiam, si quod aliud Indultum, illud in primis postulare videtur, quod Sedes Apostolica, vel cunctis Christifidelibus, per universalis Iubilaei Literas, vel nonnullarum Regionum Incolis, per Bullam, ut appellant *Cruciatae*, vel certis Universitatibus, aut Sodalium seu Confratrum coetibus, per specialia privilegia, elargiri quandoque consuevit facultatem eligendi sibi unum quempiam Confessarium ex approbatis ab Ordinario ad Confessiones audiendas, qui eos a culpis, criminibus, et censuris, alioquin reservatis, absolvere valeat. Etenim eo periculosius in usu Indultorum huius generis erratur, quo gravius in iisdem agitur negotium, Sacramenti nimirum Poenitentiae, lapsis post Baptismum ad salutem prorsus necessarii, valida ac legitima administratio, eiusdemque respective susceptio.

§ 2. Et quidem fel. record. Praedecessor Noster Innocentius Papa XII ex delatis ad se nonnullorum Episcoporum Regni Portugalliae tunc temporis existentium, et aliorum timoratae conscientiae Virorum, querelis, intelligens opinionem quandam revixisse, caeteroquin per Apostolicas Pauli V,[1] Urbani VIII,[2] et Clementis X[3] Romanorum Pontificum Praedecessorum suorum Constitutiones, necnon per plura Congregationum S. R. E. Cardinalium, tam Concilii Tridentini Interpretum, quam negotiis et consultationibus Episcoporum, et Regularium praepositorum, Decreta, dudum damnatam, ac reprobatam; qua opinione freti plerique illarum partium Fideles, Privilegia, et Indulta circa praedictam Confessarii electionem a Sancta Sede concessa et elargita in Literis Apostolicis pro Cruciata Sancta emanatis, quas Bullam Cruciatae vocant, ita intelligenda esse existimabant, ut facultas in Bulla huiusmodi Christifidelibus attributa, confitendi peccata sua cuilibet Confessario per quemcumque Ordinarium ad Confessiones audiendas approbato, et recipiendi ab eo absolutionem, ut praefertur, a quibusvis peccatis atque censuris in praedicta Bulla non exceptis, locum haberet, et habere censeretur, etiamsi Ordinarius praefatus non esset Ordinarius illius loci, in quo Confessiones praedictas excipi contingeret: huiusmodi opinionem, in Congregationibus S. R. E. Cardinalium, tam eorum,

[1] Const. *Alias*, 24 dec. 1608. - Bull. Rom., tom. 5, III, p. 352, 353.
[2] Cf. N. 208
[3] Cf. N. 246.

qui tunc temporis Episcoporum et Regularium consultationibus praepositi erant, quam aliorum adversus haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum a Sede Apostolica specialiter deputatorum, de ipsius mandato ex integro examinatam, iterum censuit proscribendam atque damnandam, sicuti reipsa proscripsit, et damnavit, per Apostolicas in forma Brevis Literas incipien. *Cum sicut,* die decima nona aprilis anni millesimi septingentesimi, Pontificatus sui anno nono editas;[1] decernens et declarans, praedictam Bullam Cruciatae, quoad approbationem Confessariorum, nihil novi iuris induxisse, nullumque privilegium continere contra formam Concilii Tridentini,[2] et praedictarum Constitutionum Apostolicarum; adeo ut Confessarii tam Saeculares, quam Regulares, quicumque illi sint, in vim dictae Bullae Cruciatae a Poenitentibus ad audiendas Sacramentales eorum Confessiones electi, nullatenus Confessiones huiusmodi audire valeant sine approbatione Ordinarii, et Episcopi Dioecesani loci, in quo ipsi Poenitentes degunt, et Confessarios eligunt, vel ad excipiendas Confessiones requirunt; nec ad hoc suffragari approbationem semel, vel pluries ab Ordinariis aliorum Locorum, et Dioecesum obtentam, etiamsi Poenitentes illorum Ordinariorum, qui Confessarios electos approbassent, subditi forent. Subindeque statuit Confessiones aliter in posterum factas et respective auditas, nullas, irritas, et invalidas fore, et Sacerdotibus, qui illas audire praesumpserint, suspensionis poenam ipso facto incurrendam indixit. Opinionem autem quamcumque contrariam, tamquam falsam, temerariam, scandalosam, et in praxi perniciosam, damnavit, et reprobavit; eamque potissimum, de qua supra diximus, ullo modo doceri, sustineri, aut ad praxim deduci, prohibuit, sub poena excommunicationis per contrafacientes ipso facto incurrendae; prout latius in supradictis Literis continetur.

§ 3. Has Literas Innocentii Praedecessoris praedicti post aliquot annos sua quoque auctoritate approbavit, confirmavit, et innovavit recol. pariter mem. Innocentius Papa XIII, die vigesima tertia maii anni millesimi septingentesimi vigesimi tertii, Pontificatus sui Anno secundo, editis similibus in forma Brevis Literis incipien. *Apostolici Ministerii,*[3] quibus plura complexus est ad Ecclesiasticam disciplinam in Hispaniarum Regnis servandam pertinentia; ac inter alia declaravit, Sacerdotes tam Saeculares, quam Regulares, qui ab Episcopis obtinuerint licentiam audiendi Confessiones, limitatam vel quoad locum vel quoad tempus, vel quoad genus personarum, non posse Sacramentum Poenitentiae administrare extra tempus, vel locum, vel genus personarum ab ipsis Episcopis praescriptum; quocumque privilegio, etiam in vim Bullae, quae appellatur Cruciatae Sanctae, competente, nullatenus suffragante: necnon Sacerdotibus praedictis tam Saecularibus, quam Regularibus, ad Confessiones excipiendas, vel ex vi praedictae Bullae Cruciatae, vel ex quocumque alio privilegio electis, minime suffragari, quod approbati alias fuerint ab Episcopo, qui aliquando loci, in quo Confessiones audiendae sunt, Ordinarius fuerit, sed talis non amplius existat, vel quia ab humanis excesserit, aut Episcopatui renuntiaverit,

[1] Cf. N. 263.
[2] Sess. XXIII, *de ref.*, c. 15.
[3] Cf. N. 280.

vel quia ad aliam Ecclesiam Auctoritate Apostolica translatus reperiatur, sed necessariam omnino esse illius, qui actualiter, et pro tempore Ordinariam Iurisdictionem in ea Dioecesi exerceat, approbationem; hanc tamen sufficere etiam tacitam, eamque tamdiu durare, quamdiu praecedens licentia sive approbatio expresse revocata non fuerit; in quo casu nova de integro approbatio impetranda erit; sicut etiam quando prior approbatio, tempore praefinito elapso, expiraverit.

§ 4. Cumque san. mem. Benedictus Papa XIII praefatas Innocentii XIII Literas, suis aliis Apostolicis Literis incipien. *In supremo Militantis Ecclesiae Solio,* die vigesima tertia septembris anni millesimi septigentesimi vigesimi quarti, Pontificatus sui Anno primo datis,[1] earum tenore de verbo ad verbum inserto, pari Auctoritate Apostolica in omnibus, et per omnia perpetuo approbasset, confirmasset, atque innovasset; ipsius quoque Auctoritate corroborata, innovataque noscuntur, quae de facultate eligendi Confessarium tam ab Innocentio XII, quam a XIII, decreta, declarataque fuisse commemoravimus.

§ 5. Quia vero iidem Praedecessores Nostri Innocentius XII, et XIII in suis respective Literis, Indultum per Bullam Cruciatae concessum tantummodo nominatim expresserunt, et ab Innocentio XIII alterius cuiuscumque generis privilegia generatim dumtaxat sunt indicata: idcirco Nos animo prospicientes, quod, nisi clarius, atque distinctius declaratum fuerit, quaenam Privilegia, seu Indulta sub praefatas regulas cadant, et cadere debeant, idem fortasse reprobatarum, ut supra, opinionum offendiculum, ut olim in praedictae Bullae Cruciatae, sic etiam in aliorum eiusdem generis Indultorum interpretatione et usu, subesse facile posset; et vigili cura animum in id intendentes, ne inimicus homo huiusmodi zizania in agro Dominico ullatenus valeat superseminare, atque ut Fidelium conscientiae securius dirigantur, non modo relata superius Praedecessorum nostrorum Decreta Auctoritate quoque Nostra approbamus, confirmamus, et innovamus, verum etiam eadem auctoritate, et simili motu, scientia, et potestatis plenitudine statuimus, et declaramus, quod idem omnino ius, quod vigore Decretorum huiusmodi, circa intelligentiam, et usum Indulti Bullae Cruciatae obtinet, etiam quoad reliqua eiusdem generis Indulta pariformiter valere debeat, et obtinere. Volumus etiam reprobationem dictarum opinionum, quatenus respiciunt intelligentiam, et usum Indulti praedicti Bullae Cruciatae, a praefatis Praedecessoribus proscriptarum, locum similiter habere, quatenus easdem opiniones et sententias in medium proferri contingeret circa similia etiam Indulta, sive universis per Ecclesiam Christifidelibus, sive alicui Regioni, aut Loco, Universitati, aut Coetui particulari Sodalium, seu Confratrum, quandocumque, et ubicumque concessa vel concedenda.

§ 6. Insuper decernimus, et declaramus, id, quod generaliter de Indultis praemissis sentiendum esse iam diximus, generaliter quoque intelligendum esse de omnibus et singulis personis, quae sub eorundem Indultorum concessione comprehensae reperiuntur, vel quas in posterum comprehendi contingat, quaeque supradictis Indultis uti voluerint. Ita videlicet, ut si in aliquo

[1] Cf. N. 283.

Indulto tam Saecularibus, quam Regularibus tribuatur facultas eligendi Confessarium ab Ordinario Loci approbatum, tunc Confessarius vigore talis concessionis, sive a Saeculari, sive a Regulari Poenitente ad audiendas eorum respective Confessiones electus, nullatenus huiusmodi Confessiones audire valeat, nisi ab Episcopo Dioecesano et Ordinario Loci, ubi Confessio excipienda est, ad Confessiones approbatus et deputatus existat; quacumque alia approbatione, tam illius generis, quam uterque Innocentius Praedecessores praedicti declararunt non suffragari, quam ea, si de Regularibus agatur, quae a solo proprio Regulari Praelato obtenta foret, minime suffragante. Aequum est enim, et rationi consentaneum, ut quicumque speciali Indulti beneficio gaudere, eoque uti voluerit, is conditiones in eodem Indulto praescriptas omnino servet; neque licitum est cuiquam, conditionem illam approbationis Confessarii per loci Ordinarium faciendae, alio modo intelligere, quam eo, quo ipsam intelligendam esse toties Praedecessores Nostri Romani Pontifices, ut praemissum est, decreverunt. Quorum Nos quoque vestigiis inhaerentes, praefatam conditionem in eodem plane sensu, quem illi tradiderunt, ab omnibus et singulis huiusmodi Indulto sub ea conditione concesso utentibus, accipiendam, et servandam esse statuimus, atque mandamus; quicumque illi fuerint, qui in vim eiusmodi Indulti Confessarium sibi eligent, sive Saeculares, sive Regulares cuiuslibet Ordinis et Instituti, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, et Ordinum Militarium, etiam Militiae Hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, necnon Societatis Iesu, atque alterius cuiusvis Congregationis, vel Societatis, tametsi de illis, aut illorum vel illarum aliquo seu aliqua, specialis, et expressa mentio quomodocumque facienda foret. Ideoque Confessiones, et absolutiones in praemissis casibus aliter in posterum factas, et respective auditas seu impertitas, irritas fore et invalidas declaramus; et contrariam quamcumque opinionem, eiusque praxim, deinceps prohibemus ac reprobamus, tamquam explanatae toties ab Apostolica Sede verborum intelligentiae, ac menti nostrae, quam ad omnem hac super re ambiguitatem tollendam per praesentes clarius exposuimus, penitus adversantem.

§ 7. Postremo illud monendum existimamus, nihil hic a Nobis statui, aut pronuntiari super eo, an scilicet in uno aut altero Indulto unum aut alterum personarum genus comprehendi, et quaenam Indulta specialiter Regularibus suffragari, vel non suffragari, censendum sit; hoc enim ex uniuscuiusque Indulti tenore, ac verbis colligendum relinquimus; firmis tamen manentibus, et perpetuo mansuris, quod ad Bullam Cruciatae pertinet, plurium Praedecessorum Nostrorum declarationibus, eandem scilicet Bullam, quantum ad articulum eligendi Confessarium, seque a casibus reservatis absolvi faciendi, nequaquam Regularibus suffragari. Quod Nos etiam perpetuo tenendum atque sentiendum, eorumdem Praedecessorum Nostrorum exemplo, similiter declaramus, et contrariam quamcumque opinionem uti falsam, et perniciosam, interdicimus, et reprobamus.

§ 8. Decernentes, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 358-363].

345.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Cum semper oblatas*, 19 aug. 1744.[1]

Cum semper oblatas Nobis occasiones Apostolica scripta dirigendi ad Fraternitates Vestras libenter amplectimur, ut sincerae Nostrae erga Vos dilectionis argumenta frequenter eluceant; tum vero maiori animi alacritate idipsum praestamus, quum ad excitandum Fraternitatum Vestrarum zelum pro conservatione rectae disciplinae in Clero regimini Vestro commisso, praesentibus rerum aut temporum conditionibus commovemur. Nec enim impositum imbecillitati Nostrae omnium Ecclesiarum sollicitudinis onus aliter sustinere Nos posse confidimus, quam si divini Cultus augmentum, atque exactam Ecclesiasticarum Sanctionum in singulis Dioecesibus custodiam, religiosae vigilantium Pastorum curae, identidem inculcando, commendemus.

§ 1. Huius porro Epistolae ad Vos scribendae occasionem Nobis atque argumentum in primis praebet onus illud, quod omnibus animarum curam gerentibus incumbit, applicandi Missam Parochialem pro Populo ipsorum curae commisso; tum etiam applicatio Missae Conventualis, quae pro Benefactoribus in genere facienda est ab iis, qui Missas canunt in Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, et Collegiatis; tum denique debitum psallendi, quo tenentur Canonici praedictarum Ecclesiarum Choro assistentes. Cuius quidem argumenti minime nova, sed a Scriptoribus frequenter habita tractatio est, cumque ea res in huius Almae Urbis Nostrae Congregationibus, et potissimum in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, cuius Secretarii munere olim in minoribus constituti multos annos perfuncti sumus, multoties discussa, ac definita fuerit; quamvis earumdem Congregationum Decreta plerumque circa eam uniformia, et sibi consona prodierint, eorumque Decretorum nonnulla etiam Pontificiam Praedecessorum Nostrorum approbationem et confirmationem meruerint; minime tamen mirandum esset, eorum notitiam ad singulos quosque Vestrum non adhuc pervenisse. Quapropter non modo opportunum, verum etiam necessarium duximus, Encyclicam hanc Epistolam ad Vos scribere, per quam, sublata demum diversarum, in quas Scriptores abierunt, opinionum varietate, constans huius Apostolicae Sedis sententia praedictis de rebus cuilibet innotescat: et Fraternitatibus Vestris quaedam veluti norma, ac regula suppetat, iuxta quam Synodales, aliasque Vestras circa praemissa Constitutiones, Ordinationes, seu Edicta, quorum publicationem Vobis iniungimus, dirigere valeatis. Eorum vero exequutionem, dum, iuxta ea, quae in praesentibus tenenda atque servanda praescribimus, omni, qua decet, sollicitudine, ac vigilantia urgere studebitis, minime dubitandum Vobis erit, ne

[1] Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, cunctisque locorum Ordinariis per Italiam constitutis.

Statutorum Vestrorum implemento obicem, aut moram afferre valeant recursus ad huius Nostrae Curiae Tribunalia forsitan habendi; utpote quos omnino reiiciendos esse praecipimus, ac iubemus. Quamobrem has ipsas Literas Nostras in singulorum Tribunalium Regestis asservari volumus, atque ad earum praescriptum, tam ipsorum Tribunalium resolutiones, quam de Vestris decretis, quae ipsis praesentibus inhaerentes edituri estis, iudicia, exigi et conferri mandamus.

§ 2. Et quidem quod nuper enunciavimus, Sacrosanctum Missae Sacrificium a Pastoribus animarum applicari debere pro Populo ipsorum curae commisso, id veluti ex Divino praecepto descendens, a Sacra Tridentina Synodo diserte exprimitur sess. 23, cap. 1, *de Reformat.* per haec notabilia verba: *Cum praecepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre.* Et quamvis minime defuerint, qui per inanes, et frivolas interpretationes huiusmodi obligationem a Sancta Synodo memoratam de medio tollere, vel saltem extenuare contenderint; quum tamen relata Concilii verba satis clara et perspicua sint, quumque praedicta Congregatio eiusdem Concilii interpretationi privative praeposita, constanter edixerit, eos quibus animarum cura demandata est, non modo Sacrificium Missae celebrare, sed illius etiam fructum medium pro Populo sibi commisso applicare debere, nec illud pro aliis applicare, aut pro huiusmodi applicatione eleemosynam percipere posse; quodque magis interest, quum haec intelligentia a Praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus approbata fuerit, et confirmata; nihil iam amplius ulli Vestrum desiderandum superest, ut eam amplecti, eidemque obsequi, necnon illius promptam executionem in Vestris respective Dioecesibus omni studio procurare debeatis.

§ 3. Neque Nos tamen, qui, ut superius innuimus, in minoribus adhuc degentes, munus Secretarii praedictae Congregationis Concilii Tridentin. Interpretis plures annos obivimus, aliosque non paucos partim in Anconitanae Cathedralis, partim in Metropolitanae Bononiensis, Patriae nostrae dilectissimae, quam adhuc retinemus, gubernatione assidue transegimus, non inquam Nos latent multiplicis generis effugia, per quae nonnulli praedictae obligationis implementum declinare satagunt, quibusque proinde opportune a Nobis est occurrendum.

§ 4. Quum enim Sacrum Tridentinum Concilium, ne Animarum cura negligatur, non uno in loco Episcopis mandet, ut quotiescumque opus fuerit, idoneos Vicarios cum certorum fructuum assignatione ad eandem curam exercendam eligant ac deputent, uti videre est in sess. 6, cap. 2, sess. 7, cap. 5, et 7, sess. 21, cap. 6, sess. 25, cap. 16; non raro autem eveniat, ut aliqua Ecclesia Parochiali vacante, Vicarius pariter ad implenda huiusmodi Ecclesiae onera, usque ad novi Rectoris electionem ab Episcopo deputari debeat, eodem Concilio Tridentino id iubente sess. 24, cap. 18, *de Reform.*; nonnulli ex huiusmodi Vicariis nituntur se ipsos a praedicta obligatione subtrahere, vel ex eo quod, habituali cura penes alium seu alios residente, ipsi actualem dumtaxat exerceant; vel quod ipsi sint ad nutum amovibiles, vel ad breve tempus huiusmodi curae sint addicti: ut nihil hic loquamur de Parochis Regularibus,

qui a praedicta applicatione Missae pro Populo nonnunquam alienos se ostendunt. Itaque mens Nostra, et sententia est, sicuti etiam pluries a praelaudatis Congregationibus iudicatum fuit ac definitum, quod omnes et singuli, qui actu Animarum curam exercent, et non solum Parochi, aut Vicarii Saeculares, verum etiam Parochi, aut Vicarii Regulares, uno verbo, omnes et singuli, de quibus supra dictum est, atque alii quicumque etiam specifica et individua mentione digni, aeque teneantur Missam Parochialem applicare pro Populo, ut praefertur, ipsorum curae commisso.

§ 5. Nonnulli vero ad evitandum huiusmodi obligationis implementum, allegare solent, congruos sibi Parochiae suae redditus non suppetere; alii denique ad inveteratam consuetudinem confugiunt, sustinentes id neque sibi, neque decessoribus suis, per longum tempus, quod immemorabile affirmant, unquam in usu fuisse. Nos autem ad praecedentes praedictae Congregationis Concilii resolutiones nostram approbationem et confirmationem extendimus; et, quatenus opus sit, auctoritate Apostolica, iterum tenore praesentium decernimus, et declaramus, quod licet Parochi, seu alii, ut supra, animarum curam habentes, congruis praefinitis redditibus destituantur, et quamvis antiqua seu etiam immemorabili consuetudine in ipsorum Dioecesibus, seu Parochiis obtinuerit, ut Missa pro Populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino imposterum ab ipsis debeat applicari.

§ 6. Dum tamen diximus omnes animarum curam habentes Missae Sacrificium pro Populo sibi commisso applicare debere, non ideo statuere voluimus, eosdem aut quotidie, aut quotiescumque celebraverint, ad praedictam applicationem pro Populo teneri. Et quidem Sacrosancta Tridentina Synodus sess. 23, cap. 14 praecipit Episcopis curare, ut Sacerdotes saltem diebus Dominicis, et Festis solemnibus, Missarum sacra faciant, *si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent;* in pluribus autem Synodalibus Episcoporum Constitutionibus novimus provide constitutos, ac designatos esse dies, quibus animarum Pastores Missas celebrare debeant. At vero Nos id unum in praesenti suscepimus decernendum, quando nimirum iidem pro Populo celebrare et applicare teneantur; et quamvis compertum habeamus id, quod alias a Congregatione Concilii responsum fuit, Parochum nempe pinguibus redditibus dotatum quotidie pro Populo celebrare et applicare debere; eum vero qui uberioribus huiusmodi redditibus non gaudeat, festivis tantum diebus id ipsum praestare teneri; quum tamen pariter Nobis perspectae sint tum controversiae super hoc ipso exortae, nimirum ad quam summam pertingere debeant Ecclesiae Parochialis proventus, ut pingues, et uberes appellari possint; quoniam pingues minime habendi sunt redditus, etiam copiosi, quibus tamen multiplicia et gravia sint onera adnexa; tum etiam multorum querelae adversus huiusmodi decretum, tamquam plus aequo rigidum, excitatae, Nobis innotescant: idcirco opportunum censemus Fraternitatibus Vestris declarare, Nobis abunde satisfactum fore, Vobisque proinde satis esse posse, dum ii, qui animarum curam exercent, Sacrificium Missae pro Populo celebrent atque applicent in Dominicis aliisque per annum diebus Festis de Praecepto, quum praedicti Dominici, aliique Festi dies, ii sint, in quibus iuxta praeceptum Concilii

Tridentini sess. 5, cap. 2, et sess. 24, cap. 4 quilibet animarum curae praepositus Populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet, docendo ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem; iidemque sint dies, de quibus eadem Sancta Synodus statuit, *ut moneat Episcopus Populum diligenter, teneri unumquemque Parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei,* et quibus Parochi Subditos suos in Doctrina Christiana erudire debent, iuxta id quod a praedicto Concilio in citat. cap. 4 Episcopis praecipitur, ut nempe *saltem Dominicis, et aliis festivis diebus Pueros in singulis Parochiis, Fidei rudimenta, et obedientiam erga Deum et Parentes, diligenter ab iis, ab quos spectabit, doceri* curent.

§ 7. Et quia in nonnullis Dioecesibus numerus dierum Festorum de praecepto, de Apostolica nostra auctoritate et consensu, eatenus est imminutus, ut nempe in aliquibus Festis Christifideles et Missam audire et ab operibus servilibus abstinere debeant; in aliis vero Populo permissum sit opera servilia exercere, firma remanente obligatione audiendi Missae Sacrificium; Nos, ut obortae iam dubitationes circa onus applicationis Missae Parochialis in huiusmodi diebus Festis, penitus eliminentur, statuimus et declaramus, quod etiam iisdem Festis diebus, quibus Populus Missae interesse debet, et servilibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes Missam pro Populo celebrare et applicare teneantur.

§ 8. Quia vero propria nonnunquam experientia satis agnovimus, aliquos esse Parochos adeo pauperes, ut ferme ex eleemosynis, quas a Fidelibus pro Missarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; eos vero qui, Ecclesia Parochiali vacante, ad animarum curam exercendam, sub Vicarii, seu Oeconomi nomine deputantur, aliquibus in locis adeo illiberaliter tractari, ut exigui redditus ipsis constituti, et pauca incerta emolumenta eisdem obvenientia, aegre ad eorum vitae necessaria sufficiant; quod iis quoque non raro evenire solet, qui in aliquibus Ecclesiis, habituali cura apud alios manente, actuali tantum exercitio sunt addicti; proindeque cum istis severe nimis agi videretur, si diebus Festis, quibus potissimum huiusmodi occasio se offert, eisdem vetitum esset eleemosynam pro applicatione Missae recipere: idcirco Nos tam istorum, quam illorum inopiam summopere miserantes, eisdemque, quantum Nobis integrum est, consulere volentes; quamvis, ut supra dictum est, omnes et singuli praedicti teneantur diebus festis Missam pro Populo celebrare et applicare; attamen, quod pertinet ad praedictos Parochos egentes, unicuique vestrum facultatem concedimus, cum iis, quos revera tales esse noveritis, opportune dispensandi, ad hoc ut, etiam diebus festis huiusmodi, eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere, et pro ipso Sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere et licite possint et valeant; dummodo ad necessariam Populi commoditatem, in ipsa Ecclesia Parochiali Missam celebrent; ea tamen adiecta conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro Populo applicent, quot in diebus Festis, infra eandem hebdomadam occurrentibus iuxta peculiarem intentionem alterius pii Benefactoris obtulerint.

§ 9. Quod autem spectat ad Vicarios, sive Oeconomos Ecclesiarum vacantium, quum a Sacro Tridentino Concilio citat. sess. 24, cap. 18, cuilibet

Episcopo tribuatur facultas eos deputandi et constituendi, *cum congrua, eius arbitrio, fructuum portionis assignatione,* vestrum erit, Ven. Fratres, cum iis agere, qui vacantis Ecclesiae fructus exigunt, ut egenti Vicario, qui exigua huiusmodi certorum fructuum assignatione, paucisque incertis proventibus gaudeat, congruum aliquod augmentum praebeatur, pro onere celebrandi et applicandi Missam pro Populo diebus Festis. Quapropter pro iis locis, in quibus Ecclesiarum vacantium fructus ad commodum Camerae Nostrae Apostolicae exiguntur, opportuna Thesaurario Nostro Generali mandata dirigimus, quae is denunciare non praetermittet peculiaribus dictorum locorum Collectoribus, cum quibus Episcopi Ecclesiasticae Nostrae Ditionis, caeterorumque locorum, in quibus, ut praefertur, Ecclesiarum vacantium fructus ad Cameram praedictam pertinent, officii sui partes in eum finem, de quo supra diximus, interponere debebunt.

§ 10. Ac demum, quoad illos, qui tanquam Vicarii, sive perpetui, sive ad tempus constituti, Animarum curam administrant, quae apud alios habitu residet, ratione alicuius Ecclesiae Parochialis, ipsorum Ecclesiis, seu Monasteriis, Collegiis, aut Locis Piis olim unitae: quamvis a recol. mem. Praedecessore Nostro S. Pio Papa V praefinita fuerit certa pars fructuum huiusmodi Vicariis assignanda, prout in ipsius Constitutione, quae incipit: *Ad exequendum,* data Kalendis Novembris Anni MDLXVII [1] distincte statuitur; nihilominus ubi praescripta fructuum portio vel nullo modo, vel non integre Vicariis praedictis assignata reperiatur, vel etiam ubi ea, quae ad normam praedictae Constitutionis eisdem fuerit attributa, minime sufficiens a vobis reputetur, propter temporum circumstantias, et signanter pro implendo onere celebrandi, et applicandi Missam pro Populo diebus Festis de praecepto; utendum vobis erit potestate, quam fecit Episcopis Synodus Tridentina sess. 7, cap. 7, dum illorum arbitrio permisit, iuxta temporum atque iniunctorum onerum rationem, congruam praedictis Vicariis fructuum portionem assignare; quam ob causam Nos etiam Fraternitatibus Vestris, quatenus opus sit, necessarias omnes et opportunas facultates impertimur, quibuscumque appellationibus, privilegiis, aut exemptionibus, ut in eodem Concilio sancitur, adversus ea, quae salubriter a Vobis constituta fuerint, minime suffragantibus.

§ 11. Haec igitur circa Missam Parochialem statuenda, et Fraternitatibus Vestris denuncianda iudicavimus. Indeque gradum facientes ad ea quae pertinent ad Missam Conventualem, neminem Vestrum latere putamus Sacrorum Canonum sanctiones, quibus praecipitur, ut singulis diebus in Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, et Collegiatis, tum Horae Canonicae debitis modo et forma recitentur, tum etiam Missa Conventualis celebretur; quae adeo clarae sunt, ut nulla super iis oriri possit dubitatio. Eaque de re perspicuae pariter et per omnia uniformes existunt Resolutiones ab hac Congregatione Vener. Fratrum Nostrorum Concilii Tridentini Interpretum repetitis vicibus emanatae, quas omnes Apostolica Auctoritate Nostra confirmamus et approbamus, earum executionem Vobis enixe inculcantes:

[1] Cf. Bull. Rom., tom. 4, II, p. 401, 402.

ut scilicet Missa Conventualis, quae singulis diebus canitur a Clero praedictarum Ecclesiarum, pro earundem Benefactoribus in genere quotidie applicetur; eodem prorsus modo, quo Missam Parochialem ab iis qui curam Animarum gerunt, pro Populo sibi commisso, singulis saltem diebus Festis de praecepto, applicari debere superius declaravimus.

§ 12. Itaque date operam, ut falsam quorundam opinionem eliminetis, quam in aliquibus Ecclesiis eiusmodi, sive dolo malo, sive per errorem invectam esse novimus: quod nempe dum Missa Conventualis pro certo aliquo Ecclesiae Benefactore, vel grati animi ergo, vel ex vi oneris impositi, celebratur et applicatur, satis impletum censeatur debitum applicationis Missae Conventualis. Etenim huiusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos Benefactores, sed Benefactores in genere cuiuslibet Ecclesiae, cuiu servitio addicti sunt quicunque in eadem sive Dignitates, sive Canonicatus, sive Mansionariatus, sive Beneficia Choralia obtinent, et Missam Conventualem suis respective vicibus celebrant.

§ 13. Neque minus improbandam noveritis aliorum sententiam, qui satis putant supradictam obligationem impletam esse, dum in eorum Ecclesiis pro Benefactoribus in genere aliquae interdum preces fiunt, vel anniversaria statis diebus Sacrificia pro illis peraguntur. Nemo enim id sibi arrogare debet, ut impositae obligationi alia ratione satisfacere possit, quam ea, quae a Lege Ecclesiastica multoties praescripta fuit; nimirum Missam Conventualem singulis diebus pro Benefactoribus celebrando, eandemque pro illis in genere applicando.

§ 14. Profecto non solum prioribus Ecclesiae seculis, verum etiam temporibus haud longe a nostra aetate remotis, (quod Vos ex Historia Ecclesiae didicisse non dubitamus) servabatur olim in singulis Ecclesiis series accurata omnium et singulorum, quorum liberalitate unaquaeque aucta fuerat, eorumque nomina Sacris Diptychis, sic enim vocabantur, ideo consignata erant, ut eorumdem recordatio nunquam interiret, utque pro iis tum preces funderentur, tum etiam Missae Sacrificium offerretur; quam ob causam etiam praedictus Catalogus in plerisque Ecclesiis ob oculos Presbyteri Celebrantis apponi consuevit; licet iidem pii Benefactores in suis Donationibus nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se bona sua Deo offerre declarassent. Ecclesiarum siquidem Praesules preces pro iis imperandas esse duxerunt; quamvis illi propria bona offerentes ne verbum quidem ea de re fecissent. Sacrorum huiusmodi Diptychorum usus sensim defecit; ob idque in oblivione iacent alicubi complurium Benefactorum nomina. At non idcirco deserere fas est usum et disciplinam orandi pro iis, et Sacrificium Missae pro illis offerendi. Atque inde praeceptum applicandi Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere, originem atque rationem desumit.

§ 15. Quemadmodum vero, loquendo de Missa Parochiali, superius dictum est, varias excusationes afferri solere, ad declinandam illius applicationem pro Populo diebus festis de praecepto; ita pariter usuvenit quoad applicationem quotidianam Missae Conventualis pro Benefactoribus in genere. Ut autem superiores illae, sic etiam hae posteriores, provide e medio sublatae fuerunt

per opportunas Congregationis Concilii Tridentini resolutiones, quas proinde in his etiam auctoritate Nostra approbamus, et confirmamus.

§ 16. Nonnulli siquidem obtentu contrariae consuetudinis, etiam immemorabilis, in propria Ecclesia vigentis, se ab huiusmodi onere eximi posse sibi persuaserunt. Verum iam pluries responsum fuit, huiusmodi consuetudinem, licet immemorabilem, quae potius abusus et corruptela dicenda est, nemini suffragari.

§ 17. Alii a Missa pro Benefactoribus in genere applicanda se excusatos voluissent, ex eo, quod alio quopiam Missarum onere obstricti inveniantur, vel ratione proprii Canonicatus, aut alterius Beneficii Ecclesiastici, quod insimul cum Canonicali praebenda obtinent; vel quia, praeter munus Canonici, seu Beneficiati, aut Mansionarii in Ecclesia Cathedrali, seu Collegiata, quum etiam in eadem, vel in alia Ecclesia Parochialem curam exerceant, dum Missam Conventualem canunt diebus festis de praecepto, debent pro Populo sibi commisso eam applicare; ac proinde nequeunt eandem pro Ecclesiae Benefactoribus specialiter offerre. Sed his quoque obviam itum est, iubendo singulis praedictis, ut Missam Conventualem, quam canunt, pro Ecclesiae Benefactoribus in genere applicent; pro aliis vero, pro quibus ipsi peculiariter Missam applicare tenentur, alterum substituant, qui ipsorum loco Missam huiusmodi celebret, applicetque.

§ 18. Aliorum pariter exceptio fuit, quod Missa Conventualis non semper a Canonicis, aut Dignitatibus celebretur, sed aliquando etiam a Beneficiatis, aut Mansionariis; quos minus aequum videtur pro Missae celebratione omni eleemosyna carere, quae unde desumi valeat, ignoratur. Cui tamen rei pariter consultum est, demandando, ut ea desumatur ex Massa distributionum.

§ 19. Alii denique obtenderunt exiguitatem huiusmodi distributionum, quae, ob detractam eleemosynam quotidianam pro Missa Conventuali, ad nihilum fere redactae, vix foret, ut ab aliquo curarentur, cum magno detrimento servitii Ecclesiae praestandi. Tridentina quidem Synodus *sess. 24, cap. 15* opportunas rationes ostendit, quibus Canonicalium Praebendarum inopiae valeat provideri. Si vero designatam a Concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congregationem Concilii recursum habere; cuius erit, perspecto ex Vestris relationibus rerum statu, auctoritate Apostolica a Praedecessoribus Nostris eidem impartita, et a Nobis etiam praesentium tenore confirmata, quotidianam applicationem Missae Conventualis pro Benefactoribus in genere, ut alias, ad Festos tantummodo dies reducere.

§ 20. Non modo Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, et Collegiatis iniunctum reperitur, ut quotidie Missa Conventualis in eisdem canatur, sed etiam in Rubricis Generalibus, quarum exactissimam Fraternitatibus Vestris custodiam commendamus, praescribitur, ut certis diebus non una, sed binae, atque etiam aliquando tres Missae Conventuales uno die celebrentur. Itaque quum nuper a Nobis dictum fuerit, primam Missam Conventualem quotidie pro Benefactoribus in genere celebrandam, et applicandam esse; nunc expendendum superest, an earundem Ecclesiarum Capitula Iurisdictioni Vestrae respective subiecta adigere debeatis, ut alias quoque

Missas, si plures, ut praefertur, celebrari contigerit, pro Benefactoribus in genere similiter applicent.

§ 21. Huiusmodi quaestio ab aliquibus ex Vobis Ecclesiastico zelo flagrantibus supradictae Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum Concilii Tridentini Interpretum proposita est. Iamque ante illius propositionem compertum fuerat, alias ab eadem Congregatione responsum fuisse, concedendam esse exemptionem ab onere applicandi secundam, ac tertiam Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere, attenta Canonicatuum, et Beneficiorum tenuitate; ex quo inferri poterat, huiusmodi applicationis debitum manere, ubi de Ecclesiis pauperibus non ageretur.

§ 22. Verum quum hanc definiendae quaestionis regulam apud praedictam Congregationem non admodum veteri observantia firmatam probe noverimus, cumque huiusce dubii solutionem eadem Congregatio nuper iudicio Nostro remittendam esse censuerit; Nos ita iudicamus, idque Vobis tenendum indicimus: laudandos nempe, et confirmandos esse, quotquot sponte sua secundam, aut tertiam Conventualem Missam pro Benefactoribus in genere applicant; qui vero idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum Ecclesia vigentis, iis imperandum, ut in ea consuetudine perseverent. Ubi vero id usu receptum non invenitur, liberam omnino secundae, tertiaeque Missae Conventualis applicationem celebrantibus relinquendam esse, dummodo in commemoratione pro Defunctis, Ecclesiae Benefactorum in genere non obliviscantur.

§ 23. Huic demum Epistolae nostrae finem imponentes, Fraternitates Vestras enixe hortamur, ut maximam curam et vigilantiam in id conferatis, ut in Ecclesiarum Vestrarum Choris, praeter devotam celebrationem, debitamque applicationem Missae Conventualis, Horae Canonicae non praepropere, sed exacte, pausa nempe interposita, et maxima, qua decet, reverentia, ac religione canantur.

§ 24. Equidem scimus, in aliquibus Metropolitanis, et Cathedralibus Ecclesiis, inter Canonicos eam opinionem invaluisse, ut se munus suum satis implere contendant, dum Choro praesentes assistunt, licet ipsi sibi silentium imperent, neque psallentibus Beneficiatis, aut Mansionariis in cantu se adiungant. In huiusce vero opinionis confirmationem, adduci ab iisdem solent inveteratae consuetudines, statuta peculiaria, aut etiam praetensa Ecclesiarum suarum Privilegia. At quum Synodus Tridentina *sess. 24, cap. 12*, loquens de Dignitatibus, et Canonicis, qui Choro interesse debent, unum ex eorum officiis esse dicat, *in Choro ad psallendum instituto, Hymnis et Canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare*; quumque pauca omnino sint Capitula, in quibus eo modo a Canonicis in Choro assistitur, ideoque receptae in universa Ecclesia disciplinae paucos illos adversari dignoscatur; quum insuper opinio illa nunquam in Congregatione Concilii Tridentini interpretationi praeposita, examinata sit, quin statim explosa fuerit, et improbata; quamvis praesumptis consuetudinibus, aliisque fundamentis, et rationibus innixa perhiberetur, Canonicis etiam Ecclesiarum Patriarchalium huius Nostrae Urbis super hoc instantibus; quum denique idem iudicium prolatum reperiatur a pluribus Conciliis Provincialibus, ab hac etiam Apo-

stolica Sede approbatis, et confirmatis: nihil iam reliquum esse videtur, quominus pauciores universorum legi se accommodent. Equidem minime Nobis compertum est, quo peculiari titulo suffulti persuasum habeant unius vel alterius Ecclesiae Canonici, se muneri suo satisfacere per simplicem in Choro assistentiam, absque Divinae Psalmodiae Cantu. Verum, nisi illis praesto sit Apostolicum non praesumptum, vel abrogatum, sed legitimum, ac vigens Privilegium sive Indultum, iure ac merito verendum est, ne isti, dum ita se gerunt, Praebendarum, ac distributionum fructus minime suos faciant, et consequenter ne ad eorum restitutionem teneantur. Quapropter vestrum erit, Venerabiles Fratres, haec omnia illis aperire, ut neque Nobis, neque Vobis apud Divinum Iudicem fraudi sit, si in huiusmodi re, quae tanti est momenti, utpote quae ad ipsius Dei cultum proxime spectat, abusus et corruptelas, quas arguendo et increpando evellere debebamus, dissimulatione ac silentio nostro fovisse et confirmasse inveniamur. Interea Fraternitatibus Vestris, quas intimo cordis affectu complectimur, Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 366-373].

346.

Benedictus XIV, const. *Paternae charitatis*, 24 aug. 1744.

Paternae charitatis officium, quo Christifideles omnes in Domino complectimur, eorumque felicitati procurandae spirituali in primis, ac deinde temporali etiam, quantum in Nobis est, studemus, Nos admonet ac stimulat, ut diligentiori studio ac cura ad ea intendamus animum, quae ad Subditarum in temporalibus Nobis, ac Sedi Apostolicae Civitatum publicum, et privatum commodum, communemque utilitatem pertinent. Aequitatis enim ratio, et iustitiae rectitudo postulat, ut qui sub temporali Sanctae Romanae Ecclesiae domino positi ac degentes, superna dispensatione parvitatis Nostrae regimini, et gubernio temporali concrediti sunt, et a Nostra Pastorali sollicitudine bona non solum, quae ad salutem animarum, sed etiam, quae ad subsidium, et opem huius mortalis vitae sustentandae inserviunt, certa ac firma fiducia sibi pollicentur, iusta expectatione sua, ac spe in Nobis reposita minime defraudentur; sed abundantius etiam, quam sperant, optata sua, sine ullo tamen spirituali animarum suarum detrimento, consequantur, ut votorum suorum compotes facti, in uberi rerum necessariarum copia, omnium bonorum Largitori humiles gratiarum actiones laetanter persolvant.

§ 1. Iamdudum, et ab immemorabili tempore in Civitate nostra Senogalliensi celebres Nundinae per octo dies ante Festum Sanctae Mariae Magdalenae, et quatuor subsequentes, magno hominum concursu ex remotis et longinquis Europae, atque Asiae partibus ad eas confluentium peragi, consueverunt. Cum autem intra illorum dierum spatium dies festi unius, aut alterius Dominicae mensis Iulii, et Sancti Iacobi Apostoli, et Sanctae Annae incidere soleant, non sine animi nostri dolore accepimus, quod his diebus,

in quibus Christifideles in operibus pietatis, ac religionis se exercere debent, aliqui pravi homines, Dei, et Catholicae Ecclesiae praeceptorum immemores, et turpi lucro, animarum suarum salute posthabita, inhiantes, per integrum istorum dierum tempus in operibus servilibus, et commerciis obeundis, negotiisque temporalibus tractandis, non sine bonorum scandalo, imo Gentium, et Iudaeorum admiratione, occupati sunt.

§ 2. Nos igitur ex commisso Nobis Pastoralis sollicitudinis munere, tam pernicioso abusui, et gravi malo opportunum remedium afferre, et detestandam hanc abominationem e medio dilectae Nobis Civitatis Nostrae auferre cupientes; volentesque etiam indemnitati, et perpetuitati iurium, et privilegiorum eiusdem Civitatis, eiusque, ac totius temporalis Status nostri commodo, atque utilitati, quantum in Domino possumus, consulere, ac providere: Motu proprio, ex certa scientia, et plenitudine potestatis, hac Nostra in perpetuum valitura sanctione decernimus ac constituimus, et Apostolica nostra auctoritate mandamus ac iubemus, ut tempore Nundinarum, quas in posterum in praefata nostra Civitate de more haberi volumus, festi dies pie sancteque, perinde ac reliquo totius anni cursu, a Christifidelibus colantur, Officinae, ac Tabernae claudantur, nullaque publice exerceantur commercia, stipulenturque contractus, neque alia omnia fiant, quae in caeteris anni festis diebus a Christifidelibus peragi prohibentur, eo potissimum tempore, quo in maiori Ecclesia Sacra Missarum solemnia fieri, et Vesperarum Divina Officia celebrari, et praedicatio verbi Dei haberi consuevit: mane scilicet ab hora decimatertia usque ad meridiem, post meridiem vero ab hora vicesima prima diei usque ad occasum Solis; et per totum dictum temporis spatium omnes Christifideles ab operibus servilibus, ad quae peragenda nulla necessitas cogit, omnino abstineant, sed ab omni terrena cura, et temporali sollicitudine liberi et vacui, ad Ecclesiam pergant; ibi Sacrosanctae Missae Sacrificio pia animi attentione ingentia Dei beneficia recolentes intersint; quin etiam exhortamur in Domino, ut in precibus quoque, Divinisque laudibus persolvendis, audiendoque verbo Dei frequentes sint, et per totum festum diem, quoad fieri potest, se exerceant in iis officiis, quae Christianam pietatem continent, et comitantur. Si qui autem temerario ausu, Dei, et Ecclesiae praecepta contemnentes, hanc nostram Constitutionem transgredi tentaverint: volumus, ut omnibus, et singulis subiiciantur poenis, ac censuris alias a Nobis, nostrisque Praedecessoribus contra inobservantes, temerantesque dies festos statutis, ac determinatis, quas, quatenus opus sit, contra eosdem delinquentes rursus sancimus, constituimus, ac determinamus.

§ 3. Deinde vero ne ex hac Constitutione, et provisione nostra aliquod temporale damnum Civitati praedictae, aliisque ditionis nostrae, et Status Ecclesiastici populis praeiudicium, vel detrimentum publico commercio eiusque libertati oriatur, praefatarum Nundinarum tempus ad alios quinque dies, praeter solitos et consuetos, producimus, ac prolongamus, in hunc modum videlicet: ut Nundinae praedictae in Civitate nostra Senogalliensi de more celebrentur per octo dies ante festum Sanctae Mariae Magdalenae, et insuper per novem dies subsequentes, usque ad initium sequentis mensis Augusti; et

ulterius ad pleniorem praemissorum effectum, et huius voluntatis, provisionis, ac determinationis nostrae executionem, omnia et singula iura, privilegia, indulta, statuta, consuetudines, sententias, ac rescripta quomodocumque a Nobis, nostrisque Praedecessoribus, praesertim Urbano VIII, et Innocentio X, quorum tenores hisce nostris praesentibus Literis de verbo ad verbum pro insertis, et expressis haberi volumus, contra quoscumque emanata, et a praefata Civitate nostra Senogalliensi obtenta atque impetrata, super iure privative celebrandi praefato tempore Nundinas praedictas, tenore praesentium, non ad ullius petitionis instantiam, sed motu proprio, scientia, et potestate pari, confirmamus, ac roboramus, eisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur, et Apostolicae confirmationis munimen adiicimus.

§ 4. Denique, ut commerciorum per dictum Nundinarum tempus celebritas inter nostros Subditos, et exteros Mercatores, qui ex diversis, et dissitis regionibus terra, marique cum variis mercibus, ad victum, et communem vitae usum utilibus et necessariis adveniunt, navium numero, iumentorumque multitudine, Mercatorum frequentia, hominumque concursu, copia et ubertate mercium in dies magis magisque augeatur, omnes gratias, immunitates, ac privilegia, liberum ac tutum commeatum, accessum, ac recessum, et promissam sub fide publica securitatem omnibus et singulis, ad dictas Nundinas in Civitate nostra Senogalliensi peragendas accedentibus, ibique commorantibus, eo modo ac forma, qua durante dictarum Nundinarum tempore gaudere ac perfrui consueverunt, de Apostolica benignitate per supradictum a Nobis constitutum temporis spatium confirmamus, ac de novo indulgemus, atque impertimur.

§ 5. Decernentes, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 378-380].

347.

Benedictus XIV, const. *Inter conspicuos*, 29 aug. 1744.

Inter conspicuos Ordines, quibus Romana Curia toto terrarum Orbe celeberrima constat atque conflatur, et quorum aliqui pro gerendo universae Ecclesiae Catholicae regimine per inscrutabilem Divini consilii altitudinem humilitati Nostrae concredito, alii pro temporali Nostro, seu verius Beatorum Apostolorum, Patrimonio administrando, consilium atque operam suam Nobis assidue praestant; alii vero Ecclesiarum, sive Universitatum, aut privatorum controversiis, quae ad Nostram hanc Urbem et Curiam undique deferuntur, cognoscendis, atque diiudicandis; alii denique in concertantium iuribus et causis sustinendis, defensandis, agendis, scientiam suam atque labores impendunt; provida Praedecessorum Nostrorum cura a remotissimis usque temporibus extare voluit illustre Advocatorum Consistorialium Collegium, ex praeclaris compositum virtute ac doctrina Viris, quibus propter scientiae praestantiam ac rerum usum atque prudentiam, ex omni Advocatorum coetu delectis, et singulare ius, ac privilegium attribuerunt perorandi coram Romano

Pontifice, in Supremo Iustitiae Solio, adstantibus Venerabilibus Fratribus suis S. R. E. Cardinalibus, solemniter considente; in Sacro nimirum Consistorio, in quo pleraeque olim gravioris momenti causae, ad Apostolicae Sedis iudicium ex omni parte delatae, discutiebantur; et plures adhuc vel examinantur, vel, si illae extra Consistorium agitatae ac discussae iam fuerint, in ipso tamen Consistorio definiuntur ac terminantur. Quod quidem Advocatorum praedictorum Collegium, singularesque personae vertentibus annis eidem adscriptae, industriam atque operam suam praefatis Praedecessoribus Nostris ita probarunt, ut et gravissimorum munerum, quae ad retinendam sanctiorum iudiciorum religionem, ad Apostolicae Sedis iura tuenda et conservanda, ad calamitosorum salutem et defensionem, ac promovendam Iuris et bonarum artium scientiam pertinerent, proprium sibi, atque, ut vocant, privativum exercitium adiudicari; necnon amplissimis gratiis, privilegiis, atque favoribus, plurium Summorum Pontificum beneficentia cumulari, et cohonestari meruerint.

§ 1. Quum autem huiusmodi Privilegia eximiis ipsorum meritis elargita, alia quidem aliis temporibus indulta reperiantur, nonnulla vero, licet longissimi temporis usura, optimo iure eisdem acquisita esse dignoscantur, attamen propter remotissimam fortasse concessionum vetustatem, incertis videantur principiis et originibus innixa, aliorum denique usum et quasi possessionem contrariis nonnunquam actibus interturbari et labefactari contigerit: optandum profecto videbatur, ut unica aliquando eorumdem collectione peracta, eademque inviolabili Apostolicae auctoritatis robore munita, et ipsius Collegii splendori ac dignitati, et iurium ex Pontificia liberalitate eidem competentium firmitati ac securitati consuleretur. Nos itaque, qui concessum Nobis olim a felic. record. Praedecessore nostro Clemente Papa XI in eodem Collegio locum multos annos tenuimus, eundemque primum Nobis in Romana Curia honoris gradum fuisse, et validum ad studia laboresque Nostros in Apostolicae Sedis obsequia collocandos incitamentum, aptissimamque ad superiora munera et praemia adipiscenda occasionem extitisse, non sine iucunditate et grati animi sensu nobiscum recolimus, et palam profitemur: cum iam eidem Collegio peculiaria quaedam Indulta et Privilegia per alias Nostras Literas in forma Brevis sub Annulo Piscatoris expeditas benigne concesserimus; ut illustre ac perenne extaret Nostrae erga praedictum Collegium existimationis et benevolentiae argumentum, eadem Indulta, et Privilegia tam a Nobis, ut praefertur, tributa, quam alia, quorum concessiones diversis Praedecessorum Nostrorum Literis consignatae reperiuntur, vel quae ex inveterata consuetudine ipsi Collegio competere dignoscuntur, in unum veluti corpus redigere, eaque omnia Apostolica Nostra Auctoritate firmata et roborata, atque etiam, sicubi opus fuit, declarata, et ampliata praesentibus Nostris Literis perpetuo valituris comprehendere constituimus. Igitur dilectos Filios modernos Aulae Nostrae Consistorialis Advocatos, eorumque Collegium praedictum amplioris gratiae favore prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis et poenis a Iure, vel ab Homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum,

eorum singulares personas harum serie absolventes et absolutas fore censentes, Motu proprio, non ad Collegii, et Advocatorum praedictorum, vel aliorum pro ipsis Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de Nostra mera liberalitate, et ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, omnia infrascripta privilegia, indulta, iura, facultates, honores, munera, praeeminentias, et praerogativas ipsi Collegio earundem tenore praesentium in perpetuum asserimus, approbamus, confirmamus, et innovamus, eaque novo Apostolicae Nostrae Auctoritatis robore communimus, simulque, ut infra, decernimus, statuimus, declaramus, atque sancimus.

§ 14. Praecipua vero et propria eorum Collegii munera ea sunt, quae circa Consistorium, et actus atque negotia in eo gerenda atque tractanda, versantur. Quae quidem ita ipsorum Advocatorum Consistorialium propria sunt, ut ad ipsas functiones pro huiusmodi Advocati munere in Consistorio peragendas nequidem admittantur ex eodem Collegio illi, qui inter Romanae Curiae Praelatos adscripti reperiuntur, nisi Praelatitio habitu deposito, habitum Advocati Consistorialis in eum finem induere consentiant. Cum igitur aliqua maioris momenti causa in Consistorio secreto veteri more iudicialiter agenda erit, non alii, quam Advocati Consistoriales praedicti ad deducenda Partium iura sunt admittendi. Et quoniam inter maiores causas, quae a Romano Pontifice cum Venerabilium Fratrum suorum consilio definiuntur, Beatificationes Servorum Dei, ac Beatorum Canonizationes merito recensentur, congruum propterea visum est, ut praerogativa scribendi in iure in huiusmodi Causis Collegio Advocatorum Consistorialium reservaretur; quamvis, habita ratione plurium Officiorum, quae illis incumbunt, opportune quoque statutum sit, a Congregatione Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Sacris Ritibus praeposita, duodecim alios e celebrioribus Romanae Curiae Causarum Advocatis ad hunc effectum approbari et deputari, ad hoc ut Causarum huiusmodi Postulatores earum Patrocinium alicui ex illis, pro ipsorum libitu, servatis servandis valeant demandare.

§ 15. Ad ipsos tamen Aulae Consistorialis Advocatos privative spectat publicas in Consistorio instantias proponere pro Servorum Dei Beatificatione, aut Beatorum Canonizatione, hoc est in Consistoriis publicis, quae in traditione Pilei Cardinalitii novis Cardinalibus creatis, seu in receptione Legati Sedis Apostolicae ad Urbem redeuntis, aut alicuius Principum Oratoris ad praestandam obedientiam Sedi Apostolicae missi celebrantur, Orationes habere super meritis ac virtutibus praedictorum Servorum Dei, et Beatorum, instando apud Summum Pontificem, ut eorum Beatificationis, aut Canonizationis Causae committantur, seu ulterius promoveantur, aut respective expediantur; quemadmodum, abrogato veteri more minus decenter inducto, declamandi scilicet de rebus profanis, et plerumque de atrocioribus criminibus confictis et imaginariis, per Urbani Papae VIII Praedecessoris Nostri Decretum sub die vigesima septima Ianuarii anni millesimi sexcentesimi trigesimi primi editum, subsequuta deinde circa methodum in huiusmodi Orationibus servandam peculiari institutione, firmatum fuit. Pro quibus Orationibus peragendis, quae in duo, aut ad summum in tria Consistoria singulae dividi consueverunt, quaeque non solum a Senioribus et Partici-

pantibus, sed etiam a Iunioribus et Coadiutoribus per turnum, servato antianitatis ordine, et a Coadiutoribus praedictis tam ex propria, quam ex Coadiuti persona, haberi solent, decem scuta auri in auro Advocato peroranti pro qualibet vice, ex maleficiorum proventibus, expedito Mandato a Notario Charitatis, eoque a Gubernatore Almae Urbis Nostrae subscripto, persolvi debere.

§ 16. In iis pariter publicis Consistoriis, quae pro alicuius Beati Canonizatione coguntur, ad Advocatum pertinet Consistorialis Aulae, vitam, virtutes, atque miracula Servi Dei fuse integreque enarrare, atque Instantias Ecclesiarum, Principum, et Populorum pro eiusdem Servi Dei Canonizatione Summo Pontifici repraesentare. Idemque paratus esse debet praedicta omnia, si opus sit, in sequenti Consistorio semipublico strictim referre. Deinde in die solemni Canonizationis in Vaticana Basilica peragendae, iterum pro definitivae sententiae prolatione coram Summo Pontifice publice instare. Pro quorum omnium implemento is, qui ea gesserit, ex emolumentis, quae occasione Canonizationis, Advocatorum praedictorum Collegio debentur, triginta scuta monetae percipiet, a Postulatore autem Causae, eidem dono dabitur Imago depicta Servi Dei inter Sanctos relati.

§ 17. Quotiescumque demum Summo Pontifici in Consistorio sedenti supplicandum fuerit, sive ii, quorum res agitur, in Curia praesentes sint, sive absentes, dummodo non sint Imperatoriae, Regiae, aut Cardinalitiae dignitatis, et in ipso Consistorio personaliter constituti, id nonnisi alicuius Advocati Consistorialis voce et opera peragendum erit. Ipsique S. R. E. Cardinales, ubi suae Dignitati renunciare, eamque in manibus Summi Pontificis dimittere voluerint, per Advocatum pariter Consistorialem a Collegio de ipsorum assensu deputandum, praesentibus eorundem Procuratoribus legitimum mandatum habentibus, instantiam suam in Consistorio proponi facere debent. Qua de causa centum Ducati aurei de Camera ad Collegii creditum antea depositi, eidem Collegio praestandi sunt, iique inter Participantes aequis portionibus dividendi.

§ 18. Similiter Patriarchae, Archiepiscopi, et nonnulli ex Episcopis, qui, vel ex Ecclesiarum suarum iuribus, vel ex personali concessione, honore Pallii decorantur, illud in Consistorio secreto per interpositam Advocati Consistorialis personam postulabunt. Ideoque si Patriarcha, Archiepiscopus, sive Episcopus, ut supra, Pallio donandus, in Romana Curia praesens existat, in Consistorio praedicto coram Pontifice se sistet, medius inter Advocatum pro eo perorantem a dexteris, et Magistrum Caeremoniarum a sinistris; si vero Praelatus extra Curiam moretur, illius Procurator dextrum, Magister vero Caeremoniarum sinistrum, Advocatus autem Consistorialis medium locum tenebit; atque hic pro supradicti Pallii concessione demissas Pontifici preces exhibebit. Et nisi agatur de Ecclesia in Partibus Infidelium existente, vel cui ad instantiam, et iuxta Decretum Congregationis S. R. E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositae de Pastore provisum fuerit, Advocatus praedictus decem Ducatos auri de Camera, qui praecedenter depositi esse debent, pro huiusmodi petitione percipiet. Ad has vero petitiones in Consistorio proponendas soli admittentur septem Advocati seniores seu Partici-

pantes, per turnum, exclusis Iunioribus et Coadiutoribus, nisi ex persona alicuius ex Senioribus praedictis ad postulandum accesserint.

§ 36. Decernentes, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 381-397].

34 .

Benedictus XIV, const. *Omnium sollicitudinum*, 12 sept. 1744.

Omnium sollicitudinum, quae demandatum Nobis, Divino prorsus consilio, nulloque merito nostro, supremi universalisque Pastoris munus gravissimum praeter modum, formidandumque constituunt, potissima sane, quaeque magis animum nostrum exstimulat, Nosque perpetuo trepidantes, et anxios habet, ea est, ut concreditum Nobis Fidei depositum, integrum, illibatumque servemus; ideoque omne studium nostrum operamque in id conferamus, ut late diffluentes super faciem Terrae Caelestis doctrinae latices nullo aut corruptelae luto, aut erroris inficiantur veneno, dumque Evangelica lux undequaque diffunditur, nulla forte Gentilitatis superstitione obumbretur; atque ut ii, quos e potestate tenebrarum erutos, confractis ferreis infidelitatis vectibus, in admirabile lumen suum vocavit misericors Deus, in spemque evexit aeternae salutis, et haereditatis, corde credentes ad iustitiam, operibusque quod credunt comprobantes, et mystici Corporis Christi, quod est Ecclesia, digna se membra exhibentes, id ipsum dicant, ut Apostolus exoptabat ardenter, et sint perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia. Hinc cum primum Altissimo placuit humilitatem nostram ad summi Apostolatus apicem evehere, nulli unquam labori parcere decrevimus, quem non solum ad propagandam in omnem Terram Fidei, et salutis scientiam, sed etiam ad unitatem spiritus, et doctrinae inter Fideles ubique fovendam et confirmandam, vel, sicubi opus esset, reconciliandam et stabiliendam, opitulante Deo, proficuum et necessarium fore deprehenderemus.

§ 1. Verum quum eam ob causam ad extremas usque Orbis Terrae Plagas mentis nostrae obtutus dirigeremus, eosque peculiariter figeremus in novella illa germina Christianitatis, quae, Divina irrorante gratia, in novis Ecclesiis Regnorum Madurensis, Mayssurensis, et Carnatensis dudum pullularunt, non parvam Nobis inde laborum, atque curarum materiem allatum iri verebamur, dum animo recenseremus quantum, et quam diu Apostolica Praedecessorum Nostrorum desudasset industria, ut ex recens-coalescentibus praedictorum Regnorum Ecclesiis, vanarum observationum, rituumque a Christiana Religione abhorrentium zizania radicitus evellerent, atque importunas controversias inter sacros ipsos Regionum illarum Operarios in re tam gravi exortas, et, quod magis dolendum erat, inimici hominis opera, nostris adhuc temporibus perstantes, componerent, atque eliminarent. Attamen fiduciam nostram collocantes in Domino, qui humanos animos, ubi vult, fortiter, suaviterque inflectit, potissimum vero quum, delatis ad Nos argumentis filialis

obedientiae, qua plerique illarum Partium Missionarii suprema huius Apostolicae Sedis Decreta se excipere professi sunt, Nobis expositum fuit, ad omnes demum iis de rebus controversias sedandas, ac praedictarum Ecclesiarum statum componendum, atque firmandum, nil aliud iam reliquum esse, quam ut ad nonnulla postulata, quae ex parte aliquorum Operariorum huiusmodi Nobis proponebantur, congruae resolutiones, et responsiones Apostolica auctoritate prodirent; magnam in spem erecti sumus, fore, ut sublatis per opportuna rescripta propositis dubitationibus, ac finitivis demum nostris et huius Apostolicae Sedis mandatis atque praeceptis editis, ac promulgatis, optatus aliquando finis imponeretur diuturnis molestisque dissensionibus, quae Praedicationis Evangelicae in praedictis Regnis olim disseminatae fructum late inficientes, ipsasque novarum Ecclesiarum soboles vehementi discordiarum turbine agitantes, eo rem adduxerant, ut tot Verbi Dei praecones eximii sine causa adhuc laborasse, largosque sudores, et sanguinem ipsum frustra effudisse viderentur.

§ 2. Ut enim multa praetereamus, quae retroactis temporibus hac in re acciderunt, grandiores, quas innuimus, controversiae hoc ipso ineunte saeculo eruperunt, seu potius renovatae fuerunt, quum a fel. record. Praedecessore Nostro Clemente Papa XI missus, ad Oram Coromandeli appulit bon. mem. Carolus Thomas, tunc Patriarcha Antiochenus, cum potestate Legati a Latere in Indiis Orientalibus Commissarius, et Visitator Apostolicus, deinde huius Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Tournonius nuncupatus. Is enim, eo cum appulisset, ad trutinam vocatis nonnullis caeremoniis, quae ab aliquibus Missionariis observabantur, vel permittebantur, ab aliis vero tamquam Christianae pietatis spiritui minime conformes reiiciebantur, unde discordiarum, et funestissimarum disputationum semina, exploratis, ea, qua par erat, diligentia, factis, et circumstantiis, e re Christiana esse, suique Officii partes exigere iudicavit, plures huiusmodi caeremonias gravi interdicto proscribere, atque damnare, latoque Edicto, seu Decreto, certam Missionariis normam praescribere, quam in excolendo Dominico illo Agro cuncti servaret, ut Divini Verbi semen, praecisis lolio, et vepribus, altas agere radices, et felicissime posset propagari. Quod quidem a se editum Decretum a Missionum illarum Provincialibus, et Superioribus, sub poena Excommunicationis latae sententiae, a caeteris vero Subditis Missionariis sub poena suspensionis a Divinis ipso facto incurrendae, inviolabiliter observari et executioni mandari praecepit, donec aliter Apostolica Sedes provideret. Exemplum autem Decreti eiusmodi est, videlicet:

§ 3. *Carolus Thomas Maillard de Tournon, Dei, et Apostolicae Sedis gratia Patriarcha Antiochenus, Sanctissimi Domini Nostri Clementis Divina Providentia Papae XI Praelatus Domesticus, eiusque Pontificio Solio Assistens, necnon Sanctae Romanae, et Universalis Inquisitionis contra haereticam pravitatem Consultor, ac in Indiis Orientalibus, et Sinarum Imperio, finitimisque Insulis Commissarius, et Visitator Apostolicus cum facultate Legati de Latere, etc.*

Inter graviores, quibus premimur, curas pro Apostolici Visitatoris munere nobis, licet tanto oneri imparibus, iniuncto, ea sane est praecipua, cum nos

huc missos esse consideramus ad expurgandum Dominicum agrum a zizaniis novella Christi germina suffocantibus, et de alienis peccatis rationem esse redituros, qui aeternam Dei ultionem pro nostris nunquam satis expiandis iure formidamus. Quamobrem statim atque ad has Indiarum oras appulimus, mentis nostrae oculos per vastissimas illas Orientales Regiones circumferentes, dum corpus pertinaci morbo iaceret detentum, Missionum necessitates undique inquirere curavimus, nt iisdem pro viribus de opportuno remedio prospiceremus. Et quidem merito inter primas nostrae sollicitudini occurrerunt novae Domini vineae in Regnis Madurensi, et Maissur, recentiusque Carnatensi, iisdem fere legibus, parique labore, ab Evangelicis Societatis Iesu Operariis Lusitanis, et Gallis plantatae, ubi inter Ethnicorum, atque Gentilium persecutiones, ac inter tot vitae asperitates, virentes germinant Evangelii palmites, assiduis Missionariorum sudoribus irrigati. Illuc sane fuissemus, non minus laboris, quam gaudii in Christo Iesu participes esse vehementer cupientes, nisi hoc nobis diuturna infirmitas prohibuisset. Quod autem per nos ipsos immediate obtinere non licuit, exhibitum erga nos, et Sanctam Sedem Apostolicam obsequium a Patribus Venantio Bouchet Carnatensis Missionis Superiore, et Carolo Michaele Bartoldo Madurense Missionario, viris doctrina, et propagandae Fidei zelo praestantibus, opportune suppeditavit. Enim vero cum ab illis, in moribus, lingua, et Religione istarum Regionum ex longa in his vitae consuetudine apprime versatis, plura certius cognoverimus, quae eosdem palmites enerves reddant, et fructu vacuos, utpote qui Gentilium vanitatibus magis inhaereant, quam viti, quae est Christus, in multo experimento tribulationis abundantia gaudii nostri fuit. Rebus itaque maturo examini suppositis, dictisque Patribus oretenus ac in scriptis fuse auditis, atque Dei ope publicis precibus implorata, ut Fidei puritati, spiritualique Christianorum proventui salubriter in Domino consulamus, utque fiat oblatio Gentilium accepta, et sanctificata in Spiritu Sancto, ad praesens Decretum auctoritate Apostolica, etiam cum facultate Legati de Latere, devenimus.

Et a Sacramentorum administratione exordium sumentes, districte prohibemus, ne in baptizandis tam pueris, quam adultis cuiuscumque sexus, et conditionis, omittantur Sacramentalia, sed omnia palam adhibeantur, et signanter saliva, sal, et insufflatio, quae ex Apostolica traditione Catholica Ecclesia recepit, ac ob recondita in his sacris caeremoniis Divinae erga nos bonitatis mysteria, sancte, et inviolabiliter custodivit, Decreto Sanctae Universalis Romanae Inquisitionis de anno 1656 pro Sinis facto,[1] *ob diversas rationes, et circumstantias, minime obstante.*

Item praecipimus, ut iuxta laudabilem Ecclesiae consuetudinem semper imponatur Baptizando a Baptizante nomen alicuius Sancti in Martyrologio Romano descripti, omnino interdictis nominibus Idolorum, vel falsae Religionis Poenitentium, quibus Gentiles utuntur, et Neophyti hactenus appellari consueverant, antequam essent per Baptismum Divinae Gratiae renati. Nec Parochis, seu Missionariis sub quovis praetextu liceat, Crucis, Sanctorum, et rerum Sacrarum nomina per translata immutare, nec ea ullo idiomate explicare, nisi

[1] Die 23 mart - Cf. Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 126.

Latino, vel saltem Indico, quatenus voces Indicae Regionis latinae significationi liquido, et adamussim respondeant.

Et quia audivimus, Baptismum Infantium ex Christianis Parentibus ortorum, eorumdem incuria saepe saepius diu protrahi, non sine maximo dictorum Infantium salutis discrimine, monemus Evangelicos Operarios, ut Sacrorum Canonum memores, terminum breviorem, quam fieri possit, attentis circumstantiis, Genitoribus praefigant, graviter conscientiam eorum onerantes, nisi filios intra praefixum tempus ad Ecclesiam deferant sacro fonte abluendos.

Praeterea cum moris huius regionis sit, ut Infantes sex, vel septem annorum, interdum etiam in teneriori aetate, ex Genitorum consensu, matrimoniam indissolubile de praesenti contrahant per impositionem Tally, seu aureae tesserae nuptialis, uxoris collo pensilis: Missionariis mandamus, ne huiusmodi irrita matrimonia inter Christianos fieri permittant, nec Sponsos sic coniunctos cohabitare sinant, donec completa legitima aetate, et explorato eorum consensu, in faciem Ecclesiae, iuxta formam a Sacro Concilio Tridentino praescriptam,[1] *verum, et Canonicum matrimonium contraxerint. Et quoniam apud peritiores impiae illius Religionis Sectatores Tally praeseferet imaginem, licet informem,* Pulleyaris, *sive* Pyllajaris *Idoli nuptialibus caeremoniis praepositi, cumque dedeceat Christianas mulieres talem effigiem collo deferre in signum matrimonii, districte prohibemus, ne in posterum audeant Tally cum hac effigie collo appendere; et ne uxores innuptae videantur, poterunt uti alio Tally, vel Sanctissimae Crucis, vel Domini Nostri Iesu Christi, vel Beatissimae Virginis, vel alia quavis religiosa Imagine ornato. Et cum superstitione non careat funiculus centum et octo filis compositus, et croceo succo delinitus, quo plerique dictum Tally appendunt, prohibemus etiam dictorum Filorum numerum, et unctionem.*

Caeremoniae etiam nuptiales iuxta harum regionum morem tot sunt, tantaque superstitione maculatae, ut tutius remedium aptari non posset, quam eas omnino interdicendo, cum undique noxia Gentilitatis labe scateant, et difficillimum sit eas a superstitiosis expurgare. At vero ut faciliori conversionum viae, et Neophytorum commodo, quantum fieri potest, in Domino indulgeamus, Missionariis, et praecipue Missionum Superioribus iniungimus, ut novis adhibitis diligentiis, severiorique calculo, superstitiosa omnia a dictis caeremoniis expungant, ita ut nihil inultum relinquatur, quod Christianam pietatem offendat, et Gentilium superstitionem redoleat; et signanter praeter eas, quas audivimus iam statutas in hac materia ab iisdem Missionariis reformationes, ramus arboris Aresciomara omnino auferatur, ferculorum numerus, non minus ac cibi praescripta qualitas, varietur. Circuli super caput sponsorum ad tollenda maleficia, omittantur. Et quod de ferculis diximus, de luteis vasis ibidem adhiberi solitis a nobis dictum, et prohibitum intelligatur; fructus etiam, vulgo dictus Cocco, ex cuius fractione prosperitatis, vel infortunii auspicia Gentiles temere ducunt, vel omnino a Christianorum nuptiis reiiciatur, vel saltem, si illum comedere velint, non publice, sed secreto, et extra solemnitatem aperiatur ab iis, qui Evangelica luce edocti, ab huiusmodi auspiciorum deliramento sunt alieni.

[1] Sess. XXIV, *de ref. matrim.*, c. 1.

Nullus rite, et sufficienter dispositus arceatur a Sacramento poenitentiae, ad peccatorum remissionem, tanquam instrumento divinae Misericordiae, a Christo Domino instituto, et signanter mulieres menstruali morbo laborantes; non attentis diebus purificationis iuxta morem Gentilium, cum haec Sacramentalis vera animae purificatio, et non alia, sit attendenda a Christifidelibus, eorumque Pastoribus; quibus praeterea non licet nec per se ipsos, nec per Catechistas, nec per alios quoscumque, dictis mulieribus prohibere accessum ad Ecclesiam, vel ad Confessarium, durante dicta infirmitate, et dicto purificationis tempore. Dedecet etiam Christianae Virginis honestatem prima vice dicto morbo laborantis, illum Cognatis, Vicinis, et Amicis notum facere, ac inverecunde publicare, iisque, Ethnicorum more et ritu, in eius domum collectis, super re tam sordida festum instituere. Quocirca huiusmodi celebritates et ritus orthodoxis puellis penitus interdicimus, et abolemus, Missionariisque iniungimus, ut non solum eas, verum etiam Genitores moneant, quam dissona sit Virginei pudoris legibus huiusmodi obscoena consuetudo, quae a Gentilium impudentia videtur inducta, ut ita labefactata puellarum verecundia, eas effrenate ad libidinem provocare valeant.

Ferre pariter non possumus, quod a Medicis spiritualibus pro animarum salute ea charitatis officia denegentur, quae Medici Gentiles, nobilis etiam generis, seu Castae, pro corporis salute praestare non dedignantur Infirmis etiam abiectae, et infimae conditionis, vulgo dictis Pareas. *Quapropter districte mandamus Missionariis, ut, quantum in ipsis erit, nemini e Christianis aegrotis, quantumvis* Pareas, *et vilioris, si adessent, generis hominibus, desideranda relinquatur in infirmitate copia Confessarii; et ne ingravescentibus morbis, cum gravissimo vitae temporalis periculo, aeternae consulere cogantur, iisdem Missionariis praecipimus, ne Infirmos huiusmodi conditionis ad Ecclesiam deferendos expectent, sed consultius domos, ubi aegrotant, pro viribus petant, ad eos invisendos, ac piis sermonibus et precibus, Sacramentorumque pabulo recreandos, atque demum eos in extremo vitae discrimine constitutos Sancto Infirmorum Oleo deliniant, absque personarum, aut sexus acceptione, expresse damnantes quamcumque praxim huic Christianae pietatis officio contrariam.*

Non sine maximo animi nostri moerore accepimus etiam, Christianos tympanorum pulsatores, Tibicines, aut alterius cuiuscumque musici instrumenti sonatores ad Idolorum festivitates, et sacrificia accersiri, ad ludendum, et interdum etiam cogi, ob quamdam servitutis speciem erga publicum ab ipsis contractae per huiusmodi artis exercitium, nec facile esse Missionariis eos ab hoc detestabili abusu avertere. Quocirca considerantes, quam gravem rationem essemus Deo reddituri, si huiusmodi Christifideles a Daemoniorum honore et cultu pro viribus non revocaremus, illis prohibemus, ne imposterum audeant, nec in Pagodis, nec extra, tum occasione Sacrificiorum, tum quarumcumque solemnitatum superstitiose cultu imbutarum, sonare, aut canere, sub poena excommunicationis latae sententiae, cum nullo modo liceat Christi famulis Belial inservire. Ideoque Missionarii non solum eos monere tenebuntur de praefata prohibitione, verum etiam illam omnino executioni demandare, et contrafacientes ab Ecclesia expellere, donec ex corde resipiscant, et publicis poenitentiae signis patratum scandalum emendaverint.

Declaramus praeterea Pontificiam Constitutionem Gregorii XV incipientem: Romanae Sedis Antistes,[1] *ad petitionem Patrum Societatis Iesu editam, qua indigenis Christifidelibus lavacra, non alia occasione et fine, quam corporis reficiendi, et a naturalibus sordibus mundandi, ab Apostolica Sede permittuntur, interdictis tempore, et modo, quibus a Gentibus adhiberi solent, neque afficere Evangelicos Operarios, quibus propterea non liceat sub quacumque alia causa et fine, etiam ad effectum, ut existimentur Sanias, seu Brachmanes, prae caeteris dediti huiusmodi ablutionibus, illis uti, praesertim statutis eorum horis, et ante, vel immediate post quamcumque sacram functionem.*

Cineres itidem ex Vaccae stercore confectos, et impiam Gentilium poenitentiam a Rutren institutam redolentes, benedicere, eosque fronti Sacro Chrismate delinitae impingere, sive alia quaecumque signa albi, vel rubei coloris, quibus Indi superstitiosissimi in fronte, vel in pectore, aut in alia quavis corporis parte utuntur, deferre prohibemus; mandantes, ut Sanctae Ecclesiae consuetudo, piique ritus Cineres benedicendi, illisque Christianorum caput Cruce signandi, ad humanae infirmitatis memoriam recolendam, religiose serventur, tempore, ac modo ab Ecclesia praescripto, scilicet feria quarta Cinerum, et non alias.

Et demum, quia, ex librorum de falsa religione, et de rebus obscoenis superstitiosisque tractantium lectura, venenum ut plurimum serpere solet ad cor Fidelium, quo non minus Fidei puritas offenditur, quam mores corrumpuntur, magnopere commendantes zelum, ac studium Missionariorum, qui libros sacram Ecclesiae Catholicae doctrinam, rerumque Sacrarum monumenta continentes, pro Indorum Christifidelium eruditione, in linguam Malabaricam, seu Tamulicam transtulere, vel novos pro illorum commodo, et institutione composuerunt; iisdem Christifidelibus expresse interdicimus fabulosos Gentilium libros, eosque legere, et retinere prohibemus, sub poena excommunicationis latae sententiae, nisi prius habita licentia Parochi, seu Missionarii curam animarum exercentis, quorum prudentiae committimus facultatem super hoc dispensandi, et libros (si qui forte sunt) noxia superstitione vacuos, et nihil contra bonos mores tractantes, pro Christianorum usu seligendi, eorumque lecturam permittendi.

Ea igitur universa, et singula auctoritate Apostolica, et tenore praedictis damnamus, ac districtiori, quo possumus, modo prohibemus. Mandantes Patri Provinciali Provinciae Malabaricae, caeterisque Superioribus Societatis Iesu in Indiis Orientalibus, ut hoc nostrum Decretum notificent singulis Missionariis, sive aliis quibuscumque curam animarum exercentibus sibi subiectis, illudque perpetuo, et inviolabiliter exequi faciant, sub poena excommunicationis latae sententiae quoad Provinciales, et Superiores, et suspensionis a Divinis ipso facto incurrendae quoad Subditos contrafacientes, seu aliter permittentes. Atque ita decernimus, et mandamus in omnibus, donec aliud fuerit ab Apostolica Sede, vel a Nobis eiusdem auctoritate provisum, inviolabiliter servari, non obstantibus quibuscumque.

[1] Cf. Ius Pontif. de Prop. Fide, pars I, vol. I, p. 15-17.

Et ne ex his, quae expresse praecepta, vel prohibita a nobis fuere, tacitum quis deducere valeat, in reliquis practicari solitis in istis Missionibus, nostrum assensum, seu approbationem, (cum plura forsan reformatione digna nostram cognitionem effugerint, et alia maturius examen postulantia indecisa remanserint), hanc interpretationem omnino reiicimus, et menti nostrae esse contrariam declaramus. Volumus autem iustis de causis, ut hoc nostrum Decretum afficiat, et pro publicato habeatur post illius traditionem a nostro Cancellario faciendam Patri Guidoni Tachard Vice-Provinciali Patrum Gallorum Societatis Iesu in Indiis; cui propterea in virtute Sanctae Obedientiae onus iniungimus, quatuor similia exemplaria transmittendi ad Patrem Provinciae Malabaricae, ac ad Patres Superiores Missionum Madurensis, et Maissur, et Carnatensis, quibus post bimestre, et reliquis Missionariis post trimestre a die consignationis faciendae dicto Patri Tachard, idem Decretum pro publicato, et notificato pariter habeatur.

Datum Pudicherii in Sancta Visitatione Apostolica hac die 23 Iunii 1704, et publicatum die 8 Iulii eiusdem anni 1704 per traditionem factam coram Illustrissimo, et Reverendissimo Domino per me Cancellarium infrascriptum Rev. Patri Guidoni Tachard Patrum Gallorum Societatis Iesu in Indiis Orientalibus Superiori, praesentibus RR. Patribus Francisco Laines, Superiore Missionis Madurensis, ac Venantio Bouchet Superiore Missionis Carnatensis.

Carolus Thomas Patriarcha Antiochenus Visitator Apostolicus.

Andreas Candela Sacrae Visitationis Apostolicae Cancellarius.

§ 11. His ita peractis, idem praelaudatus Pontifex Benedictus XIII causa ad se avocata, Apostolicas Literas in forma Brevis anno MDCCXXVII exeunte, ad universos Episcopos, et Missionarios Regnorum Madurensis, Mayssurensis, et Carnatensis dedit, quibus praedicti Caroli Thomae Cardinalis Tournonii Decretum confirmavit, observandumque praecepit. Literae sunt huiusmodi videlicet:

§ 12. *Venerabilibus Fratribus, ac dilectis Filiis, Episcopis, et Apostolicis Missionariis in Regnis Indiarum Orientalium Madurensi, Mayssurensi, et Carnatensi.*

BENEDICTUS PAPA XIII

Venerabiles Fratres, ac dilecti Filii, salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Ad aures nostras pervenit, vocationem Gentium, Ecclesiaeque incrementa, propter subortas inter Operarios Evangelicae Messis controversias, magnis isthic difficultatibus laborare. Quae quidem eo graviorem nobis dolorem attulerunt, quo remedia salubriter alias adhibita diutius a nonnullis repudiari intelleximus. Iam enim per bon. mem. Carolum Thomam Patriarcham tunc Antiochenum, cum potestate Legati de latere Apostolicum Visitatorem, deinde huius Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem, pleraque ad gliscentes lites componendas, explicandasque difficultates sapienter praescripta fuerant, decreto condito Pudicherii in Sacra Visitatione Apostolica die XXIII mensis Iunii Anni MDCCIV, die vero octava Iulii eiusdem anni promulgato. Partibus autem nondum acquiescentibus, de mente fel. record. Clementis XI Praedecessoris Nostri diversa opinantibus, et evulgantibus, idem Praedecessor Noster, datis

ad Venerabilem Fratrem Episcopum Meliapurensem literis die XVII mensis Septembris Anni MDCCXII[1] *suam de observandis Decretis mentem opportune declaravit. Ut igitur nostrae quoque sollicitudinis partes ad controversias avertendas, et salutem gentium concordibus studiis facilius a Vobis procurandam adhibeamus; praesertim ne quis ex silentio nostro detractum aliquid esse suspicetur mandatis, et declarationibus antedictis; laudati Antecessoris nostri vestigiis inhaerentes, decreta eiusdem Patriarchae Antiocheni nostra etiam auctoritate confirmamus, eorumque obedientiam, et observantiam similiter mandamus, et requirimus. Decretum quoque de Sacramentis administrandis moribundis hominibus infimae conditionis, quos* Pareas *appellant, ulteriori dilatione remota, pariter servari, et impleri praecipimus. Vestrum autem erit, ut mandata per Antecessorem nostrum, et per Nos ipsos Apostolica auctoritate, tenore praesentium, in omnibus confirmata, impigre, et obsequenter facientes opus Dei, quod tanta cum animi alacritate suscepistis, rite, unanimiter, studioseque perficiatis. Ac vobis, Venerabiles Fratres, dilecti Filii, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XII Decembris MDCCXXVII Pontificatus Nostri Anno Quarto.

§ 13. Tantum vero abfuit, ut qui pro Ritibus eo Decreto damnatis pugnabant, huic novae eiusdem Decreti confirmationi acquiescerent, quin potius Anno MDCCXXXII Praedecessori Nostro Clementi Papae XII in Benedicti locum subrogato declaraverint, se nihil de nova confirmatione audivisse, neque aliquid, quod ad eam spectaret, Episcopis, et Missionariis Indiarum fuisse legitime denuntiatum, ideoque enixis precibus ab eo postulaverint, ut, non obstante Benedicti XIII dispositione, dignaretur hanc eandem causam denuo Sancti Officii Congregationis examini et cognitioni subiicere: et quamquam, aliis earum Partium Missionariis causam finitam esse, et in rem iudicatam abiisse reputantibus, seu excipientibus, non deessent, qui postulatis haud annuendum esse crederent, iisque adversarentur; attamen idem Pontifex Clemens XII, supremum tandem acerrimis perniciosisque dissidiis finem fieri peroptans, supradictorum preces admittendas existimavit, declaravitque in causa posse procedi. Quare totius materiae instaurata disceptatione, et per duos fere annos continuata, documentis certis et necessariis ex utraque Parte productis, factaque praesertim Decreti impugnatoribus amplissima facultate afferendi quidquid in controversum quemque Articulum deducendum, allegandumque e re sua iudicarent; post plures Congregationes habitas in Conventu Sanctae Mariae supra Minervam a S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis, ii tandem, quid ipsorum iudicio in controversis Articulis aut confirmandum, aut moderandum, declarandum denique, aut aliqua ex parte remittendum esset, aperuerunt; eorumque resolutiones probavit, confirmavitque praelaudatus Clemens Papa XII, illasque inserendas decrevit Apostolicis literis in forma Brevis, quibus Madurensibus, Mayssurensibus, et Carnatensibus Episcopis, ac Missionariis, Apostolica auctoritate mandavit,

[1] *Non sine gravi.* Bened. XIV, Bull., tom. 1, p. 403, 404.

iniunxitque, ut lata abs se decreta tum religiose ipsi observarent, tum ab aliis omnibus summa fide, ac diligentia observari curarent. Literae in forma Brevis sunt sequentis tenoris.

§ 14. *Venerabilibus Fratribus, etc. Compertum, etc.* (Omittuntur literae, quia eas habes supra, in N. 296).

§ 16. At tam felicibus initiis conceptum gaudium statim evanuit; tristissimus siquidem nuntius quam citissime Sedi Apostolicae allatus est, Missionarios scilicet, qui Cardinalis Tournonii Decretum impugnaverant, non obstantibus Clementis XII Literis Apostolicis solemni formula ab iis acceptatis, publicatisque, damnatos tamen ritus ac caeremonias iuxta earundem Literarum praescriptum minime aboleri posse causantes, tantum sibi licentiae sumere, ut eos easque adhuc usu permittere et retinere non dubitarent. Cumque de tamdiu dilata ab iis obedientia in dies fama increbresceret, praefatus Clemens Papa XII, ut debitum Pontificii mandatis obsequium, et observantiam vindicaret, certamque redderet in posterum eorum, quae in praedictis Pontificiis Literis mandabantur, executionem, alteris in simili forma Brevis datis die XIII maii anni MDCCXXXIX Apostolicis Literis, earum regionum Episcopis, et Missionariis praeceptum iteravit, gravioribus etiam poenis impositis, ut nedum exactissime servarent, quae in suis praemissis Literis mandabantur, sublata cuilibet secus interpretandi facultate, verum ad id illico se adstringerent solemni iureiurando interposito, iuxta formulas respective eisdem praescriptas. Literae in forma Brevis sequentis sunt tenoris:

§ 17. *Venerabilibus Fratribus, etc. Concredita Nobis, etc.* (Omittuntur literae, quia eas habes supra, in N. 300).

§ 21. His ita constitutis, atque mandatis obtemperantes omnes Episcopi, et Missionarii Apostolici Regnorum Madurensis, Mayssurensis, et Carnatensis, nominatimque, qui pridem contra Cardinalis Tournonii Decretum steterant, fide data, sacramentoque interposito, exactam, integram, absolutam, inviolabilemque observantiam Literarum, quarum superius exemplum insertum est, quodque incipit, *Compertum exploratumque,* promiserunt, secundum formulas aliis in Literis Pontificiis expressas, quae pariter enunciatae iam sunt, quaeque incipiunt, *Concredita Nobis Dominici Gregis.* Utque suum Nobis ad Pontificatus apicem evectis, Sanctaeque Sedi fidele obsequium, et submissionem certo probarent argumento, ad manus nostras exempla reddi curarunt solemnis iurisiurandi, quod singuli praestiterunt.

§ 22. Hunc igitur fructum ex prudenti constantique, quam hactenus recensuimus, Praedecessorum nostrorum agendi ratione Nobis colligere datum est; neque iam temere videmur hanc animo spem concepisse, ut quaecumque dubia supra executione eorum, quae ab iisdem Praedecessoribus praescripta memoravimus, adhuc reliqua sunt, resolutis, ut infra, propositis quaestionibus, penitus submoveantur: omnesque demum inter sacros istarum Regionum Operarios dissensiones, et controversiae compositae conticescant, atque Apostolica mandata et Decreta, quae, gravi praemissa ponderatione, ac de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum in tota Republica Christiana in negotiis Fidei Generalium Inquisitorum specialiter deputatorum, aliorumque Virorum pietate ac doctrina praestantium, harum serie edituri sumus, pari obedientiae

alacritate ab omnibus istarum Partium Missionariis excipiantur, ac debitae executioni demandentur.

§ 23. Nonnulli siquidem, postquam Literis professi sunt servatas ab se fuisse Apostolicas Literas *Compertum exploratumque*, seque accusatos idcirco perperam fuisse tanquam refractarios; affirmantes nihilominus, in maximas atque extremas animi angustias se esse coniectos, ob Iurisiurandi religionem, ob excommunicationis periculum, aliasque gravissimas poenas, quibus inobedientes, legive repugnantes inevitabili nexu obligati sunt atque obnoxii; communi illorum omnium nomine, qui in pari muneris et periculi societate versantur, ad sublevandas suas, ut aiunt, oneratas trepidantesque conscientias, atque ad plurimorum Christianorum salutem, qui recenter conversi persecutionum procellis assidue conflictantur, in tuto collocandam, tria a Nobis flagitarunt.

§ 24. Primum illud est, ut onere subleventur (quod quidem onus gravissimum, intolerandumque appellant) tot iuramentorum, censurarumque, quibus inextricabilibus veluti laqueis eorum conscientiae vinciuntur, quibusque fit, ut propriae amittendae salutis periculo expositi, de aliena procuranda cogitationem prope omnem deponere cogantur.

§ 25. Alterum, ut dispensatio alias concessa super insufflationum, atque salivae ritu, in Sacramento Baptismatis ministrando, prorogetur, eo vel maxime, quod non tali lege sit huiusmodi ritus inductus, in quo dispensatio locum habere non possit; imo, ut ea concedatur necessarium esse aiunt, ad conservandam propagandamque disseminatam iam ac diffusam Fidem in vastissimis illis Regionibus, quarum Incolae ingenito veluti horrore, seu potius inveterato et communi praeiudicio, ita salivam aversantur, ut de eo evellendo prope iam sit ab eis desperatum.

§ 26. Tertium, ut aperta, atque plana tradatur interpretatio praecepti a Cardinali Tournonio Missionariis gravissime iniuncti, atque ab Apostolica Sede confirmati, eisque inculcati, ut abiectissimum hominum genus, vulgo *Pareas*, minime deserant, sed cum domi aliquo morbo laborantes detinentur, eos invisant, eisque, cum opus fuerit, Sacramenta ministrent, omnibusque erga eos charitatis atque pietatis officiis defungantur. Nam, sine aliqua praefati Decreti declaratione, perniciem eis, qui Christianae Religioni nomen dederunt, imminere prorsus arbitrantur, Gentiliumque ad Fidem conversionem impossibilem penitus evasuram. Itaque eorundem Parearum saluti providendum esse rentur, non adigendo Sacros Operarios ad ingrediendum eorum Domos, quod certe, ut asserunt, exitio Missionibus foret, sed alia ratione atque ea potissimum, quam ipsi primo induxerunt, quaque usi sunt post Apostolicas etiam Literas promulgatas, quarum initium *Compertum exploratumque*, obtentu verbalis cuiusdam declarationis, quam ipsis suus Missionum Procurator significaverat.

§ 27. Rumore itaque ad Nos allato de huiusmodi vocali declaratione, quae Clementi Papae XII Praedecessori nostro tribuebatur, et cuius etiam exemplum monumentumque in Actis, et Tabulario Sanctae Inquisitionis relatum fuisse atque reconditum ferebatur, exemplum monumentumve huiusmodi diligentissime exquiri mandavimus. Cumque illud nusquam inventum sit,

longa licet atque exactissima indagine investigatum; cum etiam Administri, quorum custodiae mandandum fuerat, ea de re per Nosmetipsos interrogati, nihil huiusmodi a se visum, nihil auditum fuisse, et nunquam ad se pervenisse praedictam declarationem, proptereaque et in actis, et in Archivo desiderari, constanter et indubitate affirmaverint; cum denique ipsius Nostri Praedecessoris ea de re mentem atque sententiam, in Apostolicis eius Literis supra relatis luce ipsa clarius expressam, exploratamque haberemus, totum hoc gravissimum et inveteratum negotium, cum approbatione et consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Generalium Inquisitorum, ut supra, deputatorum, tandem diiudicare ac definire deliberavimus. Auditisque propterea tum eorundem Venerabilium Fratrum Nostrorum, tum etiam Consultorum sententiis, ac rursus ad trutinam revocatis, et coram Nobis multum diuque perpensis atque discussis moderationibus illis, quas postularunt a Nobis illi, qui duram atque difficilem Decretorum toties enunciatorum integram absolutamque observantiam existimarunt, in hunc, qui sequitur, modum, statuimus, atque decrevimus.

§ 28. Ac primo quidem, animadvertentes impositam Iurisiurandi legem esse veluti saluberrimum antidotum extinguendo gliscentium litium, discordiarumque veneno, aptissimumque ad cohibendam licentiam libertatemque opinandi, interpretandi, agendi denique pro libito in re tam gravi et periculosa, fraenum existere; Censuras quoque a praedicto Clemente XII Praedecessore Nostro in enunciatis Literis, incipientibus *Concredita Nobis* constitutas, ad solos dumtaxat pertinere Apostolicae legis praeceptorumque violatores, easdemque in huiusmodi tantum refractarios, quorum animos neque Ecclesiasticae mansuetudinis officia, neque paternae admonitionis charitas vincere, aut inflectere ullo modo possent, iustissimam poenam esse et fore reputantes, non solum inopportunum censuimus, Iusiurandum aliqua in parte remittere, aut moderari Censuras, quod primo fuit ab illis propositum; verum etiam, de praedicto consilio et assensu, ac de plenitudine Potestatis a Deo Nobis concreditae, illud, illasque probamus, confirmamus, et innovamus, illudque, et illas omne robur et firmamentum, omnemque vim et efficaciam in posterum semper habere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari decernimus et iubemus.

§ 29. Quod autem attinet ad secundam postulationem, de proroganda supradicta dispensatione, quam Praedecessor noster in decennium concessit, ut scilicet per id temporis, in Sacramento Baptismatis conferendo, salivae usu abstinere, et sacras insufflationes in occulto adhibere liceret, non tamen hoc generatim, neque indistincte, sed ubi gravis aliqua et certa necessitas postularet, ut luculentius in eiusdem Literis Apostolicis, quarum initium *Compertum exploratumque* expressum est; Nos declarare satis non possumus, quam aegre feramus, quod nullis adhuc certis indiciis aut argumentis cognoscere potuerimus, utrum Missionarii per id decennii tempus, quod iam elapsum esse dignoscitur, ad Apostolicarum Literarum praescriptum, in eo pro viribus elaboraverint, atque ea, qua par erat, fide, ac diligentia, omne suum studium, operamque adhibuerint, ut vanus ille horror, et parum aequa aversatio prae-

dictorum Sacramentalium, quae Gentium illarum animis insidere fertur, sensim emendata, demum ab eisdem penitus deponeretur. Nemo quippe ignorat, Sacramentalium, de quibus agitur, usum, sive institutionis antiquitas, ex qua Ritus illi in Ecclesiam derivati sunt, sive multiplex mysteriorum significatio, quae in illis continetur, sive demum Romanae Ecclesiae omnium Magistrae spectetur autoritas, quae eosdem in suis Ritualibus receptos inviolabiliter observari praecepit, iure, ac merito venerandum esse, praecipuoque semper in honore habendum, consequenter incapacem prorsus recipiendae Baptismatis Gratiae eum esse, qui falso sibi persuaserit, insufflationes, atque salivam aptam haud esse materiam Sacramentalium caeremoniarum, gravissimique piaculi expertem non futurum, qui sic opinanti conferre illud auderet.

§ 30. Et quamquam exploratum esset, Gentes illas hoc pravo errore minime detineri, sed ob id tantum a praedictorum Sacramentalium usu abhorrere, quod ingenita quadam, ut ferunt, aversione salivam, anhelitumque abominentur, non minori tamen industria Sacris Ministris adnitendum est, ut ex eorum animis perperam conceptum horrorem, ineptamque aversionem eliminent atque ablegent: aliter timendum merito esset, ne illarum Regionum Neophiti, confirmata in ipsorum mentibus huiusmodi abominatione, eo usque desipiant, ut eandem etiam transferant ad miracula, quae per salivam Christus Redemptor Noster edidit; ipsumque propterea miraculorum et salutis nostrae Auctorem, quo nihil profecto magis impium excogitari potest, aversentur. Utque alia praetereamus, illud tandem non diutius est differendum, ut in Regnis Madurensi, Mayssurensi, et Carnatensi, Baptismi Sacramentum rite sancteque ministretur, iisdem adhibitis Sacramentalibus, et caeremoniis, quibus Romana utitur Ecclesia, ex qua ad Gentes illas Fidei lux propagata est, dediscantque tandem novelli Regionum illarum Fideles id horrere, quod Deus dignatus est facere.

§ 31. Verumtamen, ut memorata Sacramentalium praedictorum abominatio suaviter, leviterque ex eorum animis divelli possit, neve huiusmodi lex, quae Sacramentalium usum praescribit, ad nimiam in specie severitatem exacta, eas adducere calamitates videatur, quae ex illa, tamquam e fonte, in Ecclesias atque Missiones dimanaturae denunciantur; Nos enarratis de causis dispensationem, quam Praedecessor noster in Literis iam relatis concessit, iterum concedendam, prorogandamque decrevimus in aliud decennium, quod a die datae praesentis Nostrae Apostolicae Constitutionis est inchoandum.

§ 32. Ex quo fas est intelligere, non eam esse aut fuisse nostram et Apostolicae Sedis sententiam, quod scilicet nullus dispensationi locus esse possit in huiusmodi Sacrorum Rituum, et Sacramentalium materia, nec ulla dispensandi necessitas, aut sufficiens causa unquam valeat allegari. Verum, quum ex rationibus superius allatis, nullo pacto permitti valeat, venerabiles adeo Ritus, ac traditum a Patribus, sancteque ab Ecclesia servatum huiusmodi Sacramentalium usum, penitus aboleri; vel eorum contemptui, aut erroribus circa eadem inducendis, vel iam conceptis amplius confirmandis, occasionem praeberi; idcirco omnibus dictorum Regnorum Missionariis districte praecipimus, ut hac dispensatione benigne a Nobis indulta, nonnisi certis in casibus, et cum gravis id necessitas postulabit, de quo eorum conscientiam oneramus,

utantur, nec nisi in praedictis casibus salivae usum in administratione Baptismatis possint omittere, et occultas adhibere insufflationes; modo ii, qui se baptizandos offerunt, in ea non sint opinione, ut credant salivam, atque insufflationes huiusmodi ineptam esse, atque indecentem Sacramentalis Ritus materiam; qui enim adeo falsa, atque distorta persuasione imbuti essent, tamquam indigni, et incapaces Sacramenti Baptismatis licite suscipiendi, ab eo repellendi essent. Volumus autem, atque omnibus et singulis praedictorum Regnorum Episcopis et Missionariis in virtute sanctae obedientiae praecipimus, et expresse iubemus, ut et communibus studiis atque consiliis, et singuli pro virili parte, intra praefinitum decennii tempus, omnibus viribus nervisque contendant, et quemadmodum fuerat eisdem a sanctae memoriae Praedecessore nostro imperatum, non intermissis laboribus assidue curent, ut ex illarum Gentium animis errorum tenebrae, malesanaeque opiniones, quibus obcaecantur, et miserrime detinentur, penitus discussae, ac radicitus evulsae eliminentur. Ut vero indultum, prorogatumque a Nobis tempus, sanctissimis Romanae Ecclesiae caeremoniis praedictis, quae tamdiu a Sede Apostolica commendatae atque inculcatae fuerunt, facilius apud Nationes illas insinuandis vere conducat, utque ulterior huiusmodi Rituum praetermissio (quam tamen extra verae necessitatis casus, ut supra, nullatenus concessam aut licitam esse, iterum declaramus) alendis Populorum erroribus, atque difficultatibus augendis confirmandisque ansam non praebeat: universis Gentium illarum Episcopis, et Missionariis praedictis notum esse volumus, hoc exacto decennio, nullis aut precibus, aut rationibus, quae porrigi, proferrique unquam possent, aliam denuo prorogationem concessum iri.

§ 33. Ad tertium denique quod pertinet postulatum, ut nempe apertius atque districtius declaretur Decreti articulus, quo laudatus bonae memoriae Carolus Thomas Cardinalis Tournonius sancivit, ut Missionarii ad Pareas aegrotantes accedant, ut Sacramenta desiderantibus etiam domi administrent, ut denique illis omnia praestent spiritualia subsidia, quae Charitas, Religio, et Officii ratio Evangelicis Operariis, nullo discrimine, nulloque respectu, Fidelibus universis, adversa praesertim valetudine conflictatis, administranda praescribunt: nemo profecto non videt, quantumvis maximae proponantur difficultates, in quas incurrere Missionarii se posse dicunt, si huic praecepto tam iusto, tam sancto parere velint; ferendum tamen nullo modo esse, quod Casas humiliorum huiusmodi hominum ex morbo decumbentium subire recusent, atque illos in summo etiam vitae discrimine, aut Sacramentis omnino carere sinant, aut saltem eorumdem percipiendorum maximam illis ingerant difficultatem. Nulla etenim apud Deum est personarum acceptio; nec ullum despicere fas est eorum, quos Unigenitus Dei Filius per novam generationem sibi coniunctos, non confunditur Fratres vocare; quin immo *elegit Deus pauperes in hoc Mundo, divites in Fide, et haeredes Regni, quod repromisit diligentibus se.* Quae qui contemnunt, exhonorantes pauperem, et Fratrem humilem confundentes in humilitate sua, hi porro longe nimis discedunt a doctrina, et exemplo Christi Domini Salvatoris Nostri, qui Nos, non Divina tantum voce, sed magnis etiam atque illustribus factis edocuit, quanti apud Nos esse debeant, qui pauperes, atque abiecti per Mundi insaniam vocantur: *Ecce enim,*

aiebat S. Gregorius Pontifex Maximus, *ire non vult Filius Dei ad Filium Reguli, et tamen venire paratus est ad salutem Servi. Certe si nos cuiuspiam Servus rogaret, ut ad eum ire deberemus, protinus nobis nostra superbia in cogitatione tacita responderet, dicens: non eas, quia temetipsum degeneras, honor tuus despicitur, locus vilescit. Ecce de Caelo venit, qui Servo in Terram occurrere non despicit.*

§ 34. Quare ut gravissimo huic malo remedium afferrent Praedecessores Nostri Romani Pontifices Gregorius XV, Alexander VII, et Clemens IX in suis Apostolicis Literis die XXXI ianuarii anni MDCXXIII, die XVIII ian. anni MDCLVIII,[1] et die XIII sept. anni MDCLXIX[2] respective datis, omni animorum contentione, atque zelo obtinere curarunt (quod et Nos eorum vestigiis inhaerentes summopere optamus, et quantum in Domino possumus, districte praecipimus, et mandamus), ut Nobiles cum Plebeis in unam eandemque Ecclesiam convenientes, una simul Divini verbi pabulo reficerentur, et Ecclesiae Sacramenta reciperent, utque Missionarii Regnorum, Provinciarumque Orientalium Indiarum, sui officii memores, ita animo essent comparati atque dispositi, ut non secus ac Nobilibus, abiectis quoque, et infimae sortis hominibus, in iis, quae ad spiritualem eorum profectum pertinent, praesto essent, illisque in propriis etiam domibus, etsi humillimis ac sordidis, Sacrum Viaticum ministrare minime recusarent. At, quod maxime Nos angit, sive ob immodicum illum horrorem, quo claro genere nati infimae Plebis homines, ut fertur, ita aversantur, ut vel illorum contactu se commaculari, nobilitateque, et gradu cadere sibi persuadeant, (qui tamen horror cum sit Christi lege damnatus, e Christianorum animis omnino est eliminandus), sive ob patrias leges, imperiaque Regum idololatrarum, quibus Christiani in iis Regionibus subiecti sunt, aliave tandem de causa id evenerit: frustra certe fuerunt Praedecessorum nostrorum consilia, paternae exhortationes, praecepta demum, queis usi sunt, ut infimi huius generis hominum conversioni ac saluti procurandae, quantum optaverant, plene consulerent, atque providerent.

§ 35. Cum vero et Nos, Christi Domini documentis, Praedecessorumque Nostrorum exemplo excitati, anxie cogitaremus, qua ratione illud tandem reipsa consequi possemus, quod eisdem Praedecessoribus Nostris tantopere cordi fuit; opportune accidit, ut Societatis Iesu Missionarii, quorum villicationi Regnorum Madurensis, Mayssurensis, et Carnatensis Missiones potissimum concreditae sunt, postquam declarari a Nobis articulum de Pareis postularunt, paratos se Nobis obtulerint, pollicitique sint (modo id Nos ipsi probaremus) certos aliquos delegare Missionarios, qui Pareis convertendis, dirigendisque praecipue dent operam. Quod quidem eorum consilium, quo Parearum conversioni et saluti satis bene consultum fore confidimus, paterno gaudio suscipientes, pro temporum circumstantiis probandum, commendandumque esse duximus, oblationisque Nobis factae, ac religiosi promissi exemplum ab eorum Praeposito Generali subscriptum, in huius Romanae, atque Universalis inquisitionis Tabularium referri, perpetuoque asservari mandavimus.

§ 36. Praemonemus itaque in primis Partium illarum Missionarios universos, ut quae Apostolici eorum ministerii erga Fideles omnes ex Divina institutione potissimae partes sunt, minime obliviscantur; ac serio perpendentes, quod inter eos, qui filii Dei sunt, per Fidem quae est in Christo Iesu, iuxta doctrinam Apostoli, iam non est servus neque liber, non est masculus neque foemina, sed omnes unum sunt in Christo Iesu; quod ipse quoque Salvator noster a Deo Patre suo postulaverat pro omnibus, qui crediturí erant per verbum Discipulorum in ipsum, rogans nimirum: *Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in Nobis unum sint, ut credat Mundus, quia tu me misisti;* novos credentes instruant, oportere illos eo mutuae charitatis vinculo inter sese colligari, ex qua veluti tessera, et Divini Filii ab aeterno Patre missionem, et Christianae Religionis veritatem facile Gentiles agnoscant.

§ 37. Deinde vero tot statim pro Pareis Missionarios deputari volumus et praecipimus, quot necessarii, et re ipsa sufficientes reputabuntur, pro eorum debita cura singulis in locis exercenda; qui peculiari studio eorundem domos, ubi aegrotant, pro viribus petant, ad eos invisendos, ac piis sermonibus, ac precibus, Sacramentorumque pabulo recreandos, eosque demum in extremo vitae discrimine constitutos sancto Infirmorum Oleo deliniendos, absque Personarum, aut sexus exceptione. Ubi vero contigerit praefatos Missionarios ad Parearum curam praecipue deputatos, aut eorum aliquem e vivis excedere, vel alio abire; alterum alterius loco continuo subrogari mandamus; et intra spatium quinquennii a die datae praesentium, certissima atque authentica documenta de mandatorum nostrorum executione Apostolicae Sedi reddi debere praecipimus. Quod si intra quinquennii spatium huiusmodi documenta reddita minime fuerint, vel iis redditis, minime constiterit alios Missionarios ad praecipuam illam Parearum curam exercendam subrogatos fuisse in eorum locum, quos vel obiisse, vel alia de causa officio deesse contigerit; tum etiam, si intra spatium annorum decem, omnes non fuissent adhibitae diligentiae, quae tam a Praedecessoribus nostris, quam a Nobis ipsis superius praescriptae sunt, ad evincendum expellendumque horrorem, quo Gentes earum Regionum insufflationes atque salivam in Sacramenti Baptismatis administratione, et susceptione, aversari dicuntur: de quo tamen minime dubitare Nos sinit filialis obedientia, quam ii prae caeteris Missionarii in Apostolicam Sedem se profiteri gloriantur; aut denique si omnes adhibitae diligentiae frustra cessissent: quod secus fore confidimus, dum mentis nostrae oculos ad Misericordiarum Patrem, totiusque consolationis Deum, cuius agitur causa, convertimus; in quemcumque eventum, ne Missiones illas tot Virorum laboribus ac sanguine fundatas deseramus, a quo sane longissime absumus; decernimus, et mandamus, ut alii Missionarii sive Saeculares, sive Regulares ex alio coetu, vel instituto, in ea Regna mittantur; ut experiamur num Deus, cuius incomprehensibilia sunt iudicia, in aliorum Operariorum villicationem divitias misericordiae suae effundere decreverit, eorumque labore, atque industria illos fructus in praefatis Regionibus et Gentibus producere, quos Missionariorum nunc ibi laborantium sudoribus, nulla licet ipsorum culpa vel omissione, consequi non potuerimus.

§ 38. Et quamquam confidimus Missionarios nunc et pro tempore ibi existentes, pro suo erga Apostolicam Sedem obsequio, ab excitandis turbis alienos futuros, nec ullum iussionibus Nostris obstaculum aut impedimentum allaturos, si dum ipsi in iis Regionibus commorantur, eo novi Missionarii accederent, ibique versarentur; tamen quoniam Apostolicis muneris id a Nobis ratio exigit, ut caveamus pericula, quae Christianae charitati offendiculo esse possent; hinc est, quod Societatis Iesu Missionariis, qui in Madurensi, Mayssurensi, et Carnatensi Regnis tunc erunt, virtute sanctae obedientiae iubemus atque praecipimus, ut quicumque casus ex supradictis evenerint, quo vel omnia, vel aliqua ex his, quae per praesentes Literas Nostras circa praemissa decrevimus et observari mandavimus, intra praefinitum respective tempus, integre, exacteque, ut par est, impleta non fuerint, sive id ex eorum facto, sive ex omissione, sive ex prava, et contra literalem earumdem praesentium sensum distorta mentis et voluntatis nostrae interpretatione, sive demum ex qualibet alia causa, etiam de necessitate exprimenda, id contigerit: statim, relictis praedictarum Regionum Missionibus, quarum in iis Regnis exercendarum, et quocumque titulo, etiam deputatorum ab Episcopis, seu Ordinariis Locorum, aut simplicium suae Religionis Presbyterorum, seu quolibet alio colore prosequendarum, iure omni, officio, et facultate ex eo tempore in posterum iam nunc eos a Nobis privatos, et imminutos declaramus, atque ex nunc prout ex tunc, et e contra, Auctoritate Apostolica, et earumdem praesentium tenore privamus, et imminuimus, illico, non expectata alia nostra, et Sedis Apostolicae declaratione, iussione, aut sententia, in Europam revertantur, uberiores, ut speramus, in hisce Partibus fructus relaturi.

§ 39. Demum, etsi ii Missionarii, qui moderandas censuras, dispensandum super insufflationum, et salivae Ritu in Sacramento Baptismatis administrando, atque articulum de Pareis declarandum postulaverunt, nil difficultatis praesetulerint circa alia capita Decreti praedicti Caroli Thomae Cardinalis Tournonii, et Apostolicarum Literarum Clementis Papae XII, quarum initium *Compertum exploratumque:* ex aliorum nihilominus Literis ingenti Nostro dolore accepimus, ex Missionariis alios esse, qui nulla habita interdicti a praefato Cardinali Tournonio lati, amplissimeque a Praedecessore nostro confirmati ratione, eo usque progrediuntur, ut Christianis Mulieribus gestare permittant monile collo suspensum, contracti tesseram Matrimonii quod Regionis illius lingua *Taly* denominatum, effigiem quamdam habet informem Idoli, quod profanis earum Gentium nuptiis praesidere fertur; ipsisque pariter Fidelibus, quo tempore ab illis nuptiae celebrantur, permittant fructum, vulgo *Cocco* nuncupatum, frangere, ad hoc ut futurorum inde auspicia vel fausta, vel infausta desumant: Mulieribus demum, cum mensibus detinentur, Templi accessu, et salutari Poenitentiae Sacramento interdicant. Quamobrem Nos animo reputantes, quam sit execrandum, Mulieres illas, quae sub Crucis vexillo militant, ornatas incedere huiusmodi insignibus, quae aut Idololatriam importent, aut de Gentilitatis superstitione suspecta sint, prout dubio procul est memoratum *Taly,* necessario proinde damnatum: quamque Christifideles dedeceat, ritus, caeremoniasque sequi, vel imitari, ethnicam superstitionem

redolentes, qua certe non vacat illa nuptiarum tempore in praedictis Regionibus usitata praefati *Cocco* diffractio, quae idcirco iure et merito pariter reprobata dignoscitur; quam denique iustum sit, mensium tempore minime arcere Templis, et salutari Poenitentiae Sacramento fideles Mulieres, quas laudabili praxi admittit Ecclesia, Redemptoris vestigiis insistens, qui sanguinis fluxu laborantem non abiecit: *Si enim*, ut olim scripsit laudatus S. Gregorius Magnus, *in sanguinis fluxu posita laudabiliter potuit Domini vestimenta tangere, cur quae menstruum sanguinis patitur, ei non liceat Domini Ecclesiam intrare?*

§ 40. Haec inquam reputantes, ac relatis et minime ferendis abusibus pro Apostolici muneris ratione remedium adhibere quam maxime cupientes, mandamus, et virtute sanctae obedientiae, tenore praesentis nostrae Constitutionis perpetuae legis vim habiturae, iubemus atque districte praecipimus universis Episcopis, atque omnibus, et singulis tam Saecularibus, quam Regularibus ex quocumque sint Ordine, Congregatione, Instituto, nominatimque ex Societate etiam Iesu, in Orientalium Indiarum Regnis Madurensi, Maysurensi, et Carnatensi existentibus Apostolicis Missionariis, ut omnia et singula, quae in supra insertis Clementis Papae XII Literis, quarum initium: *Compertum exploratumque*, quas etiam auctoritate nostra, quatenus opus sit, in omnibus, et per omnia approbamus, confirmamus, et innovamus, contenta sunt, tam quae supradicta capita respiciunt, quam alia quaecumque per easdem Literas praescripta, et definita, ad eorum normam, quae idem Praedecessor Noster alteris pariter superius insertis Apostolicis Literis, incipientibus: *Concredita nobis*, constituit et sanxit, non solum ipsi pro virili parte integre, exacte, absolute, inviolabiliter, perpetuoque observent atque adimpleant, verum etiam, quantum in ipsis est, ut ab universis Fidelibus, qui eorum curae sunt concrediti, exacte serventur et impleantur, omni studio ac viribus curent, atque contendant.

§ 41. Denique eosdem Episcopos, et Missionarios omnes rogamus, et obsecramus per Dominum Iesum Christum, et per charitatem Sancti Spiritus, ut nihil aliud sapientes, praeter id, quod a Nobis, et a Praedecessoribus Nostris constitutum fuit, salutare Dei, quod per eorum ministerium Regionum istarum Gentibus missum est, pari zelo ac puritate propagare non intermittant; omnique studio dent operam, ut nedum in novellis Christifidelibus veteris hominis vestigia penitus expungantur, deleanturque, verum etiam quaecumque vel symbola, vel imagines, aut figurae, atque omnis demum species mala, ipsaque veluti umbra, et odor ethnicae superstitionis ab ipsis eliminentur; illud cogitantes, eiusmodi caeremoniis, vanisque observationibus, quae Idololatriae reliquiae sunt, earum Gentium animos inextricabilibus veluti laqueis irretiri, ac vetustos ali confirmarique errores, quibus misere detinebantur. Quod si aliquos Regionum illarum Fideles, veluti parvulos adhuc fluctuantes, Paganorum contemptus, contumelias, aut persecutiones, propter Ecclesiae praeceptorum, et Rituum observantiam, formidare conspexerint, illud ipsis illustre monitum, quod Sanctus Augustinus Ecclesiae Doctor in pari argumento reliquit, commemorare, atque inculcare non desinant: *Si quaeritis, unde vincantur Pagani, unde illuminentur;* quodque ad ipsos Evan-

gelii praecones praecipue dictum esse dignoscitur: *Si quaeritis unde ad vitam noxentur; deserite solemnitates eorum, deserite nugas ipsorum.*

§ 42. Volumus autem, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. I, p. 397-426].

349.

Benedictus XIV, const. *Firmandis*, 6 nov. 1744.

Firmandis, atque asserendis Ecclesiasticae disciplinae regulis studiose intenti Praedecessores Nostri Romani Pontifices, consueverunt, peculiaribus rerum aut temporum necessitatibus animadversis, ad generalis providentiae curam animum adiicere, easque Apostolicas Constitutiones opportune promulgare, quibus gliscentes morum corruptelas resecarent, et inordinatas humanae arrogantiae praesumptiones reprimerent. Cui rei obtinendae utilissimum plane experti sunt, vel antiqua Patrum constituta renovare, interpretari, aut declarare, vel competentium Romanae Curiae Tribunalium, sive Congregationum iudicata et responsa colligere, confirmare, aut in aliquibus remittere, eademque prudenter atque apte conciliare, si quando inter ea non satis convenire videretur. Utque antiquiora omittamus exempla, non alia sane ratione fel. rec. Praedecessor Noster Clemens Papa X per suam Constitutionem, quae incipit: *Superna*, datam XI Kal. Iulii Anno MDCLXX,[1] inhaerendo pluribus resolutionibus Congregationum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium, ac Tridentini Concilii interpretationi Auctoritate Apostolica praepositorum, multa constituit circa debitam a Regularibus erga Episcopos Locorum Ordinarios observantiam, et subiectionem; tam in petenda eorum licentia et benedictione pro Verbi Dei praedicatione in Ecclesiis etiam suorum respective Ordinum habenda, quam in approbatione et facultate ab eisdem obtinenda pro administrando Saecularibus Poenitentiae Sacramento. Ita pariter se gessit recolendae memoriae Praedecessor Noster Innocentius Papa XII, quum, ad normam plurium resolutionum Congregationis Concilii praefatae, certas sacrarum Ordinationum regulas, et singulorum Episcoporum iura in proprios Subditos praefinivit, lata Constitutione, quae incipit: *Speculatores*, sub datum pridie Nonas Novembris Anni MDCXCIV.[2]

§ 1. Hanc ipsam rationem Nos ipsi secuti sumus in Apostolicis nostris Literis, quarum initium est: *Sacramentum Poenitentiae*, Anno MDCCXLI Kalendis Iunii datis,[3] in quibus nonnulla decrevimus et statuimus adversus Sacerdotes in Sacramentali Confessione suos Poenitentes ad turpia sollicitantes, iuxta declarationes in causis huius generis, diversis temporibus et casibus prolatas a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium contra haereticam pravitatem generalium Inquisitorum. Idi-

[1] Cf. N. 246.
[2] Cf. N. 258.
[3] Cf. N. 309.

psum nuperrime egimus, dum Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cunctisque Locorum Ordinariis per Italiam constitutis Encyclicas Literas dedimus sub die XIX Augusti huiusce Anni MDCCXLIV, quarum initium est: *Cum semper oblatas,* [1] quibus, a praedictae Congregationis Concilii Tridentini Interpretis resolutionibus et placitis neutiquam discedentes, plura declaravimus circa onus, quod habent tum omnes animarum curam gerentes, Missam pro Populo applicandi diebus saltem festis de praecepto; tum etiam Ecclesiarum Cathedralium, et Collegiatarum Canonici, aliique de earum gremio, Missam Conventualem quotidie pro Benefactoribus in genere specialiter offerendi. Nunc denique hoc idem a Nobis servatum iri declaramus, dum Episcoporum iura, quod attinet ad Visitationem Ecclesiarum Parochialium ad Regularium Monasteria pertinentium, hac nostra perpetuo valitura Constitutione asserere, atque, ut infra, definire et constituere in animum induximus.

§ 2. Animarum curam in saeculares personas exercentes in iis Ecclesiis, quae Monasteriis seu Domibus Virorum aut Mulierum adnexae sunt, sive ipsi Regulares sint, sive Saeculares, Sacri Tridentini Concilii praescripto, sess. 25, cap. 11, *de Regularibus,* subesse debent, *immediate in iis, quae ad dictam curam, et Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi, et correctioni Episcopi, in cuius Dioecesi* praedicta Monasteria *sunt sita*, exceptis dumtaxat iis Monasteriis seu locis, *in quibus Abbates Generales, aut Capita Ordinum Sedem Ordinariam principalem habent, atque aliis Monasteriis, seu Domibus, in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores iurisdictionem Episcopalem, et temporalem in Parochos, et Parochianos exercent; salvo tamen eorum Episcoporum iure, qui maiorem in praedicta loca, vel personas iurisdictionem exercent.*

§ 3. Cum itaque nonnulli Sacerdotes ab Episcopali iurisdictione exempti, quos neque Parochos, neque animarum curae addictos esse constaret, ausi fuissent aliquibus Christifidelium matrimoniis interesse, sine praevia Episcopi aut Parochi licentia; quaesitum fuit, utrum huiusmodi Sacerdotum correctio, atque in eosdem animadversio ad Episcopum, an vero ad eorum Superiores, privative spectaret. Cumque ii privativum eiusmodi ius ex eo deducerent, quod Tridentina Synodus loco citato dum facultatem tribuit Episcopis corrigendi, et puniendi Sacerdotes ab eorum iurisdictione exemptos, in his, quae ad animarum curam, et Sacramentorum administrationem pertinent, de iis dumtaxat Sacerdotibus loquitur, qui vel Parochi sunt, vel animarum curam exercent, cuiusmodi sane ii non erant, de quibus agebatur: futilem hanc, vanamque praesumptionem reprimere statuit fel. rec. Praedecessor Noster Gregorius Papa XV, ac de consilio Congregationis Sacri Concilii Tridentini Interpretis, edita Constitutione, quae incipit: *Inscrutabili,* data Nonis Februarii Anno Incarnationis Dominicae MDCXXII, [2] decrevit ac declaravit, *ut deinceps tam Regulares, quam Saeculares, quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum saecularium Monasteriis, seu Domibus Regularibus, aut quibusvis*

[1] Cf. N. 345.
[2] Cf. N. 199.

aliis Ecclesiis, vel Beneficiis, sive Regularibus, sive Saecularibus incumbentem exerceant, sive alias Ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex illis ministrent, praevia Episcopi licentia, et approbatione; sive quoquo modo in dictae Curae exercitio, aut in eorundem Sacramentorum, vel alicuius ex illis administratione de facto, absque ulla auctoritate, se ingerant; in his, quae eiusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimode iurisdictioni, visitationi, et correctioni Dioecesani Episcopi tamquam Sedis Apostolicae delegati, plene in omnibus subiiciantur.

§ 4. Hac controversia per Constitutionem Gregorianam e medio sublata, non ideo ab aliis quaestionibus et litibus circa idem rerum genus promovendis cessatum fuit; pluraque Dubia tam in Congregationibus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, quam in Auditorio Rotae frequenter agitata et resoluta fuerunt, circa peculiarium quorundam actuum naturam, an scilicet iidem censendi essent ad animarum curam, seu ad Sacramentorum administrationem pertinere; et consequenter, an Episcopus in visitandis Regularium Ecclesiis, quibus imminet animarum cura personarum saecularium, posset, nec ne, suam circa huiusmodi actus iurisdictionem exercere; tum etiam, an hoc aut illud Monasterium dici posset ordinaria et principalis Sedes Abbatis Generalis, seu Capitis Ordinis, ideoque Ecclesia huiusmodi Monasterio adnexa, quamvis Parochialis foret, Episcopo in visitatione subiecta non esset. Cum igitur resolutiones in praedictis Curiae nostrae Tribunalibus circa huius generis quaestiones identidem captas, earumque rationes et fundamenta, diligenter et considerate perpenderimus, consilium quoque et sententiam audierimus aliquot ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, aliorumque Virorum in iuris Canonici scientia praestantium; nonnulla super his de Apostolicae potestatis plenitudine decernere deliberavimus, ac praesenti nostra Constitutione inviolabilem quandam normam praefinire, qua posita, omnes de caetero lites, et controversiae praedictis de rebus, si fieri possit, penitus eliminentur, atque omnia submoveantur obstacula, quae debitam Decretorum Sacri Tridentini Concilii executionem in re tam gravis momenti impedire, aut retardare hactenus consueverunt.

§ 5. Optimo sane consilio ab Episcopis Pastoralem visitationem aggredientibus praemitti solent in singulae Dioecesis loca aliqui Sacerdotes Missionarii, qui ante ipsorum adventum, praedicationibus verbi Dei, et administratione Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae, spiritualem Populorum profectum, et animarum salutem, qui potissimus est Pastoralis visitationis scopus, studeant promovere. Inventi sunt autem ex iis Regularibus, quorum Ecclesiis incumbit Parochialis saeculiarum cura, qui in dubium revocarent, an huiusmodi Missionarios, sive Saeculares, sive alterius Instituti vel Ordinis Regulares, ab Episcopo missos tamquam visitationis suae praenuntios, in propriis Ecclesiis et Domibus ad exercenda munera eisdem commissa admittere et recipere ipsi tenerentur. Quod dubium, quum in Congregatione S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita examinatum fuisset sub die 31 Augusti Anni 1668 affirmative resolutum fuit; ut scilicet praedicti Missionarii etiam a Regularibus Parochis seu Curatis libenter excipi debeant, omnibusque rebus iuvari,

quibus ad iniunctum sibi onus adimplendum opus illis esse contigerit. Quod Nos quoque probamus, et auctoritate Apostolica confirmamus, atque in posterum (quoties id opus esse, prudenti Episcopi arbitrio iudicatum fuerit) ab omnibus huiusmodi Parochis seu Curatis praecipimus observari.

§ 6. Sed et in ipso visitationis cursu, atque etiam extra illam, aliqui Regulares de suorum privilegiorum et exemptionum indemnitate plus nimio solliciti, hanc Episcopis controversiam moverunt, utrum iis liceret, in ipsorum Regularium Ecclesiis, sive Parochialibus, sive non Parochialibus, Sacramentum Confirmationis administrare; quae quidem controversia in Congregatione Concilii, partibus plenissime auditis, pro Episcopis decisa fuit, quemadmodum et Nos generaliter et sine exceptione eandem definimus.

§ 7. In exequenda vero Pastorali visitatione Ecclesiarum Parochialium, quae a Regularibus administrantur, minime quidem licet Episcopo omnia Ecclesiarum huiusmodi Altaria visitare, sed illud dumtaxat, in quo Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatur, et consequenter Sacrum ipsum Tabernaculum; Fontem quoque Baptisterii, si adsit; item Confessionale, in quo Parochus ad audiendas Confessiones residere solet; Pulpitum Ecclesiae, e quo Parochus ius habet, verbi Dei, iuxta praecipuum ministerii sui munus, annunciandi; Saerarium pariter Ecclesiae, ad inspiciendum locum, in quo asservatur sacra supellex, pro Sacramentis tam intra Ecclesiam, quam extra illam decenter administrandis; Sepulchrum excipiendis Subditorum Parochiae corporibus addictum, Coemeterium Parochianorum humandis cadaveribus destinatum; Turrim Campanariam, dummodo in ea sint Campanae ad Parochiam proprie spectantes; ac demum, praeter res supra enunciatas, omnia sacra vasa, quibus vel Particulae consecratae servantur, vel Sacra Olea sive in Baptismo, sive in Extrema Unctione adhibenda, vel aqua Baptisterii, vel alia rite benedicta, quae pro ingredientium aspersione ad Ecclesiae fores poni consuevit.

§ 8. Visitationi locali proxima est ea, quae personam respicit Parochi; cuius quidem, si Regularis sit, agendi rationem, in iis, quae spectant ad observationem proprii ipsius Regularis intstituti, non est Episcopi inquirere, quum ad ipsius Superiorem Regularem privative id pertineat. Licet tamen Episcopo, vel potius ipsi specialiter incumbit, ipsius Parochi seu Curati, etiam Regularis, vitam ac mores scrutari, quatenus ea, quae extra Claustrum prodierint, Rectoris animarum exempla, plurimum conferre ad Populi aedificationem, vel contra eidem obesse maxime possunt, quemadmodum alias eadem Concilii Tridentini Congregatio sapienter decrevit, et Nos etiam earundem praesentium tenore decernimus, et statuimus.

§ 9. Ad personalem quoque Parochi visitationem, proindeque ad Episcopi ius et officium pertinet ea occasione examinare, an titulo legitimo Parochus etiam Regularis animarum curam exerceat, an residentiae lex ab eo observata fuerit atque observetur; an ad Synodum vocatus, iverit; an Congregationes seu Conferentias super casibus conscientiae haberi solitas frequentet; an onera, quae secum fert animarum cura, adimpleverit; ac inter alia, an Missam pro Populo applicaverit diebus festis de praecepto; an iisdem festis diebus omnia praestiterit, quae a Sacro Tridentino Concilio praescripta sunt,

Populum verbi Dei praedicatione, et Pueros in Fidei rudimentis Christianaeque Doctrinae praeceptis instruendo;[1] an, statis diebus, excipiendis Fidelium confessionibus vacet; an aegrotantibus et in extremo vitae agone laborantibus debita spiritualia subsidia sedulo praestet, et Sacramenta Ecclesiae tempestive conferat; an Pueros et Puellas ante susceptionem Sacramenti Confirmationis, tum etiam ante primam eorum Communionem, opportunis instructionibus erudierit; an priusquam Fideles ad matrimonia in faciem Ecclesiae celebranda admittat, debitas inquisitiones adhibuerit, atque adhibeat, quibus tuto deprehendere possit, nullum inter Contrahentes impedimentum existere, eosdemque libere matrimonio consentire, ac demum in Doctrina Christiana, maxime vero in praecipuis Religionis nostrae Mysteriis, illos instructos esse; denique an Parochus apud se recte ordinatos retineat libros tum Baptizatorum, ubi Fons Baptismalis adsit in ipsius Ecclesia, tum Sacro Chrismate confirmatorum, libros etiam Matrimoniorum, et status animarum.

§ 10. Uno verbo, quidquid Episcopus a Parocho saeculari exquirere atque exigere solet ac debet, id omne, Regulari observantia unice excepta, a Parocho Regulari exquirere et exigere potest; atque ubi hunc muneri suo defecisse compererit, opportuna Decreta condere et pronunciare, ac meritas in eundem poenas statuere; in quo nihilominus Episcopi facultates minime privativae sunt, sed Praesul Regularis ius cumulativum cum ipso habet; ita tamen, ut, si aliter a Superiore Regulari, aliter ab Episcopo decerni contingat, huius, non vero illius, Decretis sit standum; prout alias a Congregatione Tridentini Concilii interprete iudicatum fuit, Nosque Auctoritate Apostolica probamus, confirmamus, atque decernimus. Privativum tamen Episcopi ius est in Parochianorum mores inquirere, ac si quae inter ipsos scandala oborta fuerint, auditis proborum ac prudentium Virorum sinceris relationibus, de iis cognoscere, eaque opportunis remediis resecare et reformare: nec enim Superioribus Regularibus in huiusmodi saeculares Parochiae subditos ulla competit iurisdictio.

§ 11. Eveniente autem casu, quo vel Episcopus, vel Superior Regularis aliquem ex praedictis Parochis ab exercitio Curae removendum, eademque privandum esse iudicaverint; quoniam huiusmodi Parochis, sine praevia Episcopi approbatione, ad Curam animarum accedere nequaquam licet, quamvis a suis Superioribus deputati, iidemque ad nutum sint amovibiles; dubitatum propterea fuit, an Episcopus posset ad huiusmodi remotiones procedere, sine Superioris Regularis consensu, et an remotionis causas eidem adducere, easque verificare deberet; tum etiam an Regularis Superior ad similem remotionem et privationem suo iure deveniens, consensum Episcopi exquirere, suasque agendi rationes illi notas atque probatas facere teneretur. Qua de re, supradicta Congregatio Concilii decrevit, huiusmodi Parochos tam ab Episcopo, quam a Superiore Regulari, aequo iure, non requisito alterius consensu, ab Animarum cura removeri posse, nec unum alteri causas iudicii sui aperire, multoque minus probare et verificare debere. Id quod a Nobis in omnibus approbatur et confirmatur.

[1] Sess. V, *de ref.*, c. 2; sess. XXIV, *de ref.*, c. 4, 7.

§ 12. Postquam vero Tridentina Synodus loco superius laudato[1] declaravit, praedictos Curatos seu Parochos tam saeculares, quam regulares, animarum curam exercentes in Monasteriis seu Domibus Religiosis, quibus huiusmodi cura personarum saecularium incumbit, subesse debere immediate, in iis, quae ad dictam curam et Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi, (quod quidem, iuxta magis receptam Tribunalium huius Nostrae Curiae sententiam, intelligitur de iurisdictione Episcopi Ordinaria, non vero de delegata): illa tamen Monasteria seu Loca ibidem a Concilio excipiuntur, in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores iurisdictionem Episcopalem et temporalem in Parochos et Parochianos exercent; salvo nihilominus eorum Episcoporum iure, qui alia quapiam ex causa seu titulo, maiorem in praedicta Loca vel Personas iurisdictionem exercent. Quare nonnullis Episcopis contendentibus, licere sibi, saltem tamquam Delegatis a Sede Apostolica, in Parochos praedictos, sive in Parochianos, aliquem iurisdictionis actum exercere, Congregatio Concilii respondit, quod ubi Abbas, aut Superior Regularis suam probat iurisdictionem Episcopalem et Temporalem in ipsos Parochos et Parochianos, et contra Episcopus probare nequit ampliorem in eosdem iurisdictionem ex alio capite sibi acquisitam fuisse, abstinere omnino debet Episcopus tam a visitatione, quam ab alio quocumque iurisdictionis actu in huiusmodi Parochos et Parochianos. Quod quidem, veluti ipsius Concilii Decretis consonum, Nos etiam Apostolica confirmatione roboramus.

§ 13. Similiter ab Episcopi iurisdictione, visitatione, et correctione, etiam in his, quae ad Animarum Curam et Sacramentorum administrationem spectant, praedicta Sancta Synodus excipit tam Saeculares, quam Regulares Parochos, qui Animarum curam exercent in iis Monasteriis seu Locis, in quibus Abbates Generales aut Capita Ordinum Sedem Ordinariam principalem habent. Quae exceptio, sive limitatio, pluribus controversiis occasionem praebuit. Et primo, an ad inducendam huiusmodi exemptionem ab Episcopali visitatione, satis sit, quod in aliquo Monasterio resideat Abbas Regularis, licet is Ordinis sui Generalis non existat. Super quo praefata Concilii Congregatio pronunciavit, non sufficere Abbatis cuiuslibet residentiam, nisi sit Abbas totius Ordinis sui Generalis. Tunc enim Tridentinum Concilium simplices Abbates, aut Regularium Superiores nominat, quum ab Episcopi iurisdictione ac visitatione eximit Parochos Ecclesiarum seu Monasteriorum, in quibus Abbates aut alii Regularium Superiores iurisdictionem Episcopalem et temporalem exercent; qua iurisdictione compertum est nonnullos etiam simplices Abbates aut Superiores Regulares gaudere, quamvis non sint Ordinum Generales. De Abbatibus autem Generalibus, seu Ordinum Capitibus tunc loquitur eadem Sancta Synodus, quum a iurisdictione, et visitatione Episcopali exemptos esse indulget eorum Monasteriorum seu Locorum Parochos, in quibus Abbates Generales praedicti, aut Capita Ordinum, Sedem Ordinariam principalem habent. Cumque ea dubio procul sit Concilii mens, in hunc plane modum semper in posterum iudicari et censeri debere sta-

[1] Sess. XXV, *de regularibus*, c. 11.

nimus: minime attenta distinctionis nota, quae in plerisque Concilii Tridentini editionibus impressis apposita conspicitur inter verbum *Abbates*, aliudque *Generales*, utpote quae nullatenus reperitur in exemplari authentico Actorum ipsius Concilii, quod in Archivo Sedis Apostolicae in Arce Sancti Angeli asservatur; quodque, ut genuinam huius loci lectionem certo cognosceremus, diligenter inspici fecimus, proindeque a praedictis exemplaribus impressis eadem distinctionis nota omnino est expungenda.

§ 14. Altera questio est, an ad obtinendam exemptionem ab Episcopali iurisdictione et visitatione, sufficiat, quod aliquod Monasterium, Superioris Generalis Sedes Ordinaria existat, an vero praeterea requiratur, ut ipsum Monasterium sit Caput Ordinis. De quo, quidquid alii opinati fuerint, decernimus sufficere, quod Monasterium seu Domus, sit Ordinaria et principalis Sedes Superioris Generalis; prout a Congregatione Concilii constanter iudicatum fuit; quum verba Tridentini, de Capitibus Ordinum loquentis, non ad loca, sed ad personas Praesulum Regularium in locis residentium referantur.

§ 15. Tertio dubitari contingit, an exemptio ab Episcopi Visitatione, quam Tridentina Synodus, ut supra, concedit Ecclesiis Parochialibus eorum Monasteriorum, in quibus resident Abbates Generales aut Capita Ordinum, ad alias quoque Parochiales extendatur, quae praedictis Monasteriis unitae sunt, et ab eisdem dependent. Sed quum de aliis hisce Ecclesiis unitis taceant Conciliaria Decreta, neque porro eadem ratio honoris cuiusdam et reverentiae habendae erga Superiores Ordinum Generales in propriis Monasteriis vel Ecclesiis residentes, locum habeat in aliis Parochialibus, eisdem Monasteriis ut praefertur, unitis; quod pluries Congregatio Concilii censuit, huiusmodi scilicet Ecclesias unitas, minime exemptas esse a iurisdictione et visitatione Episcopi, quamvis illae a Parochis regularibus administrarentur; id ipsum Nos, praedictae Congregationis resolutionibus inhaerentes, decernimus et constituimus.

§ 16. Quaesitum fuit quarto loco, an ratione exemptionis a iurisdictione Episcopi, quae competit supradictis Rectoribus Ecclesiarum residentialium Superiorum Generalium, et propter eorundem Rectorum omnimodam subiectionem iurisdictioni et correctioni praedictorum Generalium Regularium, ius aliquod, et iurisdictio attributa sit iisdem Superioribus Generalibus in saeculares Subditos huiusmodi Ecclesiarum, sive Parochianos; an vero dicendum sit ius istud ad Episcopum privative pertinere. Super quo decernimus, Episcopo plenam et privativam iurisdictionem competere in Parochianos, ad eundemque Episcopum pertinere, non solum propriam auctoritatem et consensum (praevio examine per se ipsum, vel per Vicarium suum faciendo) interponere, quotiescumque Superior huiusmodi Generalis aliquem sive saecularem, sive regularem Parochum seu Curatum, etiam ad nutum amovibilem, ad exercendam in praedictis Ecclesiis animarum curam personarum saecularium deputare voluerit; sed etiam si Episcopus huiusce Parochiae regimen a supradictis Parochis exemptis, sive saecularibus, sive regularibus, non recte administrari cognoverit; posse ipsum, et aliquando etiam debere pro sui Officii munere, apud Superiorem Generalem instare, ut Paro-

chum seu Curatum huiusmodi ab animarum cura removeat; implorata quoque, quatenus opus sit, Apostolicae Sedis auctoritate; si nempe Generalem praedictum, aut reluctantem, aut Parocho plus aequo faventem invenerit.

§ 20. Decernentes, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 432-440].

350.

Benedictus XIV, ep. *Redditae Nobis*, 5 dec. 1744.[1]

Reddite Nobis altero abhinc Mense fuerunt Literae tuae XXVII maii proxime elapsi ad Nos scriptae, ac Typis impressae, quibus occurrentem istic cuiusdam facti speciem enarras, et Nostram super eo sententiam requiris. Non te latere arbritramur, nullum Nos diem vacuum habere, quum gravissimis assidue curis, atque negotiis non tam occupemur, quam pene iam obruamur; in hisce praesertim asperitatibus rerum, quibus undique conflictamur, et quarum famam ad vestras quoque oras pervasisse, non dubitamus. Sed tamen, ut compertum sit omnibus, quanti te facimus, Venerabilis Frater, et quanto dignitatem Episcopalis characteris, quo praefulges, in honore habemus, aliqua temporis spatia reperire, et colligere studuimus, eaque in evolvendis privatae Bibliothecae Nostrae libris insumpsimus, quo possemus propositae abs te quaestioni respondere. Quod quidem praesentibus Nostris Literis facimus, non tamen ex auctoritate Apostolicae Sedis, quam, meritis licet imparibus, obtinemus, sed meram sustinentes personam Doctoris privati, cuius vitae aetas fere omnis in Sacrorum Canonum studiis, quamvis non magno fortasse fructu, exacta est. Neque enim visa Nobis est ea questio Pontificiae Decisionis Oraculo indigere, quemadmodum ex inferius dicendis Fraternitas Tua probe poterit intelligere.

§ 1. Itaque casus est. Vir Nobilis uxoratus rem habuit, stante matrimonio, cum libera Muliere, pari cum ipso natalium nobilitate, duosque filios ex ea procreavit. Defuncta vero Uxore, matrimonium contraxit cum praedicta Muliere, quae duos, ut praefertur, filios ei pepererat. Horum alter iam mortem obierat; atque ille procul dubio natus erat priore Uxore in vivis agente. Alter superstes est, sed nondum satis est exploratum, an eadem prima Uxore vivente conceptus, aut natus fuerit. Dubitatur de utroque, an legitimi sive spurii sint habendi; seu potius, an per subsequens matrimonium cum ipsorum Matre contractum, ambo censendi sint legitimati.

§ 2. Porro, admissa Canonici iuris regula, quam Nos verissimam iudicamus, quamque, ut paulo infra patebit, a nemine in dubium revocari posse arbitramur: quod nempe, licet proles ante matrimonium nata, legitima fiat per subsequens matrimonium inter Parentes rite contractum; attamen id dumtaxat locum habeat, quum copula intercesserit inter liberum et liberam, non autem ubi alter ex Parentibus matrimonio ligatus foret: tunc enim pro-

[1] Venerabili Fratri Archiepiscopo Sancti Dominici in Insula Hispaniola.

les ante secundas nuptias nata nequaquam fit legitima, quamvis Adulter, post mortem prioris Uxoris, verum, et legitimum cum eius Matre contrahat matrimonium; hac inquam regula semel admissa, evidens est, filium illum praemortuum, qui natus est prima Uxore superstite, legitimum non evasisse per matrimonium cum ipsius Matre contractum, postquam prima Uxor e vivis excesserat.

§ 3. Quod vero ad alterum filium adhuc viventem attinet; si constaret saltem hunc natum esse post mortem primae Uxoris, quam illius Pater habuerat, quamvis, ea superstite conceptus fuisset; in arduam illam controversiam deduceremur, quae inter Doctores, ut nosti, agitatur, an scilicet, pro statuenda prolis legitimatione, eiusdem nativitatis tempus attendi debeat, an praeterea habenda sit ratio temporis eiusdem conceptus; in qua controversia, satis, ut praediximus, ardua, quum inveniantur Textus Textibus contrarii, cumque Doctores Doctoribus, Tribunalia Tribunalibus adversentur; si a Nobis iudicium nostrum in casibus particularibus interponendum foret, non aliter id a Nobis fieret, quam secundum sententiam in Tribunalibus et Curia illius Regionis receptam, in qua esset pronunciandum.

§ 4. Cum vero hactenus, ut scribis, incertum sit, quo tempore filius ille vivens conceptus, quove in lucem editus fuerit, solumque constet de morte prioris Uxoris, et de secundo cum altera Muliere matrimonio: supervacaneum, extraneumque remanet examen praefatae controversiae, an, ad effectum legitimationis prolis, tempus nativitatis dumtaxat, an etiam tempus conceptus attendi debeat. Sed in his facti circumstantiis, quum certum sit matrimonium inter illius Parentes rite contractum, incertum vero tempus, quo filius idem conceptus, et in lucem editus fuit; si nostrum de eo iudicium exquireretur, filium hunc legitimum censeremus, quum Iudex in dubio debeat in bonum et commoda prolis propensus esse.

§ 5. Equidem intelligimus, hanc nostram responsionem neque desiderio tuo, neque praeconceptae opinioni satisfacturam. Non desiderio, inquam; propterea quod utrosque praefatos filios, per subsequutum inter Parentes matrimonium, legitimatos fuisse declarari velles. Neque porro opinioni, quam foves; eo quod existimes filios etiam ex adulterio procreatos legitimari, superveniente matrimonio inter Adulteram et Patrem, Coniuge iam defuncta. Verum aequo animo feras volumus Nos ad haec asseverando reponere, quod filii ante matrimonium nati legitimantur utique per subsequens matrimonium, si tamen ex soluto et soluta fuerint procreati, ut, inhaerendo Canonicis sanctionibus, definitum fuit a Praedecessore nostro Alexandro Papa III, in Cap. *Conquestus, Qui filii sint legitimi.* Secus autem, si iidem filii orti sint ex Patre, qui de eo tempore cum alia Muliere matrimonio coniunctus erat; licet ea postea e vivis sublata, aliam illam duxerit, ex qua prolem susceperat; ut idem Alexander III respondit in Cap. *Tanta, Qui filii sint legitimi;* cuius verba sunt, quae sequuntur. *Tanta est vis matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur. Si autem Vir, vivente Uxore sua, aliam cognoverit, et ex ea prolem susceperit, licet post mortem Uxoris eandem duxerit, nihilominus spurius erit filius, et ab haereditate repellendus; praesertim si in mortem Uxoris prioris alteruter eorum aliquid fuerit machinatus.*

§ 6. Neque vero postremis hisce verbis commoveri debes, ac si ex illis colligi posset, minime ab Alexandro definitum fuisse, quod proles ex adulterio suscepta, per subsequens matrimonium legitimari nequeat; sed illud dumtaxat, quod nempe proles legitima non fiat, si contra vitam prioris Uxoris alteruter ex Parentibus adulteris machinatus fuerit. Etenim animadvertere te oportet verbum illud a Pontifice usurpatum, *praesertim;* quod idem sonat, ac *multo magis;* ita ut vera Decretalis illius sententia sit, quod quum proles ex adulterio suscepta pro spuria perpetuo sit habenda, et ab haereditate repellenda, etiamsi legitimum postea ineatur inter Parentes matrimonium; multo magis id procedet, ubi alteruter in prioris Uxoris mortem fuerit machinatus. Ex quo minime sequitur, quod proles ex adulterio nata, si machinatio absit, legitimetur per subsequens matrimonium; sed palam fit, eiusmodi prolem ex adulterio susceptam, ideoque per subsequens matrimonium neutiquam legitimandam, multo maiori ratione legitimam nunquam fieri, si alter ex Parentibus adulteris contra vitam prioris Uxoris sit machinatus. Qua de re optime opportuneque disserit *Gonzales* in Cap. 6, num. 6. *Qui filii sint legitimi*, per haec verba: *Arguit Alexander III de minori ad maius: Nam si filii spurii non legitimantur per subsequens Parentum matrimonium; multo minus per matrimonium nullum, quale est, quod contrahitur, quum alter ex Coniugibus in necem Coniugis machinatus est.*

§ 7. Sane a te dissimulata non fuit dispositio relatae Decretalis Alexandri III in citat. Cap. *Tanta, Qui filii sint legitimi;* quin immo ultro fateris communem Doctorum opinionem eam esse, quae nuper a Nobis exposita fuit; nimirum prolem ex adulterio progenitam, per subsequens matrimonium nequaquam legitimari. Verumtamen aperte declaras, nullam sententiam, quantumvis communi Canonistarum calculo comprobatam, apud te valere, nisi eadem in Textu Canonico fundata sit, illique innitatur; hanc autem sententiam, de qua agitur, minime dici posse Canonico Textui innixam esse; quoniam, inspecta praecitata Decretali Alexandri III non quidem mutila, atque contracta, prout iacet in nostra Decretalium collectione a Gregorio IX confecta, sed in sua integritate; manifeste, ut putas, agnoscitur, ideo Pontificem illegitimam declarasse prolem illam ex adulterio procreatam, quamvis eius Pater, defuncta priore Uxore, Adulteram sibi matrimonio iunxisset; quia nimirum Alexandri aetate vigebat adhuc ea disciplina, qua interdictum erat Adultero, etiam post mortem prioris Uxoris, matrimonium cum Adultera valide contrahere; et quia, tota Decretali perlecta, perspicuum est, in eo casu, praeter adulterium, adfuisse etiam machinationem Adulterae contra vitam prioris Uxoris. Quibus positis, deinde concludis, quod quum, iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam, Adulterium praecedens non habeatur pro impedimento dirimente matrimonium inter maechum et maecham, nisi coniunctum sit vel cum machinatione, vel cum fide data futuri matrimonii; cumque in proposita facti specie nullum indicium adsit machinationis in prioris Uxoris necem intentatae; nullum propterea adduci valeat obstaculum adversus prolis legitimationem, sequuto iam inter ipsius Parentes legitimo matrimonio; atque adeo tuum illud systema firmiter, ut putas, stabilitur; nimirum, subsequente matrimonio, legitimari prolem etiam ex adulterio susceptam, quoties adulterio

non accedat aut machinatio adversus prioris Coniugis vitam, aut promissio matrimonii post Prioris Coniugis mortem inter Adulteros contrahendi.

§ 8. Profecto, ut ingenue loquamur, Venerabilis Frater, displicet Nobis tua haec ingeniosa ratiocinatio, in qua nescio quid arrogantius et audacius, quam par est, introspicere videmur. Nobis etenim persuasum manet, opiniones Doctorum communes non ita facile parvipendendas esse; idque didicimus ex celeberrimo vestrate Melchiore Cano, qui in suo Tractatu de Locis Theologicis lib. VIII, Cap. 7 ita de communibus Canonistarum sententiis, in his, quae pertinent ad doctrinam Canonum, loquitur: *In huiusmodi Canonum interpretatione Ecclesiae Iudices, et administri concordem omnium Iureconsultorum sententiam amplectuntur. Qui enim in actionibus, vel Iudiciis Ecclesiasticis, suo sensu, et non communi Iurisperitorum omnium duceretur, sine dubio, suo illum iudicio Ecclesia coerceret.*

§ 9. Praeterea minus recte Nobis videris de compilatione Decretalium Gregorii IX iudicare. Non hic agitur de Gratiani Decreto, quod, utpote privata auctoritate confectum, tantam vim habet, quantam Textus in eodem adducti ex se ipsi habere noscuntur. Non agitur de aliqua ex aliis quinque Decretalium Compilationibus, quae Gregorii IX opus praecesserant, et quarum nonnullae a privatis Auctoribus concinnatae fuerunt. Res est de sexta illa compilatione, quam Gregorius Pontifex a Sancto Raymundo de Pennafort adornari iussit, quamque approbatione Pontificia munivit, mandans, ut ea sola deiceps in Tribunalibus, et Scholis deberet usurpari. En illius verba in Praefatione Decretalium: *Volentes igitur, ut hac tantum Compilatione universi utantur in Iudiciis, et in Scholis, districtius prohibemus, ut quis praesumat aliam facere, absque auctoritate Sedis Apostolicae.*

§ 10. Non latuit Gregorium, multa in Decretalibus resecata fuisse ab earum Compilatore, quum idem Pontifex in dicta Praefatione hoc ipsum innuat, iis verbis: *Resecatis superfluis.* Voluit tamen singulis Constitutionibus praefixum manere nomen earum Auctoris. Idem quoque deinceps praestitit Bonifacius VIII in sua Compilatione Libri VI similium Decretalium a Romanis Pontificibus conditarum, quibus, licet multimode, ubi opus fuit, a se immutatis, atque truncatis, nihilominus praefixum reliquit Auctorum nomen; siquidem ipse Bonifacius sic loquitur in Prooemio: *Pluribus plane resecatis, reliquis quibusdam ex eis abbreviatis, aliquibus in toto vel in parte mutatis, multisque correctionibus, detractionibus, et additionibus, prout expedire vidimus, factis in ipsis.* Constat etiam Clementem Papam V pari modo se gessisse, dum suo Clementinarum Libro inseruit Concilii Viennensis Constitutiones, tamquam a se ipso factas in eodem Concilio, quamvis, Synodo peracta, eas resecasset, atque mutasset, uti testatur Ioannes Andreas in Glossa ad Praefationem earundem Clementinarum: *Demum per peritiores fecit illas recenseri, qui aliquas et paucas in totam reservaverunt, aliquas mutaverunt quoad verba, mente servata; in aliquibus menti et verbis detraxerunt, et addiderunt; et has, licet non sub his verbis in Concilio publicatae faissent, voluit sub nomine Concilii reservari.* Quod pariter testatur Bernardus Guidonis, Auctor illius aetatis, in suo Codice manuscripto, qui in Bibliotheca nostra Vaticana asservatur; idemque legitur in duabus Historiis de vita eiusdem Pontificis a Balutio publicatis.

§ 11. Qua in re praedicti Pontifices, Gregorius, Bonifacius, et Clemens, exemplum sequuti sunt Triboniani, aliorumque doctissimorum Iurisconsultorum, qui veteres Leges, Responsa Prudentum, et praecedentium Imperatorum Codices in Corpus Iuris nostri Civilis redigentes, non dubitarunt, quaecumque opus erant, emendare, corrigere, et immutare, et nihilominus Auctorum nomina singulis Responsis et Legibus praefixa reliquerunt; accedente nimirum expressa Iustiniani Imperatoris approbatione; cuius haec verba sunt, in promulgatione Pandectarum, et Codicis, Senatui Populoque Constantinopolitano perscripta: *Tanta autem a Nobis antiquitati habita est reverentia, ut nomina Prudentum taciturnitati tradere nullo modo patiamur; sed unusquisque eorum, qui Auctor Legis fuit, Nostris Digestis inscriptus est, ut si quid Legibus eorum supervacuum, vel imperfectum, aut minus idoneum visum esset, vel adiectionem, vel diminutionem necessariam accipiat.* Et infra: *Nam nomina quidem veteribus servavimus, Legum autem veritatem nostram facimus.* Et alibi: *Nominibus enim Veteribus relictis, quidquid Legum veritati decorum, et necessarium fuit, hoc nostris emendationibus servavimus.*

§ 12. Sic igitur Praedecessor noster Gregorius IX suam confici iussit Decretalium compilationem, qua hodie in Scholis, et in Foro utimur, eamque, abrogatis aliis prioribus, publica auctoritate, et Pontificia confirmatione munivit. Huic collectioni insertam voluit Decretalem Alexandri III, demptis ex ea verbis illis, quibus, ut contendis, indicabatur, matrimonium, de quo ibi agebatur, duplici ex capite irritum et nullum fuisse, nimirum et quia cum Adultera contractum fuerat, et quia machinatio in necem prioris Uxoris praecesserat. Retulit vero alia verba, ex quibus, ut iacent, consideratis, eruitur sententia superius a Nobis exposita, quod nempe proles ex adulterio procreata neutiquam legitimatur per subsequens matrimonium, post mortem prioris Uxoris, cum Adultera contractum. Non tamen ex ea Decretali nomen Alexandri III delevit. Omnia haec pro concessis interim habeto. Verum his positis, quidnam inde pro sententia tua erui posse putas? Potuit Gregorius ita se gerere, immo non aliter debuit facere, quam fecit. In animo illi erat locum dare in nova Compilatione Decretali Innocentii III, quae incipit *Significasti*, quaeque legitur sub Titulo *De eo, qui duxit in matrimonium, etc.* In hac Decretali Innocentii III, quae posterior est alia ab Alexandro III condita, manifeste definitur (quod et ipse agnoscis), matrimonium inter Adulterum et Adulteram consistere posse, nisi machinatio saepedicta, aut promissio futuri matrimonii praecesserit: *Discretioni vestrae*, Innocentius ait, *per Apostolica scripta mandamus, quatenus, nisi alter eorum in mortem defunctae Uxoris fuerit machinatus, vel, ea vivente, sibi fidem dederint de matrimonio contrahendo, matrimonium illud legitimum iudices.* Quum autem Gregorius collocare vellet in sua Collectione tum Decretalem hanc Innocentii III, tum alteram Alexandri III, plane vides, necesse illi fuisse abiicere ab hac Alexandrina Decretali verba illa, quae, tuo iudicio, nullitatem matrimonii inter Adulterum et Adulteram statuebant.

§ 13. Nunc igitur, bona fide disserendo, iterum quaerimus: quid tandem illud est, quod contendis? Filios ne illos, de quibus agitur, legitimos esse; propterea quod, iuxta Decretalem integram Alexandri III pro legitimis habendi essent? At nihilominus illegitimi sunt, quia tales ab Innocentio III et Gre-

gorio IX declarantur, et quia, malo ipsorum fato, nonnullis iam saeculis post horum Pontificum mortem in lucem sunt editi. An manifestum fieri cupis, te scientiam Sacrorum Canonum funditus callere, neque contentum esse his, quae in Gregoriana compilatione leguntur, sed altius ab ipsis fontibus doctrinam tuam repetere? Nihil tibi controversiae nobiscum de hoc erit, Venerabilis Frater. Diligentiam potius tuam commendamus, studium laudamus: nemo tibi succensere poterit, quod integram Decretalem inspicere velis, ubi in aliquam incurreris, quae in Gregoriana Compilatione deprehenditur decurtata. Verumtamen memineris, laudandam quidem illius diligentiam esse, qui Decretalem integram consulit, ut eam, quae integra non est, perfectius intelligat; quemadmodum optime advertit clarissimus Antonius Augustinus in sua Praefatione Gregorio XIII Pontifici Maximo inscripta, quam praemisit Volumini quatuor priorum Compilationum Literarum Decretalium, quas ipse edidit; quibusque deinceps quintam adiecit Innocentius Cironius: Sed neque probandum scito, neque ferendum, quod quis ad integram Decretalem confugiat, ubi perspicua, et dilucida est illa, quae aliquo modo mutilata fuit; et si quid huic deesse dignoscitur, id eo iubente ac volente detractum fuit, qui suprema ad hunc effectum pollebat auctoritate; eaque de causa detractum, ut disciplina, quam ipse Legislator servari voluit, in tuto poneretur; neve turbari illam, et nutare contingeret, si tota Decretalis novae Compilationi inserta fuisset.

§ 14. Hucusque disseruimus, tuum tibi permittentes assertum, quo pro certo ponis, aliquod interesse discrimen inter Decretalem integram Alexandri III, aliamque contractam; et quidem in integra Decretali nullum declarari matrimonium ibi relatum, ex duplici capite; tum scilicet, quia inter Adulteros, defuncta Uxore legitima, contractum fuerat; tum quia machinatio accesserat in vitam prioris Uxoris; et ex utroque praefato capite simul considerato, prolem illegitimam censeri: Mutilam vero Decretalem validum admittere matrimonium cum Adultera contractum post mortem prioris Uxoris, et tunc solum huiusmodi matrimonium nullum in ea statui, quando machinatio intervenerit; sed prolem nihilominum illegitimam declarari tam in uno, quam in altero casu, etiam seorsim sumptis; tam scilicet ex causa simplicis Adulterii, ex quo eadem proles progenita fuerit; quam ex causa praecedentis Parentum machinationis in necem legitimae Uxoris. Haec, inquam, tibi hactenus concessa voluimus. Nunc vero tandem aggredimur demonstrare, Decretalem tam integram, quam minus integram, sibimetipsi perfecte constare, eandemque prorsus esse utriusque sententiam.

§ 15. Integra Decretalis, quae refertur Tom. VI, part. 2 *Conciliorum* Collectionis Harduini pag. 1819 ita se habet: *Meminimus Nos Fraternitati Tuae, super causa, quae inter P. et R. de quadam haereditate vertitur, quod idem P. nomine Sybillae Uxoris suae petebat, tali modo scripsisse; ut si constaret, prout Literae tuae continebant, inter R. Patrem et Matrem, post eius nativitatem, matrimonium fuisse contractum, eam, omni appellatione remota, legitimum esse denunties, et ab haereditate paterna propter causam praedictam nullatenus debere repelli. Tanta est enim vis matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium habeantur legitimi.*

Hic statuit integra Decretalis, quod filii nati extra matrimonium, ex soluta, accedente postea matrimonio inter ipsorum Parentes, legitimi fiunt. Nec aliud porro statuitur in Decretali minus integra, quae sic incipit: *Tanta est vis matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur.*

§ 16. Progreditur integra Decretalis, et casum ponit, quo aliquis Uxoratus adulterium admittit, et filium ex eo habet, Adultera vero machinatur in vitam legitimae Coniugis; et, hac demum defuncta, matrimonium inter Adulteros contrahitur: *Verum quoniam P., ultra quam in Literis tuis continetur, Nobis significavit, quod Pater suus, vivente Uxore, Matrem R. tenebat, et eam in adulterio procreasset, et quod in mortem ipsius Uxoris Mater fuerit machinata.* Hic vero Pontifex declarat, quod in huiusmodi facti circumstantiis, dummodo probationes legitimae suppetant, filius censendus erit spurius, praesertim si machinatio Matris in vitam prioris Uxoris praecesserit: *Fraternitati tuae etc. quatenus rei veritatem inquiras, et si tibi constiterit, quod, vivente Uxore, Pater praedicti R. Matre ipsius publice abusus fuisset, eum spurium, et ab haereditate repellendum, praesertim si Mater ipsius in mortem prioris Uxoris fuerit machinata, decernas, quoniam inter se legitimum matrimonium contrahere non potuerunt.*

Hunc ipsum casum expendit Decretalis minus integra, et eandem omnino definitionem pronunciat; spuriam scilicet esse prolem ex adulterio progenitam, quamvis matrimonium, Uxore defuncta, inter Adulterum et Adulteram contrahatur, praesertim si aut haec, aut ille machinatus fuerit adversus vitam prioris Uxoris: *Si autem Vir, vivente Uxore sua, aliam cognoverit, et ex ea prolem susceperit, licet post mortem Uxoris eandem duxerit, nihilominus spurius erit filius, et ab haereditate repellendus; praesertim si in mortem prioris Uxoris alteruter eorum aliquid fuerit machinatus.*

§ 17. Integra Decretalis, dum de adulterio loquitur, nihil aliud addit, quam vocem *publice*, quae ad criminis probationem refertur, nec ullatenus sensum immutat circa id, de quo nunc inquiritur. Quod ad machinationem attinet, integra Decretalis hanc ponit ab Adultera fuisse intentatam; at minus integra eandem machinationem considerat, sive ab Adultera, sive ab Adultero processerit. Sed neque istud ad praesentem quaestionem facit. At vero tam integra, quam minus integra Decretalis, in eo conveniunt, quod utraque declarat prolem ex adulterio procreatam, spuriam esse, nec legitimari, quamvis accedente matrimonio inter Adulteros, post mortem legitimae Uxoris. In utraque autem, quum de machinatione agitur, verbum illud adest, *praesertim*, de quo supra dicebamus. Dumque in his adamussim inter se conveniunt, frustra exaggeratur praetensa inter integram, et minus integram Decretalem discordia.

§ 18. Verum iam Fraternitati Tuae in mentem venisse suspicamur, inconsulto a Nobis silentio praeterita fuisse verba illa, quae ad eam, quam agitamus, controversiam plus habent ponderis; et quae in integra Decretali sunt, sed in altera minus integra desiderantur. Sic enim concluditur integra Decretalis (quemadmodum superius fideliter exposuimus): *Quoniam inter se legitimum Matrimonium contrahere non potuerunt:* Quae quidem verba in Gre-

goriana Compilatione non sunt relata. Haec autem pro argumento tibi facile erunt, ut asseras, Alexandrum III declarasse, Matrimonium inter Adulterum, et Adulteram suapte natura nullum et irritum esse, ob idque illegitimam esse prolem ex adulterio susceptam. Atque in hoc manifestissima, te iudice, est discrepantia inter Decretalem integram, et mutilatam; dum haec validum admittit Matrimonium inter Adulteros contractum, at nihilominus eorum prolem spuriam declarat, neque per subsequens matrimonium ullo modo legitimandam.

§ 19. Plane si ita tecum reputares, Vener. Frater, non aequum de Nobis iudicium ferres. Nos enim praemissa Decretalis verba exacte referre, eaque iusta lance pensare nequaquam omisimus. Verum id, quod ex iisdem inferendum esse autumas, Nos inde colligi posse non arbitramur.

Etenim verba illa: *Quoniam inter se matrimonium contrahere non potuerunt:* connexa immediate sunt cum aliis: *praesertim si mater ipsius in mortem prioris Uxoris fuerit machinata.* Ac proinde (ex regula, Iurisperitorum, iuxta quam *relatio fit ad proxima*) declaratio nullitatis matrimonii non quidem in praecedenti adulterio fundatur, sed in machinatione adversus vitam legitimae Uxoris; circa quam nulla inter Nos, neque etiam inter alios est controversia.

§ 20. Praeterea concedatur etiam, verba illa: *Quoniam inter se legitimum matrimonium contrahere non potuerunt,* non tantum ad machinationem paulo ante enunciatam referri, sed ad totum id, quod in integra Decretali expositum fuit. Porro in integro Decretalis contextu agitur de matrimonio post prioris Uxoris mortem, non solum inter Adulteros, sed etiam praevia machinatione in prioris Uxoris mortem, contracto: *Nobis significaverit, quod Pater suus, vivente Uxore, Matrem R. tenebat, et eum in adulterio procreasset, et quod in mortem ipsius Uxoris Mater fuerit machinata.* En duas relati matrimonii circumstantias simul unitas; ex quo sequitur, quod quamvis ea verba: *Quoniam inter se matrimonium contrahere non potuerunt,* referri debeant ad totam facti speciem cum suis circumstantiis in Decretali expressis; nunquam inde inferre poteris, quod integra Decretalis pro nullo habeat quodlibet matrimonium inter Moechos contractum post obitum legitimae Uxoris; sed illud dumtaxat, quod ibi expenditur, nullum iudicatum fuisse, quia ei praecesserat machinatio in prioris Coniugis necem. Nobis autem integrum erit asserere, quod, licet validum ineatur matrimonium inter Adulteros, deficiente machinatione, aliisque circumstantiis de Iure Canonico illud irritantibus, attamen proles tempore adulterii habita, illegitima semper erit ad normam etiam Decretalis non mutilatae, quae ita statuit: *Et si tibi constiterit, quod vivente Uxore, Pater praedicti R. Matre ipsius publice abusus fuisset, eum spurium, et ab haereditate repellendum, praesertim si Mater ipsius in mortem prioris Uxoris fuerit machinata, decernas.*

§ 21. Sed quamquam destitutum te videas validissimo praesidio, quod ad sententiam tuam sustinendam, in integra Alexandrina Decretali constitueras; attamen, pro ea, qua polles, eruditionis Ecclesiasticae copia, in aliud te recipies propugnaculum, asseverans, matrimonium inter Adulterum et Adulteram, post mortem prioris Uxoris, contractum, iuxta veterem disciplinam, pro nullo

habitum esse; tum adhuc aetate Alexandri III huiusmodi disciplinam viguisse; ac demum immutatam esse temporibus Innocentii III, cuius Decreto, ad irritandum matrimonium inter Adulteros, praeter adulterii crimen, requiri coepit aut machinatio in mortem legitimi Coniugis, aut promissio nuptiarum, post prioris matrimonii solutionem, inter Adulteros contrahendarum.

§ 22. Non adeo tempore abundamus et otio, ut Canonicam Dissertationem super hac quaestione contexere valeamus. Nihilominus pauca quaedam observare studebimus, quibus satis superque tua refellatur assertio. Sane ei obstat S. Augustini testimonium, relatum Canone *Denique 31,* quaest. 1, in quo sic legitur: *Denique mortuo Viro, cum quo verum connubium fuit, fieri potest coniugium, cum quo praecessit adulterium.* Profecto non ignoramus, Iacobum Cuiacium asserere in cap. 1, *De eo, qui duxit in matrimonium, etc.*, quod ibi legendum sit: *Marito mortuo, cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium non potest, cum quo prius adulterium fuit.* Sed exploratum quoque habemus, in pluribus Vaticanis Codicibus particulam illam *non* in Augustino deesse, sicut deest in praedicto Canone *Denique,* quod etiam ii animadverterunt, qui Gratiani Opus, iussu Gregorii Papae XIII recensuerunt et emendarunt, ut videre est in Gratiani Decreto ipsorum opera edito. Genuinam huiusce loci controversi lectionem procul dubio Fraternitas Tua, pro sua eruditione, petendam existimabit ex editione Operum Sancti Augustini, quae studio Monachorum Sancti Mauri, in Gallia prodiit. Sancti Doctoris locus in Canone relatus, habetur Libro 1, *de Nuptiis, et concupiscentia,* cap. 10, isque in editione Maurina legitur Tomo 10, pag. 286 hisce verbis: *Denique mortuo Viro, cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium potest, cum quo prius adulterium fuit.* Ab hac igitur accurata Editione abest particula *non;* quae quidem in nulla alia appareret, si seriem Contextus Editores prae oculis habuissent. Augustinus enim, mox ante verba, de quibus disputatur, probandum sibi proposuerat (uti revera probat) non solvi matrimonium, quod indissolubile est inter viventes, si Uxor Maritum deserat, et ad alterius contubernium migret: idque confirmando, subdit, quod contubernium illud pro adulterio haberi non posset, si primum legitimum matrimonium dissolutum fuisset: *Cum aliis quippe adulteri non essent, nisi ad alterutrum Coniuges permanerent.* Hoc posito, quisnam bona fide legendum putabit: *fieri verum connubium non potest?* ubi orationis scopus is esse conspicitur, ut, demonstrato fine durationis matrimonii: *Denique mortuo Viro, cum quo verum connubium fuit;* finis etiam adulterii, et initium novi legitimi matrimonii statuatur; *fieri verum connubium potest, cum quo prius adulterium fuit.*

§ 23. Ne vero a Nobis expectes plenam hoc loco proferri historiam disciplinae, quae super hac re sequentibus saeculis in Ecclesia obtinuit. Huiusmodi inquisitio nimis profecto excederet Epistolae modum. Verum quia tibi persuasum esse videmus, quod ipsa aetate Alexandri III nulla censerentur matrimonia, quae inter Adulteros quomodocumque fierent, satis erit intra illius aetatis terminos inquisitionem hanc nostram coarctare.

§ 24. Non longe quidem ab Alexandri III aetate, ut optime nosti, distat Gratianus Decreti compilator, qui ante Alexandri Pontificatum paucis omnino annis

suum illud Opus vulgavit. Is hanc eandem controversiam tractat in *Causa 31*, quaest. 1, et pro utraque sententia, ut solet, Textus discordantes adducit. Cum vero Canonem attulisset cuiusdam Concilii, quo statuitur, ne quis, moriente Marito Mulieris, quam adulterio polluit, cum ea matrimonio coniungatur; hunc Textum cum aliis ibi relatis, atque contrarium statuentibus, ita conciliat: *Hic subaudiendum est, nisi prius peracta poenitentia, et, si nihil in mortem Viri machinatus fuerit; vel si vivente Viro, fidem Adulterae non dedit, se sumpturum eam sibi in coniugem, si viro eius superviveret.* Verum Gratianus, inquies, non habet auctoritatem, qualem Textus Canonici habere noscuntur. Neque id negamus. At gravis est Auctor, et Canonum valde peritus; neque ipse ea scripsisset, quae modo retulimus, si aetate illa (quam diximus in tempora Alexandri fere incidisse) locum obtinuisset disciplina, seu lex, vigore cuius, ob solum praecedens adulterium, irritum haberetur matrimonium, post mortem legitimi Coniugis, inter Adulteros contractum.

§ 25. Similiter inter Alexandrum III, et Innocentium III Pontifices, vix quadraginta annorum spatium intercedit; quum Alexander ad Pontificatum evectus sit anno Domini MCLIX, Innocentius vero anno MCXCVIII. Hic autem, ut supra innuimus, in citat. Cap. *Significasti, De eo, qui duxit in matrimonium, etc.* pronunciat, validum et legitimum existere matrimonium inter Adulterum, et Adulteram, post prioris Uxoris mortem: *Nisi alter eorum in mortem defunctae Uxoris fuerit machinatus, vel, ea vivente, sibi fidem dederint de matrimonio contrahendo;* quod etiam ipse concedis, dum affirmas Innocentium III novam hanc disciplinam in Ecclesiam invexisse. Sed cum Innocentius nequaquam dicat, se novam per hoc disciplinam inducere; quin immo, ad quaestionem sibi propositam ab Episcopo, sive a Capitulo Spoletano, profiteatur se responsurum iuxta Canonum praescripta: *Nos igitur inquisitioni vestrae secundum formam Canonicam respondentes, etc.* evidens est, iam pridem, et ante tempora etiam Alexandri III validum habitum fuisse matrimonium, quod inter Moechum et Moecham, legitimis nuptiis solutis, et praedictis irritantibus circumstantiis non concurrentibus, contrahebatur. Equidem in Compilatione Decretalium Gregorii IX minime reperies relata verba: *Nos igitur inquisitioni vestrae secundum formam Canonicam respondentes;* sed earum loco, haec alia leges: *Nos igitur inquisitioni vestrae taliter respondentes etc.* Verum, quoniam res Nobis erat cum eo Canonum Doctore, qui vulgata Decretalium compilatione neutiquam contentus, integram Decretalem consulere mavult; eadem ratione Nobis agendum esse iudicavimus. Itaque etsi praedicta verba: *secundum formam Canonicam,* in Decretali minus integra desiderentur; leguntur tamen in integra Decretali; qua Nos quidem minime abutimur, dum eam ad Decretalis minus integrae sensum non corrumpendum, sed illustrandum advocamus.

§ 26. Esto, inquies, quod ad Innocentium III attinet. Sed nonne immediatus istius Praedecessor Caelestinus III in Cap. *Cum haberet, De eo, qui duxit, etc.*, nulla declaravit matrimonia inter Adulteros, post prioris Coniugis mortem contracta, etiam non interveniente machinatione, aut sponsione futuri matrimonii?

§ 27. At vide ne forte, in hac Decretali pro te alleganda, hallucineris. Quidam Ioannes Uxorem legitimam habebat, Allitiam nomine, ipsique simul

adulterii consuetudo cum famula intercedebat. Quum vero semel Superioris Ecclesiastici praecepto adactus Adulteram dimisisset, postea tamen in idem relabens scelus, ausus est, vivente adhuc prima Uxore, reverti ad famulae contubernium, in eoque *quasi matrimonialiter* per decennium perseverare, unde et decem filios ex ea procreavit. Defuncta demum Uxore, quum consuleretur Pontifex (quem aliqui non Caelestinum, sed Clementem III huius Decessorem fuisse autumant) quidnam statuendum esset de huiusmodi Adulteris, qui in eadem prava consuetudine adhuc perseverabant, tale dedit responsum: *Ut separentur omnino, et eis competenti poenitentia iniuncta, perpetua continentia indicatur;* habita potissimum ratione ipsorum pervicaciae, gravisque scandali, quo Ecclesiam perturbaverant.

§ 28. Ex ipsa simplici hac rei narratione, facile agnosces, non ibi quaestionem fuisse de validitate aut nullitate matrimonii, post mortem prioris Uxoris, inter Adulteros contrahendi, sed de poenitentia Canonica adversus gravissimum crimen irroganda: quae quidem huiusmodi fuit, ut non modo ipsis Adulteris prohibitum fuerit matrimonio invicem copulari; sed etiam cum alia qualibet persona matrimonium contrahere: *praesertim cum in dies suos ambo processerint, et iamdiu publice in adulterio, et periurio, ex certa scientia perdurantes, Ecclesiam in gravi scandalo perturbaverint,* ut eadem Decretalis prosequitur.

§ 29. De validitate quidem matrimonii inter Adulterum et Adulteram, ex instituto agit Alexander III in Epistola sua Decretali, quae tamen nostris Compilationibus inserta non est, sed reperitur in Actis Conciliorum Collectionis Harduini praefatae, Tom. VI, part. 2, pag. 1838, ea vero sic habet: *Ex praesentium latoris confessione percepimus, quod cum ipse quamdam alterius Uxorem in adulterio polluisset, poenitentiam inde suscepit. Sed postea in eandem incidit, Diabolo instigante, reatum; ac eandem Mulierem, Viro defuncto, sibi in Matrimonium copulavit, eamque asserit in praesenti pro Coniuge retinere.*

§ 30. Super his autem quum Alexandri iudicium requireretur, respondit, non (quod tu quidem velles) matrimonium, ratione adulterii, invalidum fuisse, sed nullitati obnoxium fore, si machinatio, aut promissio nuptiarum intervenisset. *Verum quoniam Nos de salute Animarum ipsorum sollicite compellimur in Domino cogitare, Fraternitati Tuae etc. quatenus rem ipsam diligenter inquiras, et si tibi constiterit, quod ille, vel illa, in mortem prioris Viri fuerit machinatus, vel si, eo vivente, fidem ipsi Mulieri dederit, se eam in Coniugem recepturum, eos non differas penitus separari.*

§ 31. Neque hic sistit Alexander, quin etiam dicere non omittit, quid iuris esset, si solum adulterium praecessisset. Tunc enim nequaquam matrimonium irritum fore declarat (quod utique non taceret, si huiusmodi disciplina eo tempore viguisset; quemadmodum supra de eo matrimonio pronunciaverat, in quo ad crimen adulterii accessisset machinatio, aut promissio futuri coniugii); sed iubet procedi in causa secundum Canonicas regulas: *Quod si neutrum istorum constiterit, in causa ipsa iuxta Ecclesiasticam consuetudinem, et Canonica statuta procedas.* Si autem quaesieris quidnam hac de re consuetudo Ecclesiastica, et Canonica statuta decernerent; respondemus, satis pro-

babile videri, respexisse Alexandrum ad Concilii Toletani VI, anno sexcentesimo trigesimo octavo celebrati, constitutum, quod extat Can. *De his* 33, quaest. 2, et in quo praescribitur methodus cum iis servanda, qui post poenitentiam publicam peractam, in idem reciderent crimen, pro quo subiecti fuerant poenitentiae. Canonem hunc, quum tibi vacaverit, legere poteris, atque perpendere; sed frustra in illo quaeras nullitatem matrimonii inter Adulteros ipso iure statutam; deficientibus aliis irritantibus circumstantiis, a Nobis pluries memoratis.

§ 32. Attamen, quod ibi statutum non reperitur, alibi te sine ullo labore invenisse affirmabis, in nostra nempe Collectione Gregoriana sub Titulo superius allato, *De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium*, Cap. *Propositum*, quod est ipsius Alexandri III, ubi sic legitur: *Licet autem in Canonibus habeatur, ut nullus copulet in matrimonio, quam prius polluerat adulterio, et illam maxime, cui fidem dederat, Uxore sua vivente, vel quae machinata est in mortem Uxoris*, et quidem validum tibi argumentum dices suppetere in ea voce *maxime*, qua indicari videtur nullitas matrimonii inter Adulterum et Adulteram, (de quo Pontifex in superioribus locutus erat), etiam non concurrente machinatione, nec data fide futuri matrimonii.

§ 33. Forte putabis, Nos, adversus haec responsionem nostram comparantes, grammaticalem controversiam tecum agitare velle de significatione illius verbi *maxime*; eaque de re a Nobis consultum iri libros veterum Canonistarum, praesertim Abbatis, qui in citat. Cap. *Propositum* audacter sustinet vocem illam *maxime*, in relato Textu, aequipollere adverbio *solum*. Verum si ita de Nobis opinatus fueris, haud aegre feras Nos tibi respondere, non satis tibi notum esse morem, animumque Nostrum; Nos enim in veritatis inquisitione, nequaquam huiusmodi nugis, levibusque fundamentis innitimur, et quaestiones inutiles prorsus aversamur.

§ 34. Itaque respondemus, veram Alexandri Pontificis mentem, circa ea, de quibus nunc agimus, minime eruendam esse ex aliquibus verbis, quae ipsi excidere potuerunt, dum aliam omnino quaestionem definiret. Sed videndum esse potissimum, quid ipse scripserit, quum data opera eam pertractaret quaestionem, quam prae manibus habemus. Porro Alexander in citat. Cap. *Propositum* respondet Abbati Sancti Albani, qui ab ipso quaesierat, quidnam statuendum esset de quodam homine, qui, vivente Uxore sua, alteram sibi matrimonio copulaverat, insciam coniugii quo is adstrictus erat, et filios ex altera illa procreaverat; Uxore vero defuncta, renuebat cum praedicta Muliere permanere, sub obtentu, quod invalidum cum ipsa matrimonium contraxerat, legitima Uxore adhuc superstite. Pontifex ergo quum eam circumstantiam magni aestimaret, quod scilicet *praefata Mulier erat inscia quod ille aliam Uxorem haberet viventem*, nec aequum censeret, praedictum Virum, qui scienter contra Canones venerat, lucrum de suo dolo reportare, statuit, ut, si quidem ipsa Mulier id postularet, divortium inter eos fieret; non vero, si, volente Muliere in huiusmodi connubio perseverare, Vir peteret ab ea separari.

§ 35. Questionem hanc definiendam sumpsit Alexander in citat. Cap. *Propositum*; atque ita definivit, ut praecipuam aequitatis, prudentiaeque

rationem ab illo habitam esse dignoscatur; eaque definitio unice est attendenda. Si autem, dum Legislator de principali argumento verba facit, quidpiam ab ipso extraneum minus recte dictum esse comperiatur, minime debet enunciatio haud satis accurata aut Legislatori vitio verti, aut in veritatis praeiudicium trahi; neque potest pro regula iuris id accipi, quod sic ab eodem Legislatore, veluti praetereundo, dictum fuisse apparet; praesertim quum ipse, opportuniore occasione oblata, iudicium suum super eadem re aperte declaraverit.

§ 36. Nos autem in hoc praecise casu versamur. Idem nimirum Alexander, cui in citat. Cap. *Propositum*, ea verba exciderunt, quibus, ut tibi visum est, negavit, validum matrimonium esse posse inter Adulteros, defuncto legitimo Coniuge, etiam absque aliis irritantibus circumstantiis; Idem, inquam, in alia sua Decretali, quam ex Collectione Conciliorum Harduini supra retulimus, quum directe ab eo quaereretur, an nullum censendum foret huiusmodi Matrimonium, nullum illud esse respondit, si machinatio, aut nuptiarum promissio intervenerint. Isque Pontifex hoc ipsum firmat in Cap. *Super eo, De eo, qui duxit in matrimonium, etc.* ubi sic habet: *Super eo vero, quod de latore praesentium tuis Literis quaesivisti; an liceat cum ea sibi matrimonium contrahere, quam, alia sua Uxore vivente, sibi de facto matrimonio copulavit: tuae sollicitudini duximus respondendum, quod si Adultera est in mortem alterius aliquid machinata, sive iste fidem dederit, quod eadem defuncta, hanc esset ducturus, secundum Canones ab eius consortio perpetuo prohibetur; et haec prohibitio perpetuo est observanda.* Quibus verbis, *perpetuo prohibetur*, et *prohibitio perpetuo est observanda*, pro ea, qua polles, Canonum scientia, plane intelligis, impedimentum designari, quod a Doctoribus dirimens appellatur, illudque, per huius Decretalis contextum, ad casum praecedentis machinationis, aut pacti connubii coarctari.

§ 37. Superest nunc, ut, licet prolixior iam haec Epistola evaserit, quam Nobis initio propositum fuerat, aliqua tamen addamus, quae adhuc legere non graveris, quemadmodum praemissis hucusque animum patienter adhibuisti. Nec enim, levioribus praetermissis, quidquam a Nobis praeteriri decet ex his, quae in Literis Fraternitatis Tuae gravioris sunt ponderis, et momenti.

§ 38. Legitimationem Prolis ex Soluto et Soluta procreatae, quae fit per subsequens matrimonium, ex Sacramenti virtute derivandam esse putas, eodem Alexandro III auctore, qui ait: *Tanta est enim vis Sacramenti, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium habeantur legitimi.* Unde arguis, quod, si isti ex vi Sacramenti legitimantur, nihil obstat, quominus filii pariter ex adulterio suscepti, tanti Sacramenti virtute, legitimi evadant.

§ 39. Verum ubi a te legitur: *Tanta est vis Sacramenti*, Nos legimus: *Tanta est vis Matrimonii*, quemadmodum scriptum est in Decretali Alexandri III Cap. *Tanta, Qui filii sint legitimi.* Quod si ad integram Decretalem, quae apud Harduinum est, de more provoces, rogamus, ne te pigeat in marginem quoque oculos coniicere; ibi enim, loco verbi *Sacramenti*, adnotatum reperies aliud *Matrimonii*. Nec aliter profecto res se habere poterat. Vis enim ac dignitas Matrimonii, qua Sacramentum est, in eo est posita, quod gratiam sanctificantem confert, quod unionem hypostaticam Verbi

Divini cum humana natura repraesentat, itidemque illam, qua Christus cum Ecclesia per gratiam coniungitur; non autem in eo sita est, quod spuriam prolem legitimam efficiat. Neque enim hanc efficaciam Iesus Christus tribuit Matrimonio, quum illud ad dignitatem Sacramenti novae Legis evexit; sed id ab Ecclesia institutum est, cui placuit, pro auctoritate sibi concessa, statuere, ut proles extra matrimonium, non tamen ex adulterio, procreata, per subsequens matrimonium legitima fieret.

§ 40. Denique addis, magis abominatam Canonicis Legibus esse prolem incestuosam, quam sit proles adulterina; ideoque, quum illa interdum legitima fiat, hanc etiam pari aut maiori ratione legitimari posse. Porro legitimatur proles incestuosa, ope dispensationis, quae dicitur *in radice Matrimonii.* Ut autem obtineatur huiusmodi Dispensatio, quae non sine urgentissima causa concedi consuevit, requiritur quod proles nata sit ex copula non manifeste fornicaria, sed putative matrimoniali, quodque impedimentum, quo matrimonii nullitas inducta est, non a iure Divino, aut naturali, sed a iure dumtaxat Ecclesiastico proveniat. Sicque, et non aliter, legitimatur proles incestuosa, vigore dispensationis, quae dicitur *in radice Matrimonii.* Tuum modo est huiusmodi circumstantias aptare ad legitimationem prolis ex adulterio genitae; quod sane opus ingenii Nostri tenuitatem excedere fatemur.

§ 41. Hactenus Fraternitati Tuae satisfacere studuimus, quoad Nobis licuit per angustias temporis, ut plurimum somno detracti; meram gerentes in hac Epistola, ut initio dicebamus, privati Doctoris personam. Nunc demum Epistolae Nostrae finem facientes, Supremi Pastoris partes resumimus, ut Apostolicam tibi Benedictionem impertiamur; utque praeterea te admoneamus, quod, quum ea, quae ad Nos scripsisti, a Iusto Henningio Boëhmero (quantumvis nullam de eo mentionem feceris) sis mutuatus, eaque descripseris ex eius Opere de Iure Ecclesiastico Protestantium Tom. I, pag. 287 et sequentibus, iuxta tertiam Editionem anno 1730 Typis impressam; sicuti laudabilis foret industria tua, si eo auctore usus esses ad venerabiles Ecclesiae Catholicae doctrinas illustrandas, aut si ipsum in iis, in quibus Nobis adversatur, confutare aggressus esses; ita reprehensioni te obnoxium fecisti, dum illius Opus perlegere, atque etiam tacitus transcribere ausus es, ut ad impugnandas Canonicae Iurisprudentiae sententias inter Orthodoxos communiter receptas, instructior accederes. At ne forte paterni huius moniti libertatem in malam partem accipias, Tibi persuasum volumus, non minus sincero charitatis affectu Nos te complecti, ac Fraternitati Tuae fausta omnia ex animo adprecari.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 452-464].

351.

Benedictus XIV, ep. *Redditae Nobis fuerunt*, 19 dec. 1744.[1]

Redditae Nobis fuerunt eodem tempore duae Fraternitatis Tuae epistolae, prima quidem die decima mensis Ianuarii elapsi anni 1743, qua gratiarum actionem Nobis, quod Tibi Episcopatum Pekinensem in Sinis contulerimus, referre studes; altera vero die quinta mensis itidem Ianuarii currentis anni 1744 data, qua dolens quereris, Te apud Nos tamquam debitae Apostolicis Constitutionibus ac Decretis obedientiae reum fuisse peraetum. Una insimul cum hisce Epistolis tuis accepimus pariter sollennem iurisiurandi a Te in Episcopali tua inauguratione delati, iuxta formam, ac tenorem Tibi praescriptum in ipsis Nostris tuae ad Episcopatum promotionis literis in simili forma Brevis expeditis, Actum; necnon duo alia a Te seorsim praescripta testimonia, alterum quidem de iureiurando super Apostolicae Constitutionis, quae incipit *Ex illa die*,[2] alterum vero de iureiurando etiam super alterius Apostolicae Constitutionis, quae incipit *Ex quo*,[3] observantia, praestitis. Hisce omnibus coniuncta erant nonnulla etiam praescripta Missionariorum testimonia, qui te studiosum zelantemque super observantia memoratae Apostolicae Constitutionis *Ex illa die*, esse testabantur, quemadmodum tu ipse Sacramento contestaris.

§ 1. Sed Fraternitati Tuae etc. *et infra*: id unum in animo semper fixum permaneat, tam apud Nos ipsos, quam apud Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales negotiis et consultationibus quarumcumque Congregationum Apostolicae huius Sanctae Sedis praepositos, plurimum valere hoc unicum et maximum, ad accusationum veritatem falsitatemve diiudicandam comprobandamque, argumentum, novam scilicet post criminum delationes initam agendi rationem. Quamobrem adesto animis, et enitere, ut quemadmodum Tu spopondisti, et Nos de Fraternitate Tua nobis pollicemur, ita deinceps Te in omnibus rebus geras, ut tuam erga Apostolicas Constitutiones, atque eas praesertim, de quibus agitur, obedientiam, reverentiam, zelumque non solum Nobis, sed universis etiam, probare et reipsa commonstrare ex animo satagas. Hinc enim fore confidimus, ut falsitatis redarguantur accusationes de gestarum rerum ratione a Te hactenus habita instructae.

§ 2. Porro, ut caeteris in tuis Literis a Te propositis satisfaciamus: asseris quidem, quod cum per quatuordecim annos operam laboresque tuos in Sacris Missionibus antea peragendis impenderis, atque adeo optime noveris istarum partium ac populorum ingenia, ac et rerum vices, contestari prae caeteris possis, praesentia certe tempora exposcere, non angustiari vasa carnis, sed dilatari spatia caritatis, ac propterea melius fuisse consultum, res omnes

[1] Venerabili Fratri Polycarpo Episcopo Pekinensi in Sinis.
[2] Cf. N. 275
[3] Cf. N. 329.

in eodem, quo reperiebantur, statu relinquere, cum in praesentia omnis spes de exigenda a Christifidelibus istarum partium debita Apostolicis Constitutionibus obedientia penitus praecisa videatur: Apostolica namque Sacrosanctum Iesu Christi Evangelium praedicandi libertas, non tam impedita, quam certe sublata est; quippe quod Christifideles per vim metumque ad Idolorum templa trahuntur; unde timendum est, ne proximum immineat Sacris Missionibus excidium. Nec Fraternitati Tuae, nec aliis in Vinea Dei adlaborantibus, insunt vires, quibus per vim etiam Christifideles, ut vestris mandatis ea, qua par est, reverentia obediant, cogi possint. Tartari pariter, et ipsi Fideles, tam intra Pekini moenia, quam in suburbiis, sub gravi durae servitutis iugo degentes, omni procul dubio antiquis indulgentiis permissionibusque per abusum inhaerentes, ne a Dominis ad Imperatorem deferantur, Apostolicarum Constitutionum observantiam periculis ac tormentis posthabebunt; quamvis Fraternitas tua aliique Missionarii per pastorales exhortationes monere obtestarique minime omittant.

§ 3. At liceat ut Fraternitati Tuae replicemus, post susceptum consilium onusque per tot annos retinendi servarique faciendi Patrios Sinarum Ritus, priscasque caeremonias, propositis tot tantisque in varias partes trahentibus dubiis et disputationibus, post diuturnam accuratissimamque, adhibitis diligentiis, requisitisque debitis notitiis, eorumdem Rituum et Caeremoniarum discussionem, fieri ne poterat, ut sine gravissimo conscientiae angore consilia tanta providentia capta, et constitutiones tanta sapientia propositae amplius differrentur? Certe si obfirmatis Patronorum proscriptorum Rituum Caeremoniarumque huiusmodi sensibus votisque assensum satisfactumque fuisset, nunquam profecto advenisset tempus, verba tua usurpamus, angustiandi vasa carnis? Nos quidem non latet, Vobis deesse cogendi compellendique vires; sed scimus et certi sumus, eamdem inesse vobis virtutem, quam habebant Sanctissimi Iesu Christi Apostoli (si tamen apostolico spiritu ducti ad Evangelium praedicandum ad remotissimos populos accessistis), qui reponentes omnem fiduciam in eo, qui eos confortabat, Deo, et ferventis caritatis zelo, et verbi Divini Ministerio, non solum Gentes ad credendum perducebant, sed credentes etiam, nova Fidei germina, collectumque Iesu Christi gregem providentissime regebant, et suaviter fortiterque incendebant, et excitabant ad illud iucundissimum spectaculum a Minucio Felice descriptum, praesertim ubi ob oculos ponit laetitiam Christifidelium, qui intentatas minas obiectaque tormenta despicientes, libertatem suam adversus Reges et Principes erigebant, soli Deo cedebant.

§ 4. Ingenti cum animi nostri dolore, et graviori, quam explicari possit, moerore tuum excepimus sane nuntium de persecutionibus isthic adversus Sacrosanctam Iesu Christi Religionem saevientibus: verum quod huiusmodi persecutiones, si minime fuissent proscripti Ritus Caeremoniaeque Sinenses, si minime sublatae fuissent indulgentiae permissionesque laudati Caroli Ambrosii Patriarchae, vel desinerent, vel mitiores fierent, sive praedicandi Evangelium libertas magis coalesceret, nec Christifideles ad Idolorum templa raperentur: haec ne ii quidem sibi, qui res iuxta humanae prudentiae regulas diiudicant, unquam persuadebunt; quanto magis eadem in animum

numquam inducent suum ii, quibus pro comperto exploratoque est, quod Christiana Religio inter persecutiones semper increverit adoleveritque.

§ 5. Omnibus iam notum est, in rebus ad Orthodoxam religionem spectantibus, patientiam sive tolerantiam, ubi de superstitione vel idololatria agitur, nullo pacto haberi posse; tunc enim iuxta Tertullianum: *Omnis patientia huiusmodi Idololatria*. Caeterum unicum ac singulare solatium, quo Nos dolentes moerentesque consolamur, inde affertur, quod ex tuis literis perspicimus, Te pro debita Apostolicis Constitutionibus, ac Decretis observantia, probe studiosum planeque accensum esse. Quamobrem fore in Patre misericordiarum, et Deo totius consolationis confidimus, ut Christifideles proposito Fraternitatis tuae exemplo, zelo, opera, consiliis, et monitis excitati, Orthodoxam Fidem integram, reliquiarumque gentilitatis omnino puram putamque, ad Principis etiam tenebrarum contemptum despicatumque, constanti pectore profiteri, et coram hominibus Iesum Christum confiteri non erubescant. Nam *utile est et salutare*, ut S. Cyprianus Episcopus, et Martyr verbo et opere docuit, *cum se Episcopus per firmamentum Fidei Fratribus praebet imitandum*. Interea a bonorum omnium Largitore Deo uberrimam coelestium charismatum copiam Fraternitati Tuae apprecantes, Apostolicam Benedictionem Tibi, Venerabilis Frater, etiam peramanter impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. I, p. 464-466].

352.

Benedictus XIV, ep. *Dilectus Filius*, 15 ian. 1745.[1]

Dilectus Filius Emmanuel Pereyra Sampajus Militiae Ordinis Iesu Christi Commendator negotiis Maiestatis Tuae apud Sanctam Sedem praepositus saepissime Nobis declaravit Regale prorsus consilium ac pietatis plenum, excitandi magnificum Sacellum in Ecclesia quae in civitate ista Lisbonae Sancto Rocco nuncupata est: primam totius rei formam charta exaratam ac delineatam nostris subiecit oculis, nempe opera sive ex marmore, sive ex aere ducenda, aptissimas et elegantes gemmarum coniunctiones, ac tabulas effingendas ex opere concinne tessellato, quibus omnibus perficiendis peritissimi huius Urbis Artifices sedulam modo impendunt industriam, et quae Nos ipsi (cum absoluta penitus fuerint) invisuros promisimus, antequam Lisbonam transvehantur. Postremo idem Commendator Sampajus Nobis exposuit, gratissimum fore Maiestati Tuae, si, perfecto iam lapide Altaris erigendi in Sacello, quod superius innuimus, ad ipsum consecrandum Nos ipsi deveniremus. Itaque cum iucundissimum Nobis sit morem gerere voluntati Maiestatis Tuae, quae Dei cultum augere semper expetit, et simul nostri Apostolici muneris partibus satisfacere; hinc absque ulla haesitatione Nos paratissimos ostendimus, ut huiusmodi Consecrationem susciperemus in Ecclesia Sancti Antonii, quae ad Lusitanos

[1] Carissimo in Christo Filio Nostro Ioanni Portugalliae, et Algarbiorum Regi Illustri.

pertinet, die decimaquinta mensis decembris anni proxime elapsi, quo in Templo octiduum Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae celebrabatur. Quapropter Venerabilem Fratrem Nostrum Vincentium Episcopum Sabinensem S. R. E. Cardinalem Bichium nuncupatum, olim Apostolicae Sedis Nuntium apud Maiestatem Tuam, designavimus, qui praecedenti vespera sacras Reliquias exponeret; et re integre peracta, iuxta leges, quae a sacris Ritualibus praescribuntur, Nos postera die solemni indicto comitatu ad eamdem Ecclesiam Sancti Antonii venimus, eamque splendide magnificeque ornatam deprehendimus. Cardinales octo Nobis advenientibus Ecclesiae limitibus adfuerunt. Post haec initium fecimus Consecrationis totius lapidis, qui in parte eiusdem Templi aptissime collocatus ante fuerat. Postquam, Deo iuvante, finem Consecrationi imposuimus, licet plurium horarum spatium requireret, eam facultatem Nobis haudquaquam tribuimus, quae a Pontificali conceditur Episcopo consecranti, si debilitatus longo temporis incommodo fuerit, nempe ut alium suo loco substituat, qui sacrum faciat; sed Nos ipsi super consecrato lapide Missae Sacrificium celebravimus. Ritus eiusmodi pietatem incredibilem ac Religionem praesetulit, ad quem, praeter Cardinales, quos iam memoravimus, omnes quoque Principum exterorum Oratores, Praesules, et Optimates magna frequentia convenerunt. Res universa decenter ordinateque peracta fuit, ob eximiam operam, studium, summamque diligentiam, qua idem Sampajus Maiestatis Tuae negotiis apud Sanctam Sedem praepositus maxime praecellit.

§ 1. Equidem cum Nos ipsi sacraverimus hoc Altare, et super ipso Deo operati sacrum fuerimus, ob hanc causam Pontificium Altare appellandum est, nec ulli licet Sacerdoti ad ipsum accedere, ut Missae Sacrificium peragat, nisi antea facultas nostra intercesserit, iuxta morem, et insfitutum Sanctae Romanae Ecclesiae, quae Mater et Magistra caeterarum Ecclesiarum habenda est. Id aperte demonstratur exemplo Altarium, quae sunt in Ecclesiis Lateranensi, Vaticana, aliisque Patriarchalibus huius Urbis, in quibus Aris solus Romanus Pontifex sacrum facere potest, aut etiam Cardinalis aliquis certis temporibus, facta tamen prius a Pontifice potestate, quae per Apostolicum diploma declaratur. Anno 1588 Sixtus V Decessor noster Sanctum Didacum solemni ritu inter Coelites adnumeravit, ac deinde Philippo Catholico Regi dono misit Altare, ad quod sacrum fecerat, cum ritum eiusmodi Canonizationis perageret; Pontificium illud Altare pronunciavit, permisitque Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus Thiara insignitis, et illis, qui primam Dignitatem in Ecclesiis Metropolitanis, et Cathedralibus obtinerent, demum Generali Ministro Ordinis Minorum Sancti Francisci, ac Priori in Monasterio Sancti Laurentii, Sacrificium Missae super eodem Altari conficere diebus Festis Domini, Beatissimae Virginis, Feria quinta in Coena Domini, in celebritate Sanctorum omnium, ac Sancti Didaci, ut constat ex eius Diplomate, quod die 20 augusti promulgatum fuit eodem anno, quem paulo ante indicavimus.

§ 2. Nos quidem instituta Decessorum nostrorum retinere perpetuo volumus; sed quibusdam gravibus causis adducti, paululum declinabimus ab ea via, ac ratione, quam illi pro huius rei exequutione tenuerunt. Ipsorum sententiae constanter adhaeremus, nemini licere ad Pontificias Aras sacrum cele-

brare, nisi prius Apostolicam facultatem pro re gerenda consequutus fuerit; tamen pro eadem facultate tribuenda diversum consilium a Decessoribus nostris suscipiemus; etenim cum Romae diploma Pontificis toties necessario requiratur, quoties ad Aras huiusmodi Romae existentes Missae Sacrificium indicendum est, et eadem facultas solis Cardinalibus conferatur, nempe cum dies quidam festi peculiares celebrantur; et cum Sixtus dies etiam illos designaverit, quibus liceret sacrum facere super Altari, quod ad Catholicum Hispaniarum Regem Matritum transvehi iusserat; Nos pietate singulari Maiestatis Tuae permoti, et sperantes etiam ob singularem Dei bonitatem fore, ut reliqui omnes Lusitanaie Reges eadem pietatis laude commendentur, absque ulla dierum, aut Sacerdotum limitatione, Maiestatem Tuam, et Reges Lusitaniae pro tempore futuros constituimus, ut nostro nomine, et Sanctae huius Sedis, facultatem impertiant sacrum faciendi ad Altare, quod a Nobis consecratum Lisbonam devehetur; pro certo habentes idipsum negotium tam caute, ac prudenter a Maiestate Tua pertractandum esse, ut nihil unquam futurum sit, quod rationi parum consentaneum videatur. Insuper idem Altare perpetuo privilegiatum declaramus, quamvis in Ecclesia S. Rocchi aliud Altare praeditum simili iam privilegio existat. Regi autem Lusitaniae pro tempore, item Reginis, caeterisque eorum Consanguineis, et Affinibus usque ad tertium gradum inclusive, plenariam Indulgentiam, et omnium delictorum remissionem elargimur, quoties Poenitentiae Sacramento expiati, et Sacra Synaxi refecti, ante ipsum Altare preces ad Deum effundent, ut haereses extinguat, Christianos Principes ad concordiam deducat, et S. Ecclesiam in altiorem gloriae et dignitatis locum efferat.

§ 3. Haec a Nobis praestanda duximus, ut Maiestas Tua benevolentiam nostram magis agnosceret, gratique animi studium pro tot beneficiis, quae in Nos amantissime congessit. Illud quoque persuasum habeat optamus, haerere defixam animo Nostro Sui memoriam, et quoties sacrum Deo facimus, enixe petere, ut Maiestatem Tuam omni cumulet felicitate, cui Nos pariter Apostolicam Benedictionem impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 481-483].

353.

Benedictus XIV, ep. *In suprema*, 16 ian. 1745.[1]

In suprema Catholicae Ecclesiae administratione imbecillitati nostrae a Pastorum Principe Iesu Christo imposita, inter caeteras gravissimas pastoralis officii nostri sollicitudines ac curas, eam praecipuam esse magis magisque in dies experimur, qua et creditarum Nobis Ovium regimini prospicere, et Animarum saluti tenemur consulere.

§ 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Priores, et Gubernatores Loci Pii Catechumenorum Civitatis Venetiarum, quod Locus Pius

[1] Venerabili Fratri Martino Innico Archiepiscopo Calcedonen., moderno, necnon pro tempore existenti Nostro et Sedis Apostolicae in Dominio Venetorum Nuntio.

huiusmodi ab usque anno MDLVII fundatus a tribus Virorum dissimilis conditionis, nempe Regularium, Nobilium, et Civium, ordinibus, quibus pro tempore existens Venerabilis Frater Patriarcha Venetiarum semper praeesse debet, iamdudum administrari, regi, et gubernari pergit. In hoc autem Infideles, Iudaei, et Turcae utriusque sexus, in distinctis cubiculis, ab eorum respective Priore, et Priorissa, tamquam in vera et reali clausura, conviventes, Catholicae Fidei rudimenta, et dogmata edocentur, ac postmodum, praemissis longis diligentibusque examinibus, in propria dicti Loci Pii Ecclesia sacris lustralibus Aquis abluuntur. Illam subinde Priores, et Gubernatores praedicti sibi curam assumunt, ut Neophyti quidem huiusmodi in iis sese, pro suo quisque captu et ingenio, exerceant artibus, ut vitam inde honeste ducant; Neophytae vero iis eleemosynarum subsidiis coadiuvantur, ut vel in Domino, vel in saeculo nubere possint. Quoniam autem saepe contigit, utriusque sexus Infideles, Iudaeos, et Turcas huiusmodi, post contracta gentili ritu matrimonia, vel maritum uxorem, vel uxorem virum seu maritum, ut Catholicam Religionem amplecti possint, deserere, aliosque captivos factos, a propriis finibus, et propriis Coniugibus in alias regiones transferri; atque adeo dictis utriusque sexus Infidelibus, Iudaeis, et Turcis ad Fidem Catholicam conversis deesse modum et opportunitatem, vel quia interdum in hostilibus et barbaris Provinciis, ad quas ne nuntiis quidem patet accessus, commorantur, vel quia ignorant prorsus, in quibus regionibus sint, vel quia itineris longitudo magnam affert difficultatem, ad monendos interpellandosque utriusque sexus Coniuges, *an cohabitare velint sine contumelia Creatoris;* atque hinc fieri, ut non minima novis hisce matrimoniis obiiciatur difficultas, qua obstante, saepissima et gravissima damna consecuta sunt: eapropter Exponentes praefati, ut hisce incommodis remedium afferre possint, per Nos opportune provideri, et, ut infra, indulgeri summopere desiderant.

§ 2. Nos igitur dictos Exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, et quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana Generalium Inquisitorum adversus haereticam pravitatem auctoritate Apostolica deputatorum consilio, Fraternitati Tuae, et pro tempore existenti Nuntio Venetiarum, ut cum quibuscumque utriusque sexus Neophytis, vel Infidelibus, vel Iudaeis, vel Turcis, aliisque personis cuiuscumque Sectae huiusmodi in dicto Loco Pio pro tempore existentibus, seu in illum prius receptis et admissis, ac postmodum inde egressis, vere ad Fidem conversis, qui ante Baptismum matrimonia, ut praefertur, contraxerint, ut eorum quilibet, etiam superstite Coniuge Infideli, Iudaeo, et Turca, etiam eius consensu vel requisito et non expectato, vel minime requisito, dummodo etiam Tibi constet summarie et extraiudicialiter, coniugem absentem moneri legitime non posse, aut monitum, intra tempus in monitione praefixum suam voluntatem significare neglexisse: matrimonium cum quovis Fideli, et Catholico,

praemissis prius proclamationibus, seu denuntiationibus a Concilio Tridentino praescriptis,[1] in faciem Ecclesiae rite contrahere, ac carnali copula consummare, et in matrimonio sic contracto, quoad vixerint, remanere libere et licite possint, auctoritate nostra Apostolica dispenses et indulgeas. Praeterea matrimonia inter Neophytos huiusmodi, et alios Fideles, et Catholicos alias rite contracta, etiamsi postmodum innotuerit priores Coniuges Infideles, vel Turcas, aut Iudaeos, nonnullis legitimis impedimentis detentos, suam voluntatem significare minime potuisse, vel ad fidem etiam tempore secundi matrimonii conversos fuisse, ullo unquam tempore rescindi minime debere, sed illa semper firma, valida, et inviolabilia existere et fore, dicta auctoritate decernas et declares, plenam et amplam facultatem et potestatem, eadem auctoritate, tenore praesentium, tribuimus et impertimur; salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 483-485].

354.

Benedictus XIV, const. *In regimine*, 3 febr. 1745.

In regimine Universalis Ecclesiae, quod superna dispositione Omnipotens Deus Nobis, licet immeritis, commisit, illius rei cura animum nostrum assidue exercere solet, ut, quid deceat, et quod aptum sit Personis, sedulo prospiciamus, et in id vires nostras auctoritatemque conferamus, ut pro dignitate muneris, officii, et laboris, suum unicuique ius constanter et perpetuo tribuatur.

§ 1. Quoniam autem ex eo tempore, quo Nos in minoribus constituti, Romae versantes, Apostolicae huic Sanctae Sedi nostram operam studiumque pro viribus nostris impendebamus, a praeclarissimis Viris improbari saepius audivimus eam consuetudinem, ob quam nonnulli S. R. E. Cardinales longe ab Alma Urbe nostra degentes, bis per annum ad illam ventitabant, ibique incogniti plerumque, et spatio paucorum dierum permanebant, ut cum reliquis S. R. E. praefatae Cardinalibus Romae commorantibus in partem *Rotuli*, vulgo ut dicitur, admitterentur, nempe ut acciperent partem, seu portionem illius pecuniae, quae, veluti quoddam laborum stipendium, distribui solet eiusdem S. R. E. Cardinalibus praedictis, qui non sine incommodo ad Consistoria, Congregationes, et ad Sacellum Pontificium, ubi Sacra Mysteria celebrantur, conveniunt.

§ 2. Haec praestantium Virorum opinio menti nostrae adeo adhaesit, ut cooptati inter eiusmodi Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales a fel. rec. Benedicto Papa XIII Praedecessore nostro, et Ecclesiae Anconitanae regendae

[1] Sess. XXIV, *de ref. matrim.*, c. 1.

ipsius Benedicti Praedecessoris beneficio praepositi, ac deinde a rec. mem. Clemente Papa XII itidem Praedecessore nostro ad Metropolitanam Ecclesiam Bononiensem auctoritate Apostolica translati, nunquam spatio duodecim annorum Romam venerimus, ut dicti Rotuli fructum, seu partitionem perciperemus; nec Sedes nostrae curae commissas unquam deseruimus, nisi causa Comitiorum, quae bis interea temporis indicta fuerint eisdem Cardinalibus, ut novus Pontifex de more crearetur. Statim vero atque ad Summum Apostolatum, licet immerentes, evecti, normam aliquam super hac re praescribendam censuimus; sed tunc executioni minime demandandam esse existimavimus, eo quod perpauci Cardinales Roma absentes numerarentur, qui proficisci ad Urbem commode possent, ut eamdem Rotuli partitionem, seu partem deposcerent. Accedebat etiam, quod numerus eorumdem Cardinalium Romae degentium, pluribus vita functis, adeo imminutus fuerat, ut ipsi solum exiguo detrimento afficerentur, etiamsi absentes pro comparanda sibi Rotuli partitione ad Urbem se conferrent. Attamen cum multi a Nobis Sacro Collegio Cardinales adscripti fuerint, et numerus absentium Cardinalium, qui bis per annum Romam venire fortasse deliberarent, ut Rotuli partem assequerentur, excreverit; et cum plures, quam antea, Cardinales modo in Urbe praedicta commorentur, quibus procul dubio gravius damnum inferretur, si veteri instituto pars eiusdem Rotuli Cardinalibus absentibus tribui deberet, qui statis anni temporibus ob hanc causam Romam accederent; ideo consilium a Nobis iam antea initum, probantibus nonnullis ex Dilectis Filiis nostris eiusdem S. R. E. Cardinalibus, executioni tandem demandandum esse decrevimus.

§ 3. Eapropter motu proprio, et ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, primum ea omnia, quae caventur, et praescribuntur in Constitutionibus dicti Sacri Collegii Cardinalium, et usque in hanc diem observari consueverunt quoad Cardinales de Latere Legatos, tenore praesentium confirmamus: ac insuper illos Cardinales Rotuli fructu omnino carere statuimus et decernimus (licet bis per annum Romam accesserint), qui longe ab Urbe praedicta detinentur, quamvis id facere necesse sit, ne Sedes Archiepiscopales, aut Episcopales deserant, quas administrandas acceperunt, et quamvis etiam Praefecturam aliquam, sive quodcumque aliud munus a Sede praefata sibi demandatum gerant, sine Episcopali, vel cum Episcopali dignitate coniunctum, quod, si Roma absentes retinent, eius certe naturae et conditionis esse existimatur, ut cum ipsorum absentia copulari, et, sine eorum praesentia, Romani Pontificis vigilantia et auctoritate facile possit administrari. Cum vero Cardinales absentes pro suis negotiis expediendis, aut legitimam ob causam ad Urbem se contulerint, veterem consuetudinem et institutum servari volumus, praecipimus, et mandamus; nempe ut Rotuli partem capiant, habita ratione temporis, quo Romae versantur: ea tamen lege obstricti, ut Nos, seu Romanos Pontifices pro tempore existentes, adeant, nec ab Urbe discedant, antequam a Nobis, seu Romanis Pontificibus Successoribus nostris abeundi facultatem obtineant. Illos autem, qui sui muneris obliti (quod vix fore credimus) aliter se gesserint, non solum ab omni parte Rotuli percipienda penitus exclusos decernimus; sed

praesentibus nostris Literis (quatenus opus sit) obnoxios esse declaramus censuris ac poenis, quas piae mem. Ioannes Papa XXII pariter Praedecessor noster irrogavit in Extrav., quae incipit: *Etsi deceat quoslibet subditorum curam,* etc.,[1] quam per praesentes pro plene et sufficienter expressam, ac de verbo ad verbum insertam habentes, ad modernos, et pro tempore existentes eiusdem S. R. E. Cardinales extendimus et ampliamus.

§ 4. Decernentes, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 487-489].

355.

Benedictus XIV, const. *Apostolici muneris*, 8 febr. 1745.

Apostolici muneris partes in procuranda praecipue rerum sacrarum pura illibataque penitus administratione versari debere probe intelligentes, non modo et assiduis hortationibus, et iusta, ubi res postulat, legum severitate, ut ab Ecclesiasticis quibusque Ministris sancta sancte tractentur, quantum cum Domino possumus, providere studemus; verum etiam leges ipsas, ne forte sinistris interpretationibus in alterutram extremam partem, aut immoderati rigoris, aut detestabilis laxitatis, perperam detorqueantur, opportune communire ac roborare pro earumdem tuendo vigore, cum occasio poposcerit, non praetermittimus.

§ 1. Sane cum Nos alias per quamdam nostram Constitutionem, cuius initium est: *Sacramentum Poenitentiae,* Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Kalendis Iunii Pontificatus Nostri Anno Primo editam,[2] omnibus et singulis Sacerdotibus tam Saecularibus, quam Regularibus interdixerimus, et prohibuerimus, ne aliquis eorum, extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, Confessionem Sacramentalem personae complicis in peccato turpi atque inhonesto, contra sextum Decalogi praeceptum commisso, excipere auderet; ita ut absolutio, si quam impertivisset, nulla, atque irrita omnino esset, tamquam impertita a Sacerdote, qui iurisdictione, et facultate ad valide absolvendum necessaria, ipsi per Nos vigore eiusdem Constitutionis adempta, privatus existeret, et alias prout in memorata Constitutione, cuius tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum Nos subinde super ea dictae Constitutionis parte, quae mortis articulum respicit, dubitationes quasdam exortas fuisse acceperimus, quarum resolutionem privato cuiusque iudicio relinquendam minime existimamus, ne Lex incertis coniecturis et opinionibus iactata, in sensus a mente Nostra alienos forsitan distrahatur, eiusque vigor paulatim langueat atque enervetur.

[1] C. 3, *de maioritate et obedientia*, I, 8, in Extravag. com.
[2] Cf. N. 309.

§ 2. Hinc est, quod Nos omnem dubitandi rationem, quantum cum Domino possumus, de medio auferre cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, memoratam Constitutionem nostram cum omnibus et singulis in ea contentis, tenore praesentium, quatenus opus sit, confirmamus, illamque integre, penitus, et omnino, atque ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, et inconcusse observari praecipimus, et mandamus. Praeterea, habita super his cum Venerabili Fratre Nostro Vincentio Episcopo Praenestino S. R. E. Cardinali Petra nuncupato Poenitentiario Nostro Maiori, ac dilectis Filiis Officii Poenitentiariae Apostolicae Ministris, qui rem iussu Nostro mature perpenderunt, deliberatione, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, edicimus ac declaramus, eadem Constitutione singulis, ut supra, Sacerdotibus, quemadmodum interdictum non est in mortis articulo personam in praedicto turpi peccato complicem confitentem audire, atque ab huiusmodi quoque culpa rite contritam absolvere, deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit; ita interdici re ipsa et prohiberi praedicto modo tunc audire et absolvere, ut si alius aliquis Sacerdos non defuerit, etiamsi forte iste alius simplex tantummodo Sacerdos fuerit, sive alias ad Confessiones audiendas non approbatus, possit nihilominus ipse Sacerdos simplex Confessionem excipere ac absolutionem impertiri.

§ 3. Porro, si casus urgentis qualitas, et concurrentes circumstantiae, quae vitari non possint, eiusmodi fuerint, ut alius Sacerdos ad audiendam constitutae in dicto articulo personae Confessionem vocari, aut accedere, sine gravi aliqua exoritura infamia vel scandalo nequeat; tunc alium Sacerdotem perinde haberi, censerique posse, ac si revera abesset, atque deficeret; ac proinde in eo rerum statu, non prohiberi socio criminis Sacerdoti absolutionem poenitenti ab eo quoque crimine impertiri. Sciat autem complex eiusmodi Sacerdos, et serio animadvertat, fore se re ipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus praedictam nostram Constitutionem inobedientiae, latisque in ea poenis obnoxium, si praedictae infamiae, aut scandali pericula sibi ultro ipse confingat, ubi non sunt: imo intelligat, teneri se graviter huiusmodi pericula, quantum in se erit, antevertere, vel removere, opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius confessionis, absque ullius infamia vel scandalo, audiendae. Ita enim ipsum teneri vigore memoratae nostrae Constitutionis declaramus; et nunc quoque ita ipsi faciendum esse districte mandamus et praecipimus.

§ 4. Quod si idem Sacerdos aut quovis modo sese nulla gravi necessitate compulsus ingesserit, aut, ubi infamiae vel scandali periculum timetur, si alterius Sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id periculum avertendum congrua media adhibere de industria neglexerit, atque ita personae in dicto crimine complicis, eoque in articulo, ut praefertur, constitutae Sacramentalem Confessionem excipere, ab eoque crimine absolutionem largiri, nulla, sicut praemittitur, necessaria causa cogente, praesumpserit; quamvis huiusmodi absolutio valida futura sit, dummodo ex parte poenitentis dispositiones a Christo Domino ad Sacramenti Poenitentiae valorem requisitae non

defuerint: non intendimus enim pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti, quantumvis indigno, necessariam iurisdictionem auferre, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, nihilominus Sacerdos ipse violatae ausu eiusmodi temerario Legis poenas nequaquam effugiet; ac propterea latam in dicta Constitutione maiorem excommunicationem, eodemque plane modo, quo ibidem decernitur, Nobis et huic Sanctae Sedi reservatam, incurret, prout illum eo ipso incurrere declaramus, volumus, atque statuimus. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae in praefata nostra Constitutione voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Volumus autem, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. I, p. 489–491].

356.

Benedictus XIV, const. *Pastoralis sollicitudinis*, 16 febr. 1745.

Pastoralis sollicitudinis officium, quantum Nobis ex alto conceditur, omni ex parte implere satagentes, non solum ea, quae sub oculis nostris geruntur, opportunis legibus apte ordinare atque dirigere studemus; verum etiam providentiae nostrae intuitum ad ea intendere non omittimus, quae post expletum a Nobis huiusce mortalis vitae cursum, ubi Omnipotenti Deo, qui numeravit dies nostros, ita placuerit, aut fieri necessario debere, aut evenire posse prospicimus.

§ 1. Sane ex quo in hac Romana Urbe a prima fere aetate diversis in gradibus commorati sumus, meminimus, non semel, sed iterum, ac tertio iam contigisse, ut, vacante, per obitum Romani Pontificis, Apostolica Sede, solemnitas Corporis Christi recurreret, in qua, ex pia Urbani Papae IV Praedecessoris Nostri institutione ac lege,[1] et fructuosa universae Catholicae Ecclesiae consuetudine, post exacta Paschatis, et Pentecostes solemnia, vivificum Eucharistiae Sacramentum, continuata per dierum Octavam celebritate, et publicis Supplicationibus a Christifidelibus percolitur. Cumque huiusmodi Supplicationibus, sive Processionibus, vivente Romano Pontifice, initium det prior illa et solemnior Supplicatio, quae incipiens ab ipso Pontificiarum Aedium Vaticani Sacello, praeeuntibus et subsequentibus omnibus tam Saecularis, quam Regularis Cleri, Romanaeque Curiae et Pontificiae Aulae Officialium Ordinibus, per congruum viarum ambitum, ad Basilicam Principis Apostolorum procedit, ibique terminatur: vacante, ut praediximus, Apostolica Sede, Nobisque, per mortem recol. mem. Praedecessorum Nostrorum Benedicti Papae XIII, et Clementis Papae XII, intra Apostolicorum Comitiorum septa commorantibus, quaestionem hanc, non sine sententiarum atque studiorum varietate, audivimus agitari; an scilicet in eodem Vaticano, an vero in Lateranensi Patriarchio, solemnis illa, et generalis, de qua supra diceba-

[1] Cf. C. un., *de reliquiis et veneratione sanctorum*, III, 16, in Clem.

mus, Supplicatio peragenda esset. Et quidem praemissis in casibus, Nostris primum oculis aspeximus, deinde etiam aliorum relatione audivimus, praefatae solemnitatis celebritatem duplici Supplicatione inchoatam fuisse, quarum altera in Basilica S. Ioannis in Laterano, altera vero simul eodem tempore in Basilica S. Petri in Vaticano habita fuit; divisionem autem factam fuisse eorum, qui primae huiusmodi generali Supplicationi interesse tenebantur; nonnullis videlicet ad unam, aliis vero ad alteram ex praedictis Basilicis accedentibus, prout vel ratione, vel imperio, vel etiam propria voluntate atque arbitrio adducti fuerunt.

§ 2. Quod quum Nostra, et aliorum etiam complurium sententia, nec Ecclesiasticis regulis ac ritibus, nec piae Praedecessorum nostrorum menti, consentaneum esse iudicaverimus; neque vero absque notabili Divini Cultus imminutione, et Populi scandalo, reipsa fieri contigerit; Nos, cupientes tantae solemnitatis initia, communibus omnium ordinum studiis, eoque maximo cultus splendore, quo potissimum fidelium mentes ad debitum erga Divinae bonitatis mysteria venerationis affectum excitantur, omni tempore concelebrari: Motu proprio, et ex certa scientia, post maturam deliberationem hac de re habitam, hanc in posterum praecepti Nostri formam volumus esse perpetuam, qua de Apostolica potestatis plenitudine statuimus atque mandamus, ut, sicuti Sede plena de mane Feriae V post Festum Sanctissimae Trinitatis, unica Supplicatio, sive Processio Generalis Sanctissimi Corporis Christi in Urbe peragi consuevit, ita eadem Apostolica Sede vacante, ubi Solemnitatem praedictam, anno vertente, celebrandam esse contingat, unica pariter in Urbe Generalis Processio habeatur, cum interventu omnium et singulorum, qui de caetero huiusmodi Supplicationi generali adesse tenentur; quorum nomina, et incedendi ordo, aliis Nostris Apostolicis Literis hac ipsa die manu Nostra subscriptis distinctius expressa reperiuntur.[1]

§ 3. Dum autem pro huiusmodi generali Supplicatione Sede vacante, ut praefertur, habenda, congruum opportunumque locum deligere, et constituere mente animoque versabamus: illud Nos maxime permovit, quod animadvertimus, in caeteris per Christianum Orbem Civitatibus, tempore Episcopalis Sedis vacantis, nihil mutari solere circa locum, aut Ecclesiam, in quo, seu qua, Episcopo vivente, quotannis praecipua huiusmodi Processio Corporis Christi celebrari solet. Itaque quemadmodum in Urbe, Sede plena, Processio Generalis huiusmodi in Vaticano celebratur, quantumvis Pontifex in eiusdem Vaticani Aedibus actu non commoretur, sed in Quirinali Palatio degat, vel etiam eundem extra Urbem moram trahere contingat; ita nihil obstare censemus, quominus, etiam defuncto Pontifice, Processio Generalis die Festo Corporis Christi in Vaticano pariter celebretur; quin potius id satis congruum et opportunum fore iudicamus, habita ratione tum Vaticani Conclavis, in quo Collegium S. R. E. Cardinalium, ad maximum in Terris opus peragendum, tunc temporis permanet, tum frequentiae Populi, qui hac de causa per eos dies ad Vaticanum confluit.

[1] Motu propr. *Omnibus et singulis*, 10 febr. 1745. – Bened. XIV, Bull., tom. I, p. 499-501.

§ 4. Inchoanda igitur erit praedicta Supplicatio Generalis a Basilica Vaticana, ea hora, quae a Congregatione Cardinalium in Ordine Priorum indicetur. Et quidem Missae Sacrificium per eum, a quo Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, ut infra, deferendum erit, ad Altare Cathedrae S. Petri celebrabitur. At quoniam plures causae obstant, quominus tempore Sedis vacantis amplior ille ambitus, atque splendidior viarum apparatus servetur, qui, vivente Pontifice, sive is praesens sit, sive absens, observari consuevit; statuimus, praedictam Supplicationem per brevius illud iter procedere, eodemque apparatu perfici, quo iam alias, vacante Apostolica Sede, in eodem Vaticano factam fuisse constat; in eius quoque regressu, volumus, omnes, et singulos, qui in Processione interfuerint, cum intortitiis accensis, intra eamdem Basilicam de more dispositos, usque ad extremum manere: ac demum, Sanctissimo Sacramento super Altare maius, Confessionis videlicet Principis Apostolorum, per manus Diaconi Episcopo adstantis collocato, et consuetis precibus devote decantatis, ab ipso Episcopo celebrante trina benedictione cum eodem Sacramento super Populum data, augustam sanctamque celebritatem absolvi.

§ 5. Et quia praedicta Supplicatio, quae sic, ut praemisimus, Nostrae huius Ordinationis vigore celebranda erit, nequaquam habenda est pro peculiari Processione Basilicae Vaticanae; quae quidem Basilica propriam Supplicationem peragit in die Octava Corporis Christi; sed locum tenere debet generalis illius Supplicationis, quam, Sede plena, Romanus Pontifex celebrare solet, et in qua Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum ab ipso Pontifice, vel, eo impedito, ab antiquiore ex S. R. E. Cardinalibus defertur; hinc est, quod, Sede Apostolica, ut praefertur, vacante, volumus, ut a Collegio praedictae S. R. E. Cardinalium, hoc est, a Congregatione trium Cardinalium in quolibet Ordine Priorum, et a Cardinali eiusdem S. R. E. Camerario, triduo ante Solemnitatem Corporis Christi, aliquis eligatur et deputetur, qui praefatum Augustissimum Sacramentum deferat; unus nimirum ex Patriarchis, sive Archiepiscopis, aut Episcopis in Romana Curia praesentibus, cui ministrare debebunt Sacri illi Ministri, qui in Cappellis Cardinalitiis Officio Diaconi et Subdiaconi sunt perpetuo addicti.

§ 6. Acolythi pariter Cappellae Pontificiae, necnon eiusdem Cappellae Clerici, aliique inferiores Ministri, in propriis Officiis rite ministrabunt, sub directione eorum ex Pontificiis Caeremoniarum Magistris supranumerum, qui, iuxta Constitutionem a san. mem. Decessore Nostro Clemente Papa XII de rebus Sede vacante peragendis editam,[1] cum aliis ingredi Conclave non permittuntur.

Item Cantores eiusdem Cappellae Pontificiae Hymnos et Laudes de more concinentes, et Missae celebrationi intererunt, et totam Supplicationem in suo gradu et ordine prosequentur.

Umbellam vero seu Baldacchinum, iidem fere suis respective vicibus deferent, qui, vivente Pontifice, eiusmodi decorantur praerogativa. Eiusdem-

[1] Const. *Apostolatus Officium*, 5 oct. 1732, § 13. – Bull Rom., tom. 13, p. 302-314.

que Umbellae latera, tam Officiales virgae rubeae cum intorticiis, quam Servientes Armorum, sive Mazzerii Papae nuncupati, cum Mazziis argenteis, et Milites Helvetici cum suis Decurionibus atque Tribunis, militari ritu armati, claudent, et respective custodient.

Nullam vero peculiarem Crucem volumus elevari, sub qua tota Supplicatio incedat; sed propriam Crucem a singulis tam Saecularis, quam Regularis Cleri, Capitulis, Ordinibus, sive Corporibus, ex quibus Processio componitur, de more erectam deferri. Cursores etiam Cardinalis pro tempore Urbis Vicarii, quemadmodum Sede plena mos est, totum Processionis Ordinem dirigere mandamus.

§ 7. Sacrae autem Vestes, necnon Ostensorium, Thuribulum, Candelabra, argentea Funalia, Umbella, seu Baldacchinum, et reliqua suppellex ad Sacram Functionem necessaria ab Apostolico Sacrario, seu respective a Pontificia Floreria subministrari debebit. Cerei quoque, quotquot necessarii erunt, sumptibus Camerae Apostolicae provideri; ac demum Porticuum Vaticani, et reliqui ambitus apparatum, Apostolicarum Aedium Aulaeis, ut vivente Pontifice, moris est, et in reliquo, eiusdem Camerae Apostolicae sumptibus, adornari praecipimus.

§ 8. Denique Pontificios Milites Urbanos per totum Processionis iter dispositos de more adesse, eamdemque subsequi, et custodire iubemus.

§ 9. Quapropter omnibus, ad quos spectat, et ad quos in casu pro tempore spectabit, committimus, et mandamus, ut quaecumque, ad Divini Cultus et Religionis incrementum ac decus, hac Nostra Constitutione statuimus et ordinavimus, singuli pro virili parte respective impleant, et ab aliis impleri curent. Specialiter autem Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, iisque potissimum, qui pro tempore in quolibet Ordine Priores existent, una cum eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Camerario, iniungimus, ut opportuna mandata atque praecepta pro praemissorum omnium executione expediant. Itemque Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus pro tempore Camerario, Vice-Cancellario, et Maiori Poenitentiario, ut omnes sibi respective Subditos Ministros, et Officiales, eorumque Collegia, sive Ordines, qui huiusmodi Processioni Generali de more adesse debent, sub consuetis praeceptis et poenis, adesse compellant. Ac demum Cardinali, qui pro tempore in Urbe, eiusque Districtu, Romani Pontificis Vicarius existet, ut omnes Cleri Saecularis et Regularis Ordines, qui, vivente Pontifice, eidem pariter Supplicationi interesse solent, Collegia, Capitula, etiam Basilicarum Patriarchalium, et Collegiatarum etiam insignium, aliosque omnes etiam necessario exprimendos, sub consuetis pariter praeceptis, ac poenis, auctoritate sibi a Nobis in perpetuum harum tenore delegata, iubeat interesse.

§ 10. Has enim Nostras Literas, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 496-499].

357.

Benedictus XIV, instr. *Eo quamvis tempore*, 4 maii 1745.[1]

Eo quamvis tempore, quo pro demandato Nobis Apostolicae servitutis onere tot tantisque curis circumdamur, ut pene obruamur, delata ad Nos fuerint nonnulla Postulata a Religioso Viro Iacobo a Cremisir Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Strictioris Observantiae, et Missionum Apostolicarum In Aegypto Praefecto: nihilominus in eo, qui infirmitatem Nostram misericorditer regit, confidentes, operam studiumque nostrum ad proposita enodanda dubia libenter adiecimus, in spirituale electi illius Gregis solatium, qui magno licet intercedente Terrarum spatio a Nobis dissitus sit, Paterno tamen Cordi Nostro charitate proximus efficitur.

§ 1. Quas sane Pontificiae sollicitudinis, et providentiae partes cum a nemine desiderari patiamur, qui verum Deum per veram fidem agnoscat; peculiari sibi illas vindicat iure Inclyta Cophtorum Natio, quae praecipui cultus, ac Filialis obsequii, quo Romanam Ecclesiam omnium aliarum Matrem et Magistram prosequitur, non semel luculenta, et perenni digna laude praebuit specimina. Praesertim vero in Sacra Oecumenica Florentina Synodo, in qua fel. rec. Eugenio PP. IV Praedecessore Nostro expetitam diu Graecae Latinaeque Ecclesiae Unionem promovente, veteri eiusdem Unionis incendi desiderio visa est,[2] palamque edocuit, oportere membra sub uno in Terris Capite indivisa consistere. Id ipsum quoque testata est Successoribus Romanis Pontificibus Pio IV, et Gregorio XIII omni conatu in praemissae Unionis scopum enitentibus; ac apertius etiam Clementi VIII, ad quem solemni, et honorifica decreta Legatione, obsequentis animi, ac devotae in Romanam Ecclesiam voluntatis publica exhibuit Testimonia. Hanc quoque egregiam propensionem adhaerendi Romanae Ecclesiae plane perspectam habuit alter Noster Praedecessor Urbanus PP. VIII, qui zelo, et sedulitate pari in id potissimum incubuit, ut praedicta Ecclesiarum Unio indissolubili charitatis foedere pro virili parte firmaretur.

§ 2. Alacriores tamen prae omnium rationum momentis ad hanc exequendam Pastoralis Officii partem Nos effecit iampridem concepta, intimeque cordi Nostro infixa spes maioris incrementi Catholicae Religionis, et lucri Animarum, quibus erudiendis in Superiori, ac Inferiori Aegypto, et in Urbe Principe Cairo, strenuam, invictamque navant operam Apostolici Missionarii ex Franciscana ut plurimum Familia adlecti, qui nullo laborum aspectu territi, sed induti fortitudine ex alto, in summa rerum ac temporum difficultate, Nationem illam toto olim Orbe Terrarum celeberrimam, nunc vero assi

[1] Dilectis Filiis, Iusto Maraghi, in universa Aegypto Vicario Generali, et Iacobo a Cremisir Ordinis Minorum S. Francisci Strictioris Observantiae, Praefecto Missionis Apostolicae in Aegypto, caeterisque Missionis Cophtae Missionariis.

[2] Cf. N. 54.

duis aerumnis attritam, ac pene confectam, verbo vitae informant, vigilesque laborant, ut novi in diem palmites in Vineam Domini traducantur.

§ 3. Adhibitis itaque in consilium nonnullis Ven. Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, Dilectisque Filiis Consultoribus in Congregatione Supremae et Universalis Inquisitionis contra haereticam pravitatem considentibus, exquisitisque, quo maturius deliberare possemus, aliorum etiam doctrina et prudentia praestantium Virorum suffragiis, eorumque praesertim, quibus Orientalium mores, Ritus, et Instituta, longo usu et experientia essent cognita planeque perspecta, privati Nostri laboris accessione singulorum sententias scripto traditas expendimus, atque libravimus. Cum tamen ad singula definienda Dubia in praesentiarum quamplurima desiderentur; idcirco haec Apostolica scripta Missionariis exhibenda mandavimus, ut ea, quae definitivo reliquorum dubiorum iudicio facem quodammodo praeferre valeant, ad Nostri Apostolatus auditum quamprimum deducenda curent

Dub. I. *Cum Fideles Cophti Catholicam profitentes Religionem a Baptismo Ritu Ecclesiae Latinae collato hoc potissimum nomine abhorreant, quod Baptizatis una simul non conferatur Sacramentum Confirmationis: Quaeritur, an in casu, quo Sacerdos Ritus Cophti commode adiri nequeat, permittendum sit PP. Missionariis illico post Baptismum Confirmationem conferre.*

Dub. II. *An Parochis Ritus Cophti, qui a Schismate redeunt ad Catholicae Ecclesiae Unitatem, tribuenda sit facultas administrandi Catholicis Sacramenta Parochialia, qua prius potiebantur inter Schismaticos; quamvis eadem administratio, nullo existente Parocho Catholico, demandata sit PP. Missionariis.*

Dub. III. *An Cophtis proprio Rita in aetate puerili ad Diaconatus Ordinem promotis, ubi legitima ad contrahendum Matrimonium aetas advenerit, liceat nedum primum, sed alterum quoque inire Matrimonium, ex vi dispensationis obtentae a PP. Missionariis absque ullo speciali indulto Apostolico.*

Dub. IV. *An dicti Diaconi Officium Divinum recitare teneantur.*

§ 4. Quod attinet ad primum, plane compertum Nobis est, veteri more et disciplina invaluisse apud Cophtos, ut abluti Sacro Regenerationis Lavacro illico ab eodem Sacerdote post absolutas Baptismatis Caeremonias Sacro Chrismate liniantur, ut prae aliis testatur Thomas a Iesu in suo *Tractatu de Conversione Gentium*, lib. 7, cap. 7. De simultanea tamen utriusque Sacramenti administratione non una eademque fuit agendi ratio cum Graecis apud Orientales Ecclesias residentibus, et illis, qui commorantur in Italia, et Insulis eidem adiacentibus. Quemadmodum enim Graecis Incolis Italiae expresse vetita est administratio utriusque Sacramenti ab eodem Ministro contemporanee facienda; ita patientia quadam, et facilitate Sedis Apostolicae factum est, ut unum, et alterum Sacramentum ab eodem Sacerdote in Oriente Graecis conferretur; nec defuere idcirco Theologi, qui huiusmodi tolerantiae, vestem et imaginem tacitae Dispensationis obducerent.

§ 5. Quo opportune praemisso, apte distinguenda sunt, diversoque iure censenda duo, quae exinde profluunt, extrema: aliud enim est, quod Cophti ex Indulgentia Apostolicae Sedis licitam sibi adstruant collationem utriusque Sacramenti, servato Orientalis Ecclesiae Ritu, ab eadem Apostolica Sede non

expresse vetito, sed tolerato: longe vero diversum, quod tolerantiam in peiorem partem detorquentes, abhorreant a Baptismo Ritu Latino collato, hoc potissimum nomine, quod seorsim a Confirmatione administretur. Idcirco sicuti lenitati, et patientiae Sedis Apostolicae consonum videri potest, quod Cophti in suo iamdiu recepto, et ab eadem Sede tolerato usu perseverent; ita ferendum non est, quod Baptismum Ritu Latino, et seorsim a Confirmatione collatum, acerbo alienoque animo perhorrescant.

§ 6. Praeterea licet apud Occidentales etiam Ecclesias in more posita quandoque fuerit Baptismatis, et Confirmationis simultanea collatio, et haec consuetudo in aliquibus Dioecesibus anteacto tempore inoleverit, iuxta exempla relata a Vicecomite in tract. *de Confirmat.*, cap. 14, et a Martene, *de antiq. Eccles. Rit.*, lib. 1, cap. 2, art. 1, nihilominus abrogato prorsus a Romana Ecclesia aliarum Matre et Magistra huiusmodi more, consultissimis Summorum Pontificum Decretis provide cautum est, ut renatis Fonte Baptismatis conferretur Sacramentum Confirmationis in ea solum aetate, in qua fideles, evacuatis quae erant parvuli, intelligerent, tantum inter se differre Baptismum et Confirmationem, quantum in naturali vita distat generatio ab incremento; seque per Baptismum fuisse quidem ad militiam receptos, per Confirmationem vero ad pugnam roboratos, et ad perferendos agones per gratiam instructos. Ex quo fit, ut rigide animadverti in eos oporteat, si qui forte sanctioris huiusce disciplinae instituta refugerent, aut contemnerent; omnemque curam adhibendam esse, ut ab errore, et caecitate, Ecclesiae Latinae adeo iniuriosa, retrahantur.

§ 7. Verum attributa, iuxta propositum thema, Sacerdotibus Latinis facultate conferendi statim post Baptismum, Confirmationem, tantum abest, ut Orientales captivari possint in obsequium veritatis, ut immo animo semper obfirmatiore suae adhaererent sententiae, erga quam facilem se ac pronam Apostolica Sedes exhiberet. Praeterea Haeretici, et Schismatici, qui improbo pravoque ut plurimum ingenio Catholicorum facta interpretantur, vel inconstantiae notam inurerent Latinis, a suscetpa semel probataque disciplina deflectentibus; vel suo exemplo eos commovisse, et in suas traxisse partes superbe dictitarent, ipsa temere vertentes officia pietatis in elationis argumentum.

§ 8. Si itaque ea sit Nationis Cophtae conditio, ut Fideli Populo Confirmatio administari nequeat ab Episcopis, quibus huius Sacramenti administrandi ordinaria potestas commissa est; minime Nos latet eandem administrandae Confirmationis potestatem ex Indulto Apostolico ad Sacerdotem, vel Missionarium, pro modo necessitatis quandoque deferri posse. Huiusmodi delegatio nec nova, nec inusitata videri debet, cum S. Gregorii Magni, aliorumque Romanorum Pontificum Nostrorum Praedecessorum sanctissimis innitatur exemplis. Cum enim saepe contigerit, Christifideles Pastoris solatio esse destitutos, et Episcopis ob distantiam Locorum impossibile vel difficile admodum fuerit, Populorum necessitatibus praesentes fieri; in hanc partem Episcopalis Ministerii vocati sunt Sacerdotes, dummodo uterentur Chrismate ab Episcopo rite benedicto et consecrato: ne alias contingeret, Fideles rem sanctitatis plenam cunctando negligere, vel decedere sine hoc Sacramento Divinis muneribus cumulato, et ad nostram sanctificationem instituto.

§ 9. Apostolici igitur Missionarii, non suae auctoritatis incremento, sed lucro tantum Animarum inhiantes, qua par est sedulitate et diligentia inquirant, an Catholico Gregi, super quo vigilias custodiunt, desit praesentia Pastoris; an difficilis, vel impossibilis sit frequens illius accessus; án fidelis Populus in casu necessitatis versetur; et an demum circumstantiae in unum collectae praemissis consonent exemplis, ac parem exposcant providentiam. Integra porro, sinceraque fide ea omnia quamprimum renuncient Sanctae Sedi, ut re tota sedulo cognita, intimeque perspecta, deliberare possit, an, et cui potissimum Presbytero, tanquam Ministro extraordinario, tribuenda sit haec auctoritas confirmandi, et Episcopale hoc munus obeundi.

§ 10. Ipsi interim Missionarii, quibus datum est exhortari in Doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere, satagant, ut fidelis Populus ab errore ad veritatem, ab odio ad obsequium erga Baptismum Ecclesiae Latinae reducatur, utque Gens illa tandem agnoscat, pia sanctaque ordinatione fuisse dispositum, ut seorsim a Baptismate conferretur Sacramentum Confirmationis iis, qui in provectiori essent aetate, et ad percipiendam virtutem Sacramenti accommodata.

§ 11. Haec quoad primum Dubium. Quo vero ad secundum, licet in sui primordio Catholica Ecclesia haeresim eiurantibus non semel ostenderit dura, ut eos potaret vino compunctionis; ideoque promotos ad Sacros Ordines solius Laicae Communionis participes voluerit; ab hac tamen severitate iudicii successivis temporibus temperatum est, et ipsi Nicaenae Synodi Patres Canone 8 ultro consensere, quod Novatiani in Sacris Ordinibus constituti, ab errore in semitam veritatis reduces, nedum permanerent in Ordine Clericali, sed etiam obtentarum Dignitatum honore (providis tamen adiectis legibus) fruerentur. Hanc quoque piae Matris Ecclesiae lenitatem in amplexum Filiorum occurrentis, experti sunt Donatistae. Siquidem Catholici Praesules, qui gemino adstipulante Edicto Marcellini Proconsulis, eos pro agenda Religionis causa advocaverant in illum Conventum Ecclesiasticis monumentis tantopere celebratum, quo facilius ad verae Fidei cultum, et unitatem allicerent, retentionem gradus Episcopalis antea adepti, veluti quoddam conciliandae pacis praeliminare, illis consulto obtulere.

§ 12. Praeclara haec lenitatis argumenta attento Nobiscum animo repetentes, aequum visum est, ut Parochi Ritus Cophti, valide tamen ac rite ordinati, qui ex atra errorum, in quibus versabantur, caligine, in lucem Catholicae veritatis emergunt, capaces sint etiam inter Catholicos Administrationis Sacramentorum Parochialium, qua prius in Schismate potiebantur, quamvis haec ipsa spiritualis auctoritas, nullo existente Parocho Catholico, tributa etiam sit Patribus Missionariis, et ab illis exerceatur. Hanc autem capacitatem, quae singulis inest, ita temperandam esse decernimus, ut non omnes indistincte hoc Pastorale munus sibi assumant, sed ii tantum, quos Vicarius Generalis Dominico Gregi praefecerit; qui pietate, castis moribus conspicui sint; qui bonorum exemplo praeluceant; et in quorum reditu ad Ecclesiam nihil fictum, aut simulatum, sed certum sincerae conversionis indicium deprehendatur.

§ 13. Praeterea qui a Vicario Generali inter alios praeelecti fuerint, abstineant ab exercitio dictae auctoritatis, quousque non reportaverint necessa-

riam in utroque foro absolutionem, rehabilitationem, necnon dispensationem ab Irregularitate, Censuris, et poenis, lapsis in Haeresim canonice inflictis. Ritu praeterea Catholico administrent Sacramenta. Nullum eisdem cum Schismaticis in Divinis sit consortium, ex quo haeresis, pravaeque mentis suspicio suboriatur; sed interiecto cum Schismaticis pariete, corde puro, conscientia bona, fide non ficta, praecepta Matris Ecclesiae, quae denuo eos in Christo genuit, intemerate custodiant.

§ 14. Ex hac porro indulgentia uberem in dies spiritualium gaudiorum messem expectamus, lucrum scilicet Animarum ad gremium Ecclesiae redeuntium. Probe enim intelligent, Nos Pastoris Iesu Christi vicem in Terris tenentes, tantum quaerere, et salvum velle, quod perierat; ovesque inventas non virga timoris, sed officio charitatis, ad Ovile congregare.

§ 15. Nec conqueri iure poterunt Missionarii suam auctoritatem hoc pacto videri imminutam, si opportune in memoriam revocaverint, quae ab eorum Patre, et Institutore S. Francisco in suo Testamento scripta leguntur: *Et si haberem tantam sapientiam, quantam Salomon habuit, et invenirem pauperculos Sacerdotes in Parochiis, in quibus morantur, nolo contra eorum voluntatem praedicare.* Cui sententiae consona sunt documenta S. Bonaventurae in suo Tractatu, *Quare Fratres Minores praedicent: Temperatissime,* inquit Sanctus Doctor, *disposuit divina Sapientia, et instituit Sedes Apostolica, ut per Ordines praenotatos in praedicatione, et Confessione defectus Cleri suppleatur, et Animae salventur, et nec in spiritualibus, nec in temporalibus Ius Clericorum aliquatenus minuatur.* Parique censura, in simili negotio cum Graecis Melchitis nuperrime discusso,[1] a Nobis definitum est: *Licere tantum Fratribus Ordinis Minorum Sancti Francisci Custodiae Terrae Sanctae Parochialia munia obire circa Graecos Melchitas, eisque Sacramenta administrare in iis locorum, et temporum circumstantiis, quibus omnino deficiat modus habendi Parochum, aut alium Antistitem Graeci Ritus.*

§ 16. Neque etiam perperam timeant Missionarii sibi in Vinea Domini tanquam Operariis tota die otiosis, et a bono opere torpentibus, nullam, vel exiguam occasionem impendendi laboris esse relictam. Praedicandum est ab illis sanctum Christi Evangelium, et docenda Mysteria Christiano Homini necessaria ad aeternam salutem; explicanda vitia, quae declinare, virtutes, quas sequi oporteat; adhibenda medela sauciatis per Sacramentum Poenitentiae; tum alia quoque administranda sunt Sacramenta in subsidium Presbyterorum Ritus Cophti; nihil demum derelinquendum est, quod ad Animarum salutem, et Religionis incrementum pertinere possit. Potissima tamen sollicitudo conferenda est, ut Sacerdotes Cophti a Fidei unitate, rectaque semita declinantes, erroris depulsa caligine, ad unionem, et amplexum Catholicae Ecclesiae revocentur, eorumque numerus augeatur; hoc enim pacto Vinea Domini Sabaoth reflorescet, optatumque fructum salutis, benedicente Domino, dabit in tempore suo.

§ 17. Ad tertium, et quartum Dubium gradientes, pro faciliori et accuratiori illorum examine iuvat praemittere, verificari practice et in concreto

[1] Cf. N. 338.

apud Cophtos, quod in abstracto, et pro suo ingenio disputant inter se Latini Theologi, et Canonistae, de Ordine sacro Infanti ante rationis usum, vel ante pubertatem collato. Praematuram huiusmodi Ordinationem apud Cophtos veteri usu, et disciplina invaluisse testatur Pater Thomas a Iesu dicto Opere *de Conversion. Gent.*, lib. 7, pag. 361: *Conferuntur,* inquit, *Ordines, excepto Presbyteratu, omni aetati, etiam immediate post Baptismum Parvulis, simulque dantur Tonsura, et quatuor Gradus, et Diaconatus, et Subdiaconatus; nec hisce conferendis interstitia, vel tempora particularia determinata sunt. Ubi Sacros Ordines recipiunt, castitatem, et abstinentiam pollicentur, ieiunare videlicet diebus Mercurii, et Veneris, et tempore Adventus, et Quadragesimae, etc. Insuper etiam Quadragesimis Apostolorum Petri et Pauli, et Assumptionis. Quando autem Infantulis, aut Pueris, Sacri Ordines conferuntur, pro eis spondent, et haec vota observant Ipsorum Parentes, donec decimum sextum aetatis Annum, aut circiter exegerint.*

§ 18. Hanc quoque vigentem inter Cophtos consuetudinem assumendi ad Ordinem Diaconatus constitutos in aetate infantili, confirmat suo testimonio Carolus Franciscus a Breno *in Manuali Mission. Oriental.*, Tom. I, lib. 3, cap. 2, num. 5; idemque usus evincitur in Literis B. Bernat, Missionarii Societatis Iesu datis anno 1706. Cairo ad P. Solerium, magni nominis, probataeque doctrinae Bollandistam: memoratis in iisdem literis *Cophtorum,* seu *Iacobitarum* moribus et institutis, advertit, Diaconos promotos in aetate sex vel septem Annorum, in immensum excrevisse numerum, caeteroquin necessarium, ne Ecclesia debitis fraudetur obsequiis; neve Divina Mysteria absque decenti Ministrorum cultu et frequentia celebrentur, quemadmodum videre est *in continuatione Bollandi* tom. 5, Mens. Iun., pag. 132.

§ 19. Nemo adeo rudis est, qui ignoret in Ecclesia Occidentali diversos Ordines, et Ministrorum Gradus fuisse institutos, et in sua rite tempora dispositos. Prima etenim Tonsura initiandi sunt praediti usu rationis; qui in septimo aetatis Anno praesumitur. Minoribus vero Ordinibus licet determinata aetas a Sacris Canonibus praestituta non sit, adhuc a septimo ad decimum quartum Annum conferri solent, concurrentibus tamen in Ordinando qualitatibus desideratis a Tridentino sess. 23, *de Reform.*, cap. 5 et 11. Porro eiusdem Tridentinae Synodi lege cautum est, ad Subdiaconatum aetatem vigesimi secundi Anni, ad Diaconatum vigesimi tertii, ad Presbyteratum vigesimi quinti, ad Episcopatum trigesimi esse necessariam; eo tantum inter Sacros Ordines et Episcopatum recurrente discrimine, quod pro Sacris Ordinibus satis sit unius, vel alterius respective Anni inchoatio, pro Episcopatu vero complementum trigesimi Anni requiratur.

§ 20. Si tamen in huiusmodi provide institutarum Legum contemptum contingeret fortasse ab Episcopo legitima auctoritate suffulto non solum Minores, sed etiam Sacros Ordines Infanti conferri, concordi Theologorum, et Canonistarum suffragio definitum est, *validam,* sed *illicitam* censeri hanc Ordinationem, dummodo nullo laboret substantiali defectu materiae, formae, et intentionis in Episcopo Ordinante; non attenta contraria sententia, quae raros habet Asseclas, et quae supremis Tribunalibus, et Congregationibus Urbis numquam arrisit. Aeque tamen certum et exploratum est, per hanc

Ordinum collationem non subiici Promotos obligationi servandae Castitatis, nec aliis oneribus ab Ecclesia impositis; cum electio status a libera cuiusque pendeat voluntate, et Altissimo nostra, non autem aliena, vota reddere teneamur.

§ 21. Obsolevit enim vetus illa Ecclesiae Disciplina, quae coacte, aut per vim Promotos ad Sacerdotium, et Episcopatum, duro subiiciebat iugo servitutis, et observationis onerum et legum cuicumque Ordini impositarum, spreta quavis protestatione Ordinati, vel Promoti, contra vim illatam, spretaque declaratione animi a suscepto Ordine abhorrentis. Insuper licet usque ad saeculum duodecimum consueverint Parentes Filios in infantili aetate positos in sacris Monachorum Coenobiis devovere, et divino Famulatui mancipare, perpetuo vetito egressu e septis Monachorum; attamen mitioribus Clementis III,[1] Coelestini III,[2] et Tridentinae Synodi Decretis[3] abrogata fuit Lex illa, contra quam naturae, et liberi arbitrii iura clamare videbantur.

§ 22. Non desunt tamen graves Theologi, qui accuratiori etiam examine rem intime scrutentur. Aiunt siquidem, Infantes promotos ad Sacros Ordines, ubi sui compotes iam fuerint, diserte esse interrogandos super intentione permanendi, nec ne, in Ordine sibi collato. Si firmo deliberatoque animo palam assenserint, eo casu censent eos obstringi voto Castitatis; sin minus, licitum sit eisdem ad saecularia vota transire, suspensa exercendi Ordinis potestate.

§ 23. Alium expendunt casum Theologi, Ordinis suscepti post usum rationis, sed ante pubertatem. Affirmant ita Ordinatum tunc solum obligari voto servandae Castitatis, quando Ordinationem *expresse* ratam habuerit, vel *tacite* aliquo exteriori signo, puta quia ministraverit in Ordine suscepto, vel quia pensum diurnum horarum Canonicarum more aliorum absolverit. Quousque ratihabitio non superveniat, iidem Theologi nullam Ordinato imponunt obligationem recitationis Officii Divini; immo censent tamdiu interdictum exercitium Ordinis suscepti, quamdiu Ordinatus in aetate impuberi attingat alteram aetatem a sacris Canonibus Promovendis rite praestitutam.

§ 24. Expensa huc usque in abstracto ad tramites Legum Canonicarum, quibus Ecclesia Occidentalis informatur, facilem viam sternunt resolutioni non solum tertii Dubii, in quo quaeritur: *An Diaconis Ritus Cophti licitae sint primae, et ulteriores Nuptiae*, sed etiam quarti, in quo quaeritur: *An dicti Diaconi teneantur Divinum Officium recitare.*

§ 25. Et sane si Missionarii, qui Dubia proponunt, ultro consentiunt, apud Cophtos Ecclesiasticam Hierarchiam perseverare in suis Ordinibus, et gradibus apte dispositam; si sacrae illae Ordinationes nullo laborant substantiali defectu ex parte materiae, vel formae; si demum, sublato illo, qui olim aderat, dissidentium opinionum conflictu, nemo est, qui hodie validam non fateatur Ordinationem a Ministro etiam Schismatico factam: necessario sequitur, ut quemadmodum in Ecclesia Occidentali *valide* conferuntur Or-

[1] C. 12, X, *de regularibus et transeuntibus ad religionem*, III, 31.
[2] C. 14, X, *de regularibus et transeuntibus ad religionem*, III, 31.
[3] Sess. XXV, *de regularibus*, c. 15, 17.

dines Sacri etiam Infantibus; ita Cophtis sacer Diaconatus Ordo in infantili aetate *valide* conferatur.

§ 26. Immo si in Ecclesia Occidentali, ut praemissum est, eximuntur ab obligatione recitationis Divini Officii non solum Pueri, sed etiam Impuberes assumpti ad Ordinem sacrum, nisi confirmata iam aetate suam Ordinationem expresse, vel tacite ratam habeant: ex paritate rationis idem ferendum est in hac quoque parte iudicium de Diaconis Ritu Cophto in tenera aetate ordinatis, recurrente in uno, et in altero casu defectu liberi assensus, singulis ad electionem, et professionem status necessarii.

§ 27. In Concilio Toletano II relato in Can. *De iis, dist.* 28, ubi sermo instituitur de iis, *quos voluntas Parentum a primis Infantiae annis Clericatus Officio mancipavit,* haec disciplinae regula opportune praescribitur: *Ubi octavum decimum aetatis suae compleverint annum, coram Cleri Plebisque conspectu voluntas eorum de expetendo Coniugio ab Episcopo perscrutetur, quibus si gratia Castitatis Deo inspirante placuerit, Subdiaconatus Ministerium, habita probatione Professionis suae, a vigesimo anno suscipiant etc. Quibus autem voluntas, propriae interrogationis tempore, desiderium nubendi persuaserit, concessam ab Apostolo licentiam auferre non possumus.* Canonicae huius sanctionis litera aperte edocet, Infantes a Parentibus Ecclesiasticis Ministeriis dedicatos, exacto decimo octavo anno ab Episcopo interrogari oportere, an velint in sancto perseverare proposito, vel temporale inire Coniugium. Ab huiusmodi recte agendi semita non deflectat Praefectus Missionis, sed Diaconos in prima aetate ordinatos aperte interroget per se ipsum, si commode fieri possit; sin minus, per alium a se deputatum, et quae illorum sit mens et voluntas, diligenter exploret.

§ 28. Haec porro interrogatio, et inquisitio fiat postquam Diaconi Decimum Sextum aetatis Annum excesserint; consonum quippe est, Diaconos eo tempore deliberare, quo, iuxta Tridentini Decreta,[1] in quacumque Religione tam Virorum, quam Mulierum solemnia Castitatis, Paupertatis, et Obedientiae vota per Regularem Professionem emittuntur. Si completo decimo sexto anno Interroganti responderint, nolle diutius in Diaconali Officio persistere; liceat illis primum, eoque legitime soluto, alterum quoque inire Matrimonium. Certiores praeterea fiant nulla Ecclesiastica lege, vel praecepto, ad recitandum Officium Divinum, vel preces a Clero Cophto usitatas compelli.

§ 29. Nec turpe videri debet, aut indecorum, Diaconis a quavis Ecclesiastica Lege solutis aditum ad iteratas Nuptias aperiri. Pro libertate secundi Matrimonii Sacrae clamant Literae, et Doctoris Gentium saluberrima consilia. Ad Foeminas sermonem instituens Apostolus in Epistola ad Romanos, cap. 7: *Si autem,* inquit, *mortuus fuerit Vir eius, liberata est a Lege Viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio Viro.* Et in II ad Corinth., cap. 7: *Dico autem non Nuptis, et Viduis: Bonum est illis, si sic permaneant, sicut et Ego. Quod si non se continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri.* Demum Epist. I ad Timoth., cap. 5 florentis aevi Viduas denuo ad Matrimonium, et ad sobolem procreandam hortatur, ne forte in contemptum Casti-

[1] Sess. XXV, *de regularibus,* c. 15.

tatis sordibus incontinentiae coinquinentur. Qua freti auctoritate Orientalis Ecclesiae Patres graviter erroris arguunt, et tamquam haereticos damnant, qui putant, post primae Uxoris obitum nefas esse ad secunda vota transire, ut videre est apud Petrum Arcudium *de Concordia Eccles. Occident. et Orient.*, lib. 7, c. 27.

§ 30. E contra si Diaconi Ritus Cophti, completo decimo sexto anno, interroganti, et illorum voluntatem inquirenti serio ac deliberate responderint, velle se in adepto Ordine perseverare, et Ecclesiasticis vacare muneribus; eo casu sub districti severitate iudicii Secundae Nuptiae illis aperte interdicantur, clamante Apostolo, Ep. I ad Timoth., cap. 3: *Diaconi sint unius Uxoris Viri.*

§ 31. Insuper, cum Personas Deo consecratas maxime puritas, sanctitasque deceat, provide *Canones Apostolici* 17 et 18, quos praecipua veneratione, et cultu Ecclesia prosequitur, prohibent Episcopis, Presbyteris, et Diaconis nedum *bigamiam propriam*, quae profluit ex secundo Matrimonio, sed etiam *similitudinariam*, ortam ex primo Matrimonio cum Vidua, vel Corrupta, contracto. Disposita per Canones Apostolicos innovata fuerunt in Canone 3 Concilii Trullani; cuius auctoritas licet in Ecclesia Occidentali recepta non sit, illam tamen Orientalis Ecclesia suscipit, et veneratur. Alexius Aristenus (magni nominis apud Orientales Auctor, quemadmodum Balsamon, et Zonaras inferiori loco citandi) praefati Canonis Trullani Glossator, ita scribit: *Illum qui binis implicatus est Nuptiis post Baptismum, aut Pellicem retinet, aut Viduam, aut ab alio dimissam, aut Meretricem, aut Servam, aut Scenicam ducit, non posse Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, aut Hypodiaconum fieri, iuxta decimum septimum et decimum octavum Apostolorum Canones, decernunt.*

§ 32. P. Bernat apud Bollandistas *loc. cit.* propius ad rem accedens, testatur Diaconos Cophtos vinculo secundi Matrimonii alligatos *adepto gradu excidere*, et ab Ordinis antea collati ministerio suspendi. Nec sane deest huic Disciplinae satis firmum rationis praesidium. Cum enim Diaconi opportuno tempore interrogati, libero et deliberato actu voluntatis ratam Ordinationem habuerint, et novum quoddam vitae genus ratificando elegerint, ac professi fuerint; deliberato pariter voluntatis actu censendi sunt se subiecisse Legibus Ordini ratificato, et vitae instituto necessario connexis, ac Legi praesertim prohibenti secunda Connubia, et Bigamiam, adeo ut nefas sit a proposito resilire.

§ 33. Toti hactenus fuimus in examine secundarum Nuptiarum. Nunc vero aliqua *de primis* attingenda sunt, ut singulis propositi Dubii partibus satis fiat.

§ 34. Quamvis antiquissimo tempore, ad augendam Clericalis Militiae Sanctitatem, utraque Ecclesia Occidentalis, et Orientalis aeque praescripserit, nedum Presbyteros, sed alios etiam in SS. Ordinibus constitutos in perpetuo Coelibatu versari debere, et hanc custodiendae Castitatis obligationem numquam remiserit aliarum Mater et Magistra Romana Ecclesia: secus tamen contigit tractu temporis in Ecclesia Orientali, ut aperte evincitur ex Can. *Aliter*, dist. 31; cap. *Quaesitum, de poenit. et remiss.*; et cap. *Cum olim, de Cleric.*

coniugat. Quibus sanctionibus consonae sunt Literae Apostolicae felic. record. Gregorii XIII Praedecessoris Nostri datae ad Patriarcham Maronitarum, legendae apud Thomam a Iesu in supra memorato Opere, pag. 490 ibi: *Cum Stephanus Papa tradat, Orientalium veterem esse traditionem, ut eorum Sacerdotes Matrimonio copulati sint, cumque id illis numquam interdixerit Ecclesia, nec videtur interdicendum Maronitis; Lex enim Coelibatus semper gravis visa est Graecis, propterea Coniugium permissum est illis etc. Permittendum id itaque videtur Maronitis, dummodo ad Matrimonium non compellantur, qui coelibes esse vellent, sed ad id potius piis hortationibus inducantur.*

§ 35. Iunguntur Matrimonio Graeci in Minoribus Ordinibus constituti, et Uxore retenta, ad maiores Ordines, et ad Sacerdotii gradum rite promoventur. Ubi tamen contigerit, eos in Statu Coelibi Sacris Ordinibus insigniri, a quacumque spe contrahendi Matrimonii deiiciuntur, ut fuse edocet *Gloss.* in Can. *Diaconi,* dist. 28.

§ 36. Quin obstet declaratio, et protestatio de expetendo Coniugio in ipsa susceptione Ordinis Sacri emissa a Diaconis, qua concurrente, compatibiles videntur Nuptiae cum simultaneo Diaconatus Ministerio, ad praescriptum Canonis 10 Concilii Ancyrani, relati in Canone *Diaconi,* dist. 28: *Quicumque Diaconi constituti, in ipsa ordinatione protestati sunt, et dixerunt, oportere se Uxores ducere, cum non possint sic manere, ii si Uxorem postea duxerint, in ministerio maneant, eo quod hoc sit illis ab Episcopo concessum; si qui autem, hoc silentio praeterito, et in Ordinatione, ut ita manerent, suscepti sunt, postea autem ad Matrimonium venerunt, ii a Diaconatu cessent.* Siquidem Balsamon, qui Canonem illum accurate expendit, expresse reiicit in illo disposita, inquiens: *Hunc Canonem ne sequaris*; et innixus solidiori doctrinae Sexti Canonis Synodi Trullanae, inefficacem esse concludit assensum dictae protestationi quoquo modo praestitum ab Episcopo Ordinante: *Sextus enim Canon* (sunt illius verba) *Synodi in Trullo deponendos decernit Presbyteros, et Diaconos, qui post Ordinationem matrimonium contraxerint. Quod fit autem contra Canones, nec ex permissione Episcopali, nec ex eo tantum, quod tacuerint, concedetur, ut quod consistere nequit.*

§ 37. Eadem est quoque Sententia Zonarae de Canone supra relato Concilii Ancyrani; immo ad removendam antinomiam duorum Canonum, nempe Ancyrani, et Trullani, qui inter se colliduntur, sextae Synodi Decreta sequenda proponit: *Cum igitur sibi invicem hi Canones manifeste adversentur, sextae Synodi Canon, qui et posterior fuit, et magis cum Apostolico Canone consentit, servari debet.* Nec diversimode etiam sentit Aristenius, qui in hoc auctoritatum conflictu adhaeret partibus Concilii Trullani. Ait enim: *Sed huic Canoni opponitur sextus sextae Synodi Canon, non omnino ei, qui coelebs ad Hypodiaconi, aut Diaconi, aut Presbyteri gradum venit, concedens Matrimonio sibi Foeminam coniungere, sed eum, qui hoc ausus fuerit, deponi iubens. Et vim retinet ille Canon; sed hic in desuetudinem abiit.*

§ 38. Diu multumque agitata est inter Theologos controversia illa, plena iurgii ac dissidii: an solum illicitum, vel potius illicitum et invalidum reputari deberet Matrimonium initum in Ecclesia *Orientali* post collationem Sacrorum Ordinum, quemadmodum nullum et irritum reputatur in Ecclesia

Occidentali. Placuit sane pluribus, *validum*, sed *illicitum* censeri debere huiusmodi matrimonium, tum quia Canonicae Sanctiones, et Decreta Ecclesiae Occidentalis illud irritantia protendi non possunt indole sua ad Ecclesiam Orientalem; tum quia Canones Synodi Trullanae, quorum semper a Graecis commendata fuit auctoritas, nullibi expresse annullant, et irritant matrimonium post Sacros Ordines contractum. Strenue contra pugnarunt alii pro omnimoda invaliditate. Et saniori certe consilio; utpote tuentes sententiam maioribus suffragiis suffultam, et menti Congregationum Urbis consentaneam. Nullitatem Matrimonii satis erui posse iudicarunt ex ipso Can. 3 Concilii Trullani his verbis: *Eis nefario videlicet dissoluto Coniugio.*

§ 39. Favet etiam eidem Sententiae auctoritas Imperatoris Iustiniani, qui in Codice a Gothofredo illustrato lib. 1, *de Episcop. et Cleric.*, Novell. 45 huiusmodi Nuptias nefarias, et incestuosas appellat; et soboli inde procreatae notam illegitimitatis, et turpem Paternae incontinentiae maculam inurit. Et licet in Iuribus Ecclesiasticis Potestati Laicae sola relicta sit gloria obsequendi, non auctoritas imperandi, in subiecto tamen casu loquitur Imperator relative ad SS. Canones, ibi: *quae et Sacris visa sunt Canonibus.*

§ 40. Omnia itaque in unum perstringentes, si, ex hucusque dictis, Graecis ad Ordines Sacros iam promotis expresse vetitae sunt non solum *secundae*, sed *primae* etiam Nuptiae; pari sane iure in proposito themate prohibenda est Diaconis ordinatis in tenera aetate celebratio *quarumcumque Nuptiarum*, postquam ipsi in aetate iam confirmata, serio deliberatoque animo consensere in Ordinationem iamdiu susceptam, illamque publica declaratione ratificarunt; proindeque Patribus Missionariis omnis adimitur potestas super hoc dispensandi.

§ 41. Nec opitulari quoquo modo potest Cophtis salutare propositum eiurandi Schismaticorum errores, seque devovendi ex animo unioni Catholicae Romanae Ecclesiae. Si enim Divina tantum adspirante aura, nulloque humano impellente consilio, in piae Matris gremium se receperint, et ad Nos confugerint, facile etiam intelligent, eiusdem Catholicae Ecclesiae Disciplinae et observantiae eos conformari oportere; ideoque subiici legi Coelibatus, quam Promoti ad Ordines Sacros, sive Latini sint, sive Graeci, in Romana Ecclesia sancte et inviolate custodiunt.

§ 42. Imminet etiam Diaconis ratam habentibus suam Ordinationem onus dietim recitandi Officium divinum; de quo instituitur quaestio *in quarto Dubio.*

§ 43. In Ecclesia Occidentis imposita est Presbyteris, Diaconis, et Subdiaconis dicta obligatio, quamvis nullum Ecclesiasticum Beneficium fuerint assequuti. Cohaeret enim Ordini Sacro diurnum pensum Horarum Canonicarum; illudque veteri traditione acceptum, et immemorabili consuetudine in more positum fuisse, docet communior Theologorum opinio.

§ 44. Quantum assequi potuimus coniectura, et testimonio Monachorum Ritus Cophti in Urbe degentium, quos ea de re percunctari non praetermisimus, Diaconi, Subdiaconi, et Presbyteri Ecclesiae Orientis nulla lege expressa, Canone, aut Concilii Decreto adiguntur ad recitationem Officii Divini; quia vero positi in huiusmodi ministerii gradibus tenentur Omnipo-

lenti Deo orationes, et sacrificium laudis offerre, etiam apud Orientales laudabilis invaluit consuetudo recitandi Divinum Officium.

§ 45. Memoriae proditum est, Patriarcham Maronitarum plura proposuisse Dubia Praedecessori nostro Gregorio XIII, ut supremo illius, et Apostolicae Sedis iudicio definirentur. Legitur § 6 hoc potissimum: *Creamus*, inquit Patriarcha, *Pueros quinque vel sex Annorum Subdiaconos, sine obligatione legendi Horas Canonicas.* En Apostolica Definitio relata in saepe memorato Opere P. Thomae a Iesu: *Tenentur etiam omnes Ordinati ad Horas Canonicas, saltem illi Nationi consuetas, et a Viris doctis recognitas, non solum Beneficiati, sed etiam qui sunt in Sacris, sine Beneficio.* Qua de re, si Disciplina Ecclesiae Orientalis subiicit obligationi et praecepto recitandi Officium Divinum *more Nationis* generatim omnes in Sacro Ordine constitutos; eadem sane obligatio, idemque praeceptum persolvendi Horas Canonicas *more suae Nationis* afficiet Diaconos Cophtos, qui per solemnem ratificationem tempore habili emissam denuo assensum praestitere Ordini Sacro in infantili aetate suscepto.

§ 46. Satis haec videri possunt pro examine tertii, et quarti Dubii, semper tamen prae oculis habita firmiterque retenta hypothesi, quod quaestio usque modo instituta referenda sit ad Diaconos ordinatos in prima aetate Ritu Cophto inter Schismaticos, qui post reditum ad Orthodoxam Ecclesiam, et post ratihabitionem Ordinis factam apud Catholicos in statu coelibi, vindicent sibi postea legitimi Iura Coniugii.

§ 47. At suspicari Nobis non temere licet, crebrius in praxi alium dari casum a praemissa hypothesi longe diversum. Saepissime etenim contingit, a Diaconis apud Schismaticos in aetate infantili ordinatis, ubi aetas adolevit, ratam haberi apud eosdem Schismaticos Ordinationem, si non expresse, saltem tacite, v. gr. ministrando in Ordine suscepto; et ab ipsis subinde contrahi Matrimonium. Demum ab erroribus, in quibus versantur, quaerunt in sinu Catholicae Ecclesiae salutare perfugium, sub spe tamen obtinendae Dispensationis super Matrimonio iam inito, ut in statu coniugali legitime perseverent.

§ 48. Casus iste quo frequentior est, eo etiam explicatu difficilior. Etenim si, ad tramites iam expensarum rationum, ipso iure irrita sunt Matrimonia post Ordinem Sacrum contracta, necessario sequitur, Diaconos in reditu a schismate ad unitatem Ecclesiae non posse pedes tenere in diversis, unum in Divinis, alterum in carnalibus, sed illico separari debere, a quovis Uxoris consortio. Quis erit tamen, qui non agnoscat ac fateatur, hanc separationem gravem obicem obtrudere properantibus in viam salutis, ac plurimum obstare, ne inita de Conversione consilia ad exitum perducantur.

§ 49. E contra vero si facile cum Diaconis dispensetur in Matrimonio post Sacrum Ordinem contracto (quod tamen omnino novum, ac inusitatum non esset, ut perperam nonnulli arbitrantur), ineluctabiles sese obiiciunt difficultates in dicta dispensatione exequutioni demandanda. Siquidem cum apud Fideles, etiam Ecclesiae Orientalis, nulla sint et irrita Matrimonia post Ordines Sacros celebrata; dispensatio grave illis scandalum ingereret, et acerbe quererentur, maximum infligi vulnus Ecclesiasticae Disciplinae.

§ 50. Insuper cum res sit de matrimonio in radice nullo; dispensatio suffragari non posset, nisi renovato, ac denuo in faciem Ecclesiae rite praestito a Coniugibus consensu. Hanc vero renovationem consensus novam omnino putarent Cophti, vel fortasse refugerent, tamquam plenam aleae; probe intelligentes, unum, et alterum Coniugem posse pro libito abstinere a praestando assensu, immo potiri facultate sese in libertatem vendicandi.

§ 51. Caeterum, ut mox innuimus, indubiis Ecclesiasticae Historiae monumentis edocemur, alias dispensatum fuisse, ut Orientales ad Unitatem redeuntes perseverarent in foedere Matrimonii post Sacros Ordines contracti. Exemplum huiusmodi dispensationis exhibent Apostolicae Literae fel. rec. Innocentii IV Praedecessoris Nostri Anno 1244 datae ad Magistrum et Priorem Fratrum Praedicatorum Terrae Sanctae, quibus idem Pontifex inter alia indulget, ut per Fratres dicti Ordinis, *qui deputantur ad praedicandum Iacobitis, Neostritis, Giorgianis, Graecis, Armenis, Maronitis, Mossolinis, aliisque Nationibus in Partibus Orientalibus constitutis etc. dispensari valeat, ut illi ex Nationibus numeratis, qui post susceptionem Sacrorum Ordinum, vel in gradibus, et casibus a Divina minime Lege prohibitis, matrimonia contraxerunt, remaneant in eisdem.* Extat dictarum literarum Exemplar authenticum Romae in Archivo Ordinis, exscriptum ad fidem Autographi asservati in Coenobio Viterbiensi, ut videre est in novissimo Bullario Dominicano, edito et illustrato ab Antonino Bremond dicti Ordinis Alumno, tom. I, pag. 136.

§ 52. Sed haec exempla tanti non sunt, ut Nos statim ea sequi velimus. In hoc gravi negotio, in quo multa desunt, quae scitu digna sunt, haeremus adhuc; et praecipuum Pontificiae sollicitudinis munus esse intelligimus, nihil intentatum relinquere, quod ad singulas circumstantias enucleate assequendas pertinere possit.

§ 53. Partes erunt igitur Vicarii Generalis, ac praefecti Missionis, caeterorumque Missionariorum, ad quos praesentem Instructionem deferri volumus, Articulis infra subiectis congruum ac dilucidum exhibere responsum, Nosque certiores quam primum efficere, ut tandem firmo, ut aiunt, pede deliberare possimus.

I. An spes ulla affulgeat proximi reditus alicuius Episcopi ad sinceram cum Catholica Ecclesia Unitatem.

II. An rebus in eo, in quo hodie sunt, statu manentibus, expediat, tribui uni, vel pluribus Presbyteris facultatem extraordinariam administrandi Sacramentum Confirmationis: cui, vel quibus dicta facultas tuto delegari possit, ut Sacro Chrismate praecipue liniantur Filii orti a Parentibus Catholicis post haeresim eiuratam, et abluti Sacro Baptismate, saltem a Sacerdote Latino.

III An in casu concessionis huiusmodi facultatis expediat monere Sacerdotes, ne ea utantur administrando Confirmationem Infantibus immediate post Baptismum (nisi in casu necessitatis), sed in ea tantum aetate, qua Confirmandus virtutem Sacramenti valeat mente percipere.

IV. An Diaconi Ritus Cophti attingant hodie eximium illum numerum, qui a Scriptoribus praefertur. An Diaconi ordinati in aetate puerili, mini-

strent adulti in Ordine suscepto, et in statu coelibi, ita ut inferri possit, eos ante Nuptias ratam Ordinationem habere; cum compertum sit, teste P. Benart, *eos a Puero functionibus Ecclesiasticis assuescere*, et in magno numero ordinari, *ne aliquando desint, qui Ecclesiae Ministeriis operam navent.*

V. An et quomodo tolli possit, et radicitus extirpari abusus conferendi Ordines ante legitimum tempus, et induci, quoad aetatem Ordinandorum, observantia Decretorum Concilii Tridentini, quam in casu simili, ad Catholicae Fidei praesidium, et Disciplinae Ecclesiasticae augmentum, Gregorius XIII plurimum commendavit Patriarchae Maronitarum in illis verbis: *Inducendi sunt Maronitae, ut Concilii Tridentini Decreta observent sess. 23, cap. 12.*

VI. An plus commodi et utilitatis vel potius scandali et detrimenti allatura sit rei Catholicae Dispensatio super Matrimonio inito post Ordines Sacros, libratis in utramque partem omnium rationum et circumstantiarum momentis.

§ 54. Enixe demum expetimus ea omnia, quae Evangelici Praecones, ad Animarum salutem, ad Catholicae Fidei propagationem, et spirituale solatium Nationis illius, quam intima complectimur charitate, opportuna esse cognoverint. Interim Deum, a quo sancta desideria, recta consilia, et iusta sunt opera, enixe rogantes, ut Ovibus, ac Pastoribus suorum charismatum dona multiplicet, eisdem optati eventus auspicem, Apostolicam Benedictionem ex animo impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 511-522].

358.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Libentissime*, 10 iun. 1745.[1]

Libentissime quidem amplectimur, quae Nobis offeruntur, occasiones ad Vestros animos excitandos, ut Ecclesiasticae disciplinae reparandae sedulam curam conferatis. Etenim Summi Pontificatus dignitati, ad quam Nos, licet immerentes, evecti fuimus, coniunctam esse intelligimus sollicitudinem aliarum Ecclesiarum, Nobisque commendatam, qui plane tenuitatem virium nostrarum non ignoramus.

§ 1. Cum itaque praesentium literarum argumentum totum sit de ieiunio, quod tempore Quadragesimae, veteri Ecclesiae instituto ac lege, Fidelibus indicitur; supervacaneum ducimus longam orationem conficere de Quadragesimae Institutione, et Patrum, et Conciliorum omnes super hac re in medium proferre auctoritates. Difficile id quidem Nobis parum videretur: sed potius alienum, et nullo modo consentaneum Vobis, quos doctrinae laude, Canonum, et Sacrae Historiae cognitione praestantes arbitramur. Porro ad scribendas has literas adducti fuimus gravissimis illis verbis Tridentinae Synodi, quae sess. 25, *de Reformat.* praecipit Episcopis, omne stu-

[1] Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, et Episcopis universis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus.

dium impendere, ut Fideles ipsorum curae traditi magna religione perficiant ea, quae a Sacris Canonibus praescribuntur: *Ut illis omnibus, et iis praecipue sint obsequentes, quae ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus, et ieiunia.*

§ 2. Ubi primum Bononiensem Ecclesiam administrandam suscepimus (ad quam beneficio Clementis XII fel. rec. ab Sede Anconitana translati fuimus) Mandatum evulgavimus (quod Libro primo Institutionum Nostrarum pro Viris Ecclesiasticis decimoquinto loco continetur). In illo plures difficultates indicavimus, ob quas minime solvendos Ieiunii legibus putabamus illos, qui ob legitimam causam, et legitima prius auctoritate interposita, Quadragesimae abstinentiam non observarent, minime, inquam, solvendos a ieiunio, ita ut liceret ipsis quolibet die mensam bis instituere, non unica vice, vespertina superaddita Refectione, quae permitti ieiunantibus consuevit.

§ 3. Tandem in hac Pontificia Sede collocati, rem totam in examen iterum revocavimus, et praestantissimis quoque Viris demandavimus, ipsam diligenter accurateque perpendere, ac suas deinde opiniones Nobis exponere. His peractis, huiusmodi controversiae finem tribuere constituimus, illudque decrevimus, ne ulla in posterum, sive peculiaris, sive generalis pro aliqua Civitate, vel Oppido concedatur facultas adhibendi carnes ad mensam tempore Ieiunii, vel Quadragesimae, nisi conditio servandi Ieiunii, sive unius comestionis, interponatur; et illud quoque monitum addatur, nequaquam licere mensam eandem carne, ac piscibus instruere. Equidem declinatis hac ratione nimium implicatis quaestionibus, existimavimus, unicam singulis diebus comestionem inducere illis etiam, qui carnibus uti, cum Ieiunium indicitur, rite obtinuerunt; et pravam illam consuetudinem, quae apud multos iam nimis invaluerat, penitus evellere, afferendi nempe carnes in mensam cum piscibus, postquam ipsi Quadragesimalis abstinentiae praecepto soluti fuerunt, ob eam potissimum causam, quod grave detrimentum saluti ab esu piscium accipiant.

§ 4. Haec apertissime constant ex nostris Apostolicis Literis, quas in forma Brevis dedimus ad omnes Episcopos Orbis Catholici anno 1741, quarum primae incipiunt: *Non ambigimus*;[1] alterae vero: *In suprema.*[2] Nos profecto nulli unquam elargiti sumus vesci carnibus, cum tempus Quadragesimae, sive aliud Ieiunium praecipitur, nisi indicta, scriptaque conditione, quam superius commemoravimus. Maximam pariter laetitiam percepimus, cum redditae Nobis fuerunt plures Epistolae, ac Mandata vestra, Literis nostris Apostolicis omnino consentanea, quibus pro virili parte contendistis adducere Populos vobis subiectos, ut propositam in illis disciplinam pie servarent.

§ 5. Interim promulgatis iisdem Apostolicis Literis, quas paulo ante nominavimus, plures cavillationes excogitatae sunt a nonnullis, uti Nos antea facili coniectura suspicati fuimus. Plures etiam quaestiones propositae Nobis fuerunt, exigui quidem ponderis ac momenti, quemadmodum Nos opinamur; cum illae, vel ipsius Legis verbis, vel sensu penitus corruant ac dis-

[1] Cf. N. 308.
[2] Cf. N. 314.

solvantur. Attamen Sacro Tribunali nostrae Poenitentiariae, rerum huiusmodi conscio ac peritissimo, easdem quaestiones expendendas commisimus, quibus omnibus plene cumulateque, quoties opus fuit, satisfecit.

§ 6. Archiepiscopus Compostellae, in Hispaniarum Regnis Primus Inquisitor, nuperrime vita functus, longam ad Nos dedit Epistolam, qua plures recensebat difficultates, quae Literis nostris Apostolicis adversabantur, quominus executioni mandarentur; eo quod nonnulli Theologi in diversas opiniones ac sententias abirent in solvendis quibusdam quaestionibus, quibus Literae nostrae Apostolicae causam et occasionem praebebant; ac proinde de illis ludicium Nostrum exquirebat. Equidem Archiepiscopi Literae Nos gravissimis ac difficillimis temporibus occupatos deprehenderunt. Attamen, dum quaestiones in ipsis expositas percurrimus, visum Nobis est non quidem expeti, ut iis quaestionibus responsum fieret, ipsisque solutis, nullum impedimentum, sive obstaculum nostris Literis Apostolicis superesset; sed potius ut obiectis cavillationibus ad optatum finem ipsae minime adducerentur. Accedit etiam, quod Epistola Archiepiscopi multis argumentationibus, et obscuris vocibus redundabat: quamobrem, licet plures hortarentur, ne ullum Archiepiscopo responsum redderemus; illi tamen satisfecimus, res praecipuas ex eius literis delibantes, et quaestiones omnes ad certum numerum redigentes. Primum Nostris occupationibus tribuendum testati sumus, quod tarde ipsi responsum daremus, eius studium commendavimus, etiam magnopere probavimus, quod anceps ac dubius ad hanc Sanctam Sedem confugerit, ut consilium exposceret. Deinde prolatis quaestionibus satisfacere non praetermisimus, illum tamen monentes de instituto Summorum Pontificum, qui leges condere solent, disciplinam decernere, neque ullam habere rationem illorum, qui dubitandi causas obiiciunt, ut quae constituta sunt, perturbent ac evertant.

§ 7. Vix redditis Literis, Archiepiscopus paulo post vitae cursum absolvit. Itaque non immerito suspicamur, responsa Nostra, quae literis continebantur, haud cognita fuisse et perspecta illis, qui quaestiones excitaverant. Post haec alii pariter ex Hispanis Episcopis nonnullas ex iisdem quaestionibus Nobis proposuerunt; quare iisdem responsis usi sumus, quae tradita prius Archiepiscopo Compostellae a Nobis fuerant. Non defuerunt etiam praestantes inter Italos Theologi, qui Literas nostras Apostolicas datas anno 1741 egregiis commentariis illustrarunt. Idem contigit Responso, quod fecimus Archiepiscopo Compostellae *die 8 Iulii 1744*, quod sane integrum suis Libris praefigendum curaverunt.

§ 8. At quoniam Libri eiusmodi ad Vos fortasse nondum pervenerunt, vel curis aliis distenti illos percurrere minime potuistis, his Literis Encyclicis adiungimus illas pariter, quas (uti dictum saepius est) ad Archiepiscopum Compostellae iam pridem scripsimus, ut quae disciplina Vestris in Dioecesibus tenenda sit, plane cognoscatis, ac ne Vos deterreant difficultates, si quae a captiosis hominibus concitentur.

Sequitur tenor Apostolici Brevis superius impressi, num. XCIX, tom. 1, pag. 356. [1]

§ 9. Cum haec ita se habeant, satis muneri nostro fecisse videmur, ne illi, quibus licet carnes edere, cum Ieiunium tempore Quadragesimae, vel extra Quadragesimam Fidelibus praescribitur, unius comestionis limites excedant, ac ne piscibus simul et carnibus parari sibi mensam patiantur, neve cavillationes perscrutentur, ut legi tenebras offundant. Pauca tamen adhuc supersunt, quae remedium a Nobis deposcunt.

§ 10. Siquidem advertimus iam multis abhinc annis non solum plures in qualibet Italiae Urbe, vestra auctoritate, dissolvi a Quadragesimali abstinentia, sed etiam magno studio contenditis, ut universam Civitatem, totamque Dioecesim eadem abstinentia liberemus. Hinc factum est, ut in quibusdam Civitatibus ac Dioecesibus iam per multos annos Fideles universi, absque ullo discrimine, carnibus per Quadragesimam utantur.

§ 11. Id quidem maximam Nobis affert sollicitudinem, eo quod deprehendimus certis Testimoniis, in quibusdam Regionibus Septemtrionis, toto Quadragesimae cursu, lactis et ovorum usum libere permitti, quia per plures annos eandem facultatem petierint, et ab Sede Apostolica consecuti fuerint: quamobrem illi Populi sibi in animum induxerunt, non esse rursus ad Pontificem confugiendum pro huiusmodi facultate impetranda, sed priores concessiones singulis annis acceptas sufficere, ut lactis et ovorum consuetudo per Quadragesimam comprobetur.

§ 12. Praeterea maximi facienda esse ducimus ea verba Trident. Conc. Sess. 25, cap. 18, *de Reform. Sicuti publice expedit, Legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius, evenientibus casibus, et necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat; sic frequentius Legem solvere, exemploque potius, quam certo personarum, rerumque delectu, petentibus indulgere, nil aliud est, quam unicuique ad Leges transgrediendas aditum aperire.*

§ 13. In Literis nostris Apostolicis, quas anno 1741 ad omnes Catholicos Episcopos dedimus,[1] huic corruptelae viam praecludere cogitavimus ea ratione, illisque verbis, quae rursum hic subiicimus: *Debitum igitur Paternae uniuscuiusque vestrum sedulitatis et charitatis officium iure postulat, ut omnibus notum faciatis et annuntietis, nemini quidem sine legitima causa, et de utriusque Medici consilio, multitudini vero, veluti Populo, aut Civitati, aut Genti indiscriminatim integrae, nonnisi gravissima, et urgente necessitate, et in casibus per Sacra Canonum Statuta praescriptis, cum debita Apostolicae huius Sanctae Sedis reverentia, a Quadragesimali Ieiunio dispensationem, toties quoties opus fuerit, concedendam, nec audacter fidenterque usurpandam, nec superbe et arroganter ab Ecclesia, sicut alibi in more positum esse accepimus, esse postulandam.*

§ 14. Porro Nos hanc normam secuti sumus, cum multitudinem, veluti Populum, aut Civitatem integram, Quadragesimali abstinentia immunem declaravimus. In primis loci Episcopus id postutare a Nobis debuit, ac de gravissima, urgentique necessitate suum testimonium interponere. Deinde carnes minime permissae fuerunt, si lactis, et ovorum usus satis esse videretur. Tum vero facultas edendi carnes tribui solum consuevit, cum inter-

[1] Cf. N. 308.

posito Episcopi testimonio id omnino necessarium iudicaretur; nec sufficiens necessitati remedium afferri constaret, si ova solum, et lacticinia concederentur. Quoties autem abstinentia Quadragesimae nostra auctoritate soluta fuit, certos tamen dies praescripsimus, quibus integra abstinentia servaretur, nempe diem Cinerum, dies quatuor temporum, vigilias praecepto obeundas, dies Maioris Hebdomadae a Dominica Palmarum. Quandoque recensuimus etiam totam hebdomadam Cinerum; aliquando etiam indiximus abstinentiam Feriis sextis, ac Sabbatis, etiamsi facultas a Nobis tradita, lactis et ovorum usum solum complecteretur. Postremo eam conditionem semper addidimus, ne ieiunii lex unius per diem comestionis ullo modo violaretur, ac ne simul in mensa carnes et pisces apponerentur.

§ 15. Dum rationem huius consilii nostri serio perpendimus, haud plene acquiescimus, ob eam sollicitudinem ac dubitationem, ne causa ab Episcopo loci prolata, quam Nos legitimam credidimus ad solvendam Quadragesimae abstinentiam, eius naturae fortasse non sit, quae veram et urgentem necessitatem contineat. Quippe illud Nobis semper ante oculos propositum habuimus, ut nihil a ratione alienum, nihil inconsulto ac temere faciamus. Haerent pariter animo defixa Sancti Bernardi verba ad Pontificem Eugenium lib. 3, *de Consideratione*, cap. 4: *Facitis hoc, quia potestis, sed, utrum debeatis, quaestio est, et quomodo.* Attamen fidem praestitimus iis, quibus praestanda fuerat, Episcopis nempe locorum. Non enim allo pacto exerceri potest sollicitudo peculiarium Ecclesiarum, ac Dioecesum, nisi fides habeatur Episcopis, a quibus illae administrantur. Sed in posterum, ut gravissimum hoc negotium tutius, quam fieri possit, geratur, molestum vobis non sit, animum iis advertere, quae subiicimus.

§ 16. Non ignoratis ab Innocentio III Praedecessore Nostro Cap. *Consilium, de observatione ieiuniorum*, inter causas legitimas solvendi abstinentiam a Carnibus ieiunii tempore, recenseri veram, et existentem reipsa aegritudinem: *Praeterea de illis, qui in Quadragesima, vel in aliis ieiuniis solemnibus infirmantur, et petunt sibi esum Carnium indulgeri, respondemus: quod, cum non subiaceat legi necessitas, desiderium infirmorum, cum urgens necessitas exigit, supportare potes et debes, ut maius periculum in eis evitetur.* Idem statuerant multo ante Innocentium III Patres octavi Concilii Toletani Can. 9, quod anno 653 celebratum fuit: *Quisquis absque inevitabili necessitate, atque fragilitatis evidentis languore, seu etiam aetatis impossibilitate, diebus Quadragesimae esum Carnium praesumpserit attentare, non solum erit reus Resurrectionis Dominicae, verum etiam alienus ab eiusdem diei Sancta Communione.... Illi vero, quos aut aetas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante prohibita violare praesumant, quam a Sacerdote permissum accipiant.*

§ 17. Nemo est, qui non intelligat huiusmodi causas satis esse, ut aliqui a Ieiunii legibus et abstinentia immunes existimentur; non autem, ut Populus, vel integra Civitas idem Privilegium obtineat. Quis enim sibi persuadere possit, Cives universos alicuius Urbis, vel Dioecesis, eodem tempore gravissimo morbo teneri, vel in eodem discrimine versari omnes, ut periculosam aegritudinem contrahant? Nisi forte eos morbos intelligamus, qui ab aeris

intemperie, vel infectione promanant, de quibus paulo post verba faciemus. Quis credat unquam, Populum universum alicuius Dioecesis vel communi languore penitus extenuatum, vel extrema senectute confectum?

§ 18. Neque vero causa sufficiens habenda est, ut aliqua Civitas, vel Populus abstinentia Quadragesimali liberetur, ipsique Carnes permittantur, si forte pisces, vel ova caro pretio vendantur. Sicut enim Urbes habent egenos Cives, ita etiam opulentos; e quibus etiam alii vitae sustentationem labore ac sudore sibi comparant; alii vero patrimonio ac divitiis satis superque abundant. Itaque, si pro emendis piscibus grave pretium solvendum sit, id quidem egenis Civibus, non vero divitibus suffragatur. Id asserunt etiam nonnulli Theologi haud severioris disciplinae, quorum sententiam recensuimus Capite nono Libri tertii nostrarum Institutionum, quas Bononiae Typis impressimus.

§ 19. Illud etiam inane commentum prorsus existimari debet, solvendas esse abstinentia Quadragesimae Civitates, vel Dioeceses, ubi exercitus versantur, eo quod Milites in iis locis permanentes abstinentiae leges minime observant. Id potius animos Civium inflammare deberet ad ieiunium rite religioseque suscipiendum, ut nempe Milites tanta virtute temperantiae permoti, ipsorum exemplum sequantur. Illud solum pro legitima causa in medium proferri potest, Copias Militum tantam afferre Civitati penuriam herbarum, atque olei, licet Quadragesimae Ieiunio non obtemperent, ut harum rerum pretia summopere augeantur. Tunc autem eadem statuenda sunt, quae paulo ante diximus, cum pisces, et ova cariori pretio comparantur.

§ 20. Igitur peculiares morbi, quamvis frequentes, in posterum pro causa solvendae abstinentiae non adducantur, nisi forte Civibus universis iidem morbi communes habeantur ob aliquam aeris corruptionem; neque in posterum herbarum, olei, piscium, et ovorum pretia tanti ponderis esse censeantur, ut omnis Civitas, vel Dioecesis, ab instituto Quadragesimae Ieiunio ac temperantia liberari contendat. Quod si veras, ac legitimas a Nobis causas ad hanc facultatem obtinendam expetitis, duas potissimum percensebimus, quarum prima ex iure Canonico, altera vero ab ipsa rerum magistra experientia deprompta est.

§ 21. Innocentius III, quem superius nominavimus, eodem Cap. *Consilium, de observatione ieiuniorum,* Archiepiscopo Bracarensi postulanti, qua poena plectendos iudicaret illos, qui tempore Quadragesimae a Carnibus non abstinuerant ob summam rerum caritatem, et angustiam, ita ut plures fame enecarentur, respondit his verbis: *Cum autem quaesieris, quae sit illis poenitentia iniungenda, qui diebus Quadragesimalibus, tempore quo tantae famis inedia ingruebat, quod magna pars populi propter inopiam annonae periret, carnes comedere sunt coacti; respondemus: quod in tali articulo illos non credimus puniendos. Preces tamen Domino pro illis et cum illis effundas, ne ipsis aliquatenus imputetur; quia bonarum mentium est, ibi timere culpam, ubi culpa minime reperitur.* Si quis hoc tempore Episcopus, adductus exemplo Bracarensis Antistitis, idem consilium peteret a Sede Apostolica, tanquam ineptus, ac simplex haberetur; sed illo Ecclesiae felicissimo saeculo maximi pendebatur, uti aequum est, Quadragesimae praeceptum. Hinc magna severitate

inquirebantur illi, qui minime paruissent, licet talis causa intercederet, ut liberi ab eodem praecepto viderentur: nec ulla ratio habebatur Virorum Principum, licet ipsorum incolumitas cum Reipublicae felicitate coniuncta putaretur; uti Nos fuse ostendimus in decima quinta nostrarum Institutionum Libri primi. Sed iis omissis, et aliis bene multis, quae in hanc rem congeri a Nobis possent, illud primum delibabimus ex responso Innocentii III, tunc Quadragesimae abstinentia solvi posse integram Civitatem, vel Dioecesim, cum reipsa non suppetunt ea, sine quibus praeceptum Quadragesimae observari nequit. Itaque si revera in aliquo loco neque oleum, neque pisces comparari possint, tunc Incolis eiusdem loci permitti fas est, ut lacte, et ovis utantur: si haec autem revera deficiant, tunc Carnis, salubris tamen, edendae facultas concedetur, interposita semper ieiunii servandi conditione.

§ 22. Insula Sancti Dominici in America Meridionali in temporalibus paret Charissimo in Christo Filio nostro Ludovico Galliarum Regi Christianissimo, nec ei ullus praeest Episcopus. Praefectus Patrum Societatis Iesu anno 1742 a Nobis quaesivit, an ex concessione sibi facta a Sede Apostolica dispensandi super esu carnium, ovorum, et lacticiniorum tempore ieiuniorum, et Quadragesimae, dici posset, sibi etiam datam fuisse facultatem dispensandi nedum particulares personas, sed etiam multitudinem hominum, et omnes sui districtus Incolas, quando coram Deo id expedire iudicasset: habitoque responso, facultatem ei fuisse concessam dispensationem indulgendi particularibus hominibus, non autem multitudini hominum, et omnibus Incolis sui districtus, pro concessione exoravit. Pro causa exposuit veneficam piscium qualitatem; exiguum piscatorum numerum, qui longe ab Insula piscantes, pisces deferebant aut foetentes, aut corruptos ob nimios calores; paupertatem earum gentium, quae oleum emere non poterant pro cibis Quadragesimalibus necessarium; deficientiam denique olerum, et leguminum, quae in ea regione facile corrumpuntur, aut a vermibus consumuntur. Re subinde mature discussa coram Nobis in Congregatione Generali Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis *die 12 Aprilis anno 1742,* habita ratione regionis nimis remotae, a qua quolibet anno impossibilis erat ad Sedem Apostolicam recursus; indulgentes necessitati Fidelium degentium in Insulis Ditionis Gallicae in America, facultatem concessimus Praefectis Missionum illarum partium, ut in casu verae, et ineluctabilis necessitatis, et tantum de anno in annum, praefataque vera necessitate durante, et non aliter, nec alio modo, uti possent et valerent cum fidelibus Populis ipsorum regimini commissis dispensare super esu ovorum, et lacticiniorum, et etiam carnium tempore Quadragesimali, indicta simul cum huiusmodi dispensatione observantia ieiunii per unicam comestionem, oneratāque praedictorum Praefectorum conscientia, si adamussim iuxta praescriptum concessa facultate usi non fuissent.

§ 23. Sed iam ad experientiam deveniamus. Quindecim abhinc annis per totam fere Europam morbus invaluit, qui pectoris inflammationem inferebat, ita tamen, ut ex una Civitate in aliam, et ex una Provincia in aliam haec funesta lues promanaret. Id contigit annis 1730, 1733, 1740. Licet autem morbus eiusmodi, qui universos hominum ordines, atque aetates corripiebat, lentam solum in pectore inflammationem excitaret, tamen senibus matura

iam aetate debilitatis extremam afferebat perniciem: nam ex ipso febres acutissimae, ac mortales sequebantur. Idem morbus in periculum trahebat iuniores etiam, qui paululum infirmo pectore laborarent. Postremo multorum pectora adeo labefactavit, ut gravissima deinde mala provenerint. Alias quoque morbos huius generis, pectoris inflammationem magno cum periculo afferentes, aegros in discrimen vitae adduxisse, Medici Scriptores luculenter testantur.

§ 24. Itaque si Medicinae Professores acciti, monitique graviter, ut nihil a veritate alienum respondeant, unanimi consensu fateantur (uti nobis ipsis accidit, cum adhuc Bononiae versaremur) morbum esse talis naturae, qualem superius commemoravimus, ita ut nulla aetas libera, et incolumis esse queat; et affirment, illis ipsis, qui inter Cives salvi et integri numerantur, eandem perniciem imminere; id praeterea conferre plurimum ad eiusmodi luem depellendam, aut evitandam, si tum aegrotantes, tum sani a piscibus, et oleo, et quandoque pariter a lacte, et ovis abstineant, si, inquam, res ita se habeat, tum procul dubio causa sufficiens iudicanda est, quae experientiae innititur, et quae semper probata, et in posterum probanda videtur, ut nempe Populus, seu Civitas integra a carnibus abstinendi praecepto non teneantur.

§ 25. Neque ulla difficultas removere vos debet a consulendis Medicis, qui praestantiores habeantur. Cavendum pariter, ut quidquid revera senserint, scripto testari non praetermittant; quae conditio si desit in posterum, nulla unquam facultas Civitati, aut Dioecesi, carnibus aut lacticiniis vescendi tempore Quadragesimae tribuetur: quippe id necessarium omnino videtur. Accedit etiam, quod Medici facilitate quadam incredibili peculiares quidem Cives a Quadragesimae praecepto liberos, et immunes decernere soleant (de qua re gravissime monendi a vobis sunt, ne suas animas indulgendo nimis aggravent): cum vero pro universis Civibus idem statuendum proponitur, tum se difficiles, anxios, ac sollicitos praestare, Nos ipsi experti sumus. Postremo si velint percurrere ea, quae in Italia, et extra ipsam praeclarissimi Auctores Medici Typis evulgarunt, facile deprehendent, abstinentiam, ciborumque parsimoniam ab illis magnopere commendari; discrimen inter morbos constitui, et certis rationibus ostendi, in curandis quibusdam morbis nequaquam requiri, ut iusculum, et carnes, loco piscium, olei, et herbarum substituantur; in aliis vero iuvare plurimum, si sublatis carnibus, cum indicitur ieiunium, oleo, vel lacte aegrotantes utantur. Demum advertent, quam diligenter, accurateque scribant de pectoris incommodis, cum in omnibus generatim excitantur, ne corripiantur eodem morbo, qui adhuc incolumes a communi lue supersunt.

§ 26. Haec vobis indicanda putavimus. Reliquum est, ut Vos hortemur, ne tam facile suscipiatis negotium petendae facultatis utendi carnibus, et lacticiniis tempore Quadragesimae pro universa Civitate, vel Dioecesi. Quippe abrumpenda tandem est consuetudo, ob quam iam per tot annos in quibusdam locis hae facultates tribui consueverunt. Illud etiam experientia a Vobis compertum erit, delicatis quoque, ac mollibus abstinentiam Quadragesimae nullam inferre perniciem; neque plures ob hanc causam inter aegrotos, vel mortuos recenseri.

§ 27. Hanc rationem, et institutum Nos ipsi secuti sumus Romae, ac Bononiae (cuius Sedem adhuc retinemus), cum nuper Quadragesimae tempus ageretur. Si vos id quoque praestabitis, neque facile a Nobis pro universa Civitate, vel Dioecesi, facultatem solvendi Quadragesimae abstinentiam postulabitis, vel (si necessarium id arbitremini) non aliter, quam servatis praemissis conditionibus Dispensationis instantia ad Nos deferretur, non solum ii fructus provenient, quos iam indicavimus; sed etiam repulsae pudorem evitabitis, Nosque pariter ea molestia vindicabitis, quam ferimus, dum votis vestris minime obsecundamus. Postremo vos omnes peramanter amplectimur, et Apostolicam Benedictionem Vobis, Populisque vestris impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 523-529].

359.

Benedictus XIV, const. *Altissimo*, 26 iun. 1745.

Altissimo Divinae providentiae consilio imposita imbecillitati Nostrae suprema Catholicae Ecclesiae procuratio, atque adeo commendata Nobis a Pastorum Principe Iesu Christo, cuius vices plane immerentes gerimus, assidua pascendi universi Domini Gregis cura, iure ac merito exigit ac requirit, ut ad eumdem Gregem in unitate et integritate servandum custodiendumque semper advigilantes, inter gravissimas Apostolici ministerii Nostri partes eam praecipue reputemus, qua procul eiiciamus amandemusque perditos homines, ne sub inducta Pastoris larva Oves Christi venenatis fraudulentium fallaciumque doctrinarum suarum pascuis pelliciant, ac decipiant, et ne eas a Christi Ovili separantes, ad perditionis viam agant atque perducant.

§ 1. Cum itaque nomine duorum assertorum Antistitum, quos re ipsa haud legitime, sed nulliter electos, ac sacrilege consecratos, et supremis Apostolicae huius Sanctae Sedis praeceptis inobedientes et contumaces, alias Nos a Catholicae Ecclesiae communione separavimus et seiunximus, ac separatos et seiunctos esse declaravimus, et publice denunciavimus,[1] in lucem prodierit quidam libellus anno MDCCXLIV editus sine Typographi nomine, et sine loci indicatione, sed hoc dumtaxat titulo: *Illustrissimorum, ac Reverendissimorum Archiepiscopi Ultraiectensis, et Episcopi Harlemensis Instrumentum appellationis ad Concilium Generale futurum, a duobus Brevibus, quae praeferunt nomen SS. D. N. Benedicti XIV, scriptis ad universos Catholicos in Foederato Belgio etc.* Nos, licet titulus ipse praefatum libellum proscriptione dignum esse et fore, aliisque censurarum Ecclesiasticarum, quibus Romani Pontifices Praedecessores Nostri huiusmodi appellationes damnarunt proscripseruntque, notis, reipsa obnoxium esse demonstret, atque adeo haud necesse sit, ad illum damnandum ac reprobandum, animadvertere rationes atque momenta

[1] Const. *Auget Pastoralem*, 24 ian. 1741; const. *Quamquam*, 1 sept. 1742; const. *Obsurdescit*, 20 dec. 1742. - Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 29, 30, 207-209, 231-233.

in eodem libello ad comprobandum dictum titulum adducta, utpote fallacia, schismatica, et seditiosa; nihilominus postquam accuratissimo tam Nostro, quam aliorum examini subiecimus, Apostolica demum censura perstringendum ac proscribendum duximus.

§ 2. Auditis itaque plurium in Sacra Theologia insignium Magistrorum suffragiis, de plurimorum quoque Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium ad hoc specialiter deputatorum sententia atque consilio, libellum praefatum uti continentem propositiones falsas, seditiosas, scandalosas, captiosas, ad schisma ac eversionem Hierarchiae Ecclesiasticae pellicientes, et Apostolicae Sedis praedictae auctoritati iniuriosas, et Ecclesiasticae iurisdictionis eversivas, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, damnamus, et reprobamus; ipsiusque libelli impressionem, descriptionem, lectionem, et usum omnibus et singulis Christifidelibus, etiam specifica, et individua mentione et expressione dignis, sub poena excommunicationis latae sententiae per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo a quoquam (praeterquam a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente) nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, omnino interdicimus. Volentes, et eadem auctoritate mandantes, ut quicumque libellum huiusmodi penes se habuerint, illum, statim atque praesentes literae ei innotuerint, locorum Ordinariis, vel haereticae pravitatis Inquisitoribus tradere atque consignare teneantur; hi vero exemplaria sibi sic tradita illico flammis aboleri curent.

§ 3. Insuper omnia alia scripta, vel manu exarata, vel typis excusa, in quibus huiusmodi errores, aut illorum aliqui quomodolibet renovantur, vel defenduntur, seu eos in posterum, quod absit, renovari aut defendi contigerit, sub eadem poena, auctoritate, et tenore praefatis proscribimus itidem, et damnamus, ipsiusque libelli impressionem, descriptionem, retentionem, et usum, sicut praemittitur, omnino prohibemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 531-533].

360

Benedictus XIV, ep. encycl. *Suprema*, 7 iul. 1745.[1]

Suprema omnium Ecclesiarum sollicitudo, et Divina Iesu Christi omnium Pastorum Principis, cuius vices plane immerentes gerimus, Caritas assidue urget Nos, ut pro commissa divinitus imbecillitati nostrae universi Dominici gregis cura semper advigilantes, periculis animarum, sicubi forte superimpenderint, per omnes Christiani Orbis Populos ac Nationes, opportune, quantum cum Domino possumus, occurramus; atque iis praecipue Regnis et Locis peculiari quodam Apostolicae nostrae Caritatis studio, auctoritatisque pro-

[1] Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, et Episcopis Regnorum Portugalliae, et Algarbiorum.

videntia consulamus, in quibus, cum Fides, Religio, Pietas quam maxime floreant, callidus humani generis hostis nocere Fidelibus, dum aperto bello desperat, per insidias molitur; in Angelum scilicet sese lucis transfigurans, et ementita boni specie incautis illudens, qua ex arte non minora saepe animarum detrimenta, quam ex aggressione manifesta, esse proventura nequissimus veterator confidit.

§ 1. In harum autem fraudum numero computamus, quod florentissimis Portugalliae, et Algarbiorum Regnis, et Ditionibus, quibus Vos Antistites summa cum Sacerdotalis virtutis vestrae commendatione praesidetis, et quibus pro singulari erga Catholicam Ecclesiam, atque Apostolicam hanc S. Sedem observantia, meritae debentur laudes, nuper evenisse non sine ingenti animi nostri dolore cognovimus. Pervenit enim haud ita pridem ad aures nostras, nonnullos istarum partium Confessarios, falsa zeli imagine seduci se passos, sed a zelo secundum scientiam longe aberrantes, perversam quamdam, et perniciosam praxim in audiendis Christifidelium confessionibus, et in saluberrimo Poenitentiae Sacramento administrando invehere, atque introducere coepisse; ut videlicet, si forte in poenitentes incidissent socium criminis habentes, ab iisdem poenitentibus socii huiusmodi, seu complicis nomen passim exquirerent: atque ad illud sibi revelandum non inducere modo suadendo conarentur, sed, quod detestabilius est, denuntiata quoque, nisi revelarent, absolutionis sacramentalis negatione, prorsus adigerent atque compellerent; imo etiam complicis eiusdem nedum nomen, sed habitationis insuper locum sibi exigerent designari. Quam illi quidem intolerandam imprudentiam, tum procurandae complicis correctionis, aliorumque bonorum colligendorum specioso praetextu colorare, tum emendicatis quibusdam Doctorum opinionibus defendere non dubitarent; cum revera opiniones huiusmodi vel falsas, et erroneas sequendo, vel veras, et sanas male applicando, perniciem tam suis, quam poenitentium animabus consciscerent; ac sese praeterea plurium gravium damnorum, quae inde facile consecutura fore praevidere debuerant, reos coram Deo aeterno Iudice constituerent.

§ 2. Et vero iam secuta fuisse multa eiusmodi damna, infelici experientia compertum est. Nec fieri potuit quin ea de causa et oblocutiones, et scandala, et non Ministrorum tantum, sed sacri etiam ipsius Ministerii odium, et animorum ingens conturbatio in Populo fideli exorta sint. Tristia Nos haec nuntia cum accepimus, simul audivimus, contra exitialem huiusmodi abusum protinus iusta indignatione pro munere suo commotos fuisse Dilectos Filios nostros S. R. E. Cardinales Nunum a Cunha in iisdem Portugalliae et Algarbiorum Regnis Generalem Inquisitorem, et Thomam de Almeyda Patriarcham Lisbonensem; atque utrumque sollicite gliscenti malo compescendo, atque etiam eradicando adlaborasse.

§ 3. Nos autem, ne in tam gravi animarum discrimine ulla ex parte Apostolico nostro Ministerio deesse videamur, neve mentem hac super re nostram apud Vos obscuram, aut ambiguam esse sinamus: notum Vobis esse volumus, memoratam superius praxim penitus reprobandam esse, eamdemque a Nobis per praesentes nostras in forma Brevis literas reprobari, atque damnari, tanquam scandalosam, et perniciosam, ac tam famae proxi-

morum, quam ipsi etiam Sacramento iniuriosam, tendentemque ad sacrosancti sigilli sacramentalis violationem, atque ab eiusdem Poenitentiae Sacramenti tantopere proficuo et necessario usu Fideles abalienantem.

§ 4. Eapropter, Venerabiles Fratres, quamquam de pastorali vestra vigilantia nihil est quod dubitemus: supremi tamen officii quoque nostri esse censemus, alacritatem ipsam vestram hac mentis nostrae aperta significatione, et Apostolicis insuper hortationibns nostris intensius acuere et excitare, ut pro se quisque vestrum opportunioribus, quascumque prudentia suggesserit, initis rationibus, et efficacioribus quibusque Iuris remediis, quoad opus fuerit, contra delinquentes Ministros adhibitis, noxiam huiusmodi novitatem strenue insectemini, ac pene nascentem opprimatis, neque patiamini traditis curae vestrae ovibus ibi offendiculum parari, ubi salus a Christo posita est, ab eoque Divinae misericordiae fonte illas averti ac deterreri, ad quem ab eodem Redemptore nostro, ad abluendas dealbandasque in Sanguine suo animas; amantissime invitantur. Interea, dum a zelo vestro, ac prudentia, luculentiora Nobis certo pollicemur vestrae pietatis et observantiae argumenta, Apostolicam Benedictionem cum uberrima caelestium charismatum copia coniunctam, Vobis, Venerabiles Fratres, ex animo impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 535, 536].

361.

Benedictus XIV, const. *Quod inscrutabili*, 9 iul. 1745.

Quod inscrutabili Divinae Providentiae consilio Nobis immerentibus demandatum est Apostolicae servitutis Officium, inter gravissimas curas, quarum pene obruimur multitudine, hanc etiam Nobis imponit, ut eas controversias dirimere, atque aliquando de medio tollere studeamus, quae iampridem diu agitatae, magno Ecclesiasticae disciplinae detrimento indecisae adhuc pendere dignoscuntur; idque potissimum, ubi et rei controversae gravitas, doctorum Virorum iudicio, visa est Apostolicae Decisionis oraculum postulare; et ipsi Romani Pontifices Praedecessores Nostri eiusmodi decisionis edendae consilium alias susceperunt; tametsi, quominus id perficerent, aliorum fuerint negotiorum occupationibus praepediti.

§ 1. Celebris iamdudum est controversia, an Canonici Regulares capaces sint obtinendi et retinendi Ecclesias Parochiales saeculares, absque Indulto Apostolico. Quam quidem controversiam tum veteres, tum recentiores Canonistae tractarunt, in suis Commentariis ad cap. *Quod Dei timorem, de statu Monachorum;* nec defuerunt inter Ecclesiasticarum rerum Scriptores, tum Italos, tum ex Regionibus ultra Montes positis, qui huiusmodi quaestionem accurate examinaverint. Hac ipsa de re flagitantibus Canonicis Regularibus Lateranensibus, bonae memoriae Franciscus Maria Pitonius magni quondam nominis in Romana Curia Advocatus, ac deinde Episcopus Imeriensis in Partibus Infidelium, et sanctae memoriae Benedicti Papae XIII Auditor, amplum composuit volumen, quod licet nunquam Typis vulgatum, a Nobis

tamen visum, atque perlectum est. Praeterea dilectus Filius Caesar Benvenuti Abbas Generalis Canonicorum Regularium Lateranensium, non multos ante annos, in lucem edidit Opus a se conscriptum, pro asserendo Canonicis sui Ordinis iure obtinendi praefatas Parochiales, absque Indulto Apostolico; in quam etiam sententiam plures clarorum Iurisperitorum Consultationes editae sunt, ac Typis impressae in Bullario Canonicorum Regularium Sanctissimi Salvatoris. Denique innumeri propemodum sive Theologi, sive Iurisconsulti, in suis Operibus, quaestionem hanc instituerunt; quorum aliqui eo usque progressi sunt, ut praedictos Canonicos Regulares nedum ad obtinendas saeculares Ecclesias Parochiales ad praesentationem Patronorum sive Ecclesiasticorum, sive Laicorum, sed ad alias quascumque Parochiales Ecclesias ad liberam Ordinariorum collationem spectantes, etiam per concursum, assequendas, et ad se sistendum huiusmodi concursibus, absque Indulto Apostolico, habiles atque capaces asserere non dubitaverint. Tum a Parochialibus Ecclesiis gradum faciendo ad Canonicatus Metropolitanarum, Cathedralium, et Collegiatarum Ecclesiarum, horum quoque absque Apostolica dispensatione adipiscendorum, capaces eos esse sustinuerunt. Et quod magis notatu dignum videtur, idem plane affirmarunt de Beneficiis simplicibus, et Pensionibus Ecclesiasticis; plura congerentes exempla huiusmodi Canonicorum Regularium, qui, absque Romani Pontificis Indulto, tum ad regendas Parochiales Ecclesias Saeculares, et ad obtinendos Canonicatus atque Praebendas in Ecclesiis Collegiatis, Cathedralibus, et Metropolitanis; tum etiam ad Beneficia Ecclesiastica simplicia, nimirum absque Animarum Cura, vel residentiae onere, administranda, e Claustris exierunt.

§ 2. Sane quum in Congregationibus Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium ad diversi generis negotia cognoscenda auctoritate Apostolica deputatorum, examinatum saepe fuerit huiusmodi assertum ius Canonicorum Regularium; saepe responsum est, eos, absque Apostolico Indulto, ad saeculares Parochias promoveri non posse. Ita respondit Congregatio Concilii de anno millesimo quingentesimo octuagesimo primo, eiusque responsum approbatum fuit a sanctae memoriae Praedecessore Nostro Gregorio Papa XIII. Ita decrevit Congregatio Episcoporum et Regularium[1] de anno millesimo sexcentesimo septuagesimo primo, expensis prius rationibus fuse deductis a Procuratore Generali Canonicorum Regularium Lateranensium; atque hoc pariter Decretum a piae memoriae Clemente Papa X confirmatum,[2] deindeque ad Canonicos quoque Regulares Sanctissimi Salvatoris extensum fuit. Cumque iidem Canonici Regulares Decretis praedictis minime acquiescerent; oblata occasione cuiusdam Causae *Placentinae* in Congregatione Concilii propositae Anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio, in qua agebatur de quodam Canonico Regulari Lateranensi praesentato ad Parochialem Ecclesiam saecularem; quamvis Apostolicum Indultum eidem concessum fuisset; additum tamen fuit in Rescripto, ipsis petentibus, ut omnia, quae praecesserant super hac re Decreta

[1] Die 18 mart.
[2] Cf. Bull. Rom., tom. 7, p. 94, 95.

unirentur, utque, auditis Procuratoribus Generalibus, certa, et universalis Lex in hac materia constitueretur, idque a sanctae memoriae Innocentio Papa XII Praedecessore Nostro per Apostolicas Literas in forma Brevis fuit confirmatum.

§ 3. Haec tamen Decretorum unio, et generalis Causae discussio minime peracta fuit. Verum anno Domini millesimo septingentesimo decimo tertio Procurator Generalis Canonicorum Lateranensium postulavit a felicis recordationis Praedecessore pariter Nostro Clemente Papa XI, ut totius Causae cognitionem praedictae Congregationis Concilii Tridentini Interpretis examini et iudicio subiiceret; ad hoc ut eadem Congregatio illam discuteret ac definiret, *in mero puncto Iuris communis, Concilii Tridentini, Professionis, et Instituti Canonicorum, independenter et praecisive ab omnibus Resolutionibus et Decretis Sacrarum Congregationum, iudicatis quorumcumque Tribunalium, Rescriptis, et Oraculis Summorum Pontificum, tam favorabilibus, quam contrariis Ordini Canonicorum Regularium, a temporibus Gregorii XIII usque in praesens emanatis;* super quo Pontificium *iuxta petita* Rescriptum obtinuit.

§ 4. Iuvat credere, tunc existentem, aliosque deinceps praedictae Congregationis pro tempore Secretarios, pro debita erga Pontificis mandatum observantia, diligenter curasse, ut Causa isthaec in Congregatione proponeretur. Equidem dum Nos in minoribus constituti, eodem Secretarii munere fungeremur, plurium annorum cursu nihil intentatum reliquimus, ut et praedicta controversia ad examen revocaretur, et congrua tandem decisione tolleretur; sed minime licuit, novis semper impedimentis obiectis, negotium hoc ad optatum finem perducere. Verumtamen minime dubitabamus (quod etiam praedictis Secretariis, qui ante Nos fuerunt, persuasum fuisse censemus), quin interim inviolate servaretur praecitatum Decretum anno millesimo sexcentesimo septuagesimo primo a Congregatione Episcoporum et Regularium editum, et a Clemente Papa X confirmatum; quum potissimum et ipsorum temporibus, et Nobis etiam huiusmodi Secretarii Officium obeuntibus, frequenter evenisset, ut ab Apostolica Dataria, tam ad ipsam Concilii Tridentini, quam ad aliam Episcoporum et Regularium Congregationem, remitterentur petitiones Canonicorum Regularium, qui pro obtinenda aliqua Parochiali Ecclesia saeculari, ad quam a Patronis praesentati fuissent, vel pro assequendo Canonicatu Ecclesiae Cathedralis aut Collegiatae, ab aliquo Episcopo sibi collato, Apostolicum Indultum postulabant. Unde consequens erat, ut opportunis adhibitis diligentiis pro Causae propositione ad normam Rescripti Clementis Papae XI, non admodum interesse videretur, si ipsi Canonici Regulares eiusdem Causae decisionem minime urgerent.

§ 5. At vero quum a sanctae memoriae Benedicto Papa XIII Anconitanam Episcopalem Ecclesiam regendam accepissemus, statim ac ad eandem, uti par erat, praesentes accessimus, sero didicimus Nostram hac de re opinionem Nos fefellisse. Siquidem in ea Civitate nonnullos Canonicos Regulares invenimus, qui post relatum Decretum anni millesimi sexcentesimi septuagesimi primi, nullo suffulti Apostolico Indulto, sed de licentia tantum suorum Praelatorum Regularium, ad Parochias saeculares, vel ad Canonicatus in Cathedrali Ecclesia promoti, e Religiosis Claustris migraverant. Quin

etiam unum ex his invenimus, qui quum saeculare Beneficium, quod olim obtinuerat, resignasset; tamen extra Claustra similiter, in habitu Presbyteri saecularis degebat. Atque huius quidem conscientiae securitati, pro Nostri muneris ratione, consulere non omisimus, implorata eidem dispensatione ab Officio Poenitentiariae Apostolicae, cui rem totam referentes, demonstravimus iam moraliter impossibile Oratori fore, claustralis vitae institutum, et Religiosum habitum resumere; quum et octogenario maior esset, et mala valetudine laboraret.

§ 6. Deinde paucis post annis a felicis recordationis Clemente Papa XII Praedecessore Nostro ab Episcopatu Anconitano ad Metropolitanam Cathedram Bononiae Patriae Nostrae translati, idem omnino in hac etiam Civitate et Dioecesi obtinere comperimus. Contigit autem, quemdam Canonicum Regularem Lateranensem ad Ecclesiam Parochialem saecularem de Iurepatronatus Laicorum a Patrono Laico nominari; cumque Nos, ante huiusmodi nominationis admissionem, praeter consensum Abbatis Generalis ipsius Ordinis, Apostolicum insuper Indultum Nobis exhiberi postularemus, eaque de re apertissimum Clementis Papae X Decretum anno millesimo sexcentesimo septuagesimo primo editum extare diceremus: mirati profecto sumus, quum Nobis responderi audivimus receptam esse in toto Canonicorum Regularium Ordine sententiam, quod praefatum Clementis X Decretum omne robur amisisset, et in suspenso remaneret, ex quo Clemens XI anno millesimo septingentesimo decimo tertio, ut supra dictum est, quaestionem illam de ratione obtinendarum a Canonicis Regularibus Parochiarum saecularium, an scilicet consensus eorum Abbatis Generalis, nullo interveniente Apostolico Indulto, ad hoc sufficiens esset, Congregationi Concilii examinandam tradiderat. Equidem Nos huiusmodi responsioni, quam agnovimus omni soliditate destitutam, minime acquievimus; neque porro Canonicus ille Regularis ad regimen Parochialis Ecclesiae, ad quam praesentatus fuerat, a Nobis admissus fuisset, nisi prius Apostolicam dispensationem petiisset, atque impetrasset. Verum ex hoc plenius cognovimus, quam necessarium esset huic controversiae aliquando finem imponere, ac certam atque universalem regulam stabilire super Canonicorum Regularium capacitate ad obtinendas Parochiales Ecclesias, Canonicatus, aliaque Beneficia Ecclesiastica saecularia, vel de licentia dumtaxat eorundem Superioris Regularis, vel nonnisi accedente Apostolicae dispensationis auctoritate. Pro quo tamen nihil a Nobis tunc temporis factum fuit; quum satis esse duxerimus, aliarum Dioecesum curam propriis Pastoribus relinquentes, in commissae Nobis Ecclesiae procuratione vigilare.

§ 7. Iam vero, nullis Nostris meritis, in sublimi Apostolatus culmine constituti, Nostras esse partes reputavimus, quaestionem hanc suprema tandem decisione terminare, et, pro concessa Nobis auctoritate, declarare, an praedicti Canonici Regulares, tam Lateranenses, quam Sanctissimi Salvatoris, de licentia tantum suorum Superiorum Generalium valeant Parochiales Ecclesias saeculares, et in Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus, aut Collegiatis, Canonicatus atque Praebendas, ac demum Beneficia Ecclesiastica simplicia obtinere, aut Pensiones Ecclesiasticas percipere; an vero, praeter huiusmodi

Superiorum Regularium licentiam, Apostolicae quoque auctoritatis requiratur accessio.

§ 8. Porro quam methodum piae memoriae Clemens XI pro huius quaestionis enodatione praescripserat, eam laudatissimi Pontificis mente dignam semper existimavimus; eidemque propterea inhaerentes, cupientesque rem ipsam, antequam illius examen alteri committeremus, privatis Nostris studiis penitus introspicere, tempus illud, quod mense Octobri proxime elapso a publicis audientiis vacuum habuimus, in Bibliotheca Nostra domestiea insumentes, quamplurimos illic existentes Libros, aliosque etiam rariores e celebri Bibliotheca dilecti Filii Nostri Dominici Tituli Sancti Bernardi ad Thermas Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteri Cardinalis Passionei nuncupati Brevium Nostrorum Secretarii, ad Nos allatos, avide evolvimus; sedulo inquirentes, quid Iuri communi, quid Concilii Tridentini sanctionibus, quid Professioni ab ipsis Canonicis Regularibus emissae, ac demum quid eorundem Instituto magis consentaneum esset; ac super his omnibus prolixam Dissertationem, Canonici Iuris principiis, et Historicis notionibus innixam, non quidem Pontificiae auctoritatis iure, sed privati Doctoris diligentia, elucubravimus.

§ 9. Quamvis vero, ex praescripto relati Decreti Clementis Papae XI huiusce controversiae examen in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum haberi debuisset; nihilominus satius esse duximus totam huiusmodi Causam ad Nos avocare, non quidem, ut ipsi per Nos, absque aliorum consilio, eam definiremus, sed ut solemnior atque commodior ipsius controversiae discussio accuratissima maturitate perageretur, prout ex inferius dicendis revera praestitum fuisse apparebit.

§ 10. Siquidem in consilium hac de re nobiscum assumpsimus Venerabilem Fratrem Nostrum Vincentium Episcopum Praenestinum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Petra, necnon Dilectos Filios Nostros eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteros Cardinales, de Gentilibus, Cavalchinum, Tamburinum, et Besozzium respective nuncupatos, omnes, penultimo excepto, praedictae Congregationi Concilii Tridentini adscriptos, tres vero etiam priori loco memoratos, olim, dum in minoribus agerent, eiusdem Congregationis Secretarios, alterum autem a pluribus annis ipsius Praefectum. His adiunximus Dilectum Filium Magistrum Iosephum Alexandrum Furiettum saepedictae Congregationis Concilii Secretarium, necnon alios Praelatos praecipua Romanae Curiae munera obeuntes, nimirum Dilectos pariter Filios Magistros Ioannem Iacobum Millo Datarium, Clementem Argenvillers Auditorem, et Xaverium Iustinianum Subdatarium Nostros; ex Regularibus autem Petrum Aloysium de la Torre Abbatem Ordinis Sancti Benedicti, Congregationis Cassinensis in eadem Romana Curia Procuratorem Generalem, et olim in sua Congregatione Sacrorum Canonum Professorem; duosque Societatis Iesu Presbyteros, Dominicum Turanum Officii Poenitentiariae Apostolicae Consultorem Theologum, et Aegidium Mariam Giulii Sacrorum Canonum Professorem, eorumdemque in Collegio Germanico-Hungarico de Urbe Lectorem.

§ 11. His omnibus, et singulis praefatam Dissertationem Nostram communicavimus, in qua aperte declaravimus, Nos meram, ut praefertur, Doctoris privati personam in ea gessisse, nec aliis ademptam voluisse libertatem in contrarium opinandi, si ita ius et ratio suaderent; datoque illis trium et amplius mensium spatio, ut totius rei examen ad normam Iuris communis, Concilii Tridentini, Professionis, et Instituti Canonicorum Regularium utriusque praedictae Congregationis exigerent: iussimus, ut singuli suum suffragium aperirent, ac literis consignatum Nobis exhiberi curarent.

§ 12. Neque vero opus esse iudicavimus, ipsos praedictorum Canonicorum Regularium Ordines ad Causam dicendam excitare, ut sive per se, sive per alios, ea deducerent, quae facere posse putarent pro eorum asserto iure obtinendi Beneficia saecularia absque Apostolico Indulto; tum quia rationum, quae in utramque partem afferri solent, referta sunt, ut initio dicebamus, Theologorum, Canonistarum, aliorumque Scriptorum Ecclesiasticorum Volumina; tum quia post ipsum Clementis XI Rescriptum, ut pariter supra adnotavimus, et Franciscus Maria Pitonius, prolixa Dissertatione, in qua Canonicorum Lateranensium defensionem suscepit, et istorum Abbas Generalis Caesar Benvenuti, in suo Opere in publicam lucem emisso, quaecumque ad Causam facere poterant, iuxta singula Capita in praecitato Clementis XI Decreto indicata, et a Nobis in praedicta Dissertatione Nostra, ut praefertur, ordinate ac singillatim expensa, latissime sunt prosequuti; tum demum quia noluimus novum ipsis Canonicorum Regularium Ordinibus imponere sumptuum onus, postquam toties super eadem re Iurisconsultorum Curiae Nostrae operam, et calamum adhibuerunt.

§ 13. Quum itaque praedicti omnes a Nobis requisiti, intra praefinitum tempus suffragium quisque suum Nobis obtulissent (excepto praefato Vincentio Episcopo Cardinali, quoniam ipse in suis Commentariis ad Constitutiones Apostolicas, suam hac de re sententiam pluribus in locis aperuerat, et iampridem Typis vulgaverat); Nos illorum scripta attente perlecta diligentissime expendimus; eademque, una cum praedicta Dissertatione Nostra, Dilecto Filio Magistro Nicolao Antonello, Praelato Nostro Domestico, et Archivi Pontificii in Arce Sancti Angeli existentis Custodi, in eodem Archivo diligenter asservanda tradidimus; ut perpetuis futuris temporibus constare valeat, quam caute et considerate in hac Causa definienda agere voluerimus.

§ 14. Et quoniam praedictorum omnium concors fuit sententia (unius enim dissensus in duodenario Consulentium numero, uniformitatem non tollit); iidemque in eo convenerunt, quod neque Canonici Regulares Lateranenses, neque Canonici Regulares Sanctissimi Salvatoris, Beneficium quodlibet Ecclesiasticum saeculare obtinere, aut quamlibet Pensionem Ecclesiasticam percipere valeant, absque auctoritate Apostolicae Sedis: Nos eorundem consilium et sententiam sequentes, atque etiam motu proprio, et certa scientia, atque Apostolica auctoritate, hac Nostra in perpetuum valitura Constitutione statuimus, decernimus, et declaramus, eosdem Canonicos Regulares, absque Indulto Apostolico, ut praefertur, cuiuscumque Beneficii Ecclesiastici saecularis, sive cum adnexo animarum curae, aut residentiae onere, sive etiam Beneficii simplicis, et sine cura, ac personalem residentiam non

requirentis, et cuiuscumque Pensionis Ecclesiasticae, vere incapaces esse, et censeri debere; eisdemque nec Ius commune, nec Tridentinae Synodi Decreta, neque Professionem ab ipsis emitti solitam, aut eorum peculiare Institutum, neque demum ullam contrariam consuetudinem, usum, possessionem, seu quasi, aliumque omnino titulum, pro huiusmodi praetensa capacitate ullatenus suffragari.

§ 15. Proindeque non amplius permittendum, aut ullo modo ferendum esse, ut aliquis ex ipsis, sola interveniente eiusdem Superioris, sive Abbatis Generalis licentia, consensu, aut praetensa auctoritate, ad animarum curam in Ecclesiis Saecularium assumendam, et exercendam, vel ad Canonicatus, sive Praebendas, Dignitates, vel alia quomodocumque nuncupata Officia, aut Beneficia residentialia in Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, aut Collegiatis obtinenda, e Religiosis Claustris exeat, discedat, et extra ea moretur; sed necessarium omnino, semper, et quandocumque esse et fore speciale Apostolicae Sedis Indultum tam ut iidem Canonici Regulares huiusmodi Ecclesiasticorum Beneficiorum Saecularium, sive cum animarum cura, sive cum residentiae onere adnexo, capaces fiant, et existant; quam ut ad ea assequenda, regenda, et retinenda, e Claustris discedere, et extra ea degere licite possint. Similiter omnium et quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum simplicium nuncupatorum, aut Ecclesiasticarum Pensionum quarumlibet, eosdem incapaces esse declaramus, et ad ea assequenda ex se inhabiles haberi debere decernimus. At si aliquando aliquem ex ipsis, sive pro Religiosis ipsius indigentiis, sive ob meritum personale, sive alio quocumque titulo, aut causa, de uno aut pluribus huiusmodi Beneficiis simplicibus, vel de una, aut pluribus Ecclesiasticis Pensionibus ab Apostolica Sede provideri contingat; decernimus, non ideo huiusmodi Canonicum Regularem e Religionis suae Claustris exire, aut extra ea vitam degere posse; sed in suis Religiosis Domibus, ut antea, et sub legitima suorum Superiorum Regularium obedientia manere debere statuimus; contravenientes vero omnibus et singulis poenis, adversus Regulares Apostatas latis atque statutis, subiicimus; et iisdem re ipsa et cum effectu affici et coerceri mandamus.

§ 16. Et quidem Canonici Lateranenses, quique a Sanctissimo Salvatore nomen habent, non verbo, aut specie tantum, sed revera et proprie Regulares existunt, ipsisque cum aliis omnibus caeterorum Ordinum Regularibus communia sunt Vota solemnia, Castitatis, Paupertatis, et Obedientiae; ideoque, quatenus Regulares sunt, aeque ac Monachi, caeterique Religiosis quibusque Ordinibus adscripti, incapaces sunt Beneficiorum Ecclesiasticorum Saecularium, absque Apostolicae Sedis auctoritate, et dispensatione. Quia tamen (ut Innocentius III ait in praecitato Cap. *Quod Dei timorem*) Regulae inserviunt laxiori; aequum est, maiorem cum ipsis indulgentiam adhiberi, et, ubi eorumdem Superiorum Regularium consensus adsit, benigniori quadam facilitate, per Apostolicae auctoritatis Indulta, ad Saecularia Beneficia eosdem admitti. Verum ut in huiusmodi casibus omnia rite recteque procedant, sequentes Regulas, inviolabiliter, respective, sub poena nullitatis Collationis Beneficiorum, tenendas et observandas, eadem Apostolica auctoritate praescribimus atque statuimus.

§ 17. Ubi nempe agatur de Beneficiis Ecclesiasticis Saecularibus, pro quorum collatione Concursus indici non solet, veluti sunt Ecclesiae Parochiales de Iurepatronatus Laicorum, et in Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, aut Collegiatis Ecclesiis, Canonicatus, atque Praebendae (exceptis tamen Theologali, et Poenitentiaria Praebenda, quarum utraque praevio semper Concursu provideri debet); et quidem ubi huiusmodi Beneficia de iurepatronatus sive Ecclesiastico, sive Laicali existant; et cessantibus quoad Beneficia Iurispatronatus Ecclesiastici reservationibus et affectionibus Apostolicis; integrum esse volumus Beneficiorum Patronis, aliquem ex praedictis Canonicis Regularibus, quem idoneum iudicaverint, ad ea Beneficia praesentare, seu nominare; dummodo praesentatio, seu nominatio fiat cum expressa praeservatione Beneplaciti Apostolici. Postquam vero praesentatus, seu nominatus Canonicus Regularis, praesentationem seu nominationem de se factam acceptaverit, cum clausula de obtinendo Beneplacito tam Superioris Generalis sui Ordinis, quam Sedis Apostolicae, ad ipsos praesentantes seu nominantes pertinebit, consensum exquirere Superiorum Regularium. Qui si ex discessu huiusmodi Canonici Regularis, ad animarum curam, seu ad Canonicatum in Ecclesia Saeculari obtinendum evocati, nullum Ordini detrimentum obventurum esse, in Domino reputaverint; multoque magis, si perspectam habentes vitam ab huiusmodi praesentato seu nominato religiose institutam, et studia ab eodem in Religione laudabiliter peracta, illius operam utilem atque proficuam fore Ecclesiae illi, cuius servitiis deputatur, in Domino pariter iudicaverint; requisitum assensum in scriptis praebentes, testimonium insuper adiicient de ipsius praesentati seu nominati idoneitate, tam quoad mores, quam quoad doctrinam, sive ad animarum curam, sive ad Praebendam Canonicalem; super quorum veritate ipsorum Superiorum conscientiam districte oneramus. Sed et ab Ordinario, sive ab Ordinariis Locorum, in quibus ipse Religiosus praesentatus aut nominatus per aliquod tempus commoratus fuerit, requirendum erit, utrum ipsis aliquid adversus illius vitam et mores relatum fuerit, vel alias legitime constiterit.

§ 18. Quae omnia, videlicet praesentatio, seu nominatio, et respective acceptatio cum adiectis clausulis praeservativis supra enunciatis; item Superiorum Regularium consensus, eorundemque attestatio; Ordinariorum quoque favorabile testimonium, exhibenda erunt nostro, sive Successorum Nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore Datario, qui, facta Nobis, aut Successoribus Nostris, praedictorum omnium relatione, si ita Pontifici videbitur, Literas Apostolicas super concessione huiusmodi Beneficii eidem Canonico Regulari praesentato seu nominato ad illius vitam facienda, statim expediri iubebit; vel alias, de eiusdem Pontificis mandato, ante ipsam expeditionem, praedictae Congregationis Tridentini Concilii Interpretis consilium exquiret.

§ 19. Idipsum, quantum rei natura, et circumstantiarum diversitas patitur, tunc etiam observari volumus et mandamus, quoties Ordinarius ipse Canonicum Regularem Lateranensem, aut Sanctissimi Salvatoris, ad Ecclesiam Parochialem, quam in casu particulari sine concursu conferri posse contigerit, sive ad Canonicatum absque Concursu pariter providendum, et ad ipsius Ordi-

narii liberam dispositionem et collationem pertinentem, promovendum putaret. Decernentes, in huiusmodi casibus nihil ab Ordinariis propria auctoritate fieri posse; sed Romano pro tempore Pontifici rem totam deferri; item consensum Superiorum Regularium, iuxta formam superius a Nobis praescriptam, exquiri, et obtineri, omniaque demum, ut praefertur, ad Datarium pro tempore transmitti, ut is, relatione Pontifici facta, opportunum super expediendis Literis Apostolicis mandatum accipiat.

§ 20. Ubi vero agatur de Beneficiis Ecclesiasticis Saecularibus, ad quae Concursus de iure indici, et haberi debet; cuiusmodi plerumque sunt Ecclesiae Parochiales ad liberam Ordinariorum collationem spectantes, itemque Ecclesiae Parochiales de Iurepatronatus Ecclesiastico, et in Ecclesiis Cathedralibus, Metropolitanis, aliisque, Praebendae Theologalis, et Poenitentiaria; statuimus, nullum Canonicum Regularem, sive Lateranensem, sive Sanctissimi Salvatoris, etiam accedente licentia ipsorum Superiorum Generalium, ad huiusmodi Concursus accedere posse: ipsisque Episcopis, sive aliis Ordinariis quibuscumque, districte inhibemus, sub poena nullitatis Concursus, ne praedictos Canonicos Regulares ad huiusmodi Concursus admittere praesumant, sine praevio Beneplacito Apostolicae Sedis, pro quo obtinendo sequentem methodum invioiabiliter tenendam, atque servandam praescribimus.

§ 21. Quoties videlicet Episcopus, aut alius Ordinarius, inter eos Saeculares Presbyteros, sive Clericos, qui ad Concursum pro Ecclesiae Parochialis, aut Praebendae Theologalis, vel Poenitentiariae collatione et provisione habendum, sunt accessuri, neminem ad huiusmodi Parochiam aut Praebendam idoneum revera esse, in Domino iudicaverit; et e contrario aliquem ex Canonicis Regularibus ad praedictas Ecclesiam, aut Praebendas respective aptum, et idoneum existere noverit; Romani Pontificis pro tempore existentis iudicio rem totam deferet; a quo si Illi indultum fuerit, ut huiusmodi Canonicum Regularem ad Concursum admittere valeat, tunc ab eodem Religioso Canonico requirere debebit, an forte, accedente consensu ipsius Superiorum Regularium, huiusmodi Concursui se sistere vellet. Quod ubi is facturum se esse affirmaverit, idem Episcopus Superiores Regulares rogabit pro huiusmodi consensu, seu licentia; quam tamen ipsi Superiores nequaquam impertiri debebunt, nisi simul testati fuerint, et nullum proprio Ordini detrimentum extiturum, si religiosus vacantem Parochiam, aut Praebendam assequatur, et eundem, anteactae vitae ac doctrinae merito, dignum esse, qui ad illam promoveatur.

§ 22. Hisce omnibus in antecessum exacte servatis, licebit Canonicum Regularem ad Concursum admittere. Et nihilominus si cum prae caeteris probari contigerit, ipsa Parochiae, seu Praebendae concessio a Romano Pontifice expetenda erit; transmissis ad Datarium pro tempore omnium praemissorum documentis, ut hic, facta relatione Pontifici, opportuna pro expeditione mandata recipiat.

§ 23. Si autem contigerit, ut habito Concursu pro Ecclesiae Parochialis, aut Praebendae Theologalis, vel Poenitentiariae provisione, nullus ex Concurrentibus de Clero Saeculari idoneus repertus fuerit; aut si, huiusmodi Concursu indicto, intra praefinitum tempus nemo ex Clero Saeculari ad illum

accesserit, Episcopus autem vacantem Ecclesiam, aut Praebendam alicui Canonico Regulari Lateranensi, aut Sanctissimi Salvatoris utiliter concedi posse crediderit, pari modo Apostolicum assensum ad hoc exquirere debebit; habitoque rescripto iuxta petita, quod, annuente Pontifice, in ea verba conceptum esse poterit: *pro gratia, servatis servandis;* tunc Episcopus cum ipso Canonico Regulari, et cum ipsius Superioribus ea servabit, quae superius a Nobis praescripta sunt; ac de praemissorum omnium implemento opportuna documenta ad Datarium transmittet, Romano pro tempore Pontifici exhibenda, ut, eo iubente, ad concessionem huiusmodi Ecclesiae aut Praebendae per Literas Apostolicas procedi possit.

§ 24. Denique, quod pertinet ad Ecclesiarum Parochialium, aut Canonicatuum renunciationes, seu resignationes, vel Coadiutorias, necnon collationes Beneficiorum Ecclesiasticorum simplicium, aut Pensionum Ecclesiasticarum reservationes; quum in his omnibus, non solum ex superius dictis, propter Regularem qualitatem Resignatarii, aut Coadiutoris deputandi, sive de praedictis Beneficiis aut Pensionibus providendi, verum etiam ratione tituli intrinseci huiusmodi collationum, Apostolicae auctoritatis interventus semper et omnino requiratur: Nos Romanorum Pontificum Successorum Nostrorum arbitrio et prudentiae omnia relinquenda esse ducimus. Confidimus autem, neminem fore ex praefatis Successoribus Nostris, qui in huiusmodi casibus, praeter alia ad resignationes, aut Coadiutorias admittendas, sive constituendas, et ad Beneficia simplicia conferenda, vel Pensiones Ecclesiasticas reservandas, de iure requisita, rerum insuper ac personarum ratione habita, ea quae superius a Nobis circa praemissas concessiones statuta sunt, prae oculis habere, et mature perpendere omittat.

§ 25. Equidem inspecto Canonicorum Lateranensium, et Sanctissimi Salvatoris Regulari Instituto, non licet eis, quoad vivunt, post solemnem Votorum Professionem, e Religiosis Claustris discedere, et a Superiorum Regularium obedientia se subtrahere. Quamvis autem, ut antea dictum est, huiusmodi Legi subiecti sint et esse debeant etiam post assequutum aliquod Saeculare Beneficium simplex, aut Ecclesiasticam Pensionem, cuiusmodi certis in casibus ab Apostolica Sede Regularibus concedi et assignari contingit; attamen satis patet, neque permanentiam intra Claustra, neque immediatam Superioribus Regularibus subiectionem consistere ullo modo posse cum animarum cura, aut Canonica Residentia, si aliquem ex iisdem Canonicis Regularibus Ecclesiam Parochialem, aut Canonicatum, et Praebendam, vel Dignitatem, aut aliud Saeculare Beneficium Ecclesiasticum personalem Residentiam requirens contingat quomodolibet obtinere.

§ 26. Illud vero Dubium in Congregationibus huius Urbis et Curiae frequenter discussum ac disputatum fuit; an scilicet huiusmodi Canonici Regulares, post adeptam in Ecclesiis Saecularibus Parochiam, sive Canonicatum, e Claustris egressi, retinere deberent habitum sui Ordinis, an vero Clericorum Saecularium vestibus uti possent. Item de iis, qui ad Parochorum Officium sunt promoti, quaesitum fuit, an alterum Canonicum Regularem, dum possent, in sui consortium assumere, et apud se habere tenerentur. Super quibus non una fuit sententia, tam praedictarum Congregationum, quam

eorum, quos nuper a Nobis in consilium adhibitos esse memoravimus. Verum Nos, iustis et rationabilibus de causis animum Nostrum moventibus, decernimus atque statuimus, praedictos Canonicos Regulares, sive ad animarum curam gerendam, sive ad Canonicatum obtinendum in Ecclesiis Saecularibus, e Claustris egressos, habitum Clericalem Saecularem assumere posse, et ab obligatione secum retinendi Socium sui Ordinis, liberos et immunes esse, et fore. Eosdem tamen monitos volumus, ne, propterea quod extra Religiosa Claustra vitam degunt, et Clericorum Saecularium habitum deferunt, ideo se absolutos aut dispensatos esse arbitrentur ab observatione Votorum, quibus se in Regulari Professione Deo mancipaverunt; sed sciant, se teneri eadem Vota servare et implere in iis omnibus, quae cum animarum Rectoris, aut Canonici Saecularis Officio coniungi possunt. Episcopo autem, sive Ordinario Loci, per omnia subiecti sint; ipsumque etiam Superioris Regularis loco agnoscant et colant. Ac demum suas partes esse intelligant, sanctioris conversationis exemplo, sedulitate in officio obeundo, frugalis vitae parsimonia, copiosa eleemosynarum largitione, veluti quibusdam religiosae perfectionis insigniis, etiam in habitu Saeculari, pro Canonicis Regularibus in oculis hominum se gerere.

§ 27. Quaesitum praeterea fuit, utrum huiusmodi Canonici Regulares, qui Parochialem Ecclesiam, vel Canonicatum Saecularem essent adepti, possent a suis Superioribus Regularibus, legitimis ex causis, ad Religionis Claustra revocari; qua etiam de re non satis conformia prodierunt iudicata. Sed convenientibus in unam sententiam his, qui hac occasione a Nobis consulti fuerunt, Nobis visum est statuere ac declarare, praedictos Superiores Regulares huiusmodi facultate destitutos esse, ubi agatur de Saecularibus Parochiis, aut Canonicatibus in Titulum conferri solitis, et alicui ex praedictis Canonicis Regularibus in perpetuam administrationem rite concessis; sed ad Episcopum dumtaxat, sive ad Ordinarium loci pertinere, concurrentibus causis canonicis, ad legitimam contra illos privationem per sententiam procedere: vel alias ipsos, iustis pariter de causis, ad animarum curam inhabiles, et ab ea perpetuo suspensos declarare; quo casu hi, qui sic per sententiam privati, aut perpetuo suspensi existent, utique Religiosum habitum resumere, et ad propria Claustra redire teneantur.

§ 28. Denique disputatum fuit, utrum Canonicus Regularis, si resignaverit Ecclesiam Parochialem, aut Canonicatum Saecularem, quem obtinuerat, habitum Regularem resumere, et Religionis Claustra iterum ingredi debeat, itidemque an id locum habeat, ubi de praedictis per sententiam privatus, vel a Parochialium munium exercitio perpetuo suspensus, sive ad ea obeunda inhabilis declaratus fuerit; atque etiam, ubi Coadiutorem in Parochia aut in Canonicatu eidem deputari contingat; vel post laudabilem operam in Canonicatu per annos quadraginta assidue praestitam, privilegium Iubilationis, ut vocant, ipsi fuerit concessum. Et in his quidem cum distinctione procedendum censentes, ut omnem dubitandi occasionem perpetuo removeamus, decernimus atque statuimus, Canonico Regulari, qui se Parochia, aut Canonicatu abdicaverit, vel iis per sententiam legitime privatus, vel ad gerendum Parochiae regimen inhabilitatus, et ab eodem perpetuo suspensus fuerit, ad habi-

tum Regularem, et Instituti sui Monasteria redeundum esse. Non ita vero si, extra casum perpetuae inhabilitationis, et suspensionis, Coadiutorem habuerit in Canonicatu, aut in Parochialis curae regimine, vel per Iubilationem a servitio Chori fuerit exemptus; quum et ii, qui Coadiutorem habent in affectae valetudinis aut ingravescentis aetatis subsidium, teneantur in loco Parochiae, aut Canonicatus residere; ut praesto sint, quoties legitimum Coadiutori impedimentum obvenerit, ipsius Parochiae, aut Chori necessitatibus quoad poterunt, inservire, et qui Iubilationem obtinuerunt, valeant pro libito Chorum frequentare, atque etiam, non obstante huiusmodi Iubilatione, si Divinorum Officiorum ratio id exigat, possint ad servitium Ecclesiae revocari.

§ 29. His porro declarationibus atque decretis, quae praevia matura deliberatione, auditoque, ut praefertur, nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum, aliorumque prudentum atque doctorum Virorum consilio, per has Nostras Literas ferimus, atque Apostolica Auctoritate statuimus, pluribus controversiis finem factum iri confidimus; eademque opera tam Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis, quam ipsis, de quibus agitur, Ordinibus Regularibus, utiliter consultum esse existimamus; Episcopis nempe, sive Ordinariis, quorum frequentes audivimus querelas super nimia facilitate, qua huiusmodi Canonici Regulares ad Ecclesias Parochiales aut Canonicatus Saeculares convolabant, sola muniti licentia ipsorum Superiorum Regularium; quos quidem suspicabantur in ea concedenda haud difficiles se praebere, ubi de turbulentis hominibus, aut ipsi Religioni inutilibus ageretur: ipsis vero etiam Canonicorum Regularium Lateranensium, et Sanctissimi Salvatoris Ordinibus, quos peculiari semper benevolentia prosecuti sumus; ex quibus non paucos probitate ac doctrina insignes, suorumque respective Ordinum amantes, et olim, quum in minoribus ageremus, et postquam etiam Apostolicam hanc Sedem tenemus, aperte conquerentes audivimus, non raro evenire, ut deprecatorum studio et auctoritate, cui Superiores obsistere aut nollent aut non auderent, illos ex Collegis suis cogerentur amittere, ex quorum permanentia maiorem utilitatem atque splendorem consecuturus erat ipsorum Ordo, a quo iidem multos annos hanc in spem educati et alti fuerant, ac religiosis virtutibus, optimisque disciplinis imbuti.

§ 30. Quocirca easdem praesentes Literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod Canonici Regulares praedicti, aut quilibet alii etiam speciali nota et expressione digni, in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, aut ad ea vocati et auditi non fuerint, aut ex alia quacumque causa, colore, praetextu, et capite, etiam in corpore Iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quolibet defectu notari, impugnari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, aut quodcumque aliud iuris, facti, vel gratiae remedium impetrari posse; sed easdem praesentes semper firmas, validas, et efficaces esse et fore, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat, et pro tempore quomodocumque spectabit, inviolabiliter observari. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam

de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictaeque Sedis Nuntios, et alios quoslibet quavis auctoritate et potestate fungentes, et quandocumque functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari, et definiri debere; et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

§ 31. Non obstantibus, etc.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 536-547].

362.

Benedictus XIV, ep. *Sollicitudini*, 1 oct. 1745.[1]

Sollicitudini nostrae dudum relatum fuerat, in Civitate Imperiali Kauffbura, quam incolunt simul Orthodoxi, ac Lutheranae professionis sectatores, vitam degere sanctimonialem quamdam, Crescentiam nomine, adeo sanctitatis opinione celebratam, ut assiduus ad eam concursus fieret hominum etiam virtute et genere illustrium. Quapropter multiplici experimento edocti, inanes aliquando affectatae sanctitatis larvas obtendi, atque etiam ab animarum Directoribus, ob suos peculiares fines, eosque interdum minus rectos, depraedicari et divulgari; datis ad Fraternitatem tuam Literis die 17 Maii superioris Anni 1744, discretioni tuae commisimus, ut in praedictae Sororis Crescentiae vitam et mores inquireres, deque illius agendi rationibus, sive bonis, sive malis, certiores Nos redderes.

§ 1. Quamvis autem ante Literarum nostrarum adventum, eadem Soror Crescentia extremum diem obiisset; ideoque expirasse dici posset nostra Tibi directa commissio; attamen Fraternitas tua Pastoralis vigilantiae partes esse iudicavit, graves quosdam atque prudentes Viros ad hoc subdelegare, ut in eiusdem Defunctae mores eam inquisitionem explerent, quam, ipsa vivente, fieri cupiebamus.

§ 2. Huius itaque inquisitionis acta, aliaque ad rem pertinentia, una cum Epistola tua scripta die 24 Maii proxime elapsi, ad Nos allata fuerunt; et Nos quidem Epistolam ipsam statim legimus et perpendimus; ipsa vero acta, aliaque adnexa, Viris expertis tradidimus redigenda in summarium; quod deinde, simul ac per tot alias, quibus distinemur, occupationes et curas Nobis licuit, cum ipsis authenticis actis et documentis conferre non praetermisimus.

§ 3. In his omnibus equidem nihil offendimus, ex quo defuncta Soror Crescentia de affectatae sanctitatis crimine argui possit. Verum ex ipsis Testium dictis, (etiamsi integra fides iis adhiberetur, nec ulla iusta adesset suspicio, eos ad favendum praedictae Sorori praecedenter instructos fuisse), illius quidem vitam ad normam probitatis exactam, et gravibus exemptam criminibus agnoscere Nobis visi sumus; nullam tamen heroicam virtutem,

[1] Venerabili Fratri Ioseph Episcopo Augustano.

nullum signum, sive miraculum ab omnipotenti Deo, ipsius intercessione, patratum deprehendisse, ingenue fatemur.

§ 4. Non ignotum Tibi esse Opus *De Canonizatione Sanctorum* a Nobis conscriptum, ex Fraternitatis tuae Literis intelleximus. In quo Opere elaborando, postquam ultra viginti annos in munere Promotoris Fidei versati fuimus, qualemcumque operam Nostram conferre opportunum duximus; non ut doctrinae laudem ac nominis celebritatem consequeremur; sed ut certam ac tutam methodum traderemus dirigendi seriem Causarum Beatificationis et Canonizationis, qnae ob varias opiniones Scriptorum, qui in negotiis Congregationis Sacrorum Rituum non satis versati fuerant, aliquo modo involuta ac perturbata videbatur; utque omnium oculis pateret, quam caute ac diligenter Apostolica Sedes in huiusmodi Causarum examine se gereret.

§ 5. Inhaerendo itaque Regulis in eo Opere expositis, quae non equidem a Nobis conditae, aut primum excogitatae, verum ex praefatae Congregationis disciplina collectae, et in aliorum usum productae fuerunt, satis agnovisse poterit Fraternitas Tua, huiusmodi Causis initium fieri a conficiendis Processibus propria et Ordinaria auctoritate Episcoporum, sive aliorum Ordinariorum Praesulum. His tamen minime properandum esse in demandanda confectione huiusmodi Processuum; sed expectandum esse congruum temporis intervallum ab obitu illius Dei Servi, sive Ancillae, de cuius virtutum, aut miraculorum fama inquirendum sibi esse duxerint; neque vero admovendam esse operi manum, nisi praecesserit vera et legitima fama virtutis heroicae, aut miraculi ad illius Servi Dei intercessionem, sive invocationem, a Deo patrati; nihil enim frequentius esse, quam post mortem alicuius fidelis Viri, aut Mulieris, magnam sanctitatis vel miraculorum opinionem in populo oriri, ac potissimum si ab aliquibus de industria rumor foveatur; quae tamen opinio, nisi veritate innixa sit, vel ipso temporis lapsu languescere, et interire, vel etiamsi hominum artificiis aliquandiu sustentari pergat, perspicuis tandem Divinae Sapientiae consiliis destrui, et confundi consuevit. In conficiendis autem huiusmodi Processibus, praecipue considerandum esse extremum mortis articulum, in quo nisi aliquid illustre et sanctitate conspicuum se obtulerit, reliquae omnes inqusitiones supervacaneae remanent. Denique ubi a Defuncto, vel, ipso iubente et probante, ab alio quolibet, aliquid scriptum fuerit, ne in praefatis concinnandis Processibus inutiliter tempus, aurumque insumatur, ante omnia ad trutinam revocanda esse huiusmodi scripta, ac diligenter investigandum, an aliquid contra Fidei veritatem, aut contra morum integritatem contineant, vel ullam peregrinae doctrinae novitatem a communi Ecclesiae sensu et consuetudine alienam exhibeant.

§ 6. Porro Fraternitati tuae in procuranda Processus ad Nos transmissi compilatione, non id propositum fuisse putamus, ut Causam Beatificationis Sororis Crescentiae quandocumque promovendam inchoare volueris. Novimus, potissimum inquisitionis peractae scopum fuisse, ut de Monialis Defunctae moribus instructos Nos redderes, et an affectatae sanctitatis notam meruerit, Nos edoceres. Sed quoniam facile evenire posset, ut fervente adhuc plurium

pio erga illam affectu, enixe a Te postularetur, ut conficiendis Processibus initium fieret; idcirco non inopportunum duximus, praemissa omnia Tibi in memoriam revocare, tutioremque agendi rationem paucis innuere; quum necessarium omnino putemus, per aliquod temporis spatium inquisitiones differri, atque interim observari, quo. res evadat; an ullum appareat artificii, humanaeque machinationis vestigium; an denique requisitae conditiones adsint pro inchoandis Processibus ad Beatificationis iudicium instruendum profuturis.

§ 7. Quod etiam in casu, de quo agitur, magis expedire censemus, tum quia in collectis nuper plurium virorum, atque mulierum testimoniis, ut supra diximus, nulla elucet heroicae virtutis aut miraculorum probatio, nec in obitu Sororis Crescentiae splendidum ullum sanctimoniae indicium apparet; tum quia complura huius scripta supersunt, quae ante omnia opus est ad examen vocari. Quod si etiam compilationi Processus Ordinarii, ad inchoandam Beatificationis Causam, locus esset, necessarium plane videretur exactam Instructionem pro recta illius confectione, iuxta ea, quae in praedicto Opere Nostro *De Canonizatione* conscripsimus, hinc ad vos mittere; quum in praedicto Processu Nobis oblato, nostroque iussu a peritissimis Viris discusso, animadversum fuerit, Testes in eo inductos turmatim examinatos fuisse; nec praevium, ut par erat, iusiurandum praestitisse; cumque non ita, ut oportebat, interrogati fuerint, generalia dumtaxat deposuisse, nihil de peculiaribus actionibus defunctae Sororis enarrantes.

§ 8. Atque haec, Venerabilis Frater, satis esse possent, ad accuratam illam, quam de commissa Tibi inquisitione Nobis reddidisti rationem; nec ulterius progrederetur Epistola Nostra, nisi alia quaedam Literis tuis Nobis indicanda iudicasses; inter quae praecipuum locum obtinet, quod scribis, de publicatis, lateque diffusis quibusdam Imaginibus Spiritum Sanctum sub speciosi Iuvenis forma referentibus, subscriptis verbis: *Veni Sancte Spiritus;* de quibus Imaginibus, utpote statim undequaque sparsis, atque multiplicatis, duo potissimum inquirenda sunt: primum, an Soror Crescentia eas invenerit, vulgaverit, approbaverit; alterum, an (praetermissa indagine de earum auctore) huiusmodi Iconum usus, expressio, et veneratio, sive intra Ecclesias, sive extra illas admitti possit.

§ 9. Nos autem de prima quaestione minime verba faciemus, eamque intactam relinquemus iis, quibus forsan de virtutibus Sororis Crescentiae quandocumque inquirendum esse contigerit; sive agendum fuerit de permittenda introductione causae super ipsius Beatificatione, sive, introducta iam Causa, de ipsis virtutibus aestimandis, et comprobandis.

§ 10. De altera vero quaestione dicturi, primum omnium Apostolicum Fraternitatis tuae zelum, quo huiusmodi Imagines huc illuc sparsas, et per Coenobium, per Ecclesiam, per Chorum palam expositas, auferri, et removeri iussisti, laudamus, atque probamus, Te hortantes, immo etiam auctoritate, qua fungimur, Tibi mandantes, ut in suscepto proposito firmiter constanterque perseverans, nullo pacto permittas huiusmodi Icones ulterius multiplicari, quascumque vero ullibi existere compereris, eas omnes et singulas de medio tollas; adhibitis iis auctoritatis simul, prudentiaeque tuae

remediis, quibus optatum finem sine turba, ac tumultu consequi posse iudicaveris.

§ 11. Neminem profecto latet, impium atque sacrilegum errorem fore, divinaeque naturae iniuriosum, si quis se putaret Deum Optimum Maximum, sicuti in se est, coloribus exprimere posse. Quum enim illius Imago depingi, atque oculis subiici nequeat, nisi tanquam materialis alicuius substantiae. corporea figura et partibus praeditae; si quis has qualitates Divinae Naturae tribueret, is profecto in Anthropomorphitarum errorem incideret.

§ 12. Repraesentatur tamen Deus eo modo, eaque forma, quibus in Scripturis Sanctis legimus ipsum mortalibus apparere dignatum esse. Licet enim id ab Heterodoxis Scriptoribus improbe reprehendatur, inter quos Simonem Episcopum vidimus suarum *Institutionum Theologicarum* lib. 4, sect. 2, cap. 10, asserentem non licere Deum pingere, ne sub ea quidem forma, qua se hominibus videndum exhibuit; ex nostris vero etiam Durandus opinatus fuerit huiusmodi Imaginum usum minime expedire; et Ioannes Hesselius, Catholicus itidem Scriptor, *Catechismi* sui lib. 1, cap. 65, huic opinioni favere videatur, dum ait innocuas quidem fore huiusmodi picturas, si a doctis tantummodo Viris conspici deberent; sed quum sapientium et insipientium oculis expositae esse debeant, facile evenire posse, ut indoctis per eas male de Deo credendi occasio praebeatur.

§ 13. Nihilominus communiter Catholici Theologi aliter docent. Petavius *Theologicorum Dogmatum* lib. 15, *De Incarnatione*, cap. 14, ut videre est ipsius Operum Tomo VI, licitum esse demonstrat, Deum sub ea forma depingere, qua ipsum accepimus semetipsum conspiciendum praebuisse: *Communi Catholicorum assensu inveteravit opinio, nimirum ut eatenus figurari Deus possit, qua sub externa aliqua specie aspectabilem se praebuit hominibus.* Molanus doctus auctor, *Historiae sacrarum Imaginum*, lib. 2, cap. 3, hanc ipsam sententiam confirmat. Eandemque quaestionem duo alii clari nominis Theologi egregie illustrarunt, nimirum Suarez in 3 part. *D. Thomae*, tom. I, quaest. 25, art. 3, disput. 54, sect. 2, pag. 793, et Valentia, tom. IV suorum *Operum*, pag. 384. Quibus addendi sunt duo S. R. E. Cardinales, Bellarminus, et Gotti, a Nobis alias citati in Opere Nostro *De Canonizatione Sanctorum*, lib. IV, part. 2, cap. 20, num. 2.

§ 14. Imagines Deum ita repraesentantes minime reprobat sacra Tridentina Synodus, sess. 25, *De Invocatione, veneratione, et Reliquiis Sanctorum, et sacris Imaginibus;* sed Episcopis mandat, ut Populos edoceant, per huiusmodi Picturas erudiri et confirmari Gregem Christi *in articulis Fidei commemorandis et assidue recolendis.* Si quis vero privatus huiusmodi Imaginum usum opinione sua reprobare ausus est, Ecclesiastico iudicio damnatus fuit, ut indicat Propositio XV inter damnatas a fel. rec. Praedecessore Nostro Alexandro Papa VIII die 7 Decembris 1690, quae sic habet: *Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare.*

§ 15. Et profecto quum in Sacris Literis legatur, Deum ipsum sub hac, aut illa forma hominibus se videndum exhibuisse, cur sub eadem forma eundem pingere non licebit? *Si ergo literae legentibus permittuntur; cum tamen sacrae Literae in maxima veneratione habeantur, cur non etiam Ima-*

gines permittentur? Verba sunt Alphonsi de Castro, lib. 8 *adversus Haereses;* quo etiam argumento strenue usus est Cardinalis de Richelieu in suo Tractatu, *De faciliori ratione reducendi eos, qui se ab Ecclesia segregarant*, lib. 3, pag. 439.

§ 16. His positis principiis minime dubiis, facile patebit, qua ratione Imago Spiritus Sancti a Pictoribus efformari debeat, et quaenam ipsius Imagines approbari debeant, aut reprobari. In Sanctis Evangeliis a BB. Matthaeo, Marco, et Luca conscriptis, ubi Baptismus enarratur, quem Dominus Noster Iesus Christus a Ioanne accipere voluit, legitur, apertum fuisse Coelum, et Spiritum Sanctum corporali specie, sicut Columbam, super eum descendisse. Quod cur factum fuerit, mirifice explicat Dionysius Alexandrinus in Epistola adversus Paulum Samosatenum, quae extat in Collectione Conciliorum Labbei, tom. 1, pag. 867, ita: *Cur vero in specie Columbae Spiritus Sanctus descendit? scilicet ut nos doceret, qui misit illam, quique eum, quem misit, accepit. Sicut enim Noe dimisit ex Arca Columbam, et ipse illam recepit; ad eam similitudinem intelligendum Nobis est, ipsius Christi esse Spiritum Sanctum coaeternum, et quod erat ipsius, hoc dedisse Nobis; dividens, et effundens super omnem carnem credentium, quia Deus est et Dominus, qui divisit Nobis suum Sanguinem et Spiritum.*

§. 17. Non hic opus est in eam controversiam ingredi, quae inter eruditos Criticos agitur, super illius Columbae natura. De hac olim egimus in Nostro Tractatu *De Festis Domini Nostri Iesu Christi, Editionis Patavinae*, § LIV, qua editione absoluta, recentiorem quamdam super hoc argumento vidimus Dissertationem inter *Discursus Historico-Criticos ad illustrationem veteris et novi Testamenti* Typis edito *Hagae Comitum* an. 1737, pag. 148.

§ 18. Quod autem ad praesentem quaestionem attinet, quum Spiritus Sanctus in Columbae specie olim visibiliter apparuerit; profecto illius Imago sub eadem specie dipingi debet. Qua in re vetus Ecclesiae disciplina nostrorum temporum consuetudini adstipulatur. De ea siquidem testatur S. Paulinus Episcopus Nolanus, qui, saeculo Christi quinto ineunte, in epistola ad Severum, describens Picturas in Basilica S. Petri iam tunc existentes ita cecinit:

Pleno coruscat Trinitas Mysterio:
Stat Christus Agno, vox Patris Coelo tonat.
Et per Columbam Spiritus Sanctus fluit.

§ 19. Pariter Christi anno DXVIII Antiocheni Clerici et Monachi, in precibus Ioanni Patriarchae, et Synodo adversus Severum congregatae exhibitis, haec habent, apud Labbeum, *Conciliorum* tomo 5, pag. 159: *Columbas aureas, et argenteas in figuram Spiritus Sancti super Divina Lavacra et Altaria appensas, una cum aliis, sibi appropriavit; dicens, non oportere in specie Columbae Spiritum Sanctum nominare.* Damnatus etiam fuit in Concilio Nicaeno Secundo habito anno Domini DCCLXXXVII Xenaias Catechumenus, quum ausus esset asserere, non licere Spiritum Sanctum sub Columbae forma repraesentare: *Inter caetera autem dicebat, et hoc esse pueriles animi factum, fingere in Columbae Idolo ter adorabilem Spiritum Sanctum,* ut videre est in Collectione Con-

cillorum, Regia nuncupata, Parisiis impressa anno 1644, tom. 18, pag. 458, et apud Cardinalem Baronium ad annum Christi 485.

§ 20. In opere quoque Italica lingua scripto Philippi Bonarotae Senatoris Florentini, quod inscripsit, *Observationes in antiqua vitrea vasa,* ex Urbis Coemeteriis effossa, pag. 125, plures afferuntur Imagines Spiritus Sancti, sub Columbae specie in nobilibus illis sacrae antiquitatis fragmentis expressae. Cum vero recentiores sectarii, Calvinus, Lutherus, Zuinglius, mox relatum Severi errorem renovare contenderint, neminem latet, quid de illorum deliriis Ecclesia iudicaverit; quorum ampla refutatio videri potest apud Gretserum in Tractatu *De Sacris Imaginibus*, cap. 9, impresso in tomo 17 novissimae Editionis ipsius Operum.

§ 21. Legitur insuper in sacris Novi Testamenti paginis, quod quum post Christi in Coelum Ascensionem congregati essent Apostoli et Discipuli, una cum Maria Matre Iesu, solemni die Pentecostes *apparuerunt illis dispertitae linguae, tanquam ignis, seditque supra singulos eorum; et repleti sunt omnes Spiritu Sancto.* De quo Mysterio fuse egimus in praedicto Opere Nostro *De Festis Domini Nostri Iesu Christi,* § 480 et sequentibus, Editionis Patavinae, ubi sub § 492 docuimus, licere Pictoribus ad repraesentandum id, quod in solemniis Pentecostes ab Ecclesia recolitur, Apostolos pingere, aliosque cum iis in Coenaculo congregatos, et flammulas ignis in linguarum figuram e Coelo demissas, eorum omnium capitibus impluentes; quoniam in sacra Apostolicorum Actuum Historia, cap. 2 refertur, Paraclitum Spiritum Sanctum hoc visibili signo adventum suum ea occasione hominibus manifestasse. Verum si quis extra hanc occasionem eundem Spiritum Sanctum pingere velit, non aliter ipsum, quam sub Columbae forma poterit repraesentare; ut etiam recte monuit eruditus auctor Ayala in Tractatu, cui Titulus est *Pictor Christianus*, ubi lib. 2, cap. 3, num. 7 scribit: *Cum vero Spiritus Sanctus depingendus venit, non alia specie pingendus est, nisi illa, qua in Iordane nimirum apparuit, quamque docet Divinus Textus his verbis: Et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut Columba in ipsum.* In Catechismo autem auctoritate sacri Concilii Tridentini edito, super eo Decalogi Praecepto: *Non habebis Deos alienos coram me,* ubi agitur de pingendis Divinis Personis, haec habentur: *Columbae vero species, et linguae tanquam ignis, in Evangelio, et Actis Apostolorum, quas Spiritus Sancti proprietates significent, multo notius est, quam ut oporteat pluribus verbis explicari.*

§ 22. Quod si dicatur, minime reprobari, immo libenter admitti usum pingendi Spiritum Sanctum in Columbae specie; verum id agi, ut praeterea possit sub speciosi Iuvenis, aut Viri forma repraesentari; Nos contra iure responderi posse contendimus, quod cum aliter non liceat Divinae Personae Imaginem humanis oculis intuendam exhibere, quam sub ea forma, sub qua in Scripturis Sanctis narratur eandem Personam se olim hominibus aspectabilem praebuisse; sequitur inde, non modo licitum esse Spiritum Sanctum, vel die Pentecostes in mystica figura linguarum ignis super Apostolos descendentium, vel alias in Columbae specie, depingere; propterea quod uterque eiusdem pingendi modus in Divini Textus historia et auctoritate fundatur; sed hoc insuper recte colligitur, minime licere, eundem Spiritum

Sanctum sub Adolescentis, aut Viri specie figurare, quum nullibi inveniatur in Divinis Scripturis ipsum sub huiusmodi forma hominibus apparuisse.

§ 23. Huic autem rationi addenda est auctoritas sacrosanctae Tridentinae Synodi, quae *loco superius citato,* prohibet Fidelium oculis exhiberi *ullas falsi dogmatis Imagines, aut rudibus periculosi erroris occasionem praebentes;* et generaliter, ullam insolitam poni, aut ponendam curari Imaginem, tam in Ecclesiis, quam in aliis quibuscumque locis, districte vetat. Imago autem, de qua agimus, praeterquamquod insolita est, impium etiam, atque damnatum a Patribus errorem in animos intuentium revocare posset; eorum videlicet, qui asseruerunt, Divinam Spiritus Sancti personam humanae conditionis naturam assumpsisse, de quibus loquitur Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus *Cathechesi XVI,* Tomo 4 *Bibliothecae Maximae SS. Patrum Lugduni impressae anno 1677,* pag. 523, et S. Isidorus Pelusiota, Lib. 1, Epist. 243 eiusdem Bibliothecae Tomo 7, praeter Auctorem Notarum ad Concilium Constantinopolitanum I, in *Collectione Conciliorum Labbei,* tom. 2, pag. 976.

§ 24. Equidem ex Epistola Fraternitatis Tuae satis intelleximus, huiusce argumenti vim ab iis quoque agnitam fuisse, qui de praesenti quaestione apud te verba fecerunt; qui tamen eam se declinare posse putarunt, adductis exemplis quarundam Imaginum Sanctissimae Trinitatis, quibus ea sub figura trium hominum aequalis, et undequaque similis aspectus repraesentatur. Id quod alterius disquisitionis occasionem Nobis aperit; ut scilicet examinemus, an liceat Sanctissimam Trinitatem coloribus pingere; et, quatenus id licitum sit, quaenam illius Imagines damnatae sint, quaenam haud omnino reprobatae, quaenam demum approbatae, et permissae: denique an ex huiusmodi Picturis ullum argumentum trahi possit, ut Imago Spiritus Sancti, de qua nunc agimus, vitio carere ostendatur.

§ 25. Porro licere Sanctissimam Trinitatem coloribus pingere, communis est Theologorum opinio, quam copiose propugnant Valdensis, Molanus, Catharinus, Conradus Brunus, Nicolaus Sanderus, Franciscus Turrianus, Suaresius, Vasquez; quos sequitur Theophilus Raynaudus in Libro cui titulus *Heteroclita Spiritualia Coelestium, et Infernorum,* pag. 23 inter ipsius Opera Tomo 15, ita scribens: *Ex usu Ecclesiae, et ex consensu potiorum Theologorum, fas est pingere Sanctissimam Trinitatem,* ubi etiam Durandum impugnat inter Scriptores Catholicos contra opinantem. Thuanus quidem Lib. 18 refert Decretum quoddam, cuius Auctorem Espencaeum fuisse asserit: *Ut Sanctae Trinitatis Effigies, tamquam Sac. Scripturae, Conciliis, et Veterum Patrum testimoniis prohibita, tollatur;* ac reprehendit Decanum Collegii Theologici Parisiensis, Nicolaum Malardum, eo quod huiusmodi Decreto obstitisset. Verum hac in re Thuani dicta refellit Gretserus in *Thuano Pseudotheologo,* pag. 57, tom. 17 novissimae editionis Ratisponensis Operum eiusdem Gretseri. Christianus Lupus Vir non vulgaris eruditionis in *Notis ad Canones septimae Synodi,* cap. 5, admittens piam consuetudinem pingendi Sanctissimam Trinitatem, quaerit quo tempore eadem introducta fuerit, seque id reperire non potuisse ingenue fatetur; quod idem Nos quoque, pari sinceritate, professi sumus Lib. 4, *De Canoniz. Sanctor.,* p. 2, cap. 20, n. 3.

§ 26. Illud tamen a Theologis Nostris communiter traditur, minime permittendum esse Pictoribus, ut Sanctissimam Trinitatem qualibet forma pro ipsorum libito repraesentare audeant: quin adversus eorum licentiam invehuntur Vasquez, Tom. I, pag. 676, et Cardinalis Bellarminus *Controversiarum* tom. 2, cap. 8, *de Imaginibus Sanctorum;* qui sic ait: *Notandum non debere eiusmodi Imagines multiplicari, nec tolerandum esse, quod Pictores audeant ex capite suo confingere Imagines Trinitatis; ut cum pingant unum hominem cum tribus faciebus, vel unam hominem cum duobus capitibus, et in medio eorum Columbam: ista enim monstra quaedam videntur, et magis offendunt deformitate sua, quam iuvent similitudine;* eademque docet Sylvius, Tom. 4 *in tertiam partem Divi Thomae* quaest. 25, art. 3, quaest. 2, pag. 111, *editionis Antuerpiae anni 1714.*

§ 27. Inter reprobatas Imagines Sanctissimae Trinitatis ea procul dubio recensenda est, quam pluribus insectatur Ioannes Gerson, Tomo 3 ipsius *Operum, Antuerpiae editorum, anno 1706,* quamque narrat se vidisse in quadem Domo Regularium; ubi nimirum repraesentabatur Deipara Virgo Trinitatem ipsam in utero gerens, quasi vero tota Trinitas humanam carnem ex Virgine assumpsisset. Addit vero Molanus *Historiae Sacrarum Imaginum* lib. 2, cap. 4, se nunquam satis intellexisse id, quod apud Gersonem legerat, donec huiuscemodi Sanctae Trinitatis Imagines in Belgio pluribus locis expositas conspexerit; quas quidem se quoque damnare, et reprobare profitetur.

§ 28. Humani corporis figuram tribus capitibus instructam, tamquam Imaginem Sanctissimae Trinitatis repraesentandae aptam, tueri quodammodo conatur Valentia Tomo II ipsius *Operum,* pag. 389. Verum super huiusmodi Imaginibus solemne Iudicium fel. record. Urbani Papae VIII Praedecessoris Nostri prodiisse referunt, Macri in *Vocabulario Ecclesiastico,* verbo, *Icona,* et Episcopus Sarnellus *Epistolarum Ecclesiasticarum* Tomo IV, Epist. 13, qui testantur praedictum Urbanum comburi iussisse Picturas quasdam, Sanctissimam Trinitatem exhibentes sub specie hominis triplici facie instructi; idque factum fuisse *die 11 Augusti anno 1628.* Sed et longe ante ipsius Urbani, et Bellarmini supra laudati tempora, S. Antoninus in *Summa Theologica,* part. 3, tit. 8, cap. 4, § 11, ita scriptum reliquit: *Reprehensibiles etiam sunt,* Pictores videlicet, *cum pingunt ea, quae sunt contra fidem, cum faciunt Trinitatis Imaginem unam Personam cum tribus Capitibus, quod monstrum est in rerum natura.*

§ 29. Sequitur, ut videamus, quid sentiendum sit de Imagine Sanctissimam Trinitatem exhibente in Tribus Personis, statura, aetate, omnibusque aliis lineamentis omnino aequalibus. Thomas Valdensis suorum *Operum* Tomo III, Tit. 19, *de Sacramentalibus,* cap. 151, huiusmodi Picturam approbare non dubitat. Nec dissentit Molanus *Historiae Sacrarum Imaginum,* lib. 2, cap. 3. Verum Ayala in aliam abire videtur sententiam, in praecitato Opere *Pictor Christianus,* lib. 2, cap. 3, num. 8 de ea Imagine sic loquens: *Aliam alicubi conspeximus pingendae Sanctissimae Trinitatis rationem, hanc scilicet: Depingebantur in tabula tres Viri perquam similibus faciebus, aequali prorsus statura, et aequalibus atque omnino similibus coloribus, vestibus, ac lineamentis.*

Non quidem hoc tam absurde; sed tamen non omnino recte: etsi enim hac ratione servetur repraesentatio aequalitatis et coaeternitatis Divinarum Personarum, deficit tamen Character, et notio, ut ita loquamur, Divinae Personae; praeterquam quod in his rebus, quae sunt dignitate sua gravissimae, vitanda et fugienda est omnis et quaecumque novitas.

§ 30. Ut autem variarum huiusmodi opinionum fundamenta paullo accuratius exploremus, innititur sententia Valdensis apparitioni Abrahamo factae, quae *Genes.* cap. 18 refertur his verbis: *Apparuit ei Dominus in Convalle Mambre sedenti in ostio Tabernaculi sui, in ipso fervore diei;* statimque subiicitur: *Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei Tres Viri stantes prope eum, quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio Tabernaculi, et adoravit in terram.* Post quae animadvertere licet, quod Abraham unum tantummodo alloquitur. *Et dixit: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum;* atque vicissim unus dumtaxat Abrahamo respondet. *Dixit autem Dominus ad Abraham, etc.* In hac itaque apparitione S. Augustinus lib. 11, *de Trinitate,* cap. 20, tomo 8, pag. 784 *Editionis Monachorum Congregationis Sancti Mauri,* agnoscit Sanctissimae Trinitatis Imaginem, ita scribens: *Cum vero tres Viri sunt, nec quisquam in eis vel forma, vel aetate, vel potestate maior caeteris dictus est, cur non hic accipiamus visibiliter insinuatam per creaturam visibilem Trinitatis aequalitatem, atque in Tribus Personis unam eandemque substantiam.* Augustini opinionem amplexi sunt Rupertus lib. V, *Commentariorum in Genesim,* cap. 37, Suarez, *de Angelis,* lib. 6, cap. 20, num. 10, et sequentibus, Cornelius a Lapide, et Du Hamel in idem Caput XVIII *Geneseos,* aliique.

§ 31. Sunt tamen, a quibus eadem S. Doctoris interpretatio non recipitur. Praetermissa siquidem Hebraeorum opinione, qui putant, tres illos Abrahamo visos, non alios fuisse, quam Angelos Michaelem, Gabrielem, et Raphaelem, quorum primus, Dei partes gerens, venerit, ut inquireret in scelera Sodomae, et iustum in meritam Civitatem supplicium statueret; at reliqui duo, iussu prioris, Civitatem ipsam everterint, Lot vero liberaverint, uti narratur sequenti Capite eiusdem Libri Geneseos XIX; quam Hebraeorum opinionem referentes Tostatus, atque Tirinus, in eandem propendere se ostendunt; ut videre est in ipsorum Commentariis in praemissum Genesis Caput XVIII. Sane non pauci ex Sanctis Patribus existimarunt, duos ex tribus, qui tunc Abrahamo apparuerunt, Angelos extitisse, tertium vero fuisse Filium Dei, Secundam nimirum Sanctae Trinitatis Personam: atque hanc sententiam frequenti expositorum calculo comprobatam, ab ipsa Ecclesia adoptatam fuisse putat Augustinus Calmet; idque deducit ex iis verbis, quae licet non habeantur in Sacro Textu, in Divinis tamen Officiis leguntur, videlicet: *Tres vidit, et unum adoravit.* Videatur ipse Calmet in praecitatum *Genesis* caput XVIII, necnon Discursus XVII, in idem Caput XVIII *Genesis,* inter *Discursus Historico-Criticos Theologico-Morales in Vetus, et Novum Testamentum,* Antuerpiae editos anno 1736, Tomo II.

§ 32. Imagines itaque Sanctissimae Trinitatis communiter approbatae, et tuto permittendae, illae sunt, quae vel Personam Dei Patris exhibent in forma Viri senis, desumpta ex *Dan.,* cap. 7, vers. 9: *Antiquus dierum sedit;* in eius

autem sinu Unigenitum ipsius Filium, Christum videlicet Deum et Hominem, et inter utrosque Paraclitum Spiritum Sanctum in specie Columbae, vel duas Personas modico intervallo seiunctas repraesentant, unam Senioris Viri, nimirum Patris, alteram Christi, medium autem inter Ipsos Spiritum Sanctum, in Columba, ut praefertur, expressum: *Imagines ergo Trinitatis, quae ab Ecclesia probantur, sunt illae, quae Deum Patrem continent in forma Hominis Senis, in cuius sinu sit Christus, et inter utrumque Spiritus Sanctus in forma Columbae; vel Imagines, in quibus seorsim Deus Pater in forma Hominis Senis, et seorsim Christus, sed propinqui ambo, et inter utrumque Spiritus Sanctus in forma Columbae efformentur.* Verba sunt Cardinalis Capisucchi, qui plures annos munere Magistri Sacri Palatii Apostolici laudabiliter functus fuit; *in Controversiis Theologicis,* Controv. XXVI, *de Cultu Sacrarum Imaginum,* § 11 *circa finem.* Similia peti possunt ex praedicto Opere Nostro, *de Canonizatione Sanctorum,* lib. 4, part. 2, cap. 20, num. 3. Et quamvis Molanus loquens de hac ratione repraesentandi Sanctissimam Trinitatem, ac praesertim ubi Christus in sinu Patris, veluti mortuus, depingitur, dubitare videatur, an approbari possit, propterea quod Christum mortuum nemini apparuisse legitur; attamen facile dignoscitur quam levis momenti sit huiusmodi difficultas. Licet enim Salvatoris nostri mortui nullam apparitionem factam fuisse legamus; mortuus est tamen, et palam in conspectu innumerabilis Populi expiravit. Cur igitur ea forma, qua olim Hierosolymis a tot millibus hominum visus est, depingi nequit etiam in sinu Patris? aut cur sub eadem specie exponi nequit publicae adorationi Fidelium? Quocirca facile Molani dubium resolvitur, ut observat etiam laudatus Ayala, supradicto Libro, cui Titulus *Pictor Christianus,* lib. 2, cap. 3, num. 12.

§ 33. His itaque praemissis, quoniam potissimum fundamentum pro sustinenda Imagine Spiritus Sancti sub humana Iuvenis specie, in usu praedictarum Tabularum statuitur, quae Sanctissimam Trinitatem exhibent in tribus Personis, statura, vultu, lineamentis aequalibus; harum vero Tabularum legitimus usus desumitur ex trium Virorum apparitione Abrahamo facta, de qua *Genesis* cap. 18, iuvat nunc ita ratiocinari. Aut usus pingendi Sanctissimam Trinitatem in tribus Personis undequaque similibus, canonicus est, et in Ecclesia pacifice receptus; sicuti etiam sententia de indicato Trinitatis mysterio in tribus Viris, qui Abrahamo apparuerunt, satis tuta est, et solidis rationibus innixa; aut usus huiusmodi Tabularum, ut nonnulli putant, canonicus non est, nec ab Ecclesia probatus; et relatae pariter opinionis fundamenta nutant, ut aliqui superius citati arbitrantur. Si nec canonicus est usus memoratae Imaginis, nec opinio de figurato in praedicta apparitione Trinitatis mysterio tuta est, nec solidis rationum momentis suffulta: nequaquam permitti potest, ut super debilibus hisce infirmisque fundamentis, tamquam certum stabiliatur, quod licitum sit sub Viri aut Iuvenis specie Spiritus Sancti Imaginem exhibere.

§ 34. Quod si usus pingendi Sanctissimam Trinitatem in tribus personis aequalibus et similibus, canonicus esset, legitimus, et ab Ecclesia probatus; atque etiam tutissima foret praefata opinio, quod apparitio trium Angelorum Abrahamo facta mysterium adorandae Trinitatis significaverit; nihil aliud ex

his inferri posset, nisi praedictum Trinitatis repraesentandae modum, hoc est pingendi tres Viros aequali specie, et simili vultu, licitum esse et tolerandum; nunquam vero ex iisdem rite colligeretur, licere Spiritum Sanctum, seorsim a duabus aliis Personis, humana facie, et sub speciosi Iuvenis forma depictum exhibere. Nec enim apparitio Abrahamo facta unius Angeli fuit, sed trium; nec ullibi in Sacris Literis narratur, Spiritum Sanctum in forma Viri, aut Iuvenis, seorsim a duobus aliis, qui reliquas duas Trinitatis Personas repraesentarent, hominibus apparuisse. Singulas vero Sanctissimae Triadis Personas non alio modo pingi posse, quam qua earum quaelibet hominum se aspectibus exhibuerit, iam supra a Nobis probatum est. Idemque in Catechismo Romano, *loco superius citato* his verbis traditur: *Nemo tamen propterea contra Religionem, Deique legem quicquam committi putet, cum Sanctissimae Trinitatis aliqua Persona quibusdam signis exprimitur, quae tam in Veteri, quam in Novo Testamento apparuerunt.*

§ 35. Denique Imago Spiritus Sancti, de qua est quaestio, insolita est, et inusitata in Ecclesia; et consequenter nullo modo recipienda, iuxta mentem Sacrae Tridentinae Synodi supra relatae, et Conciliorum Provincialium post Tridentinum coactorum, quorum Decreta collegit Thiers in suo Tractatu *de Superstitione*, tom, 1, lib. 2, cap. 1, pag. 214.

§ 36. Pingitur Imago Sanctissimae Trinitatis, Patris, Filii, et Spiritus Sancti, repraesentando vel Patrem iuxta Filium, vel Filium in sinu Patris; simulque cum iis, Spiritum Sanctum in Columbae forma, ut antea diximus. Pingitur et Pater solus, seorsim ab aliis Personis, quoniam vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso audivit Adam, *Genesis,* cap. III; innixus mysticae scalae, visus est Iacob, *Genesis,* XXVIII, 13; Moysi quoque miro modo conspiciendum se praebuit, *Exod.,* XXXIII, 23; tum etiam Isaiae, tamquam Rex in Solio sedens, *Isaiae,* VI, 1; et Danieli, veluti senex albo vestimento amictus, *Dan.,* VII, 9. Pingitur etiam aeternus Filius seorsim a Patre et Spiritu Sancto, quoniam is homo factus, in diebus carnis suae cum hominibus conversatus est, atque etiam postquam a mortuis resurrexit, non semel Apostolis aliisque manifestus apparuit. Repraesentatur idem Cruci, quam pro Nobis pertulit, affixus: quam quidem Crucifixi Effigiem nec impius Lutherus e medio tolli posse putavit; et Elisabetha Angliae Regina nuncupata, Henrici VIII et Annae Bolenae Filia, licet Sacr. Imaginibus bellum indixerit, eam tamen in Regio suo Oratorio retinere voluit, ut videre est apud Bossuetum Meldensium quondam Episcopum, tom. 2 *ipsius Operum, Gallico Auctoris Idiomate Venetiis editorum anno 1738,* pag. 137, et pag. 460. Pingi quoque consuevit in forma Agni; atque huic Imagini fundamentum praebet Prophetia Isaiae, testimonium Baptistae, Evangelistarum dicta, Apocalypsis Ioannis Apostoli, et Epistola prima Beati Petri; quapropter eandem Salvatoris Nostri Imaginem approbat Hadrianus Pontifex in Epistola ad Tharasium conscripta, quae lecta est in Synodo septima, *Actione II;* [1] et vetustissima occurrunt huiusmodi picturarum exempla in Sacris Coemeteriis, et in Basilicis huius Nostrae Romanae Urbis expressa. Pingitur denique Spiritus Sanctus, vel tamquam de Caelo

[1] Cf. Mansi, tom. 12, col. 1077-1084.

descendens die Pentecostes in figura linguarum ignis, vel alias in Columbae specie, seorsim pariter ab aliis Divinis Personis; quia sub his figuris factae sunt eiusdem apparitiones, quarum Scriptura meminit. Nusquam vero invenire est in Sacris Literis, Tertiam Personam absque aliarum consortio, in similitudinem Viri, aut Iuvenis apparuisse. Quapropter argumenti superius expositi vis immota manet; nimirum quod etiamsi per tres Angelos Abrahamo visos Divina Trinitas repraesentata fuerit, non ideo tamen Spiritus Sanctus seorsim a duabus aliis Personis, humana specie, seu Viri, seu Iuvenis depingi potest.

§ 37. Atque haec privatis Nostris studiis colligere, et paucis illis subcisivis horis, quae Nobis ab ingruentibus undique negotiis publicis vix supersunt, ut peculiarem Bibliothecam nostram ingredi possimus, praesentibus ad Fraternitatem tuam Literis complecti voluimus; ut initam abs te rationem prohibendi praedictas Imagines Spiritus Sancti, earumque usum et cursum intercipiendi, comprobaremus. Neque porro dubitamus, quin, pro magna laudis existimatione, quam Tibi peperit egregia tua Apostolici muneris administratio, et pro ea rationum gravitate, cui innititur huiusmodi Imaginum prohibitio, debita mandatis tuis obedientia ab omnibus exhibeatur. Verum ubi, instigante humani generis hoste, contrarium eveniret, tuum erit de omnibus Nos certiores facere; Nos etenim ministerii Nostri partes esse reputabimus, Apostolicam, qua Deo volente fungimur, auctoritatem interponere, ut et refractarii meritis poenis afficiantur, et pravae consuetudines adversus Ecclesiae instituta ac disciplinam invectae, penitus eliminentur.

§ 38. Praetermittenda autem non sunt alia quaedam, quae in eadem Epistola tua legimus: spargi nimirum, ac dispensari complures praefatae Sororis Crescentiae effigies; necnon coronas precatorias, earumque grana, Cruces, Scapularia, Oleum, Pulverem, Aquam, Manus denique, vel pictas, vel ex ligno effictas, cum pollice inter indicem et medium inserto; existimantibus plerisque de vulgo, praedictas Cruces, et Coronas a Deo benedictas, et Indulgentiis ditatas fuisse; earum vero Manuum simulacra ad fugandos Daemones plurimum valere; cum aliis huiusmodi nugis, quae ab iis disseminantur, qui venditandis huius generis superstitionibus temporalia sibi lucra comparare student.

§ 39. Et quidem ex eadem Epistola tua optime agnoscimus, Tibi satis consilii, et prudentiae in temetipso esse, ad rectum de huiusmodi rebus iudicium ferendum; nec aliud Nobis reliquum esse videtur, quam ut Fraternitatem tuam hortemur, ut quam ingressus es viam, insistere pergas, inepta nimirum, quae diximus, deliria non approbando, sed fidem auctoritatemque omnem iis derogando.

§ 40. Ut tamen circa similia Apostolicae huius Sedis sensum atque iudicium agnoscas, consilio iudicioque tuo per omnia consentaneum; notum Tibi esse volumus, fuisse olim piam Dei Ancillam, nomine Ioannam a Cruce, magna Sanctitatis fama illustrem, cuius vita conscripta est ab Antonio Daca. Ferebatur in vulgus, quaedam Coronarum precatoriarum grana, ipsius intercessione a Iesu Christo benedicta fuisse, pluribusque aucta Indulgentiis. Verum huiusmodi Indulgentiae ab hac Sancta Sede apocriphae declaratae fuerunt,

quemadmodum videre est apud praecitatum Thiers, *de Superstitione*, tom. 2, cap. 12, qui etiam refert Decretum de iis prolatum anno 1678 a Congregatione S. R. E. Cardinalium Sacris Indulgentiis praeposita, eodem tom. 2, cap. 12, pag. 17 et sequentibus, et signanter pag. 25.[1] Cumque introducta esset Causa de illius Ancillae Dei Beatificatione, et ob eiusdem praeclara merita, eo usque feliciter processisset, ut iam ab Auditoribus Rotae confecta esset ipsius Relatio, iuxta morem ea aetate vigentem; quum deinde eadem Causa post Decreta Urbani Papae VIII reassumenda esset, cito consepulta remansit, propter excitatas obiectiones ex praefatis granis benedictis, et praetensis Indulgentiis eisdem adnexis desumptas, ut ostendit Pontificium Decretum anno 1664 editum, et a Nobis relatum in *Opere de Canonizatione Sanctorum*, lib. 2, cap. 36, num. 18 *Editionis Patavinae;* praeter ea, quae in Regestis Congregationis Sacrorum Rituum adnotata reperiuntur, quaeque eo loci in medium afferre opportunum non duximus.

§ 41. In eodem tamen Opere, lib. 2, cap. 8, num. 3 videre poteris Decretum Praedecessoris Nostri Urbani Papae V, prohibens distribui numismata in eorum honorem conflata, quibus aut Beati, aut Sancti cultus ab Apostolica Sede tributus antea non fuerit.

§ 42. Demum quod attinet ad expulsionem Daemonum a corporibus obsessis, inter plura remedia in eum finem ab Ecclesia recepta, quorum copiosam seriem exhibet diligens Scriptor Martinus del Rio *Disquisitionum Magicarum*, cap. 2, sect. 3, quaest. 3, locum profecto non habet incompositus ille, et parum verecundus gestus, in praefatis manuum figuris expressus. Porro an Daemones naturalium rerum virtute a corporibus obsessis expelli queant, Nos etiam disputavimus in saepecitato Opere *de Canonizatione Sanctorum*, lib. 4, part. 1, cap. 29, num. 7, partemque negantem amplexi sumus, cum maiori Theologorum numero; quorum auctoritates ibi retulimus; quibusque addi potest Theophilus Rainaudus in Libro inscripto *Theologia naturalis*, Tomo V, ipsius Operum, pag. 55, quem Librum videre Nobis contigit, dum hanc ipsam Epistolam dictaremus.

§ 43. In exorcizandis energumenis, illud potissimum interest, ut ante omnia dignoscatur, an revera obsessus sit a Daemone is, qui talis esse affirmatur; ubi vero ita esse constiterit, eligatur ab Ordinario Sacerdos perspectae pietatis, vitae integritatis, atque prudentiae; hic autem ad expellendum Daemonem, non quidem picta, vel lignea Manu, aliisve ineptis huiusmodi nugis utatur; sed praescriptas in Rituali Romano regulas adamussim servet. Magnus ille Mediolanensis Antistes S. Carolus Borromaeus, quum rectam ac tutam exorcizandi rationem in Libro a se probato tradidissset, in quarta Dioecesana Synodo a se habita anno 1574, Decreto 18, prohibuit, ne quis, occasione oblata, aliis quibuscumque exorcismis, precationibus, aut ritibus uteretur, quam quae haberentur in praedicto Libro; *cui nihil ab eo*, nimirum ab exorcizante, *addi, detrahi, ac ne mutari quidem fas sit.* Postmodum vero a recol. mem. Paulo Papa V Praedecessore Nostro, anno Domini 1614 publicatum fuit Rituale Romanum, in quo adest peculiaris Titulus *de exorcizandis Obsessis.*

[1] Cf. Decreta Authentica S. C. Indulg., n. 18.

Ac fel. record. Praedecessor pariter Noster Clemens Papa XI in quadam Epistola Encyclica data die 21 iunii 1710, distircte mandavit, ut nemo exorcizans a norma in praedicto Rituali Romano praescripta ulla ex parte discedere praesumat.

§ 44. Praeclarum tandem Fraternitatis tuae propositum, Nos satis pro merito commendare et collaudare non valemus; quod scilicet scribis, operam Te daturum, ut in Clero regimini tuo commisso, una cum Religionis ac Pietatis cultu, Sacrarum Literarum studia conserventur, atque in dies incrementum accipiant, additis ad Theologiam Scholasticam, Ecclesiasticae Historiae, et Canonicae Iurisprudentiae disciplinis. Sane hoc Tibi non exiguam in praesentia laudem, perennem vero in Ecclesiae monumentis nomini tuo gloriam comparabit; quodque pluris est, ingens apud Pastorum Principem meritorum pondus tibi acquiret. Nec illud praetereundum est, quod si Clerum ita instructum, sanaque doctrina eruditum habueris, non ita facile te huiusmodi molestiis vexari continget, quales nuper ex tuis Literis intelleximus, animum tuum veritati et Ecclesiasticae Disciplinae integritati inhaerentem fatigasse. Interea Fraternitatem tuam sincero caritatis affectu complectimur, ac Tibi, totique Gregi tibi concredito, Apostolicam Benedictionem impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 560-571].

363.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Vix pervenit*, 1 nov. 1745.[1]

Vix pervenit ad aures nostras, ob novam controversiam (nempe, an quidam contractus validus iudicari debeat) nonnullas per Italiam disseminari sententias, quae sanae doctrinae haud consentaneae viderentur; cum statim nostri Apostolici muneris partem esse duximus, opportunum afferre remedium, ne malum eiusmodi, temporis diuturnitate, ac silentio, vires magis acquireret; aditumque ipsi intercludere, ne latius serperet, et incolumes adhuc Italiae Civitates labefactaret.

§ 1. Quapropter eam rationem, consiliumque suscepimus, quo Sedes Apostolica semper uti consuevit: quippe rem totam explicavimus nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui Sacrae Theologiae scientia, et Canonicae Disciplinae studio ac peritia plurimum commendantur. Accivimus etiam plures Regulares in utraque facultate praestantes; quorum aliquos ex Monachis, alios ex Ordine Mendicantium, alios demum ex Clericis Regularibus selegimus; Praesulem quoque Iuris utriusque laurea praeditum, et in Foro diu versatum adhibuimus. Diem quartam indiximus iulii, qui nuper praeteriit, ut coram Nobis illi omnes convenirent, quibus naturam totius negotii declaravimus; quod illis antea cognitum perspectumque deprehendimus.

[1] Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, et Ordinariis Italiae.

§ 2. Post haec praecepimus, ut omni partium studio, omnique cupiditate soluti, rem totam accurate perpenderent, suasque opiniones scripto exararent, non tamen expetivimus ab ipsis, ut iudicium ferrent de contractu, qui controversiae causam initio praebuerat, cum plura documenta non suppeterent, quae necessario ad id requirebantur; sed ut certam de usuris doctrinam constituerent, cui non mediocre detrimentum inferre videbantur ea, quae nuper in vulgus spargi coeperunt. Iussa fecerunt universi; nam suas sen tentias palam declararunt in duabus Congregationibus, quarum prima coram Nobis habita est die 18 iulii, altera vero die prima augusti, qui menses nuper elapsi sunt; ac demum easdem sententias Congregationis Secretario scriptas tradiderunt.

§ 3. Porro haec unanimi consensu probaverunt:

I. Peccati genus illud, quod usura vocatur, quodque in contractu mutui propriam suam sedem, et locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo, quod suapte natura tantundem dumtaxat reddi postulat, quantum receptum est, plus sibi reddi velit, quam est receptum; ideoque ultra sortem, lucrum aliquod, ipsius ratione mutui, sibi deberi contendat. Omne propterea huiusmodi lucrum, quod sortem superet, illicitum, et usurarium est.

II. Neque vero ad istam labem purgandam, ullum arcessiri subsidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non excedens, et nimium, sed moderatum; non magnum, sed exiguum sit; vel ex eo, quod is, a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat; nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coemendis praediis, vel quaestuosis agitandis negotiis, utilissime sit impensurus. Contra mutui siquidem legem, quae necessario in dati atque redditi aequalitate versatur, agere ille convicitur, quisquis, eadem aequalitate semel posita, plus aliquid a quolibet, vi mutui ipsius, cui per aequale iam satis est factum, exigere adhuc non veretur: proindeque si acceperit, restituendo erit obnoxius, ex eius obligatione Iustitiae, quam commutativam appellant, et cuius est, in humanis contractibus aequalitatem cuiusque propriam et sancte servare, et non servatam exacte reparare.

III. Per haec autem nequaquam negatur, posse quandoque una cum mutui contractu quosdam alios, ut aiunt, titulos, eosdemque ipsimet universim naturae mutui minime innatos et intrinsecos, forte concurrere, ex quibus iusta omnino legitimaque causa consurgat quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item negatur, posse multoties pecuniam ab unoquoque suam, per alios diversae prorsus naturae a mutui natura contractus, recte collocari et impendi, sive ad proventus sibi annuos conquirendos, sive etiam ad licitam mercaturam, et negotiationem exercendam, honestaque indidem lucra percipienda.

IV. Quemadmodum vero in tot eiusmodi diversis contractuum generibus, si sua cuiusque non servatur aequalitas, quidquid plus iusto recipitur, si minus ad usuram (eo quod omne mutuum tam apertum, quam palliatum absit), at certe ad aliam veram iniustitiam, restituendi onus pariter afferentem, spectare compertum est. Ita si rite omnia peragantur, et ad Iustitiae libram exigantur, dubitandum non est, quin multiplex in iisdem contractibus licitus

modus et ratio suppetat humana commercia et fructuosam ipsam negotiationem ad publicum commodum conservandi, ac frequentandi. Absit enim a Christianorum animis, ut per usuras, aut similes alienas iniurias, florere posse lucrosa commercia existiment; cum contra ex ipso Oraculo divino discamus, quod *Iustitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum.*

V. Sed illud diligenter animadvertendum est, falso sibi quemquam, et nonnisi temere persuasurum, reperiri semper, ac praesto ubique esse, vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel secluso etiam mutuo, contractus alios iustos, quorum vel titulorum, vel contractuum praesidio, quotiescumque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum, ultra sortem integram salvamque, recipere. Ita si quis senserit, non modo Divinis Documentis, et Catholicae Ecclesiae de Usura iudicio, sed ipsi etiam humano communi sensui, ac naturali rationi procul dubio adversabitur. Neminem enim id saltem latere potest, quod multis in casibus tenetur homo, simplici ac nudo mutuo alteri succurrere, ipso praesertim Christo Domino edocente: *Volenti mutuari a te, ne averlaris;* et quod similiter multis in circumstantiis, praeter unum mutuum, alteri nulli vero iustoque contractui locus esse possit. Quisquis igitur suae conscientiae consultum velit, inquirat prius diligenter, oportet, vere ne cum mutuo iustus alius titulus; vere ne iustus alter a mutuo contractus occurrat, quorum beneficio, quod quaerit lucrum, omnis labis expers et immune reddatur.

§ 4. His verbis complectuntur, et explicant Sententias suas Cardinales, ac Theologi, et Viri Canonum peritissimi, quorum consilium in hoc gravissimo negotio postulavimus. Nos quoque privatum studium nostrum conferre in eandem causam non praetermisimus, antequam Congregationes haberentur, et quo tempore habebantur, et ipsis etiam peractis; nam praestantium Virorum Suffragia, quae modo commemoravimus, diligentissime percurrimus. Cum haec ita sint, adprobamus, et confirmamus quaecumque in Sententiis superius expositis continentur; cum Scriptores plane omnes, Theologiae, et Canonum Professores, plura Sacrarum Literarum testimonia, Pontificum Decessorum Nostrorum Decreta, Conciliorum, et Patrum auctoritas, ad easdem sententias comprobandas pene conspirare videantur. Insuper apertissime cognovimus Auctores, quibus contrariae Sententiae referri debent; et eos pariter, qui illas fovent, ac tuentur, aut illis ansam, seu occasionem praebere videntur; neque ignoramus quanta sapientia, et gravitate defensionem veritatis susceperint Theologi finitimi illis Regionibus, ubi controversiae eiusmodi principium habuerunt.

§ 5. Quare has literas Encyclicas dedimus universis Italiae Archiepiscopis, Episcopis, et Ordinariis, ut haec Tibi, Venerabilis Frater, et caeteris omnibus innotescerent; et quoties Synodos celebrare, ad Populum verba facere, eumque sacris doctrinis instruere contigerit, nihil omnino alienum proferatur ab iis Sententiis, quas superius recensuimus. Admonemus etiam vehementer, omnem sollicitudinem impendere, ne quis in vestris Dioecesibus audeat Literis, aut Sermonibus contrarium docere: si quis autem parere detrectaverit, illum obnoxium et subiectum declaramus poenis per Sacros Canones in eos propositis, qui mandata Apostolica contempserint ac violaverint.

§ 6. De contractu autem, qui novas has controversias excitavit, nihil in praesentia statuimus. Nihil etiam decernimus modo de aliis contractibus, pro quibus Theologi, et Canonum Interpretes in diversas abeunt Sententias; attamen pietatis vestrae Studium ac Religionem inflammandam existimamus, ut haec, quae subiicimus, executioni demandetis.

§ 7. Primum gravissimis verbis Populis vestris ostendite, usurae labem ac vitium a Divinis Literis vehementer improbari; illud quidem varias formas atque species induere, ut Fideles Christi Sanguine restitutos in libertatem et gratiam, rursus in extremam ruinam praecipites impellat. Quocirca si pecuniam suam collocare velint, diligenter caveant, ne cupiditate omnium malorum fonte rapiantur, sed potius ab illis, qui doctrinae ac virtutis gloria supra caeteros efferuntur, consilium exposcant.

§ 8. Secundo loco, qui viribus suis, ac sapientiae ita confidunt, ut responsum ferre de iis quaestionibus non dubitent (quae tamen haud exiguam Sacrae Theologiae, et Canonum scientiam requirunt), ab extremis, quae semper vitiosa sunt, longe se abstineant. Etenim aliqui tanta severitate de iis rebus iudicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia desumptam accusent, tanquam illicitam, et cum usura coniunctam; contra vero nonnulli indulgentes adeo, remissique sunt, ut quodcunque emolumentum ab usurae turpitudine liberum existiment. Suis privatis opinionibus ne nimis adhaereant; sed priusquam responsum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter caeteros praedicantur. Deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent. Quod si disputatio insurgat, dum contractus aliquis in examen adducitur, nullae omnino contumeliae in eos confingantur, qui contrariam Sententiam sequuntur, neque illam gravibus Censuris notandam asserant, si praesertim ratione, et praestantium Virorum testimoniis minime careat; siquidem convicia, atque iniuriae vinculum Christianae charitatis infringunt, et gravissimam Populo offensionem, et scandalum praeseferunt.

§ 9. Tertio loco, qui ab omni usurae labe se immunes et integros praestare volunt, suamque pecuniam ita alteri dare, ut fructum legitimum solummodo percipiant, admonendi sunt, ut contractum instituendum antea declarent, et conditiones inserendas explicent, et quem fructum ex eadem pecunia postulent. Haec magnopere conferunt non modo ad animi sollicitudinem et scrupulos evitandos, sed ad ipsum contractum in Foro externo comprobandum: haec etiam aditum intercludunt disputationibus, quae non semel concitandae sunt, ut clare pateat, utrum pecunia, quae rite data alteri esse videtur, revera tamen palliatam usuram contineat.

§ 10. Quarto loco vos hortamur, ne aditum relinquatis ineptis illorum Sermonibus, qui dictitant, de usuris hoc tempore quaestionem institui, quae solo nomine contineatur, cum ex pecunia, quae qualibet ratione alteri conceditur, fructus ut plurimum comparetur. Etenim quam falsum id sit, et a veritate alienum, plane deprehendimus, si perpendamus, naturam unius contractus ab alterius natura prorsus diversam et seiunctam esse; et ea pariter discrepare magnopere inter se, quae a diversis inter se contractibus consequuntur. Revera discrimen apertissimum intercedit fructum inter, qui iure

licito ex pecunia desumitur, ideoque potest in utroque Foro retineri; ac fructum, qui ex pecunia illicite conciliatur, ideoque Fori utriusque iudicio restituendus decernitur. Constat igitur haud inanem de usuris quaestionem hoc tempore proponi ob eam causam, quod ut plurimum ex pecunia, quae alteri tribuitur, fructus aliquis excipiatur.

§ 11. Haec potissimum vobis indicanda censuimus, sperantes fore, ut mandetis executioni quaecunque per has Literas a Nobis praescribuntur: opportunis quoque remediis consulctis, uti confidimus, si forte ob hanc novam de usuris controversiam in Dioecesi vestra turbae concitentur, vel corruptelae ad labefactandum sanae doctrinae candorem et puritatem inducantur. Postremo vobis, et Gregi curae vestrae concredito, Apostolicam Benedictionem impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. 1, p. 578-581].

364.

Benedictus XIV, ep. encycl. *Ab eo tempore*, 5 nov. 1745.[1]

Ab eo tempore, quo copiosus in misericordia Dominus, Nos, licet immeritos, ad summum Catholicae Ecclesiae Pontificatum evexit, complures diversi ordinis illustres Viri, itemque Episcopi, et Archiepiscopi in Italia, et extra commorantes, iteratis precibus institerunt, ut Dies Festos, ubique fere nimis auctos, quibus Christianus Populus feriatur, Apostolica auctoritate, imminueremus. Hoc enim prudenti temperamento, Pauperibus, qui quotidiano labore sibi victum quaerunt, facile consuleretur, ac simul gravia adimerentur absurda, quae ex Festorum dierum multitudine, ac frequenti violatione oriri solent, non sine aperto Religionis dispendio. Re expensa, negotii difficultatem probe intelleximus: quare peculiari Scripto, publicis etiam typis vulgato, rationes varias indicavimus, quibus ea immutatio fieri poterat: consilium pariter exquirentes nonnullorum S. R. E. Cardinalium, Episcoporum Italiae, aliarumque Regionum, Ecclesiasticorum Praesulum, Theologorum, Iurisconsultorum, aliorumque Virorum Doctorum, humanas, civilesque res callentium, an huiusmodi petitio esset exaudienda: si vero illam exaudiri aequum esset, et congruens, ipsi quoque rationes significarent, quibus utiliter, ac prudenter imminutio praescriberetur.

§ 1. Petita responsa tam varia, ut solet contingere, suo tempore accepimus, ut fere sua cuique fuerit sententia. In aliud proinde tempus negotium reiecimus, eam in spem adducti, ut Episcopi cuiusque Provinciae, vel Ditionis, unanimi voto in sententiam imminuendi Dies Festos primum convenirent; deinde vero, quo commodius id fieri posset, concordi pariter suffragio medium aliquod suggererent ex tot memoratis in Scripto Nostro, ac pro illius executione Pontificium assensum exposcerent. Hoc sane pacto

[1] Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, et Ordinariis Ditionis Ecclesiasticae.

inita ab Ordinariis consilia in re tanti momenti non illorum voluntati referri potuissent, sed tantum Supremae Apostolicae Sedis auctoritati, quam fel. record. Urbanus Papa VIII Praedecessor Noster integram esse voluit in decernenda imminutione dierum Festorum, qui in sua Constitutione [1] recensentur. Demum una eademque Episcoporum deliberatio, Apostolicae auctoritatis tecta munimine, nedum plurimum valuisset ad compescenda Censorum ingenia; sed etiam sublata fuisset disparitas illa ritus, quae hodie viget, Disciplinae Ecclesiasticae iniuriosa, ut intra paucorum milliarium ambitum, et inter finitimos Populos, unus idemque dies ab aliquibus Festus de Praecepto, ab aliquibus vero ferialis haberetur.

§ 2. Haec methodus feliciori sorte in universa fere Hispania excepta est. Cum enim postremi Tarraconensis Concilii Patres regulam quandam constituerint Dierum Festorum, quibus, pro illorum conditione, atque discrimine, Populi Divino interesse Sacrificio, et servilibus operibus abstinere debent; et aliorum, quibus Missae tantum interesse debent, tributa postmodum libertate vacandi operibus servilibus, fel. record. Benedictus XIII Decessor, et Benefactor Noster disposita in eadem Provinciali Synodo ad preces Episcoporum approbavit. Quo exemplo alii subinde Hispaniarum Antistites excitati, Nobis humiliter supplicarunt, ut ad minuendum nimis auctum Festorum numerum, liceret ipsis etiam servare regulam in praefato Terraconensi Concilio provide constitutam. Annuimus instantiae, exindeque omnium fere Hispaniarum Dioeceseon uniformitas in dierum Festorum celebratione, et ritu exorta est.

§ 3. Aliis quoque Catholici Orbis Regionibus servata a Nobis in hoc negotio conficiendo matura dilatio profuit. Interea siquidem aliquot Regni Poloniae Episcopi, mentis aciem ad substantiam, et modum imminuendi dies Festos dirigentes, per Literas Nobis significarunt, in illis Dioecesibus, suos late fines protendentibus, aestivo tempore Incolas, agrorum culturae, et aliis servilibus operibus, quibus vivunt, et sustentantur, dantes operam, difficillime ab illis abstinere posse diebus festis inter hebdomadam occurrentibus: enixe propterea Nos rogarunt, ut quae per hebdomadam aestivo tempore occurrunt Festa, in Dies Dominicos transferremus, excepto Festo Assumptionis B. Mariae Dei Genetricis, quae quovis die accideret, religiose ab universis celebraretur. Quorum petitio per Nos, maturo praemisso examine, exaudita, in Regionibus illis optatam ab Episcopis, et Populis tranquillitatem peperit.

§ 4. Quo vero ad Italiam pertinet, credi vix potest, quam prudens, ac religiosus de re ipsa fuerit sermo, quem Nobiscum instituit Charissimus in Christo Filius Noster Carolus utriusque Siciliae Rex Illustris. Non sine intimo, ac plane acerbo animi sui moerore Nobis exposuit, Dies Festos, quibus Christiani Populi feriari debent, in subiectis sibi regionibus passim violari, ob nimis auctum illorum numerum; huic porro malo non aliam adhiberi posse medelam, praeter diminutionem Suprema Auctoritate Nostra opportune faciendam. Significare illi non omisimus, gravem ac molestam utrique sollici-

[1] Cf. N. 226.

tudinem oborituram, si rem tanti ponderis inconsultis Episcopis conficere vellemus. Idcirco ut omnia feliciter procederent, non solum exquirendas esse illorum sententias; sed oportere, ut Antistites finitimi, vel Metropolitae cum suis Provincialibus, studia, et voluntates in eundem scopum dirigentes, quid tandem facto opus esset, ad Nostri deferrent Apostolatus auditum. Par omnium suffragium communem tranquillitatem subiectis Populis allaturum, et quod potissime in rebus sacris quaerendum est, ritus uniformitatem, et disciplinae concordiam.

§ 5. Id ipsum significavimus Episcopis temporalis nostrae Ditionis, quorum nonnulli privato sermone Nobiscum habito, nonnulli vero suis ad Nos datis Literis, Apostolicam auctoritatem ad Festos dies imminuendos enixe implorarunt. At cum ipsi nihil hactenus praestiterint, nihil et Nos egimus; liberam, prudentemque Episcoporum concordiam in hoc negotio praestolantes, non imperantes, et exigentes. Etenim moderatio numeri Dierum Festorum non a voluntate, sed a sola pendet necessitate, quam nemo melius, quam Episcopi norunt; ideoque ad eos potissimum pertinet, mali conditionem, et apta eidem remedia proferre. Nec facile adduci possumus, ut in hoc adeo gravi, et implexo negotio quidquam decernamus, nisi audita prius concordi quoad *substantiam*, et quoad *modum*, Episcoporum sententia.

§ 6. Haec Vobis, Venerabiles Fratres, eum in finem scribimus, ut non solum cuique Vestrum plane cognita, ac perspecta sit agendi ratio a Nobis inita in hac gravi causa imminutionis Dierum Festorum; verum etiam ut opportune nuntiaremus, si vestra consilia ex voto nostro Nobiscum communicavissetis, vel sublata prorsus, vel saltem magna ex parte submota fuissent mala, quibus curandis congruum, ac salutare remedium non semel a Nobis expostulastis.

Complures etenim vestrum voce, aut scripto improbarunt abusum Mercatuum, et Nundinarum, quae fieri solent Diebus Festis, quibus feriari oportet, ut Populus unice in res sacras incumbat, rationem a Nobis poscentes, qua grassanti in diem malo occurri possit.

§ 7. Inter modos propositos, atque servandos in imminutione, ac celebratione Festorum, praecipuus ille est, quo inter ipsos Festos dies discrimen constituitur. Etenim in diebus Dominicis, itemque in Celebritatibus Domini, Beatae Mariae semper Virginis Dei Genitricis, ac in aliis solemnioribus in memorato Scripto Nostro indicatis, debet Christianus Populus nedum interesse divino Sacrificio, sed etiam abstinere ab operibus vetitis; in caeteris vero minus solemnibus, qui tamen ex praecepto celebrari consueverunt, imposita est Christifidelibus obligatio interessendi Missae Sacrificio, tradita in reliquis cuique illorum potestate ea faciendi, quae fieri solent diebus ferialibus.

§ 8. Quo cautius, ac tutius incederemus, consulere voluimus Chirographa Summorum Pontificum Decessorum Nostrorum, quibus peculiaribus Urbibus, et Oppidis temporalis suae Ditionis habendarum Nundinarum facultatem tribuerunt. Multi iis diebus Nundinas fieri permiserunt, quibus Chistifideles (iuxta propositum Thema) servilibus operibus abstinere debebant, divinoque adesse Sacrificio; sed numerum longe maiorem illarum comperimus, quae

incidunt in eos Dies Festos ex Praecepto, quibus, si expetita fieret illorum imminutio, satis fuisset Missam audire, excluso debito abstinendi ab operibus servilibus, sublatoque onere peragendi, quae in aliis superioris ordinis Festis Christianus Populus debet implere.

§ 9. Hac via, si non omni, magna certe ex parte sublata essent mala, quibus, memorata de causa, congruens et opportunum a Nobis remedium postulastis. Enimvero bifariam divisis, ut praemonuimus, diebus Festis, affixoque inferiori ipsorum ordini debito interessendi dumtaxat Divino Sacrificio, celebratae in illis Nundinae nullum deinceps peperissent absurdum, nec libertas operum servilium, cum interessentia Missae compatibilis, refragari potuisset praecepto ab Ecclesia Fidelibus iniuncto. Praeterea nullus Urbibus, et Oppidis relictus fuisset timor, ne, cum Incolarum, et Concurrentium detrimento, Nundinarum frequentia imminueretur. Quippe iuxta hypothesim praemissam, recolente adhuc Clero solemni ritu diem Festum intra Ecclesiam, sumptuoso ornatu, omnique nitore instructam; in ipsa Sacri concentus Musices haberi de more potuissent; permitti quoque potuissent citatorum Equorum cursus, aliaque id genus, quae Populi augere solent numerum, Mercatorum frequentiam, et Nundinarum celebritatem. Sed de re huiusmodi, veluti extranea, sermone relicto, ad propositae quaestionis examen progredimur, dierum Festorum imminutione seclusa.

§ 10. Eruditioni vestrae, Venerabiles Fratres, ignotum non erit, quod hac de re Theologi tradunt. S. Thomas *in 2, 2, quaest. 122, art. 4, ad quartum* docet, arctiorem in antiqua lege fuisse observantiam Sabbati, quam sit in nova observantia diei Dominici; dieque Sabbato vetita fuisse opera, quae non vetantur die Dominico. Cardinalis vero Caietanus in Commentario ad hunc locum asserit, licere Villicis diebus Festis Urbem petere, ut calceos emant, et his similia. De Alma vero Urbe sermonem instituens, morem profert hac tempestate iam obsoletum. Inquit enim: *Licitum est diebus Festis emere, ac vendere Asinos, Equos, quia sic est consuetudo in publico foro in diebus Festis, spectante Mundo; haec enim omnia ubi antiquata consuetudo, ac per hoc a Praelatis scita, cum sint omnibus notoria, licita sunt ex ipsa consuetudine, fundata super libertate Evangelica, qua non tenemur stricto iure Veteris Legis de observatione Festorum.* Caietano subscribunt *Sylvestr. in Summ. Verb. Negotium,* § 2, *Sylvius ad S. Thom.* 2, 2, tom. 3, quaest. 122, art. 4, § *Ad prius,* Suarez, *de Relig.,* tom. I, lib. 2, cap. 29, num. 3 *ad plur. sequen., Giballin., de Negotiation.,* tom. I, lib. 2, cap. 3, art. 2, num. 9 in fin.

§ 11. Eiusdem sententiae sunt etiam Ecclesiastici Iuris Interpretes, ut videre licet apud *Fagnan.* in cap. *Multa,* num. 54 et seqq., *ne Cleric. vel Monach.* idemque sentiunt *Gonzal.* in cap. *Omnes,* num. 8, *de Fer., Pirhing. ad Tit. Decretal. de Feriis,* num. 18, *Anaclet.* eod. tit., num. 22, *Engel.* ibid. § 2, num. 13, *Pikler,* num. 9, *Schmalzgrueber,* num. 23, aliique multi, qui facile citatis addi possent. Nonnulli vero ex Doctoribus Sacrorum Canonum inter *Mercatus* et *Nundinas* discrimen constituunt; ac primos quidem Diebus Festis ex praecepto observandis permitti non posse censent, secus tamen alias; quoniam nonnisi Diebus Festis Populi habetur frequentia, celebrationi Nundinarum congrua et necessaria, teste *Cappon., discept. 91, art. ult., num. 4.*

Alii tandem docent, quavis consuetudine minime obstante, posse Episcopum in sua Dioecesi vetare, ne Mercatus, aut Nundinae Festis Diebus habeantur; idque praeter alios asserunt *Cappon.* loco cit., num. 6, *Oratian. decis. Marchiae 21, Ventrigl. in Prax. Rer. Eccl.*, tom. I, Annot. 16, § 1, num. 19, *Zaul. ad Statut. Favent.*, tom I, lib. 7, *observat. ad rubric. 2*, num. 24, *Nicol. in Prax. Canonic.*, tom. I, lit. C., § 1, num. 44.

§ 12. Ne quid praeteriremus, consuluimus etiam illustriores Synodos Dioecesanas, habitas ab Episcopis Ditionis nostrae temporalis. In celeberrima Farfensi Synodo Cardinalis Caroli Barberini anni 1684, et in Cesenatensi Cardinalis Denhoff anni 1693 interdicitur quidem Mercatus Diebus Festis, nihil tamen de Nundinis constituitur. In aiiis nullo discrimine Mercatus prohibentur, et Nundinae, ut constat ex Synodo Lauretana Cardinalis Romae anni 1626, maxime vero deficiente Indulto, ut expresse decernitur in Senogalliensi Cardinalis Antonii Barberini anni 1627, innovata anno 1737, ab Episcopo Isolano. Senogalliensi praeterea Synodo Cardinalis Barberini consonat etiam Synodus Ariminensis Cardinalis de Via, edita anno huius saeculi vicesimo quarto.

§ 13. Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Iterpretum Responsa ad Episcopos, qui de suis Dioecesibus retulerunt, pari cura a Nobis perlecta sunt. De re ipsa consulta, rescripsit Episcopo Placentino, ut iuxta antiquam consuetudinem sineret haberi Nundinas rerum parvi pretii die Festo S. Bartholomaei Apostoli, dummodo id non fieret in Atrio Ecclesiae, ut ex *lib. Decret.* anni 1629, lib. 14, pag. 207. Episcopo Casalensi anno 1665 responsum fuit: curaret sedulo, ne Mercatus haberentur Festis diebus, sed transferrentur in diem sequentem; omnemque pro viribus impenderet sollicitudinem, ut id ipsum imposterum fieret, *si privilegium, vel immemorabilis consuetudo non adsit.* Anno 1697, Episcopo Theanensi respondit: *Tolerari posse Mercatus Diebus Festis, dummodo ad alium diem transferri nequeant; et ex eorum omissione iurgia, et scandala exoriri possint.*

§ 14. Probe insuper scientes, fieri non posse Nundinas sine expresso Supremi Principis permissu, cum id iuris pertineat *ad Regalia, et quidem maiora,* ad tradita per *Sixtin. de Regal.*, lib. I, cap. 6, num. 30, hac etiam in parte opportunae doctrinae lumina quaesituri, non omisimus (ut paulo ante monuimus) inspicere Chirographa Summorum Pontificum Decessorum Nostrorum, qui veluti Supremi Provinciarum suarum Domini, eam facultatem multis Urbibus, et Oppidis concessere, haberique Nundinas indulserunt etiam diebus Festis institutis in honorem Domini Nostri Iesu Christi, Beatae Mariae Genitricis eius, frequentissime vero Sanctorum Patronorum Principalium, vel Titularium locorum, et Ecclesiarum, ad maiorem Populi frequentiam, atque celebritatem conciliandam.

§ 15. Quae omnia vel secum pugnantia, vel implexa, viam propositae dissolvendae quaestioni non compararunt, immo potius difficiliorem, et abstrusiorem reddiderunt. Ne igitur ullae diligentiae Nostrae partes deessent pietati, et zelo vigilum Antistitum Responsa Nostra cupientium; his omnibus seorsim positis, manus admovimus Ecclesiasticis Historiis, et Conciliis, e privatae Bibliothecae Nostrae penu depromptis. Quibus pressius insistentes,

semper tamen prae oculis habito praesenti rerum statu, longo usu et antiquitate fulto, significandum Vobis esse censemus:

§ 16. Primo, Mercatus, et Nundinas Festis diebus non licere. Nundinas autem intelligimus, *quae sunt de rebus maioribus, et semel in anno fiunt, vel raro in eodem loco, et de longinquo ibidem conveniunt homines; Mercatus vero, qui fiunt in rebus minoribus, ad quotidianas necessitates pertinentibus, et fiunt singulis septimanis, et ab Hominibus de vicino ibidem convenientibus.* Verba sunt Venerab. Servi Dei Umberti de Romanis, Quinti Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum, in egregio opere *de eruditione Religiosorum Praedicatorum,* lib. 2, Tract. 2, num. 92, pag. 351 *editionis Romanae.* Id autem pronunciamus, non quia vendere, ac emere sit opus servile, ideoque vetitum diebus Festis; sed quia actiones huiusmodi impediunt et distrahunt Christifideles a cultu divino, ad quem dies Festi sunt instituti.

Secundo: Antiquum profecto esse abusum Mercatuum, itemque Nundinarum iisdem diebus.

Tertio: Ecclesiasticis legibus quovis tempore illas fuisse vetitas.

Quarto: Huiusmodi iustas sanctasque leges caruisse effectu.

Quinto tandem: quia malum universale est, ac alte radices egit, opus est prudentia, et maturitate, ne fructu careat medela, ac vulnus exasperet. Quod possumus exigendum est, non quod optamus. Admonitionibus proinde uti satius videtur, quam minis; et si minae quandoque intententur, servandum est exacte monitum sapientissimum S. Augustini in Epistola 22 ad Aurelium Carthaginensem Episcopum, qui agens de auferenda Conviviorum licentia totam passim Africam foede occupante sub inani obtentu honorandi Festa Sanctorum Martyrum, scripsit: *Non aspere, quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur; magis docendo, quam iubendo; magis monendo, quam minando; sic enim agendum est cum multitudine. Severitas autem exercenda est in peccata paucorum. Et si quid minamur, cum dolore fiat, de Scripturis comminando vindictam futurorum; ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur. Ita prius movebuntur spirituales, vel spiritualibus proximiores; quarum auctoritate, et lenissimis quidem, sed instantissimis admonitionibus, caetera multitudo frangatur.*

§ 17. Ad propositam a Nobis rationem firmandam, sufficit legere Catechismum Tridentini Concilii, part. 3, praecept. 3, num. 3, ut simul addiscatur, in quae opera Christifideles festis diebus debent incumbere. Ea nimirum sunt, Divino Sacrificio reverenter adesse; Dei verbum attente, pioque corde audire; Ecclesias frequentare; mundare conscientiam; Deo laudes persolvere, aliasque salutares exercitationes obire. Diu ante Romanum Catechismum idipsum feliciter enunciatum fuit a Sancto Nicolao Papa huius nominis I in Responsis ad Consulta Bulgarorum, Tom. 22 *Collect. Concilior. editionis Regiae,* num. 10, pag. 441: *Sane,* inquit, *sciendum est, quoniam idcirco in diebus Festis ab opere humano cessandum est, ut liberius ad Ecclesiam ire, psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad imitationem eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat Christianus.* Inde etiam coacti in Conciliis Patres rationem potissimam hausere denunciandi,

illicitam esse diebus Festis celebrationem Mercatus, et Nundinarum. Qua de re videnda Concilia Rhemense, ac Turonense habita anno Domini 1583. In eandem sententiam Narbonense anni 1609 decrevit: *Mercatus, Emporia, et Nundinae nuspiam fiant diebus Festis, sed in antecedentem, vel subsequentem Festivitatis diem transferantur.* Eorum porro Conciliorum verba fideli calamo recensentur a *Pouget, in Institutione Catholic.*, Tom. I, pag. 724 et sequentibus.

§ 18. Caeterum habendarum Nundinarum, et Mercatuum diebus festis corruptelam antiquo iam tempore invaluisse, plurima evincunt monumenta. S. Basilius Caesareensis Archiepiscopus, qui quarto Christianae Ecclesiae saeculo vixit, in Regula Monachorum *interrogatione 38* post stabilitum ipsorum laborem, propriis manibus dietim absolvendum, indicavit in *sequenti interrogatione*, quomodo peracta opera vendi deberent, ut eorum pretio sustentarentur. Mox *in interrogatione 40* scripsit: *Neque vero quoniam alii iam eam, quae apud Sanctos obtinebat, consuetudinem violavere, qui cum pro se invicem orare debuissent, et una cum pluribus Deum adorare, et cum lacrymis implorare, ipsumque pro peccatis propitium reddere, gratias pro beneficiis rependere, ac verbis hortativis sese aedificare (quod adhuc nostra etiam memoria usitatum, et observatum fuisse novimus); pro his omnibus forum, Nundinasque, ac commune emporium et tempus illud, et locum efficiunt, continuo nos etiam hos imitari par est, eiusque rei participatione absurda, et inepta confirmare,* ut videre licet in Tom. 2 *Operum* eiusdem S. Basilii *editionis Parisien.*, pag. 346. Aurelius Cassiodorus Senator, et ab Epistolis Theodorici Regis Gothorum, qui vivebat saeculo sexto, *in Epistola 33,* lib. 8, tom. I, Festum celeberrimum describens, quod in Lucania agebatur in honorem S. Cypriani Martyris, itemque Miraculum a Deo hac occasione edi solitum ad Fontem Marcilianum; mentionem pariter ingerit de Nundinis longe frequentissimis ad augendam Festi celebritatem ibidem institutis. *Quidquid enim* (inquit) *praecipuum aut industriosa mittit Campania, aut opulenti Brutii, aut Calabri pecuniosi, aut Apuli idonei, vel ipsa potest habere Provincia, in ornatum pulcherrimae illius venalitatis exponitur, ut merito tam ingentem copiam iudices de multis Regionibus congregatam.* Iubet deinde Severo Provinciae Praesidi, ut vim tumultuariam Villicorum quorundam comprimat, qui commeantes Mercatores spoliabant. Ad finem eiusdem saeculi vixit S. Gregorius Turonensis Episcopus. Is autem in lib. I *de gloria Martyrum,* cap. 32 *editionis Parisien.*, pag. 758 describit nobile Festum, quod in honorem S. Thomae Apostoli fiebat Edessae, ubi sacrae illius exuviae ex India translatae quiescebant. Fontem mirifice scaturientem memorat, potum confluentibus ad Festum, quod triduo agebatur, tribuentem: nec reticet liberas a vectigalibus Nundinas, quae sacram celebritatem illustriorem reddebant: *In supradicta igitur Urbe, in qua beatos artus diximus tumulatos, adveniente Festivitate, magnus aggregatur Populorum Coetus, ac de diversis Regionibus cum votis, negotiisque venientibus, vendendi, comparandique per triginta dies sine ulla telonii exactione licentia datur.* Theodoricus Ruinartius in notis ad hunc locum animadvertit, in quibusdam exemplaribus legi: *Negotiatoribusque venientibus;* in aliis vero: *Negotiisque venientes:* negotiique nomine res venales indicari. Tandem undecimo

ineunte saeculo, cum Mediolani in Templo S. Mariae ad Portam septimo Idus Maii aliquot insignes Sanctorum Reliquiae fuissent inventae, constitutum est a Clero, ut ad perennem rei memoriam Dies ipse quotannis Festus haberetur; Populusque universus feriaretur, *tanquam in die Resurrectionis, et Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi. Quo etiam die, ad frequentationem solemnitatis, statutum est, annualem esse Mercatum,* teste Landulpho Iuniore, cap. 2 suae Historiae, apud Muratorium, tom. 5, *Collect. Script. rer. Italicar.*

§ 19. Quod autem vigiles Ecclesiarum Praesides nunquam omiserint, in huiusmodi abusum celebrandarum Nundinarum atque Mercatuum diebus Festis, invehere, agnoscere potestis ex tom. 4. *Anecdotorum Parisiis editorum* a Martene, et Durand, pag. 335, et 1133; ex amplissima collectione Scriptorum, et monumentorum ab iisdem publicata, praesertim tom. 7, pag. 1401, et tom. 8, pag. 1006, 1560, et sequent.; itemque ex Labbeana Collectione Conciliorum editionis Parisiensis tom. 7, pag. 1177, tom. 8, pag. 111, et 127, tom. 9, pag. 422, et 584, tom. 13, pag. 1380, et tom. 14, pag. 702. Inter Acta Mediolanensis Ecclesiae idipsum liquet ex Tertio Provinciali Concilio, et Undecima Synodo Dioecesana S. Caroli. Quod si id genus testimonia ex Canonico quoque Iure petenda sint; in prima Decretali sub Titulo *de Feriis* vobis occurrit praeceptum, quo iubentur Christifideles *diebus Dominicis ab omni illicito opere abstinere, ut in eis Mercatum minime fiat.* Quo nomine comprehenduntur etiam Nundinae, ut in Commentariis ad allegatum Textum docent plerique Canonici Iuris Interpretes. Praeterea in Bullario Romano extat Constitutio quinta S. Pii V, in cuius § 7 Pontifex vigilantissimus cavit: *Ut omnes Dies Dominici, et praecipue in honorem Dei, Beatae Mariae Virginis, Sanctorum Apostolorum feriati, cum omni veneratione observentur, et omnes in diebus praefatis Ecclesias frequentent, Divinis officiis devote intendant, ab omni illicito, et servili opere abstineant, Mercatus non fiant, profanae negotiationes, et iudiciorum strepitus conquiescant.* [1]

§ 20. Adversus tot saluberrimas Ecclesiae Sanctiones provide editas, suborta iam diu corruptela adhuc perseverat, et a Populis pertinaciter retinetur non in nostra solum temporali Ditione, verum etiam in tota Italia, ut testatur Muratorius tom. 2, *Antiquitatum Italicarum dissert. 32,* ubi postquam asseruit magnis Mercatibus tributum fuisse nomen *Feria*, vulgo *di Fiera: Hisce vero hoc nomen inditum, quod plerumque diebus feriatis haberentur, hoc est, in Natali alicuius Sancti, aut Dominicis Festivitatibus,* opportune ad rem prosequitur: *Quem morem parum alioqui laudabilem adhuc Italia servat.* In Transalpinis quoque Provinciis idem abusus, antiquo tempore invectus, hodie viget, quemadmodum videre licet apud Theologos, et Sacri Iuris Interpretes a Nobis paulo ante memoratos, qui tamen patrium morem, etsi minus probum, excusant obtentu Indulti, vel consuetudinis antiquae constanter toleratae. Quapropter suspicari merito possumus, toti fere Orbi Christiano accidisse, quod in Anglia contigit duodecimo Christi Saeculo. Abbas Flaiensis, ut refert Matthaeus Parisius, subiectae sibi regionis populis vetaverat Mercatus, et Nundinas diebus Dominicis, quamvis illae in tota Anglia

[1] Cf. N. 111.

fierent; sed vix aliquandiu relicto abusu, in vetitum morem Gentes illae rediere: *Verumtamen tempore procedente, plerique, ut canes, ad vomitum sunt reversi.*

§ 21. Reliquum modo est, ut dispiciamus, quod ultimo tandem loco expendendum proposuimus, quo scilicet remedio prudenter ac salubriter uti debemus, ut grassans aetate nostra tollamus absurdum.

§ 22. Debito procedentes ordine *Mercatus a Nundinis* distinguimus. Textus Iuris Canonici paulo ante allegatus in cap. 1, *de Feriis,* loquitur de *Mercatu.* Idem quoque Verbum in Constitutione sua usurpat S. Pius V. Communis praeterea sententia est (quidquid sit de Nundinis), Mercatum haberi non posse Diebus Festis, sed esse transferendum in antecedentem, vel in subsequentem diem, si in Festum inciderit. Huic regulae Nos inhaesimus, facultatem tribuentes die 9 maii 1742 Viro Nobili Ferrariensi habendi Mercatum in suo Rure qualibet feria quinta, dummodo in illam non incideret Festum servandum ex praecepto; quo casu Mercatus transferretur in feriam quartam. Qua de re omnem dubitandi ansam praecidentes, Vobis per haec Apostolica scripta mandamus, ne in Dioecesium Vestrarum Urbibus, et Locis, *Mercatus* fieri Festis Diebus patiamini.

§ 23. Libentius praeterea id Vobis praecipimus, quia post sedulum ac maturum examen, consentanee idipsum decrevit die 2 maii 1711 Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpres in Causa *Ripana Mercatus,* ut ex lib. 61 *Decretor.*, pag. 203 a terg. Quod Decretum Apostolica auctoritate Nostra comprobantes, instar regulae esse volumus, ac in omnibus Temporalis Ditionis Nostrae Provinciis, Urbibus, ac Locis S. Sedi Apostolicae mediate, vel immediate subiectis, inviolabiliter observari praecipimus. Decreti huiusmodi sequens est exemplum: *Cum modernus Episcopus Ripanus de mense Septembris 1709 Edictum typis mandaverit super observantia dierum Festorum, in quo signanter illud praescripsit § 2: « Le fiere, che sogliono farsi in alcune Feste determinate dell'Anno, si tollerano dopo celebrata la Messa Maggiore. Ma i Mercati, che si fanno in giorno fisso della settimana, cadendo in questo qualche Festa, si trasferiscano nel giorno antecedente, o susseguente non festivo, secondo la disposizione di tutti i Sinodi Diocesani da' nostri Antecessori stampati sotto le infrascritte pene, etc. » Nihilominus Civitas, et Homines Ripani ad impediendam eiusdem Edicti promulgationem, ex asserta immemorabili consuetudine habendi Mercatum in die Sabbati, etiamsi in eum incidat dies Festus, obtinuerunt ab A. C. Monitorium super manutentione cum inhibitione. Sed R. P. Auditoris Sanctissimi Decreto Causa remissa fuit ad hanc Sacram Congregationem, in qua concordato infrascripto Dubio, contingit hodie ex deducendis hinc inde a Partibus momentis disputari: An liceat Communitati, et Hominibus Ripae habere mercatum die Sabbathi, intus, vel extra Civitatem, quando occurrit quod sit dies festivus in casu, etc. Die 2 Maii 1711. Sacra Congregatio Concilii respondit Negative, et huiusmodi causam amplius non proponi mandavit.*

§ 24. Et sane nullum hic locum habet quaevis consuetudo, etiam immemorabilis, ut, omissis generalibus iurisprudentiae regulis, perspicue liquet ex aliis momentis mox adducendis. Ante memoratam Causam Ripanam, pro-

posita in Congregatione Concilii fuit alia, inscripta *Barchinonen. Observationis Festorum.* Contendebant Mercatores Barchinonenses, vendere posse Merces suas diebus Festis, consuetudine fulti immemorabili, rite probata, ac etiam speciem, et imaginem necessitatis praeseferente. Finitimorum siquidem Locorum Incolae reliquis hebdomadae diebus victui quaerendo, ac laboribus intenti, nonnisi die Festo ad Urbem accedebant. Adversante nihilominus Episcopo, Causa proposita fuit in Congregatione, quae die 13 maii 1669 respondit: Id Mercatoribus non licere, quacumque consuetudine immemorabili nequaquam obstante. Putarunt tamen Mercatores succumbentes, huiusmodi rescripto fundamentum praebuisse opinionem ingestam forte partibus: *Se distrahere velle Merces apertis Apothecarum foribus.* Instaurato proinde iudicio, ac mente patefacta, validiore conatu obiectae consuetudini immemorabili institerunt. Congregatio tamen die 27 martii 1683 in priori sententia, et decreto perstitit, silentiumque Mercatoribns imposuit.

§ 25. Mercatibus succedunt *Nundinae,* quarum respectu propositum nostrum esset ea decernere, quae de Mercatibus statuimus, pleno corde illis inhaerentes, qui Festos Dies, qua decet cura ac sedula religione, sanctificari a Christifidelibus cupiunt, et pro viribus enituntur. Sed ne peiora contingant absurda, praecipimus quod possumus, non quod optamus.

§ 26. Neminem certe latet, quo flagraverit zelo, quantumque divini honoris fuerit studiosus, celebratissimus Pontifex Alexander III Noster Praedecessor. Ratione tamen pari, ac necessitate compulsus, indulsit quibusdam Populis, ut diebus Dominicis, aliisque Festis, piscarentur, maioribus dumtaxat Solemnitatibus exceptis; dummodo piscatione peracta, congruentem eleemosynam impertirent vicinis Ecclesiis, et pauperibus Iesu Christi, ut habetur in Cap. *Licet, de Feriis.*

§ 27. Dum in minoribus constituti a Secretis eramus memoratae Congregationis Concilii Tridentini Interpretis, prae manibus habuimus Indultum fel. record. Sixti Papae V Praedecessoris Nostri, qui ad preces cuiusdam Abbatis Ordinis S. Benedicti Dioecesis Gerunden. facultatem impertitus est piscandi Diebus Festis habitatoribus Castri, mari adiacentis, post auditam Missam, et post meridiem, adiecto onere tribuendi Abbati, eiusque Monasterio tertiam lucri partem, in Ecclesiae instaurationem pie erogandam. Quae conditio progressu temporum cum nimis onerosa visa sit Piscatoribus, paupertate pressis, et exhaustis dispendio, quod Naves Piscatoriae exigebant; re ad Sacram Congregationem delata, imminutum fuit primaevum onus ad septimam partem, ut ex *Decreto edito die 24 Augusti 1720.*

§ 28. Fatemur sane, necessitatem, quae sese Alexandro III obiecerat, cum illa, in qua versamur, non esse conferendam. Nostra tamen gravis est, si illa fuit gravissima. Durum enim est, atque asperum id Populis adimere, quod Decessores Nostri peculiaribus Literis indulserunt. Res praeterea huiusmodi conditionis est, quae pluries vetita, atque sublata, denuo in pristinum morem emersit: de ipsa non una est Theologorum, et Canonistarum sententia. Quinimo aliquot doctrina, et pietate illustres illam illicitam non habent. De re tandem agitur, qua sublata, minuerentur Populorum commoda, atque commercia, humanae vitae longe opportuna. E contra vero retineri alio modo

non potest, quam quo viget. Etenim difficillimum, ne dicamus impossibile deprehenditur, frequentes haberi posse Nundinas extra dies Festos, quibus confertim Populi confluunt, quovis alio soluti labore, ac negotio.

§ 29. Inter Nundinas, quae in Provinciis nostris aguntur, illustriores, ut bene nostis, sunt Senogallienses protractae multis diebus. Cum Anconitanam Ecclesiam Senogalliensi finitimam regeremus, non sine moerore intelleximus, tempore Nundinarum ea omnia fieri Festo etiam die, quae aliis hebdomadae diebus Divino cultui non consecratis, peragebantur. Huic malo occurrere satagentes, die 24 Augusti superioris anni Constitutionem Nostram de Nundinis Senogalliensibus publicavimus,[1] qua praeter caetera iussimus, ut Diebus Festis Apothecae clauderentur; neque matutinis horis, aut vespertino tempore, quibus Divina Officia in Ecclesiis celebrantur, vel Dei verbum Populo nuntiatur, Contractus fierent. Imminutum vero hac de causa saecularibus negotiis tempus compensaturi, Nundinarum dies, cum iisdem Privilegiis et immunitatibus, opportune multiplicavimus. Exequutioni debitae iussa nostra hoc anno mandata, meliorem atque utiliorem rerum ordinem pepererunt, magno omnium Civium et bene moratorum hominum solatio.

§ 30. Id ipsum, Ven. Fratres, et vos agite. Constituite, Auctoritate Nostra, matutinas, et vespertinas horas quibus Festo Die, quo Nundinae habentur, claudi debeant Apothecae, nec publica possint exerceri commercia, ut qui ad Nundinas confluxerunt, Missae Sacrificio, et Divinis Officiis intersint, aliisque Christianis operibus Festum sanctificent. Vigilate, ut omnia plene, et exacte impleantur. Nos autem per Publicum Edictum non praetermittemus extendere Nundinarum privilegia ad diem sequentem, qui Festus non erit; ut temporalia negotia paucarum horarum spatio, propter Dei cultum et animarum salutem, intermissa, integri diei accessione commode peragantur.

§ 31. Haec sunt, Ven. Fratres, quae post maturum examen, auditamque gravium atque doctorum Virorum sententiam, de proposita quaestione Vobis significanda censuimus, quibus omnibus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

[Bened. XIV Bull., tom. I, p. 582-590].

[1] Cf. N. 346.